


HISTORIA NORVEGICA.

Imprimatur.
P. VINDINGIUS.

Hafniæ d. 2 Maji,
Ao. 1711.

THORMODI TORFÆI
S:R:M: DANIÆ ET NORVEGIÆ, &c.
RERUM NORVEGICARUM
HISTORIOGRAPHI,
ET
IN COLL. CONSISTOR. ASSESSORIS,

HISTORIA RERUM NORVEGICARUM

IN
QVATUOR TOMOS DIVISA.
IN QVA, PRÆTER
Norvegiæ deſcriptionem,
Primordia Gentis, inſtituta, mores, incrementa; & inprimis Heroum ac Regum, tam ante qvàm poſt Monarchiam inſtitutam, ſucceſſiones, eorumq; domi juxta ac foris geſta, cumq; vicinis gentibus commercia; Genealogia item, Chronologia, & qvæcunq; ad Regni Norvegici illuſtrationem ſpectant,
Singula ex Archivis Regiis, & optimis, qvæ haberi potuerunt, Membranis, aliisq; fide digniſſimis Authoribus, eruta,
Luci publicæ exponuntur,
Cum Prolegomenis & Indicibus neceſſariis.

HAFNIÆ, MDCCXI.
EX TYPOGRAPHEO JOACHIMI SCHMITGENII.





SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO
REGI ac DOMINO
DOMINO
FREDERICO
QVARTO,
DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM, GOTHORUMq;
REGI;
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ
DUCI;
OLDENBURGI ET DELMENHORSTI
COMITI,

DOMINO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME
REX,
DOMINE CLEMENTISSIME



D MAJESTATEM TUAM accedit hoc Opus, tantò qvidem majore cum fiducia, qvòd & Regiîs compositum sit Auspiciîs, & eos ab oblivione adserat REGES, qvorum non poterit non sancta apud TE memoria esse. Scili-

Scilicet Avo TUO Divo FREDERICO debetur tanti molimen Operis. ILLE hortatû ſuô & auctoritate; ILLE præmiîs beneciîsqve Torfæum ad ſcribendum excitavit: & meminerê adhuc multi, qvâ hanc rem curâ, qvâq; Scriptorem ipſum humanitate atqve indulgentiâ complectebatur. Et verò ſvaſerat id ILLI pietas; memoriæqve REGUM Norvegiæ, ut qvorum ſoboles erat, hoc qvaſi debitum exſolvere volebat munus. Nil mirum ergo, MONARCHA OPTIME, ſi TU Paterq; TUUS Divus CHRISTIANUS veſtigia tanti REGIS prementes, qvod inchoari ILLE juſſerat, peragi curaſtis Opus. Certè Magnitudine VESTRA dignisſima hæc res fuit. Pietatis ita, qvô inſignior nullus, adepti eſtis titulum. Immo reddidiſtis ILLIS vicem, qvi pulcherrimam VOBIS transmiſerê Succeſſionem: reddidiſtis, inqvam, pro Regno id, qvod regnîs ipſîs eſt diuturnius: conſecraſtis Eos æternitati; vivuntq; jam ac vivent ſemper in memoria hominum, longâ illâ nunqvam premendi nocte. Et VOBIS qvidem rependet id tota poſteritas; habebitisque, qvam aliis re-

 ligi-

ligiosè adeò donaſtis, immortalitatem. TU autem, nam TE ſolum jam adloqvor, MAGNE REX, qva non perfruérê lætitiâ, cum leges hìc, qvales qvantiq; illi fuerint TUI Majores. Videbis HARALDOS, OLAFOS, MAGNOS, SVERRERES, HAQVINOS: & fateberis, illos in fortitudine, prudentia, ſanctitate ne celeberrimis qvidem, qvos habuit antiqvitas, Regibus cesſiſſe. Qvid? qvòd imperitabant GENTI; ex qva tot fortiſſimi Viri, tot prodierê Heroes; digni certè, qvos, ne neſciat unqvam orbis, qvàm ingentia eorum fuerint facta, qvæqve ſudore ſuo & ſangvine adepti ſint decora, æternus Annalium colat honos. Hæc enim illa GENS, qvæ olim ſimul cum TUIS Danis ſub nomine Normannorum per omnem ferè, qvà clasſibus adiri qveat, Europam victricia arma circumtulit. Hæc GENS, qvæ toti illi, qvod Norvegiam, Britannniamq; & ſeptentrionalem Americæ oram interluit, mari jura pôſuit; inſulas omnes coloniis complens, Chriſtianamq; ſimul mox cum novis his colonis inducens religionem. Hinc ROLFUS ille Neuſtriæ domitor, qvi non pedibûs magis qvàm victoriîs disjunctiſſimas pervagabat terras. Hinc TANCREDUS,

DUS, cui in privata domo, qvot filii, tot ferè etiam, inauditô per omnia fecula exemplô, futuri nascebantur Principes; virtute solâ exteras apud nationes, qvæ ad posteros etiam transmitterent, imperia sibi facturi. Hinc Regis Magni Nudipedis filius SIGURDUS, qvi, in Hispania devictîs terra mariq; Sarracenîs, exactîs Sicilia Maurîs, adsertâ Christianis Syriâ ac Palæstinâ, Asiam Africamq; & Europam admirationis suæ famâ conjunxit. Hinc deniqve, ut reliqvos omnes taceam, magnus ille Angliæ Rex WILHELMUS CONQVESTOR. Qvàm TIBI ergo, AUGUSTE noster, gloriosum, qvàm pulchrum est, talibus dedisse perpetuitatem? Sed non minùs insigne illud, qvòd & ita civium, ut qvos qvàm maximè eâdem hac pietate obligasti, promeritus es amorem. Credas enim, TE gratius nihil acceptiusq; Norvegis TUIS potuisse præstare: & licèt amaverint TE semper, qvantùm mereris, amant TE tamen jam ardentiùs, cum videant, per orbem terrarum legendam TE dedisse duraturam Majorum suorum memoriam. Nec aliter sentire putes nos Danos. Gaudemus Norvegorum gloriâ, ut cujus ad nos pro necessitudinibus

nibus noſtris magna pars redundat; & in hoc mutuo noſtro amore, in hac, qvâ tot per ſecula cohæſimus, admiranda planè concordia nîl poteris illis conferre, ut non & nos ſimul obliges. Illi noſtri ſunt fratres, illi ſocii fœdere æternô Daniæ juncti. Illis iidem, qvi nobis, ſunt mores; eadem lingva, eadem religio. Eôdem gloriamur REGE. Præſtitum nobis eſt, qvicqvid præſtitiſti illis. Macte igitur, INDULGENTISSIME REX, tantô TUO in fortiſſimam hanc fideliſſimamqve Gentem meritô. Macte beneficiô, qvô in æternum gemina TIBI devinxiſti Regna. Et nos jam agimus gratias; & agent illas omnes poſteri noſtri: immo noſtris his gratiis ac gratulationibus inſeri avebunt exteri Reges Populiq;, ubi nempe Norvegicorum, à qvibus utiqve orti ſunt, Heroum in Hiſtoria hac ingentia noſcitantes nomina, TE eorum faviſſe gloriæ, proſpexiſſe immortalitati animadvertent. Et habet qvidem hìc orbis res omnes Norvegicas à primis Gentis primordiis ad tempora usqve Margaretæ Reginæ: legi poterit, qvæ vita, qvi mores fuerint; per qvos viros, qvi-

qvibûsq́; artibûs, domi militiæq́; & partum ſit & auctum imperium: iîsdemq́; Hiſtoria illa, qvibûs Romana lingva, ſpatiîs pervagabitur. Sed verò mirabuntur fortaſſe ac qværent homines, qvì ego hoc Opus, cum meum non ſit, inſcribere MAJESTATI TUÆ & offerre ſim auſus. In cauſa fuit, qvam Patriæ atq; amico debere me putavi, fides. Nempe enim iſtud mihi miniſterium ipſe mandaverat Torfæus: atqve adeò, ut optimo huic ſeni, Norvegorumq́; ſimul gloriæ deſervirem, & editionem tanti in me ſuscepi Operis, & partem hujus qvartam, qvam utiqve ille feſſâ ætate minùs elaboraverat, trium priorum ad exemplar perfici curavi. Et certè ad boni civis curam pertinere id credebam: lætumqve mihi erat, piô hôc fungi munere, dùm ipſe Atavi TUI Regis CHRISTIANI TERTII hiſtoriam peragerem; ſcripturus etiam, modò ſuppetat vita, TUAQ; frui liceat indulgentiâ, res geſtas Divi CHRISTIANI QVINTI. Sed non negabis hanc TU tantus Princeps. Sis

fœlix;

felix : ſis fortis : ſis hilaris : DEUS TE ſervet : DEUS TUOS de noſtris augeat annos. Et ego, qvi finio in hoc voto, ſum eroqve ad cineres usqve

MAJESTATI TUÆ

ſubjectiſſimus humillimeqve devotus

Havniæ, d. 5. Maji, 1711.

Chriſtianus Reitzer.



IN HISTORIAM RERUM NORVEGICARUM PROLEGOMENA.

PRodit tandem in lucem, qvod felix faustumqve sit, Tibiqve, Lector Benevole, qvàm acceptissimum, Historiæ Rerum Norvegicarum Opus, à primis conditæ Gentis temporibus ad ejusdem cum Regno Daniæ auspicatissimam conjunctionem perpetuâ serie deductum; triginta omninò, & qvod excurrit, annorum labor; jam dudum publico promissus, nec ita pridem post diuturnas lucubrationes ad finem perductus; nuncqve demum secundis auspiciis publica luce donatus. Manum operi jam olim admovere jusserat Gloriosissimus Utriusqve Regni Monarcha FRIDERICUS III. Dominus tum meus longè Clementissimus. Vigorem cœptis dedit Augustissimus Hujus Filius CHRISTIANUS V. cui anno superioris seculi LXXXVI. clementissimè placuit, Regni sui Norvegici Historiographum me constituere. Et tandem Potentissimus Rex FRIDERICUS IV. qvem nunc Augustissimâ manu sceptra moderantem (atqve utinam perpetuò, & longè ultra nostrum ævum!) inclyta hæc regna suspiciunt & adorant, ad optatum dedit exitum nuper adducere.

Exierunt eqvidem hactenus nonnulla à nostra profecta manu opuscula, ad subjectarum Regno Norvegico Provinciarum historiam antiqvam pertinentia; perscripta nimirum *Rerum Orcadensium Historia*, lib. tribus comprehensa: secuta *de rebus gestis Færeyensium Commentatio Historica*: edita & alia de *Grönlandia antiqua*, non incelebri Norvegicæ gentis coloniâ, & hujus veluti appendice *Winlandia*; singula majore, qvàm unqvam antehac, curâ ex vetustissimis monumentis collecta & concinnata: *Series* item

Regum

Regum ac Dynastarum Daniæ; nec non *Hrolfi Krakii*, Potentissimi qvondam Daniæ Regis, *Historia*; qvorum singula talia sunt, ut vel HistoriæNorvegicæ lucem aliqvam fœnerari, vel saltim ad illam com̃odè satis referri possint; & tandem in supplementum *Seriei Regum Daniæ Trifolium Historicum*, seu *Dissertatio Historico-Chronologico-Critica de tribus potentissimis Daniæ Regibus*, *Gormo Grandævo*, *Haraldo Cærulidente*, & *Svenofurcatæ barbæ*. Horum tamen nihil, qvum initiò præsens aggrederemur opus, seorsim evulgare decreveramus. Sed dum vastissimis Patriæ Annalibus insudamus, & omnes Historiæ Borealis ad hanc conscribendam recessus excutimus, nata ferè sunt illa sponte suâ sub manu; tandemqve in majorem singula excreverunt molem, qvàm ut huic, cui perficiendo unicè eramus dediti, operi, absqve vel nimia, ut sic loqvar, distractione, vel lectorum tædiô, inseri possent. Ista ergo tanqvam πάρεργα qvædam à corpore hujus Historiæ separavimus, & prodromorum instar emittendo Historiæ Norvegicæ pleniori Syntagmati præmisimus: promissâ interim sæpius hac, qvâ nunc præsente fidem datam liberamus, *Rerum Norvegicarum Historiâ*: qvod factum à nobis promissum meminimus tum in *præfationibus ad Orcades nostras*, Hafniæ Anno 1697. & ad *Seriem R.D.* ibidem anno 1702. excusam, tum novissimè in *Trifolio Historico* 1706. edito; totôqve illo tempore Historiam hanc ab orbe literato exspectari non unô indicio intelleximus.

Opus aggressi sumus vastum omninò atqve varium, sed a nostris Scriptoribus tantùm non intactum. Sive enim varia Gentis jam inde a primis incunabulis fata, sive res domi præclarè gestas, sive deniqve cum exteris, nec vicinis tantùm, nationibus commercia, respicias; vix ac ne vix qvidem alia in septentrione datur, qvæ vel gloriæ materiam uberiorem, vel scribendi copiosiorem, seqventibus seculis reliqverit. Et celebrem qvidem multis retrò ætatibus fuisse gentis Norvegicæ famam, etiam in maximè dissitis orbis terrarum partibus, nemo facilè negare audebit, qvi vel Historiæ universalis, vel saltim Evropææ, Scriptores leviter inspexerit. Qvotus enim qvisqve est, qvi Hyperboreorum res gestas vel modicè attingat, qvin Norvegiam simul celebret? Varia certè apud varios de Norvegici nominis magnitudine extant testimonia, licèt non omnia satis accuratè prodita. Qvæ, tametsi in circumstantiis interdum non satis ubiqve sibi constent, satis tamen testantur, qvanta jam inde a primâ hominum memoria gentis Norvegicæ potentia, qvanta in ore omnium celebritas fuerit. Ut ut non diffitear, interdum Norvegis, sive (ut à qvibus-

busdam Scriptoribus dicuntur) Normannis, ea adſcribi, qvæ a vicinis Danis fuerê præclarè geſta; qvemadmodum vice verſa his a nonnullis attribuuntur, qvæ ab illis extra Patriam edita glorioſa facinora in vulgus innotuerunt: pro diverſa nimirum nominis Normannici apud diverſos authores acceptione: de qvâ nos præſentis operis *Part. I. Lib. I. Cap. VIII.* fuſiùs egimus; qvò remiſſum Lectorem volumus.

Hæc qvamvis ita ſe habeant, mirum tamen eſt, clariſſimæ Gentis res geſtas conſcribendas oppidò paucos ſuſcepiſſe: ut adeò qvotqvot hoc argumentum attigerunt, non tam ſatietatem præſtitiſſe, qvàm guſtum præbuiſſe, deſideriumqve ſaltim ampliſſimi atqve florentiſſimi regni res cognoſcendi curioſo talium lectori reliqviſſe videri poſſint. Situm regionis atqve habitum multi, præſertim Geographi, nec tamen illi omnes dexteritate pari, deſcripſerunt: incolarum mores, inſtituta, vivendiq; rationem iidem, & præter eos alii hiſtoriarum ſcriptores, attigerunt verius qvàm enarrârunt; nec id qvidem ſatis feliciter aſſecuti, dum alii partium ſtudiô ducti terras patrias qvàm maximè extollere, cæterasqve deprimere, ſatagunt; alii verò exactâ rerum Norvegicarum notitiâ deſtituti, qvæ famâ tantùm perceperant, literis conſignârunt. Poſteriorum Regum inclyta geſta, qvibus illi extra ſuum regnum inclaruerunt, ſcriptorum illuſtrium multi, præſertim verò Anglici, Commentariis ſuis inſeruerunt; ſed nec id qvidem, niſi in qvantum hiſtoriæ, qvam concinnandam ſuſceperunt, perficiendæ neceſſitas poſtulavit. At qvi integrum Hiſtoriæ Norvegicæ Syſtema perſcripſerit, Originemqve & incrementa Gentis, ſingulorum Principum geſta domi juxta ac foris, eorumqve ordinem, genus, familias, & cum vicinis Regibus commercia; imperii item formam, temporum ſeriem, mutationes, harumqve cauſas, ita prodiderit, horumqve ſingula retexuerit, ut ab orbe literato extra Norvegiam ſubjectasq; huic provincias promiſcuè legi atqve intelligi poſſint, hactenus inventus eſt nemo. In cauſa videntur eſſe tum priorum ſeculorum hominum, qvi hoc regnum incoluerunt, cum exteris ad conditam uſqve Monarchiam rara admodum commercia; dum nempe gens illa continuò ferè inteſtinis bellis flagraret: tum verò etiam ſcriptorum indigenarum, præſertim eorum, qvi ſcripſerint Latinè, penuria. Accedit, qvòd eorum, qvæ a vetuſtiſſimis ſcriptoribus Islandis de his rebus poſteritati olim relicta ſunt, pleraqve nimis negligenter, ut ex dicendis cuivis facilè patebit, aſſervata perierint.

Primus omnium historiam septentrionalem conscribere aggressus est *Arius*, à stupenda illo seculô variarum rerum, & inprimis historicarum, scientiâ ac cognitione Frodi/ sive *Polyhistor*, dictus; annô a nato Christo (ut nos antehac in *Serie Regum & Dynastarum Daniæ, Lib. I. Cap. IV.* computavimus) circiter MCXVII. CCXL. admodum annis, postqvam jam terra Islandorum, Norvegis illuc, regnante Haraldo Pulchricomô, primô Norvegiæ Monarcha, concedentibus habitari cœpta esset. *Arium* illum natum statuimus anno Salutis MLXVIII. (non, ut *liber originum Islandiæ*, qvi *Landnama* inscribitur, editus Skalholti Anno MDCLXXXVIII. *Part. V. Cap. XV.* in margine adnotatum habet, anno MLXXX.) cui indicio esse potest, qvòd eo anno, qvô Isleifus primus in Islandia Episcopus fato concessit, duodecennis esset *Arius*; ut ipse in *Schedis suis*, Skalholti prælô publicô evulgatis. *pag. 11.* clarè testatur. Is autem erat annus ChristiMLXXX. ut ibidem satis luculenter indicatur. Genus suum ipse Arius ad calcem *Schedarum* per triginta sex generationes ad vetustissimos Sveciæ Reges, ipsumqve adeò Ingvium, Turcarum (ut ipse ait) Regem, Odini filium, continua serie pertexit. Postqvam apud filium Episcopi Teitum in celebri Islandiæ australis prædio Haukadalo literis imbutus esset, Presbyter factus, ad Historiam scribendam animum appulit; resqve gestas Regum Norvegorum primò, mox etiam Daniæ & Angliæ, & annales deniqve patriæ suæ, conscripsisse traditur. Ex lucubrationibus ejus adhuc superest memorata modò *Landnama*, sive *Originum Islandicarum Liber*, qvi ipsi cev primo authori adscribitur, *Part. V. Cap. XV. pag. Editionis Schalh. 173.* &, Latinè jam primùm a nobis versus, præsentis operis *Partis II.* librum secundum constituit. Alterum verò ejus, qvod memoravimus, scriptum, Skalholti itidem sub titulo: *Schedæ Arii Polyhistoris*, editum est. Ipse verò author *libellum Islandorum* nuncupat. Hunc librum eum antea qvidem fusiùs conscripsisse, vitasqve ac res gestas Regum Norvegorum eôdem complexum esse, postea verò refinxisse, ad eumqve, qvô nunc legitur, modum, concinnâsse, ex ipsius Arii in præfatiuncula verbis sat clarè ostenditur; qvæ qvidem Latino sermone ita sonant. *Librum Islandorum primùm conscripsi in gratiam Episcoporum nostrorum Thorlaci & Ketillis; qvem & ipsis & Sæmundo presbytero obtuli. Sed quia visum est illis, ut quædam ita essent, quædam autem adderentur, hunc librum ad eundem modum concinnavi, sine Genealogiâ & vitis Regum; eaque addidi, in quorum notitiam postea veni, quæque hìc clariùs quam in priore illo libro narrantur.* Idem *Snorrius in præfatione Chronici Norvegici* his verbis testatur: *Arius Polyhistor Presbyter primus omnium in hac regione veteres & novas historias linguâ Norvegica conscripsit.*

Præ-

Præcipuè verò ab initio libri sui de prima Islandiæ occupatione legibusque ibi constitutis tractavit: post hæc de Nomophylacibus, & quanto tempore unusquisque eorum judicis officio præfuerit. Et initiô quidem introductæ in Islandiam religionis Christianæ æram investigavit; quam postea ad sua usque tempora continuavit. Multas etiam alias historias, Regumque Norvegiæ & Daniæ, ut & Angliæ, vitas adjecit; quin & res majoris momenti in Islandia gestas. Et iterũ ibid: *Is, ut ipse de se ait, Regum Norvegorum vitas conscripsit.* Idem illud Arii opus Historicum innuere videtur M. *Brynjulfus Svenonius*, ad *Stephanium* ita scribens: *Ubi verò ingens volumen historiarum, ab Odino ad sua tempora contextum ab Ario, Polyhistore dicto?* Sed vastum illud volumen periisse qvàm certum est, tam exploratum qvoqve habemus, memoratos duos libros indubiâ *Arii* authoritate gaudere; licèt suspicetur *Biörnus de Schardza* Islandus, vir in Antiqvitatibus patriis versatissimus, *in præfatione annalium suorum*, Arium non integram *Landnamam*, sed de occidentalis & septentrionalis tantùm insulæ partium occupatione scripsisse; reliqva autem Kolskeggum Polyhistorem addidisse: cujus tamen in ipsa *Landnama* vel inter authores vel exscriptores nulla omninò mentio. Tertium opus, *Annales* nempe *Flateyenses*, qvi ad calcem *Codicis Flateyensis* membranacei in Bibliotheca Regia adhuc asservantur, Arium conscripsisse, qvemadmodum Sæmundum *annales Oddenses*, idem memoratus *Biornus de Schardza* existimat: sed unde hoc habuerit, non perinde liqvet. Hæc itaq; suo loco relinqvimus. Non ignoro, esse, qvi conscriptæ primùm historiæ septentrionalis laudem Ario derogare, inqve Isleifum Episcopum transferre videantur velle: inter qvos *Petr: Claud: Undalinus in Norvegiæ descriptione. p:m. 167.* ut & laudatus *Biörnus de Skardza l. c.* Imò & ipse *Arngrimus Jonas*, magnæ vir eruditionis ac judicii, in *Specim: Islandiæ pag. 79.* eò inclinare videtur, cum dicit *Arium & Sæmundum Annalium Norvegicorum historiæque Norvegicæ concinnatores fuisse.* Et sanè Isleifo vivente Arius scribendi muneri non erat idoneus; qvippe necdum duodecem annos egressus. Videturqve hoc modô Isleifus Arium scribendo prævertisse. Sed parata est responsio; Arium nempe ex Episcopi conjectaneis, acceptis fortè à filio ejus Teito, in cujus nutricatu fuerat, multa hausisse, ex qvibus postea inter alia historiam conscripserit; & sic primus non desinit historicus in patria sua esse. Cæterum maxima Ario Authoritas verbis *Snorrii* l. c: conciliatur, dum ait: *Visa est ejus relatio sapientibus quàm plurimis fide digna: nam & ipse sapiens erat, & seniô provectus. Scripsit ille, quæ ex relatione acceperat Oddi Koli filii, Hallii de Sido nepote; Oddus autem ex Thorgeire Afradskollo didicerat, viro sapiente, & adeò antiquo, ut is, cùm Comes Hacon Potens occideretur, Nidarnesi habitaret.*

Ario æqvalis fuit *Sæmundus Sigfusi filius*, a variarum & ipse rerum cognitione, qvam sibi tam intra qvàm extra patriam, in variis nimirum Germaniæ locis, atqve etiam Galliæ, (teste *Ario in Libello de Islandia*) comparaverat, Frodi / sive *Polihistor*, dictus; officiò Presbyter, in australis Islandiæ parœcia Oddensi: unde & annales, qvos ab ipso conscriptos autumant, à posteris verò ejus continuatos, Oddenses hodieq; dicuntur. Hic author est alterius *Eddæ* Islandorum, *Sæmundianæ* vulgò dictæ, metrisqve compositæ; cujus vix millesimam partem (judice *Brynjolfo Svenonio* apud *Stephanium in notis ad Saxonem p.* 17.) aut certè exiguam, superstitem habemus. Reliqva ipsius scripta injuriâ temporum perierunt. Nam Sæmundum Regum Norvegorum Historias conscripsisse, vel ex eô clarum evadit, qvòd Pöeta qvidam anonymus, qvi nepoti Sæmundi Joni Lopti filio (cujus mater Magni Nudipedis Norvegiæ Regis filia erat) carmen encomiasticum, adhuc in Codice Flateyensi ad calcem Historiæ Orcadensis conservatum, dedicavit, postqvam majores ejus, qvi Norvegiæ imperitârunt, inde ab Haraldo Pulchricomo recensuisset, fatetur, *se singulorum successiones & imperii periodos ad avi ejus Sæmundi calculum digessisse*: non ausurus hoc nepoti in os dicere, nisi palam fuisset, avum de Regibus Norvegiæ talia scripsisse. Præter hæc *Oddus Monachus*, qvi *Olafi Tryggvini Historiam* concinnavit, sicubi aliorum de annis vitaqve Olafi dissensum notat, ad *Sæmundi* judicium provocat, ipsumqve de eodem Rege scripsisse disertis verbis testatur. Utcunqve sit, Sæmundi illa de Regibus Norvegis Historia ad ætatem nostram non pervenit.

Polyhistoris nomen post Arium & Sæmundum continuavit *Kolskeggus*; sed cujus Polyhistoriam tempora nobis inviderunt, præter duas fortè partes *Landnamæ*, nimirum de partis Islandiæ Orientalis & Australis occupatione: qvas, ut suprà memoravimus, ab hoc *Kolskeggo* additas post *Biörnum de Scardza* multi existimant. Hos autem Originum Islandiæ Scriptores in Historiæ Norvegicæ recensum ideò nobis visum est transferre, qvia in Originibus illis multa de Norvegiæ circa illa tempora statu, multa item de celeberrimis Norvegiæ civibus, qvi imperii Regii impatientes novas qvæsierunt sedes, continentur. Unde & sæpiùs laudatæ *Origines* dignæ visæ sunt, qvæ ad perfectionem Historiæ Norvegicæ â nobis luci exponerentur.

Post hos in Islandia floruit *Brandus Sæmundi filius*, qvartus diœceseos Holensis Episcopus, vel solô cum *Saxone Grammatico*, celeberrimô rerum Danicarum Historico, synchronismô notabilis:

tabilis: inauguratus nimirum annô millesimo centesimo sexagesimo qvartô. Hunc multa historica in Islandia collegisse, literisqve mandari curâsse, annales nobis persvadent; in primis *Sturlungorum historia Part. II. cap. 38.* his verbis. *Plurimæ historiæ res in Islandia gestas continentes ante obitum Episcopi Brandi Sæmundi filii conscriptæ sunt.* (Mortuus autē Brandus est annô millesimo ducentesimo primô) & procul dubiô in his multa ad res Norvegicas spectantia extiterunt; cum illo tempore creber ex Norvegia in Islandiam esset transcursus, crebra inter utramqve Gentem commercia. Sed qvantumcunqve curæ & laboris in Antiqvitates ille impenderit, ad nostra certè tempora nullum, qvod sciam, industriæ ejus monumentum indubium conservatum est. Licèt verò hi duo, *Koskeggus* nimirum & *Brandus*, non nisi inter deperditos hodie locum inveniant; illos tamen simul cum aliis recensere voluimus, non modò, ne debitâ industriæ laude nomina illorum defraudarentur; sed ut constaret, unde seqventes Scriptores, qvibusve authoribus, sua, qvæ tradiderunt, collegerint.

Feliciorem lucem aspexerunt *Eirici Oddi filii* (non *Olafi*, ut habet *Chronici Norvegici versio Danica, p. 448.*) labores. Hic filiorum Haraldi Gillii, Sigurdi nempe Bronchi & Ingii Gibbosi, res gestas, usq; ad utriusqve mortem, historica relatione complexus est; &, qvæ in horum Regum tempora incidit, Sigurdi Slemberis, sive Slembidiaconi, Regnum affectantis, factionem, Magnique Cœci luctuosum exitum: qvorum singula â nobis *Partis III. lib. IX.* exposita sunt; authorqve subinde in testimonium allegatus. Habuit Eiricus Historiæ suæ authores rerum gestarum oculatos testes, Hallum Thorgeiris filium Islandum, Ingii Regis satellitem, qvi memorati Sigurdi Slemberis ultimo supplicio astitit; Haconem item Magium, nobilem Satrapam, qvi turbis istis unà cum filiis suis interfuit: qvin & Einarem qvendam, Laxa-Pauli filium, prædii Herdlæ in Norvegia incolam, calamitatum istarum participem; & præter hos Ketillem, Alaburgi in Dania (qvod nunc Aalburgum est) Presbyterum; ubi scilicet corpus Sigurdi, è sepulchro erutum & in Daniam translatum, humabatur. Plures citat Eiricus vivos oculatosqve Historiæ suæ testes, viros sapientes & optimæ fidei; qvos tamen propriis nominibus non recenset; ut adeò qvæcunq; is de rebus Norvegicis literis mandata posteritati reliqvit, pro indubiè veris sint habenda. Opus verò illud suum inscripsit Hryggiarstycki / sive *Dorsi particulam*, notatione, ut videtur, inde sumtâ, qvòd non integram Regum Norvegorum historiam, sed particulam duntaxat, illam nimirum, qvæ ad ætatem pertineret

ſuam, concinnaret. Cum autem, ut dixi, ad exceſſum usqve Ingii Regis eandem continuaverit, isqve annô Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo primô cœsus fuerit; certum eſt, Eiricum poſt illum annum, ſed nec longè ultra, hiſtoricum illud ſcriptum contexuiſſe, aut ſaltim Ingii vitam abſolviſſe.

Succedit his in Scriptorum Catalogo, ſed tempore ſuppar, Karl, ſive Carolus, Celebris monaſterii Thingeyrenſis in ſeptentrionali Islandia Abbas, inauguratus ad officium anno â nato Chriſto milleſimo centeſimo ſexageſimo nono. Huic debemus inclyti Norvegiæ Regis Sverreris hiſtoriam, ſatis eleganter conſcriptam; qvæ â nobis in Latialem ſermonem traducta præſentis operis *Partis Qvartæ librum I.* & finem *Partis Tertiæ* efficit.

Notum etiam in vulgus eſt celebre *Gunnlaugi* Monachi Thingeyrenſis nomen; ſed nomen tantùm. Scripta enim illius, qvot & qvaliacunqve demum fuerê, dudum interciderunt. De eo, ut & altero Oddo, *Biörnus de Skardza in præfatione Annalium* â ſe conſcriptorum hunc ferè in modum loqvitur. *Hi hiſtorias de Norvegis Danisqve Regibus compoſuerunt. Fuerunt etiam hìc docti Monachi, qui, quæ illi compoſuerant, conſervârunt; præſertim duo illi, qui in monaſterio Thingeyrenſi reſederunt, Gunnlaugus & Oddus, qui multos libros ex variis Lingvis in Noricam verterunt, & Hiſtorias contexuerunt.* Inter has Olafi Tryggvini Hiſtoria ab hoc ipſo Gunnlaugo Latinè conſcripta, in ejusdem Regis vitâ, Skalholti impreſsâ, Cap. CVI & CVIII. memoratur. Qvin & Gunnlaugum *Hiſtoria Sturlungorum Partis IV. cap. VII.* celebrat, eumqve inter præcipuos ſeptentrionalis Islandiæ qvadrantis religioſos â doctrina & humanitate commendat. Meretur oppidò notari, qvòd dictus *Biörnus de Skardza Hiſtoriam Britonum* ab hoc Monacho verſam citat; qvam ſimul ex prælectionibus *Alexandri Londunenſis Epiſcopi, Waltheri Archidiaconi Oxonienſis*, & *Gillii Polyhiſtoris*, contextam tradit. Obiit Gunnlaugus anno Chriſti milleſimô ducenteſimô decimô nonô. Scripta ejus præſtantiſſima *Brynjulfus Svenonius* in Epiſtola ad *Stephanium* fatum cum aliis idem ſubiiſſe deplorat.

Hìc ratione temporis locum poſcit *Oddus Monachus*, qvi & Presbyter Thingeyrenſis, nuper jam nobis memoratus. Is etiam Regis Olafi Tryggvini, qvi Religionem Chriſtianam in Norvegiam & Islandiam primus introduxit, hiſtoriam conſcripſit; ſatis qvidem luculenter, nec ineptè: nam multa ibi tractantur, qvæ fruſtra alibi qvæſieris. Edita eſt illa Tryggvini Hiſtoria typis publicis Skalholti, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo nono, partibus duabus diſtincta; qvarum prior vitam Olafi privatam, usqve dum ad regnum veniret, poſterior verò

ejus-

ejusdem in imperiô res gestas continet. Authores narrationis suæ producit Oddus Asgrimum Abbatem Vesturlidæ filium, Biarnium Presbyterum Bergthori filium, Gellirem Thorgilsis filium, aliosqve; deinde addit, *se ostendisse librum hunc Gissuri Halli filio, ejusque consiliô & monitu correxisse, quæ certiora deinde habuerit*; ut adeò suam in scribendo fidem hoc ipso satis muniverit. Tribuitur imò huic *Oddo* fragmentum aliud historicum, de Ingvare qvodam, Aunundi Sveciæ Regis filiô, Vidforla (ↄ: *Multivago*, sive *Peregrinatore*) dicto: qvod qvidem ob causas à nobis in *Serie Regum Daniæ* adductas longè minoris authoritatis fideiq; est: tale tamen, ut legenti facilè appareat, nihil in eô ab ipso Oddo, sive qvicunqve tandem author sit, confictum; sed deceptum illum nimia credulitate talia in literas congessisse.

Venimus nunc ad ævi patriæqve suæ decus, reiqve historicæ columen, *Snorrium Sturlæum*: de qvô tantò pauciora hic dicemus, qvantò prolixiùs illius gesta vitamqve peculiari libellô conscripsimus, prælum jam dudum exspectante. Fuit is non minùs in patria sua Islandia, qvàm Norvegia, ob singularem doctrinam, prudentiamqve insignem, maximæ existimationis. Et in patriâ qvidem memoratâ supremi judicis, sive, ut vocant, Nomophylacis officiô magna cum dexteritate functus est; usqve ad annum millesimum ducentesimum qvadragesimum primum, qvô in turbulentissima illa factione cæsus occubuit. In Norvegia verò etiam Regibus familiaris, ab Hacone Grandævo, Sverreris nepote, Dapifer creatus est: & idem ille Rex operâ etiam ejus in jungendis imperio suo Islandis uti voluit. De qvibus omnibus vide, qvæ Operis hujus Tomo Qvarto, Libro Qvarto & Qvinto, suis locis retulimus. Hic tantus vir, inter civilis, qvod gessit, officii varias curas atqve negotia, antiqvitates Septentrionales Historiasqve ab interitu vindicare non intermisit. Nam non Eddam tantùm post Sæmundum aliam (de qvâ infrà dicemus) collegit; sed & Regum Norvegorum ab Odino genealogias, eorumqve continuas successiones & res gestas, ab eorum primo usqve ad sua tempora luculentissimè descripsit, additis de prisco septentrionis statu, religione, ac moribus, non paucis. Vicinorum qvin etiam Regum, Daniæ nempe & Sveciæ, aliorumqve res gestas, qvoties occasio aut Operis scopus ferebat, hinc inde intermiscuit. Ex hoc autem Snorrii insigni opere varia ab authoribus aliis allegantur, dum ad authoritatem ipsius provocatur. Certè Olafi Tryggvini historiam a Snorrio conscriptam citat *Sturlungorum historia cap. II. pag.* 38. eademqve

adducit, qvæ in Chronico Snorrii habentur. Qvin & memorati Regis historiæ, per Oddum Monachum conscriptæ, caput XCIV. eadem, qvæ in Snorrio habentur, continet. Definire autem non possum⁹, qvousq; Snorrius historiam suam deduxerit, vel qvantum eorum, qvæ hodie sub nomine ipsius legimus, ipse composuerit. Chronicon certè Norvegicum in vita Sigurdi Hierosolymipetæ, ubi de Rogerio Siciliæ Rege agit, Fridericum II. Imperatorem nuper tum mortuum fuisse, dum ista scriberentur, testatur; at certum est, illum Snorrio novem annis supervixisse: adeoqve Snorrius de illo scribere non potuit. Fieri autem potuit, ut alius qvidam, Opus Snorrii exscribens, hæc eadem, ut istis temporibus proximus, ex suô adjecerit. Snorrio ergò, ut breviter dicam, inter tot rerum Norvegicarum Scriptores, maximam partem debemus, qvod Historiam Norvegicam à primis repetitam principiis habeamus. Illius historiæ binis exemplaribus, fide dignissimis, in præsenti Opere concinnando usi sumus: qvorum unum *Kringlam*, ab initiali voce sic dictum, alterum verò discriminis causâ *Jöfraskinnam*, ɔ: Codicem Regium, appellare placuit. Alii duo Codices, *Hrockinskinna* & *Morkinskinna* à me vocati, ob vetustatem & sqvalorem, Snorrium etiam authorem maxima sui parte agnoscunt; sed à recentiore qvodam partim accessione qvadam aucti, partim interpolati. Est præter hos alius qvoqve Codex, à nitidô involucrô *Fagurskinna* mihi dictus; qvi nihil aliud est, qvàm Breviarum sive Epitome Chronici Snorrii, ab Haraldo Nigro, qvi Haraldi Pulchricomi pater erat, ad Sverrerem usqve pertingens; unde etiam idem ille liber sub titulô *Compendii Chronicorum* subinde à me allegatur. Atqve hi tres ultimi Codices usqve ad initia Regis Sverreris Historiam producunt. Datur adhuc qvintus, qvem, qvia & hic nitidus est, *Gullinnskinnæ* nomine insignire placuit, ultra medium historiæ Haconis Grandævi, ubi scilicet de legatione in Hispaniam agitur, progressus: uti id suo locô notatum invenies. Hæcqve ideo monere semel locô heic oportunô visum est, ut sciat Lector, qvinam sint illi libri, qvos nominibus hisce passim per totum Opus in testimonium adductos offendet. Extant autem illi omnes in Bibliotheca Regia, his titulis meâ manu distincti. Eandem hanc, de qva nunc sermo nobis est, Snorrii Sturlæi Historiam Norvegicam, jussu (ut scribit *Resenius* prolegomenis in Eddam Snorrii) Axelii Gyldenstiern, Danico idiomate donavit vir olim doctissimus, & de patria sua optimè meritus,

Petrus

Petrus Claudius Undalinus, Undalensis parœciæ in Norvegia Pastor, Canonicus Stafangriensis, præfecturæqve Listensis Præpositus, annô millesimo qvingentesimo nonagesimo nono. qvæ versio post fata authoris, obstetricante Celeberrimo *Olaô Wormio*, edita est Hafniæ, anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo tertio. Et hæc illa est Snorrii versio, qvæ à nobis sub nomine *Editionis Danicæ* toties allegatur: receditqve non rarò ab iis ipsius Snorrii exemplaribus, qvæ ad manus me habuisse modò memini; sive id minùs accuratæ veteris lingvæ notitiæ, sive (qvod credere malim) exemplaris, qvô *Undalinus* usus est, diversitati adscribendum sit. Deniqve *Snorrium* in Svecia sub nomine *Heims-Kringlæ* editum esse à *Johanne Peringskiöldo*, Versione Gudmundi Olai Islandi antehac explicatum, cum cuilibet notum sit, ipse per se videre potest Lector, qvid nomine *Editionis Svecicæ* in processu operis nostri intelligamus. Et hanc Historiam a Snorrio ita contextam fratris ejus filius, Sturla Sighvatius, describi curavit, teste *Sturlungorum Historia Part. V. cap. XI.* procul dubio & ipse antiqvitates patrias pluribus adjuturus, nisi adhuc juvenis, in iisdem, qvibus patruus ejus Snorrius, turbis, anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo occisus fuisset.

Post Snorrium Sturlæum ipsius ex altero fratre nepos, *Sturla Thordi filius*, & ipse officiô Nomophilax, historiam Norvegicam ulteriùs produxit. Is author est laudatæ Sturlungorum historiæ, qvâ res suis temporibus in Islandia gestas, turbasqve omnes, qvæ tum maximè eam vexabant dilacerabantqve, magnâ fide & authoritate luculenter descripsit, additis &, sicubi occasio ferebat, de Norvegiæ & Daniæ circa eadem tempora statu, virorumqve ibi celebrium gestis, nòn paucis. Operi verò huic nomen à familiæ suæ Sturlææ, sive Sturlungorum, qvæ turbarum istarum maxima & præcipua pars fuerat, indidit. Atqve hæc illa Sturlungorum est historia, cujus qvàm plurima præsenti passim Operi a nobis inserta videas. Nec tamen dissimulare possumus, hanc, qvæ hodie extat, Sturlungorum historiam, exemplar & epitomen qvasi esse illius prioris, qvam ipse Sturla conscripsit. Patet id ex ejusdem libri *Parte II. cap. XXXVIII.* ubi seqventia de Sturla habentur. *Sturla Pöeta Thordi filius Islandorum historias dictabat, qvas partim ex relationibus virorum, qvi ipsô juvene vixerunt, rerumqve gestarum ordinem callebant, partim ex literis, qvas illi scripserunt, qvi iis æqvales erant, qvorum gesta celebrabant, collegit. Multa etiam ipse vidit, qvæ in ejus tempora incidebant, ad confirmationem eorum, qvæ tradidit. Fuit enim vir celebris, probus, excellenter sapiens, moderatus, audax, interritus. Deus illum jam supra laudes*

des beet. Qvæ qvidem post obitum Sturlæ ab alio qvodam scripta esse, satis apparet. Cæterum non est qvòd miremur, Sturlam accuratam adeò & exqvisitam rerum Norvegicarum sui temporis notitiam habuisse; cum ab ipsis Regibus, Hacone Grandævo & filio ejus Magno (qvi Legum Emendator vulgò dicitur) ad hoc delectus esset, ut res ab iis gestas literis consignaret: qvô etiam historici officiô summa cum laude functus, utriusqve Regis vitam posteritati suæ reliqvit, ut fatetur ipse, *Sturlungorum historiæ Part. IX. Cap. XXII.* qvamvis posteriorem, qvæ res à Magno gestas continuit, partem operis nostra jam ætas desideret, non exiguô antiqvitatum damno deperditam. Ex hujus viri scriptis, partim nimirum Sturlungorum historiâ, partim Regis Haconis vitâ, Operis hujus nostri Partis Qvartæ Liber Qvintus, qvi de Islandia sub Imperium Norvegicum redactâ agit, unicè concinnatus est. Scripsisse præter hæc Librum qvendam Originum Islandiæ, fidem ipse facit, dictæ *Sturlungorum historiæ Parte II. Cap. XXXVIII.* sed qvi ad nostras manus non pervenit. Erat hic Scriptor suô seculo inclytus, & solus ferè suæ familiæ felix; qvippe qvi in tantis patriæ motibus, deletis cæteris, superstes, septuagenarius obiit, annô a nato Christo millesimo ducentesimo octogesimo octavo. Videantur, qvæ Historiæ nostræ Partis Qvartæ Libro Qvarto, Qvinto, & Sexto, passim de illo & fusè ex ipsiusmet scriptis traducta narravimus; in qvibus authorem hunc ipsum seriem vitæ suæ recitantem audire licet.

Atqve hi ferè sunt, qvi in Islandia, ubi præcipua rerum gestarum viguit notitia, Historias rerum Norvegicarum, & qvæ eò spectabant, in qvantum ad nos vel famâ vel monumentis pervenit, literis tradiderunt fugientis antiqvitatis *destinæ, & veluti Joves Statores*, ut *Stephanius* illos nominat, *notis in Saxonem pag. 190.* In ipsa Norvegia minus historiarum studium, minor rerum gestarum, si pöetarum carmina excipias, ad posteritatem tradendarum cura fuit. Qvippe gens fortis & bellicosa, armisqve tota vacans, res præclaras gessisse contenta, literarumqve minùs curiosa, scribendi de se materiam aliis reliqvit: cum vice versa Islandi, ut *Saxo* de iis in præfatione ad Historiam suam scribit, *cunctarum nationum res gestas cognovisse, memoriæque mandare, vòluptatis loco reputarent; non minoris gloriæ judicantes, alienas virtutes differere, quàm proprias exhibere.* Qvod si verò & invenerit Norvegia civium suorum nonnullos, qvi Historiæ scribendæ manum admoverint; ea tamen Scripta peculiarem tantùm vel unam aut alteram rerum gestarum partem continue-

nuerunt, vel ad nostra tempora integra non pervenerunt. Solus ferè Norvegorum Scriptorum, qvi nos in hoc opere perficiendo juverit, est *Theodricus Monachus*, vir suo seculô doctissimus, qvi circa tempora Sverreris Regis vixit. Scripsit is sermone Latino, nec ineleganti, Regum Norvegorum historias, usqve ad finem vitæ Sigurdi Regis Olafi filii, qvi à susceptâ primùm ex Norvegia Hierosolymas usqve peregrinatione Jorsalafare / sive Hierosolymipeta, dictus est. Causam, qvare opus illud suum ulterius non produxerit, ipse hanc adfert, qvòd abhorruerit à diris istis calamitatibus, parricidiis & omnis generis sceleribus, qvæ seqventia viderunt tempora, stylô commemorandis: qvod ex ipsius sub Operis finem verbis, Historiæ hujus nostræ Part. III. Libr. IX. Cap. I. insertis, clarè admodum liqvet. Imò illum non multa ad manus habuisse scribendæ historiæ subsidia, præter Islandorum, jam a nobis memoratorum, narrationes, atqve adeò parum aut nihil ab iis diversum tradidisse, ex ipsius ad Eysteinum Archiepiscopum Nidarosiensem, cui opus suum dedicavit, verbis, qvæ in præfatione habentur, abundè liqvet; dum hoc modo ait: *Operæ pretium duxi, vir illustrissime, pauca hæc de antiquitate Regum Norvagiensium annotare, & prout sagaciter perquirerer potuimus ab iis, penes quos horum memoria vigere creditur, quos nos Islendingos vocamus, qui hæc in suis antiquis carminibus celebrata recolunt.* Nec multò aliter in ipsius Operis Cap. I. scribit: *Hunc*, inqviens, *numerum annorum Domini, investigatum, prout diligentissimè potuimus, ab illis, quos nos vulgato nomine Islendingos vocamus, in hoc loco posuimus; quos constat sine ulla dubitatione præ omnibus aquilonaribus populis in hujusmodi semper & peritiores fuisse & curiosiores.* Sed utcunqve ista se habent, laudanda viri industria est, qvòd indigenarum ope destitutum ab exteris hæc didicisse non piguerit; nec illa, qvæ ad ipsius notitiam pervenerunt, interire passus sit; præsertim cum ipse se satis excuset, his verbis: *Si cui fortè displicuerit, sciat pro certo, me istarum rerum relatorem alium voluisse, quàm me: quod quia hactenus non contigit, me malui quàm neminem.* Qvin & *Capite XIII.* conqveritur, *nullum ante sua tempora in Norvegia antiquitatum scriptorem fuisse.*

Ipsum etiam *Regem Sverrerem* Historiam Norvegicam, aut certè aliqvam ejus partem, conscribendam curâsse, vel inde colligi potest, qvòd varia de Simone Skalpo, qvi patruum ipsius Eysteinum, Haraldi Gillii filium, interfecit, sibi narrata, hujusqve ad illum ultima verba, inter gesta fratrum in literas retulisse tradatur, teste Chronico Norvegico de ejusdem Eysteini cæde. Vide *Operis hujus Part. III. Lib. IX. Cap. XIV.* & confer,

fer simul, si placet, ea, qvæ ad finem historiæ ipsius Sverreris *Part.IV. Lib. I. Capite ultimô* diximus. Cæterum illud scriptum, tanti Regis authoritate atqve auspiciò procusum, dudum interiit, nec qvicqvam nobis, præter desiderium sui, reliqvit.

Atqve hæc hactenus de Historiæ Norvegicæ antiqvissimis primisqve Scriptoribus ideò præmonenda duximus, ut constaret Lectori, qvâ fide, qva authoritate, ea nitantur antiqvitatis monumenta, qvæ in concinnando hoc opere præcipuè secuti sumus: & ut simul occurreremus postulato *Buchanani, Historiæ Scoticæ Lib. II.* ita scribentis: *Qui de veteribus annalibus originem afferre se asseverant, reddenda, opinor, illis erit ratio, qui primus ista tradiderit, ubi tamdiu latuerint, quomodo ad nos per tot secula incorrupta pervenerint, &c.* Sed nec vel Patriæ vel patriarum antiqvitatum tam intempestivo amore nos abreptos qvis putet, ut omnibus Islandorum monumentis idem pretium statuamus, eorumqve singula pro avthenticis aut omnimodè veris venditemus. Illa enim nos ipsi antea ratione authoritatis in qvatuor classes sive ordines digessimus, *Seriei Regum Daniæ Lib.I. Cap. I.* adeò ut primum genus sub fabularum involucris profundum recondere sensum monuerimus, priscosqve ritus ac populi religionem, qvibusdam etiam historicis interspersis, nos docere; secundum confictas tantùm fabulas, easqve vel rudes vel artificiosas, absqve ullo recondito sensu, complecti; tertium historias, easqve ex veris qvidem deductas principiis, interspersis tamen fabulis, obscurare; ac qvartum deniqve indubiæ veritatis & fidei historias, absqve ullâ fabularum admixtione, exhibere: qvorum singulorum exempla aliqvot proximè seqventibus dicti libri capitibus proposuimus. Sed nec temporum, qvibus singula evenerint, minor ratio habenda est: qvin potius probè attendendum, qvæ & qvalia fuerint Historiæ Septentrionalis primordia, qvæ incrementa, & qvomodò illa sensim evoluta fabulis justæ tandem historiæ legem acceperit.

Et initia qvidem Historiæ Septentrionalis valdè tenuia fuisse, inficias ire haudqvaqvam possumus. Sive enim barbariem seculi illius, sive primorum terræ hujus Aboriginum ingenium, belli ac cædibus longè magis qvàm artibus humanioribus deditum, sive inseqventium seculorum in conservandis majorum gestis negligentiam, sive deniqve intercurrentium ætatum, qvibus ab illis temporibus disterminamur, longissimum intervallum respicias, singula in causa fuere, qvo minus nos potuerimus illarum rerum accuratam cognitionem habere. Et verè

rè qvidem *Lyſchander*, præfatione ad operis ſui Genealogici Librum Qvintum dixit; *eſſe hoc tempori, Marti, & incolis ignoſcendum. Tempori, quod omnia obliterat: Marti, quod imperium invaſit, Minervamque & ſcriptores ex his regnis eliminavit, cùm omnes præclara perpetrandi, neminem conſcribendi cupido inceſſit: Indigenis deniq;, qui poſteros de his inſtruere, eorumque notitiam ad ſeros nepos traducere neglexerunt.* Ut adeò idem nobis de prima Hiſtoriæ ſeptentrionalis periodo, qvod olim Tito Livio de Romanæ hiſtoriæ principiis, liceat dicere: *res eſſe cùm vetuſtate nimia obſcuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuerint: una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum.* Ad primos Arctoi orbis incolas qvod attinet, qvi ante Odini Aſianorum Ducis in hæc regna adventum ſedem heic ſuam fixerant, mirum non eſt, illorum qvicqvid haberi potuiſſet, nobis interceptum eſſe, cùm Odinus ille, divinitatem affectans, cui anteceſſorum præclaram mentionem obſtare probè animadvertit, non genealogias modò illorum (qvod apud Judæos Herodes Aſcalonita feciſſe dicitur) ſed omnia ab illis geſta, imò & ipſum eorum nomen, delere unicè allaboraverit; ut vel ſic maximè ad ipſum, tanqvam primum omnium parentem (nam & Alfadir / ſive *Omnium Pater*, dici voluit) poſteritas ortum atqve genus ſuum referre cogeretur. Ab illo igitur Antiqvitates noſtræ auſpicandæ erunt; atqve utinam ab ipſo illo tempore certiores clarioresqve, nec fabularũ adhuc caligine infuſcatæ. Nam celeberrimæ illius in Boream expeditionis, rerumqve hìc primitus geſtarum, vix præter rudera ſuperſunt qvædam, Eddicis mythologiis hactenus utcunq; conſervata, atq; ex illis eruenda. Eqvidem non dubitamus, Odinum ejusqve aſſeclas artificioſis ſuis metris, qvorum adhuc nonnulla in Edda legimus, plura, tam ad ritus religionemqve, qvàm ad rerum geſtarum memoriam pertinentia, ut erant poſthumæ famæ avidiſſimi, complexos fuiſſe, deqvibus nunc nullum nobis judicium relictum eſt. Fuiſſe certè temporibus Odini, aut Odino proximis, aliam Eddam, longè uberiorem, cujus hæc noſtra compendium tantùm ſit, gravis eſt conjectura, virisqve maximis approbata. De illa ſic *Magnus Olafi*, Paſtor qvondam Eccleſiæ Laufalenſis in Islandia, atq; ex eô *Stephanius, notis in Saxonem pag. 17.* ut & *Reſenius in prologo Eddæ Snorrianæ*, ſeqventia ſcribunt. *Ex veterum rhytmis, ut etiam appellationibus Aſarum nonnullis, ac inprimis Odini, & aliarum denique rerum, apparet, aliam fuiſſe Eddam antiquorum, aut volumen fabularum, ab ipſis Aſis confectum, aut eorum nepotibus, quod interierit, & cujus hæc noſtra Edda aliquale ſit compendium: qvia nominum pauciſſimorum, quæ ex variis caſibus indita ſunt pluri-*

ma, ut Edda profitetur, ex ejus fabulis reddi poteſt ratio, nec etiam plurium, quæ ibi occurrunt, appellationum. Nec aliam puto mentem fuiſſe Eruditiſſimo ac ſagaciſſimo *Brynjolfo Svenonio*, cum ad *Stephanium* iſta ſcriberet, *notis ad Saxonem loco citato* inſerta: *ubi nobiliſſima illa Edda, cujus vix milleſimam partem reliquam nunc præter nomen habemus? atque id ipſum, quod habemus, omninò fuiſſet deperditum, niſi Snorronis Sturlonii epitome umbram potius & veſtigia quàm verum corpus Eddæ illius antiquæ reliqua feciſſet.* Similia mox infra ex *Sheringhamo* celebri Anglo audiemus. Qvòd verò Saxo Grammaticus vetuſtiſſima illa Odini Eddâ in ſcribendo, ut putant, uſus ſit, ideoqve tantus in ejus Opere diſſenſus â noſtris aliisqve vetuſtis monumentis deprehendatur, probatione omninò eget. Nobis de illis, qvæ habemus, unicè erit diſpiciendum. Edda igitur hodie duplex eſt; una *Sæmundi Polihiſtoris*, ſupra à nobis laudati, meris rhythmis, eisqve antiqviſſimis, variiqve argumenti, conſtans; non utiqve ab ipſo Sæmundo conficta, ſed collecta & concinnata: altera *Snorrii Sturlæi*, prioris ſc: Eddæ Epitome, ſolutâ oratione ſcripta, & in capita diſtincta, qvæ Dæmiſögur appellantur; qvod qvidam *mythologias*, alii *fabulas* vertunt; minus qvidem, meô judiciô, rectè; cum Dæmeſaga vi vocis idem ſit ac *hiſtoria*, ſive rei geſtæ *ſuccincta narratio.* Neqve enim putandum, Eddam in pöetarum ſolummodò gratiam initiô confictam eſſe, absqve ullo in veritate rei fundamento: fabulas tamen interſperſas eſſe qvàm plurimas non diffitemur. Ea certè, qvæ de Aſarum in ſeptentrionem adventu, nominibus, familiis, & qvibusdam ab iis geſtis, hìc traduntur, qvo minùs veriſſima eſſe ſtatuamus, nihil impedit. Atqve libet hìc oportunum audire judicium *Sheringhami, libro de Anglorum gentis origine, cap. XII. Primam illam Eddam*, ait, *cujus ea, quæ nunc extat, exigua quædam pars eſt, Aſarum aliquis, ut creditur, ſtatim poſt prædictas migrationes compegerit, dum recens adhuc calensque rerum geſtarum memoria fuit. Unde authoritas ejus magni pendenda eſt, cum author omnium conſcius erat, quæ a Wodeno cæterisque Aſis agebantur. Sæmundus certè aut Sturlæſonius fabulas Eddicas de ſuo ingenio nunquam finxerunt. Certè, ſi Edda non fuiſſet, majorum noſtrorum facta obſcuritate & caligine obruta oblivioni traderentur. Nam ad hiſtoriæ ſeriem mutilis ut ſit, in eadem tamen eorum genealogia, religio, mores & conſvetudines, veriſſimè deſcribuntur. Antiquitatem inſuper Eddæ multa teſtantur, illud in primis, quod circa tempora iſta, quibus Wodenus Boreales plagas adiit, omnis hiſtoria fabulis involuta erat. Haud procul hac ætate Homerus vixerit, qui Bellum Trojanum & Ulyſſis errores fabulis & allegoriis expreſſit.* Et paucis interjectis idem author fabulas Eddicas & alias iſtiusmodi à reliqvis, qvæ nihil præter mera habent commenta, aptè ſatis diſtingvit; dum ſic loqvitur, *Scripſerunt*

nupe-

nuperi apologos quosdam, id est, fabulas, quibus bruta animalia introducuntur, & Fabulas etiam, quibus hominum actiones moresque tectis fictisque nominibus exprimuntur. Sed quales in Edda sunt, quales apud Homerum, Hesiodum, & veteres, quibus religio gentis, Heroum genealogiæ, & res gestæ, propriis ipsorum nominibus recensentur, nemo fortè, nisi ante bis mille abhinc retrò annis, scripserit; recentiùs licet nonnulli, ut Apollonius Rhodius, Cointhus Smyrnæus, Valerius Flaccus, & alii, Fabulas antiquas interpolârunt, & novis quasi vestimentis ornarunt. Hæc ideo *Sheringhami* verbis, qvia nostram de hoc argumento sententiam non tam stabiliunt, qvàm exprimunt, enunciare placuit. Ex qvibus etiã patet, qvid responsum velimus illis, qvi Eddica ista monumenta ideò rejiciunt, qvia fabulosa multa habeant, nec nisi de Divinitate Odini Asarumq; agat: qvod si enim sum̃is, ut inqvit Livius, in orbe imperiis id licentiæ datur, ut miscendo humana divinis primordia sua augustiora faciant, qvidni antiqvissimis Septentrionis populis, salvis ipsorum historiis, idem liceat? At plura de Eddicis monumentis in *Serie Regum Daniæ Lib. I. cap. II.* scripsimus; qvò etiam Lectorem, cui volupe est de his edoceri, ablegamus.

Reliqvum jam est, ut, qvibus modis rudes illi literarumq; tantùm non expertes homines ab injuria oblivionis se adserere, &, qvæ egregia patrâssent, posteritati propagare conati sunt, paucis edisseramus. Certè de iisdem illis modis scripsêre multi. At eos omnes simul nemo hactenus, qvod sciam, debitâ diligentiâ vel pervestigavit unqvam, vel minimùm tradidit. Et qvidem primitus in rerum gestarum custodiam *saxa grandioresque lapides* erigebantur, qvi utiqve vel rudes planè erant, & nullis signati characteribus, vel figuris qvibusdam literarumve notis inscripti. Prioris generis sunt illi, qvos ad testandum posteris suum robur, suo itidem de nomine, ut qvos erexissent, appellare prisci solebant. Et fit qvidem talium sæpius mentio in *Historia Gretteris Robusti*, qvi nempe, ut constaret posteritati, qvæ ipsi corporis fuissent vires, im̃ania saxa de terra levâsse, aliisqve minoribus superimposuisse scribitur; monstranturqve adhucdum passim in Islandia, à Gretteris istius nomine Grettistøk incolis appellata. Qvin & tale aliqvod saxum, ne plura adferam exempla, excitâsse *Finnbogium Rammium*, (ɔ: Robustum) in ejusdem vita memoratur. Sed, omissis his, ut qvibus parum admodum historiæ inniti poterit veritas, occurrunt majoris aliqvantò momenti: *Lapides* nempe *sepulchrales*, qvi vel in unius hominis, vel multorum simul memoriam, iis nimirum locis, ubi com̃issa pugna, fortèqve aliqvod editum esset facinus, erigebantur, Bautesteinar olim vocati. Per hos enim, qvæ facilè cæteroqvin illo ævo intercidisset, prorogabatur memoria rerum, &, dum oculis semper obversabantur, eorum cau-

 sam

ſam inqvirebant ſciebantqve ſeqventes ætates, uſqve dum tandem id, qvod ſignarent, in hiſtorias referretur. Et ut ex plurimis, qvæ ſuppetunt, exemplis, unum tantùm adducam, memorant *Halfi Herois* & *Olafi Tryggvini* Regum Hiſtoriæ de binis talibus ſaxis, in Augvaldi Rogii, & vaccæ, qvam vivus ille coluerat, ac prope ſe poſt fata contumulari juſſit, memoriam erectis: qvi qvidem, qvoniam in inſulæ hujus Kormtis, ubi ipſe habito, ſacerdotali prædio Augvaldsneſia, ad ſuum qvisqve templi latus noſtrâ ætate, & alter etiamnum conſpicitur, & nihil non narrationi priſcæ reſpondet, fidem indubiam faciunt, non modò Augvaldum illum extitiſſe, ſed vera etiam eſſe ea, qvæ de ipſo in memoratis nuper hiſtoriis leguntur.

Alterum verò *ſaxorum memorialium* genus, figuris nempe literisve res geſtas exponens, per totum ferè ſeptentrionem olim magnâ copiâ extitiſſe, notius eſt, qvàm ut prolixa egeat demonſtratione. Videantur vel ſola monumenta Danica, à Celeberrimo *Wormio* eruta & collecta, peculiariqve volumine explicata; &, qvi de ſimilibus monumentis eruditiſſimè diſſeruit, *Thomas Bartholinus antiquit. Dan. Lib. I. Cap. IX.* Qvamvis autem eorum panca ad noſtra aut parentum tempora perduraverint, valde tamen rei hiſtoricæ profuit, potuiſſe illa, aut ſaltim, qvæ in iis memorabantur, conſervari, donec feliciore poſtea ævô fidelioribus cuſtodibus, libris nimirum, mandarentur.

Nec minus locis ipſis, id qvod & Hiſtoriam maximè juvat, à re aliqva geſta aut eventu qvodam nomina fuerê data; qvalia innumera in Hiſtoriis ubivis obvia. Et certè antiqvi illi, qvæ vel occupâſſent, vel qvibus præerant, loca, regiones, ac ſedes, ad extendendam ſui memoriam de ſuis nominibus appellârunt: ut adeò rectè dixerit *Arngrimus Crymogeæ Lib. IV. cap. VI. In Islandia fundus ſeu habitatio quælibet à primis conditoribus nomen plerumque accepit: interdum etiam aliunde. Sic montes, flumina; ut etiam hac ratione primos incolas & ἐπωνύμους ipſa loca vel ſolis nominibus apud omnem poſteritatem loquerentur.* Etſi non diffiteamur, nomina iſta nonnunqvam ita eſſe corrupta, atq; a prima abire impoſitione, ut originem vix divinare poſſis, niſi in antiqvis monumentis incorrupta illa haberentur. Imò inſigne id hiſtoricæ veritatis teſtimonium eſt, qvòd incolæ nihil minus qvàm hiſtoriarum gnari, & originationis inſcii, nomina iſta, à parentibus & majoribus tradita, uſurpant; & cùm ipſa antiqvitatum monumenta evolvimus, veram ibi eorum rationem, qvæ confuſa ex ore vulgi per tot ſecula conſervata audimus, inveſtigare poſſumus. Qvod etiam de vetuſtis proverbiis, qvæ ex antiqvisſimis re-

bus

bus originem trahunt, vulgo in hunc usqve diem, ſed absqve originis notitiâ, uſitatis, dictum volumus: qvalia ſunt, *Annus morbus*, ab Anio Grandævo SveciæRege; *Eigile pejor*, ab Eigile Skallagrimio; *Hriflingi alimentum*, ab Hriflingo pauperrimo homine dictum; & ſexcenta alia, qvorum magnum numerum in hoc Opere ſuis locis adduximus, veram ſimul eorum originem ex hiſtoriis monſtrantes.

Qvin & gloriæ hi cupidiſſimi homines, ut ſimul & nominis ſui celebritatem & virtutis imitamentũ ſeræ transmitterent poſteritati, ſuis in *clypeis*, ut qvi pulcherrima eſſent fortibus viris hæreditas, inſculpi repræſentariq;, qvicqvid præclarè actum eſſet, curabant. Antiqviſſimum autem tale memoriarum genus fuiſſe, ex loco hoc *Eddæ* manifeſtum eſt. *Solebat antiquis clypeis inſcribi margo, quæ circulus ſive annulus vocabatur. Ab iſto circulo clypei põetice denominantur.* Et ejusmodi clypeis vel majorum vel propria cujuslibet facta deſcribi conſveverunt. Prioris generis *Eigilis Skallagrinii vita* meminit, his verbis: *Comes Hacon Einari Skalaglammo clypeum donavit, pretii eximii. Hic antiquis hiſtoriis inter commiſſuras inſcriptus erat, aureisque laminis obductus, ac gemmis ornatus.* Poſterioris generis unum *Saxo Lib. IV.* memorat, de Amletho ita ſcribens. *In ſcuto, quod ſibi parari juſſerat, omnem operum ſuorum contextum, ab ineuntis ætatis primordiis auſpicatus, exquiſitis picturæ notis adumbrandum curavit. Quo geſtamine perinde ac virtutum ſuarum teſte uſus, claritatis incrementa contraxit.* Poſtqvam deinde opera Amlethi, in clypeo delinata, enumerâsſet, ſubjungit. *Hæc omnia excultiſſimo rerum artificio militari ejus ſcuto opifex ſtudioſus illeverat, res formis imitatus, & facta figurarum adumbratione complexus.* Maximè autem ad præſentem rem facit, qvod refert idem ille Scriptor; nimirum Reginam Scotiæ hoc ſcutum, capiti dormitantis Amlethi ſubductum, curioſiùs contemplatam, *facta inde, quæ ex ſcuto cognoverat, ſcriptô complectenda curâſſe, ut & clypeum literarum teſtem, & literas clypei interpretes, exiſtimares.* Magnô argumento, tales in clypeis antiqvorum cœlaturas non ornatûs tantum aut oblectationis gratiâ, ſed rerum geſtarum ab oblivione vindicandarum præcipuè ſtudiô, elaboratas fuiſſe. Neqve crediderim, hunc primum clypeum fuiſſe, ex qvô hiſtorica monumenta deſcripta fuerint; ſed jam antea invaluiſſe illum morem, ut, qvæ raptim & breviter ſcutis inſcripta eſſent, diductiùs inde in hiſtorias transferrentur. Exqviſitè etiam de ſuo clypeo, egregiorum facinorum cuſtode ac præcone, canentem Hildigierum Gunnaris filium idem *Saxo Lib. VII.* ſic introducit.

Ad caput affixus clypeus mihi Sveticus astat,
Quem specular vernans varii cœlaminis ornat;
Et miris laqueata modis tabulata coronant.
Illic confectos Proceres, pugilesque subactos;
Bella quoque, & nostræ facinus spectabile dextræ
Multicolor pictura notat. Medioxima nati
Illita conspicuo species cœlamine constat.

Sed enim tales ego clypeos non picturis tantùm aut imaginibus rerum gestarum insignitas (ut *Saxo* intellexisse videtur) verùm & literis, qvæ tumqvidem in usu erant, exaratos fuisse, ex historiarum nostratium testimoniò, nullus dubito.

Sed neqve hìc proferendæ gloriæ cupido substitit. In *aulæis* qvoqve & dömuum *parietibus*, imò *lectis* & *sellis*, res gestæ signabantur. Ad *aulea* qvantum attinet, tam majorum imagines, qvàm historiarum notas, in iis depictas fuisse legimus. Et iconem qvidem in Monumento antiqvo Bildensi exhibet *Olaus Wormius Monumentorum Danicorum Libro Sexto pag. m. 472.* Historias autem ipsas aulæis intexi moris fuisse, ex vetustissima Oda, qvæ Gudrunarqvida / ɔ: *Gudrunæ oda*, inscribitur, clarissimè discimus; ubi Gudruna Giukii filia, ærumnis suis, post indignam mariti, Sigurdi Fafnericidæ, cædem, enumeratis, inter alia memorat, qvomodo se patriæ pertæsam, inqve Daniam profectam, Thora Haconis filia, mulier insignis, comiter exceperit, variisqve oblectamentis & artibus muliebribus exhilarare studuerit. Ubi & refert, se & Thoram Regum res gestas, satellites, arma, naves Sigurdi in altum à litore evectas, pugnasqve Sigaris & Siggeiris in territorio Fivensi, texturis repræsentâsse. Carmen ipsum lingvâ vernaculâ *in nostra Serie Regum Daniæ Lib. I. Cap. VI.* exhibuimus, confirmatum testimonio *Historiæ Ragnaris Lodbrokis* Daniæ Regis, qvæ Brynhildem Budlii filiam ejusdem Sigurdi Fafnericidæ Herculea facinora telæ suæ artificiosè similiter intexuisse disertè memorat. His etiam addi meretur S. Olafi, Norvegiæ Regis, aulæum; cui Sigurdi cum Fafnere conflictus intextus erat; & de hoc aulæo pöetam Thorfinnum versum facere jussit Olafus, hodieq; in *Codice Flateyensi* column: 750. & 754. superstitem. Qvod nos de *Aulæis* diximus, id in *parietibus* etiam apud Islandos qvondã usitatum testatur *Arngr: Jonas, Crymog. Lib. I. Cap. VI.* consentiente longè adhuc vetustiore *Historia Laxdalensium*, dum de Olavo Pavone hæc refert: *Olaus in prædio Hiardarhollte cœnaculum exstrui fecit, majus & elegantius, quàm quisquam antea viderat, in cujus parietibus & laquearibus insignes historiæ consignatæ erat, adeòque affabre cœnaculum hoc factum erat, ut longè elegan-*

gantius videretur, cum aulæis non esset obductum. Deniqve Thorkelem Hacum lecto suo & sellæ propria gesta insculpi vel appingi curavisse, Niala / seu *Niali historia*, testatur.

Nescio, an & hìc veterum *Lignis* iis, qvæ Kefli vocabantur, locum aliqvem concedam; tum qvòd illa rerum gestarum historiam haud unqvam ferè exhibuerint, sed ut plurimum epistolarum vice sint functæ; qvale illud, cujus ex *Viglundi Historia Bartholinus Capite citato* meminit: tum qvòd in conscribenda historia exiguum illa usum attulisse crediderim. Nec tamen diffiteor, talibus subinde lignis alia, præter qvàm confabulationes epistolares, inscripta fuisse. Nam & epicedia duo, ligno olim insculpta, occurrunt: unum in *Eigilis Skallagrimii historia*; qvod in funere filii Bödvaris, dictante Patre Eigile, filia ipsius Thorgerdis; alterum in *Gretteris Robusti vita*, qvod Hallmundo Monticolæ factũ filius ejus, ligno inscripsisse traduntur. Et talia ligna *celebre quondam* in Dania *chartarum genus Saxo Lib. III.* nominat. Sed qvicqvid sit, neqve ex his, neqve ex prioribus istis monumentis, qvæ emblemata tantùm historica fuêre, plena justaqve historia confici poterat. Qvapropter ut tantò meliùs rerum memoriæ prospiceretur, *Carmina* inventa sunt. Ex qvibus historiam apud alias gentes initium sumsisse, prolixè ante me alii ostenderunt: & in hoc nostro Septentrione idem illud obtinuisse, vix est qvod qvisqvam hodie addubitare possit. Verùm de pöetarum istorum (qvos exteri scriptores Scaldros, & magis adhuc corruptè Skialdos, vocare solent) fide & authoritate qvia controversia a nonnullis non heri demum aut nudius tertius (qvod ajunt) moveri cœpta est, & adhuc movetur; nos autem illorum carmina in universo ferè hoc Opere magnam partem in testimonium vocamus; non abs re erit monere, qvi & qvales illi fuerint pöetæ, qvorum operâ in septentrione olim ad tradendas res gestas utebantur antiqvi. Erant igitur homines illi non vani, non molles, non assentatores, qvi nihil præter lusus ingenii aut fabulas adferrent: sed erant viri probi & veritatis amantes; qvi Principes aut alios claros viros non nisi justis dignisqve laudibus extollebant. Imò erant viri fortes, qvi & ipsi in bellis adhibiti fortia multa edebant facinora. Unde luculentum illorum pöetarum est discrimen, qvi nihil præter monstrosas fabulas sectandò sub mythologiis earúmqve involucro religionem animis rudiorum instillabant; & horum, qvi a Regibus Principibusq; ad celebrandas res a se gestas alebantur. A qvibus iterum diversi sunt illi, qvi seculis inseqventibus historias anteà conscri-

F ptas

tas memoriæ causâ in rythmos redegerunt, deqve suo fabulosa plurima attexuerunt. Ut adeò hic triplex pöetarum genus observare liceat; de qvorum qvidem mediô unicè nobis hoc loco sermo est. Ad illorum autem fidem & auctoritatis pondus id præcipuè facit, qvòd viventibus adhuc Principibus, illa composuerint, coramqve ipsis recitare consveverint; seculo præsertim minùs corruptô & simplici, à qvo adulatio procul exulabat. Atqve hoc argumentum tanti fecit *Snorrius Sturlæus*, ipse polyhistor sagacissimus, ut in præfatione Chronici Norvegici in hunc sensum scribere non dubitaverit. *Nemo auderet coram aliquô res gestas, tanquam ipsius, recitare, quas auditorum singuli & is ipse confictas scirent: hoc enim non esset Principem laudare, sed ei audacter illudere.* Dicit porrò, qvòd *prisci historici talia pro veris habuerint*: concluditqve demum his verbis: *illa igitur, quæ carminibus istis de Regum itineribus & præliis continentur, omnia pro veris habemus* Nec aliam mentem fuisse *Theodrico Monacho*, Snorriô paullò antiqviori, inde patet, qvod in *prologo historiæ* suæ *Norvegicæ* historiam *ab antiquis Islandorum carminibus* petendam judicaverit. Et sanè in tantum ab adulationis crimine aberant pöetæ illi, ut etiam vitia aut errores Principum nigro carbone, sicubi occasio ferebat, ausi sint notare. Qvin & familiare iis erat, rerum gestarum rationem reddere, heroumq; suorum facta, si qvando sinistris judiciis obnoxia fore prævidebant, excusare, & rursus odiosa praveq; facta, non neglectis qvoq; circumstantiis, exaggerare: ut adeò non Criticorum minus, qvàm historicorum, partes implevisse videri possint. Nec rerum, qvas decantabant, notitia illis deesse potuit; cum non solum res suo ævô gestas carminibus complecterentur, verùm etiam ad illas tanqvam è speculâ observandas adhibiti sint. Neqve enim solummodò in aulis Regum loca honoratiora occupabant, sed & in mediis interdum bellorum tempestatibus, locis ad annotanda, qvæ gererentur, oportunis, ordinabantur. Et notabile omninò est, qvod in historia S. Olafi legitur, ipsum nimirum in prælio Stiklastadensi, sibi fatali, pöetas suos, qvorum tres, Gissur nempè Gullbræ alumnus, Thorfinnus Munnur (sive Bronchus) & Thormodus Kolbrunarskald (ɔ: Kolbrunæ pöeta) nominantur, intra clypeorum testitudinem convocâsse, ibiqve consistere jussos his verbis allocutum fuisse: *vos hìc manebitis, & res, quæ hèic gerentur, coram adspicietis; sic enim aliorum narrationibus fidem habere non erit vobis opus, in iis, quæ a vobis narranda sunt, ac deinde carminibus includenda*: memoranturqve singulorum

horum

horum pöetarum ſinguli verſus exhortatorii, in eodem prælio calente venâ fuſi; qvi adhuc in membranis integri conſervantur. Qvanta verò in dignitate a Principibus habiti ſint, exemplis longè plurimis hìc monſtrari poſſet; niſi illa ſparſim per totum hoc noſtrum Opus ſuis locis enumerarentur. Summatim, ſed accuratè, illa recenſet Celeberrimus *Thomas Bartholinus Antiquitatum Danicarum Lib. I. Cap. X.* Nos etiam in *Serie Regum Daniæ Lib. I. Cap. VI.* ut & *in præfatione ad Hiſtoriam Orcadenſem*, nonnulla de iis diximus. Cum itaqve ejus generis pöetarum tanta ſit authoritas, tantaqve notitia ipſis fuerit rerum, qvas cecinerunt, non ſine cauſa aliorum narrationes, ubi ab horum carminibus diſſentiunt, minori nonnunqvam in pretio habemus.

Deniq; ſcribendæ hiſtoriæ adminiculum, idq; maxime commune, narrationes erant ore traditæ ac perceptæ; qvibus res geſtæ per eos primū, qvi præſentes iis interfuiſſent, ad filios, per hos iterum ad natos & natorum natos, memoriæ relinqvebantur: magnâ ſane apud iſtos homines religione, ne qvicqvam vel adderetur, vel dubii ſuſpectiqve referretur. Unde & videmus hiſtoricos qvàm plurimos ad oculatos rerum, qvas deſcribunt, teſtes, aut ad illorum narrationes, provocare, hac formulâ plerumqve additâ: *in quantum ipſi diſtinctè aſſequi memoriâ potuerunt.* Locum ex *Eddæ Myth. 49.* hæc apprimè confirmantem, ſuprà adduximus; exemplumqve etiam Eirici Oddi filii & Oddi Monachi protulimus. Talium autem narrationum iterum duo genera agnoſcimus; unum eorum, qvi res ante ſuum ævum geſtas memoriæ prodiderunt; alterum horum, qvi res, qvas ipſi geſtas vidiſſent, ſcribentibus dictabant. De illarum fide ſi vel maximè qvis dubitaverit, de harum certè minimè poteſt. Proinde iis ſcriptoribus, qvi hiſtorias ſuas ex his talibus exſcripſerunt, ut parem atq; ipſis, a qvibus eas habuerunt, fidem adhibeamus, æqviſſimum eſſe cenſemus. Cœterum in propagandis tali modo hiſtoriis eminebant præcipuè Islandi; qvippe qvi, ſive bellatores erant, ſub ipſis Regibus, qvorum res ſcribebant, merentes, ſive mercatores, varias univerſi cultioris orbis terras adeuntes, glorioſum ſibi ducebant, facta exterorum in patriam, ubi avidè cognoſcebantur, referre. Luculentum hujus rei exemplum in Haraldi Strenui vitâ habemus. Halldór enim Snorrii filius Islandus, Regis hujus in Græcia & alibi terrarum individuus comes, periculorumqve omnium particeps, cum redux in Norvegiam odium Regis incurrens migrare in patriam cogeretur; non tamen tantum iræ ac ſimultatibus dedit,

 dit,

dit, ut gestorum Regis ordinem celebrare negligeret: qvin potius illa in generalibus insulæ comitiis qvotannis exponeret; idqve tantâ fide, ut cum juvenis qvidam, qvi hæc ex ipsius ore hauserat, eadem in Norvegia, præsente ipso Rege, recitaret, fidem & ipse, laudatus a Rege, mereretur: uti id in Operis hujus Partis III. Libr. IV. Cap. 32. plenius narratum videri potest. Verum & complura hujus rei documenta adducere in proclivi esset, nisi ipsa hæc Historia Norvegica iis qvàm refertissima esset. Dolemus autem, non licuisse genti rerum historicarum studiosissimæ ultimorum Norvegiæ Regum gloriosa facta, & prioribus forsitan potiora, qvâ cœperant diligentiâ, vel commentandô vel viva voce tradendo illustrare. Illa enim celebris hactenus Islandorum cuncta cognoscendi aviditas, ille res patrias exterasqve describendi ardor, subitò qvasi deferbuit: postqvam nimirum concussa intestinis dissidiis ipsorum patria, Regio imperio, qvantumvis sibi, ut tunc res erant, saluberrimo, colla subdere jussa est. Tunc enim amicitias Regum, qvas eò usqve sponte coluerant, parendi necessitas & obseqvium excepere: nec eadem ampliùs doctis præmia; dum nempe illi, à qvibus antea, ut liberis & sui juris hominibus, celebrari pulchrum erat, nunc sub potestatem redacti non magni adeo rem momenti præstare censebantur, si Reges suos vel carmine vel aliô aliqvô scriptô laudarent. Hinc rarior qvoqve in aulâ Norvegicâ Islandorum freqventia exstitit. Videturq; partâ Islandiæ possessione tantum decessisse Regibus istis famæ & ad posteros celebritatis, qvantum imperio Norvegico accessit: uti & nos id in epilogo vitæ Regis Magni Legum Emendatoris pluribus annotavimus. Ex illius itaqve Regis tempore Historia nostra aliam qvasi induit faciem: qvæq; priùs historica narratione plenè tradebantur, postea non nisi ex succinctis annalium nostratium memoriis, qvos curiosi adhuc in proprios usus, sed parcè, consignârunt, indicare veriùs qvam describere, horumqve lacunas externorum scriptorum, Danorum inprimis, testimoniis utcunqve supplere necessum fuit. qvod ipse, qvando perlectis prioribus ad ea venerit, deprehendere Lector poterit.

Cœterùm qvæcunq; hactenus procœmii locô diximus, eò diximus, ut non solùm, unde nos hæc, qvæ jam publico sistuntur, habuerimus; sed &, unde illi ipsi, qvos seqvimur, qvibusve principiis,

cipiis, monumenta ſua conſignarint, ſcire Lectores poſſint. Intereſt enim veritatis, ne qvasvis narrationes, ſi vel maximè membranis inſcriptæ ſint, amplectamur, & tanqvam veras orbi erudito obtrudamus; ſed ut magna cum cautione in iis verſando, ea demum, qvæ ab authoribus fide dignis, & ſufficienter ad ſcribendum inſtructis, ſunt tradita, approbemus. Ad me certè qvod attinet, tantum abeſt, ut mihi, ſi qvandò idoneâ priſcorum authoritate deſtitutus fuero, credi velim, ut potius injuriam nomini meo facere illos exiſtimem, qvi me, poſthabitis fidei optimæ monumentis, aliqva ex meo venum qvaſi expoſuiſſe fortè cenſebunt. Nec recuſo, qvin mihi fides derogetur, ſi antiqvitatum fide dignarum teſtimoniò caruiſſe deprehendar. Illas autem ubi ſeqvor, non mea ſolùm, ſed earum etiam cauſa agitur: in his enim ſi qvis noſtra impugnaverit, unâ eademqve operâ ipſa rei hiſtoricæ fulcra ſubruere temerè conabitur.

Exſpectabit forſitan Lector, ut noſtrum in hoc Opere concinnando inſtitutum atqve ſcribendi rationem uberiùs exponamus. Id verò hoc locô tantô parciùs agemus, qvànto magis in ipſo paſſim Opere Lectori id indicavimus. Et qvidem primò ante omnia officii nobis demandati ratio exigebat, ut plenum ac perfectum Hiſtoriæ Norvegicæ Opus (qvantum qvidem in nobis erat) orbi eruditò communicaremus. Qvæcunqve ergò ex fide dignis, aut ſaltim veri ſpeciem habentibus, Antiqvitatum monumentis in noſtras manus pervenerunt, fideliter huc tranſtulimus: ne iis qvidem excluſis, qvæ de primorum ſeculorum obſcuris rebus vel confusè narrata ſunt, vel fabulis propiora videri forſitan poterant, modò ne apertè falſa aut fidem exſuperantia deprehenderentur: indicatâ tamen, ſicubi de fide narrationum dubitatio oborta eſt, noſtra opinione; ut Lectori ulteriùs in rei ſuſpectæ veritatem inqvirendi occaſio porrigeretur. Neqve enim ſtatim pro falſis habenda ſunt, qvæ a moribus & geniò hujus noſtri ſeculi abludunt. Sæpe etiam ſub fabularum involucro abſtruſa latet veritas; ſæpe apertè veris falſa miſcentur; interdùm levi negotiô, interdum vix magno labore diſcernenda. Maluimus ergò integras narrationes, prout accepimus, legendas ſiſtere, qvàm, qvia parte ſui aliqvâ minus fortè erant credibiles, lectorem iis defraudari; contenti ſuis qvæqve locis monuiſſe, noſtrumqve judicium, ex collatione avthenticorum patriæ monumentorum, nec temerè, interpoſuiſſe. Qvin etiam

am credita rudi ſeculo miracula, ſed ſuccinctè, commemoravimus, maximè ubi id ad hiſtoriæ recenſum fecit. Non qvod talia ut credenda cuiqvam obtrudamus; ſed ut hiſtoricâ narratione, qvid creditum ſit, proſeqvamur. Atqve hæc eadem cauſa eſt, cur diverſas de unâ eademqve re membranarum traditiones integras ſubinde exſcripſerimus; ſed ubiqve fere noſtram cenſuram, non ex meris conjecturis, ſed partim membranarum inter ſe æſtimatione, partim circumſtantiarum evolutione, petitam, ſubjungentes. Præſentio qvidem, fore non paucos, qvi me hoc modo Codicum membranaceorum fidem elevare autumabunt. Sed illos obſervare velim, qvalia qvàmqve varia fuerint antiqvitatum noſtrarum fata, pro varia exſcriptorum, qvos nactæ ſunt, diligentia. Potuit enim fieri (& ita factum eſſe oppidò videmus) ut una eademqve hiſtoria, veriſſimè conſcripta, ad plures delata homines, & ab iis variè vel lecta vel excerpta, mutationem, præcipuè in numerorum notis & rerum nominibus (in his enim diſſenſus eſſe ſolet,) nòn levem ſubiret. Tantū ergò abeſt, ut hoc nomine monumontorum fidem & authoritatem convellamus, ut potius benè habere exiſtimemus, qvòd licuerit, ſi qvid mendarum in una aliqva membranâ fuerit, reſecare, & ex diligentiſſimâ cum optimis collatione caſtigare. Qvoties verò diverſæ ætatis Scriptores de una eâdemqve re inter ſe diſſentientes deprehendimus, adeò ut conciliari neqviverint, nulla nobis fuit religio, junioris fidem vel in dubium vocare, vel planè eandem rejicere, ejusqve ſeqvi authoritatem, qvi rei geſtæ temporibus propior vel aliis ſcribenda dictâſſet, vel ſcripſiſſet ipſe. Sed, nec hoc antiqvitatum noſtrarum Authoritati qvicqvam derogat, cùm ipſi nos, *magna cautelâ in libris illis vetuſtis verſandum eſſe*, & ſæpiùs antehac, & nunc etiam apertè fateamur: neqve enim aliud in tanta rerum partim copia, partim vetuſtate, exſpectandum erat.

(II.) Cur in hoc argumento hiſtorico fundamentum & veluti baſin fecerimus Islandorum ſcripta, eaqve maximè ſecuti ſimus, ex iis, qvæ jam antea diximus, cuivis perſpicuum eſſe poteſt. Non enim cæco cuidam in patriam amori, ſed gentis noſtræ, qvippe qvæ (qvòd præcipuum eſt) ab omni partium ſtudio, cùm non ſua, ſed aliena, ſcriberet, remotiſſima erat, indefeſſæ in conſignandis veterum monumentis diligentiæ, damus id, ut tantiſper illam ſeqvamur, donec meliora & certiora aliundè fuerint deprompta. Neqve hoc vitio

nobis

nobis verti debet: ita enim Islandorum fidem commendamus, ut reliqvarum gentium ſcriptores ſuo honore minimè defraudemus; parati qvin etiam palmam his offerre in iis, de qvibus melius ipſis qvàm noſtratibus conſtare potuit; præſertim ubi evidẽs nulla ſubeſt denegãdæ fidei cauſa. Atq; hinc eſt, qvòd in progreſſu hujus Operis, Parte nimirum III. & IV. ubi de Regum Norvegorum in Anglia geſtis ſermo eſt, â noſtris ſubinde recedamus, Anglorumqve, qvi temporibus iſtis vel æqvales, vel ſaltim proximi vixerunt, traditionibus accedamus. qvod ut noſtrates in ſui contumeliam minimè trahent; ſic neqve exteri jure nobis ſuccenſere poſſunt, ſi, verſâ vice, plus noſtris qvàm ipſorum ſcriptoribus, ubi evidens eſt ab his diſſentiendi ratio, tribuamus. Ad Saxonem Grammaticum, ejusq; ſectatores, qvod attinet, novam pro me apologiam nunc non ſcribam; teſtatus antea non uno in loco, tantum abeſſe, ut illius honori qvicqvam detraham, ut potiùs ipſius Hiſtoria noſtris lucubrationibus maximoperè confirmetur. Id qvod etiam in *Serie Regum Daniæ* abundè comprobâſſe videor. Utinam verò usqve adeò firma & certa eſſent omnia ejus fundamenta, tamqve ordinata hiſtoriæ ſeries, ut nihil relictum eſſet poſteritati vel firmiùs ſtabiliendum, vel accuratùs digerendum. Id qvod ſi ita eſſet, nullus nobis ab ipſo foret diſſenſus. Sed nec video, qvare qvis indignetur, Saxonem ad Islandorum ſcripta examinari: qvos utiqve ipſe, partim ut rerum geſtarum teſtes, partim ut memoriarum cuſtodes, ad conciliandam narrationibus ſuis fidem allegare non eſt dedignatus.

(III.) In ipſo Operis contextu princeps hæc nobis cura fuit, difficultates hiſtoriam obſcurantes, qvantum fieri potuit, tollere; qvæ pugnare videbantur, conciliare; vera a falſis diſcernere; transpoſita ac malè ordinata ſuo qvæq; loco reſtituere; deniqve, qvia paſſim obſervavimus, res geſtas aliis authoribus, qvàm qvibus debebantur, adſcriptas eſſe, illas in juſtum ordinem redigere. Duces hic nobis, antiqva iſta monumenta invicem comparantibus, Chronologia & Genealogia fuerunt. Inveneramus etenim in ſcriptis patriis ingentes, qvi & aliqvot interdum ſeculorum eſſent, parachroniſmos; inde præcipuè natos, qvod diverſorum hominum, ſed ejusdem nominis, geſta inter ſe mixta & transpoſita, imò & multoties uni, qvæ egiſſent plures, attributa eſſent: ut id *in præfatione vitæ Aurvar-Oddi*, itemq; in *Diſſertatione de Starkadis, Parte hujus Operis I.* abundè demon-

monſtravimus. Huic autem malo, qvô paſſim laborârunt hiſtoriæ, ut mederemur, attendendum fuit rerum circumſtantiis, inveſtigandum, cui ſeculo qvæqve res competeret, & ante omnia varii ſynchroniſmi indagandi, perpendendi, & inter ſe conferendi. Tum etiam diverſorum cum diverſis, imò & exteris, connubia atqve affinitates, qvarum usqvam Hiſtoriæ faciunt mentionem, in auxilium erant vocandæ, diſtantiæ poſterorum à communibus ſtipitibus inqvirendæ, & ſingulis generationibus certum, aut certo proximum, tempus ſtatuendum. Atqve hâc viâ plurima in Hiſtoria Arctoa difficilia, plurima dubia, vel prorſus diluiſſe nos, vel ſaltim eluciliâſſe, confidimus. Ne ergò miretur Lector, multa tam ex chronologicis, qvam genealogicis, contextui Operis paſſim inſerta; qvibus niſi præcognitis, ea, qvæ narrantur, intelligi ſatis non poſſunt. Dedimus tamen ſimul operam, ne nimiis digreſſionibus hiſtoriæ ſeries interrumperetur: qvapropter etiam genealogias prolixiores, qvám ut aptè inſeri hiſtoriæ poſſent, ſeorſim per tabellas conſpectui ſubjecimus: Id qvod etiam, ſed rariùs, in chronographicis fecimus. Et hôc, qvem diximus, modô in primis Norvegiæ habitatæ ſeculis erat verſandum, temporaqve, qvibus ſingulæ res geſtæ erant, ex aliis colligenda, & propè divinanda. Nec nos puduit à computatione temporum, qvam in *Serie Regum Daniæ* ipſi probavimus, veritatis indagandæ causâ ſemel atqve iterum diſcedere, ubi nempe id prægnantes cauſæ, melius nunc qvàm antea animadverſæ, efflagitârunt. Deſperatus ferme, utiqve cum de remotiſſimis ſeculis ſcriberemus, is erat labor, multasqve tenebras habet Hiſtoria, non modò usqve ad tempus fundatæ in Norvegia Monarchiæ, ſed & ferè usqve ad receptam in his regnis Chriſtianam religionem: qvâ qvidem invectâ, ſimul etiam, licèt paulatim, politioribus literis locus datus eſt. Clariora inde omnia, partim in ipſis Hiſtoriis factâ exterorum Principum, qvorum tempora ex gentis ſuæ Hiſtoricis innoteſcunt, mentione; partim adpoſitis variis annorum Characterismis, feſtorum nempe anniverſariorum & dierum hebdomadalium nominibus; ex qvibus, ſecundum computum eccleſiaſticum retrò progrediendo, controverſum annum indagare licuit; qvod qvoties à nobis factum ſit, iis, qvi hæc noſtra perlegere dignabuntur, patebit; qvi & inde, qvanti fuerit laboris, obſcuriſſimis ſeculis certas periodos, certa tempora, ita aſſignare, ut tandem omnia ſatis ſibi conſtarent, rectiùs cognoſcent, qvàm nos proprii laboris præconiô diſſeruerimus.

(IV.) Qvan-

(IV.) Qvantum ad Operis hujus partitionem attinet, pro qvatuor maximè insignium ætatum, sive, ut ità dicam, periodorum regni ratione, omninò id fuit distingvendum. Et prima qvidem ætas inde ab antiqvissimis illis, qvibus Septentrio, adeoqve nostra Norvegia, habitari cœpta est, temporibus, ad institutam usqve sub Haralldo Pulchricomo Monarchiam extenditur; rudis illa barbaraqve, & vix ullis bonis legibus, si pauculas, qvas hi vel illi, societatem aliqvam invicem coeuntes, sibi imposuissent piratæ, excipias, culta: qvare & Partem Operis nostri Primam jure qvis Ante-Monarchicam salutare possit. Excipit hanc ætatem altera, melior qvidem, nec beata tamen; certis scilicet, cùm jam sub unius potestate totum esset regnum, utcunqve adstricta legibus; sed pristinam adhuc retinens feritatem, nec saluberrimis Christianæ religionis dogmatibus imbuta: qvam ergò Semibarbaram qvis rectè dixerit. Et de hac agit Historiæ nostræ Pars Secunda; ea nimirum complexa, qvæ ab instituta per Pulchricomum Monarchiâ usq; ad invectam per inclytum Regem Olafum Tryggvinum Christiatiam professionem in Norvegiam ibidem contigerunt. Felicior inde Tertia, ut qvæ exscisam prorsus & eliminatam ab Olafo Sancto, qvam abolere cæperat Tryggvinus, vidit idololatriam, ad Regem usqve Sverrerem sese extendit: hôc tamen & ipsa infelix, qvòd circa ejus exitum scelerata Haralldi Gillii soboles, per cædes, parricidia, infandumqve perjurium extortô veris hæredibus regnô, furialia tandem in semet ipsam cum regni penè exitiô verterit arma. Atqve hæc ætas, ex auro ità in scorias desinens, Tertiam laboris nostri Partem constituit. Qvarta demum ætas incipit à clarissimo per id tempus Rege Sverrere, qvi qvidem, multo sangvine multisqve laboribus pacato Regnô, sibi suisqve, qvi et veri hæredes, restituit id asseruitq; posteris, mansurum apud hos per longam successionem, donec sub Margareta Regina, exstinctô hujus filiô Olafo Rege, Daniæ æterno fœdere jungeretur. Hæc ergò periodus Qvartam, eandemqve ultimam, Historiæ nostræ Norvegicæ Partem absolvit: nec sanè feliciùs finiri ista potuisset, cùm jam Divinâ Providentiâ admovebatur imperium DOMUS OLDENBURGICÆ. Et hæ illæ qvatuor sunt ætates, per qvas decurrit nostra Historia, totidem in Decades, cùm ipsa se ad id accommodaverit materia, distincta. Singulis imò libris singulorum, de qvibus utiqve ex instituto scripsimus, Heroum, ac deinde Regum, vitas regnaqve absolvimus: ut adeò, qvicqvid memoratu dignum sub unoqvôqve

qve Rege accidit, uniuscujusqve etiam vitæ ſit inſertum; modò tamen excipias paucula qvædam, diffuſa adeò, ut ipſi Hiſtoriæ absqve ejusdem perturbatione vix intexi potuerint: qvalia (ut minutiores aliqvos prætercam appendices) ſunt, Parte nimirum hujus Operis Secundâ, Islandia ſub Haralldo Pulchricomo à Norvegis habitari cœpta; item Parte Tertiâ Geſta Aulicorum Olafi Tryggvini; item Parte Qvartâ Islandia tempore Haconis Grandævi facta ditionis Norvegicæ; qvibus ſuos ſingulis Libros conſtituimus. Qvid? qvod cùm ad legendam Hiſtoriam opus qvàm maximè erat, nomina ſitusqve locorum nôſſe, præſtitum id etiam â nobis eſt: ſed ità, ut ſimul fateamur, laborem civis & indigenæ Norvegici, *Petri Claudii Undalini*, nobis hìc plurimùm profuiſſe; cujus utiqve, ſi modò verſionem Latinam, & nonnulla noſtro aliter qvàm ipſius tempore conſtituta, per notas parentheſeos ab illius facilè verbis dignoſcenda, excipias, in ſolidum eſt Partis Operis noſtri Primæ Liber Secundus. Reliqva enim qvæ in amantiſſimo cœteroqvin Patriæ viro, tanqvam minùs in honorem Gentis ſcripta, nonnulli ſugillârunt, immutanda haudqvaqvam duximus; certi, veritatis unicè ſtudiô illum talia ſcripſiſſe. Nec ſanè in ignominiam Nationis vergere crediderim, ſi dicatur, in illa olim fuiſſe homines præ aliis inſigniter barbaros atqve effrenes.

(V.) In vertendis antiqvis patriæ monumentis, nihil nobis ſumſimus libertatis, verbis adſtrictiſſimi; inprimis ubi vel regnorum eo tempore ſtatus vel antiqvi ritus accuratiùs erant notandi. Unde non eſt, qvod miretur lector, occurrere paſſim in hoc Opere tam res qvàm verba, foro latiali inuſitata. Id enim res ipſa exegit; & ſatiùs duximus, qvæ gentibus hiſce Borealibus propria eſſent, ſuo, id eſt ſimplici, cultu induta publico ſiſtere, qvàm affectatâ Latini ſermonis elegantia, a nativo ſuo genio abalienare. Et hinc qvoqve eſt, qvod omnis Romani ſermonis analogiæ ſecuri, hominum pariter ac locorum nomina propria, prout in vernacula ſonant lingvâ, additâ ſolummodò Latinâ terminatione, protulimus. Novimus enim, qvantum in hiſtoria pepererit confuſionis varietas iſta nominum propriorum: id qvod, ut alia prætercam fermè innumera, ex *Olafi, Olonis, Olii,* & *Olaveri*; *Harfageri* item & *Harfaxi* (qvæ poſteriora duo binis Haralldis, Pulchricomo nempe & Strenuo, ad maximas Hiſtoriæ tenebras promiſcuè fuerê data) nominibus ſatis ſuperqve patet. Et optarem ſanè, ut, qvotqvot Hiſtoriæ Septentrionali conſcribendæ manum

ad-

admoverent, nomina propria in illa obvia, incommodi hujus vitandi causâ, qvàm proximè ad vernaculorum formam exprimerent.

(VI.) Tandem Te, Benevole Lector, latere nolo, fuisse nobis qvondam in animo, Historiam rerum Norvegicarum ad nostra usq; tempora pertexere: cujus etiam residuam partem Qvintam usq; ad Christianum II. affectam habemus. Sed vasta moles Operis ac ætas jam fermè octogenaria progredi ulterius neutiqvam siverunt. Imò nec has qvatuor partes eò usq;, donec qvinta perficeretur, premere consultum duximus. Et forte Pars ipsa Operis hujus qvarta, ut cui prædictis ex causis ultimam imponere manum mihi non licuit, nunqvam aspexisset lucem, nisi succurrisset ille meus Amicus, cujus eqvidem curæ impensisq; & in me nön minùs qvàm publicum amori magnâ ex parte debetur, qvòd Historia Norvegica, tanto studio â nobis conscripta, non, qvod fatum multorum est librorum, cum tenebris & blattis luctetur. Hæc ergò in tui usum hactenus à nobis elaborata, & nunc demum post tantum temporis decursum in lucem emissa, qvisqvis es, Lector, benevolus accipe, laboribus nostris fave, & rem historicam, sicubi ipse potes, juva.



THOR-

THORMODI TORFÆI

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARS PRIMA,

CONTINENS

RES GENTIS ANTE MONARCHIAM INSTITUTAM GESTAS.

HAFNIÆ, MDCCXI.
EX TYPOGRAPHEO JOACHIMI SCHMITGENII.



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARS PRIMA,

CONTINENS EA, QVÆ ANTE INSTITUTAM MONARCHIAM GESTA SUNT.

LIBER PRIMUS,

DE NOMENCLATIONE REGIONIS.

CAP. I.

DE SCANDINAVIÆ ETYMOLOGIA.



Errarum Septentrionalium vastissimum tractum *Plinius* olim *Historiæ Naturalis Lib. IV. Cap. XVI.* SCANDIÆ, *Capite* autem *ejusdem libri XII*, ubi & eum seqvutus est *Solinus Polyhistoris Cap. XX.* SCANDINAVIÆ nomine insignivit: *Claudius Ptolemæus Geographic: Lib. II.* cum plures tradat fuisse Scandias, SCANDIAM eam propriè sic dictam, & *Jornandes* SCANZIAM, vel, uti legere placuit *Hugoni Grotio*, SCANDZAM appellat. At, qvi hos interpretati sunt, authores, nec, qvænam nominis sit ratio, nec qvantum terrarum spatium appellatione tali fuerit comprehensum, eodem modo edisserunt.

Qvi a *scandendis navibus* denominârunt, deridentur meritò a Celeberrimo Danicarum rerum Scriptore *Pontano* non minus, qvàm a Clarissimo *Olao Verelio*; ultimusqve hic *Notis in Historiam Hervörianam Cap. I. pag. 17.* Grotium, deducentem utiqve etymon vocis a *Scantzen*, id est, castellis, qvorum nempe usum excisæ rupes primis incolis præstitissent, eô refellit nomine, qvòd vocabulum hoc incognitum fuerit antiqvis, proqve eo Birke & Griotvegg usi sint.

A *Sithonibus* Ruthgerus Hermannides *Dan: Norv: descriptione*, pag: 52. parvâ literarum variatione, Sicones, contractè Scones, inde *Sconiam* & *Scaniam* haut incommodè formari existimat; qvam tamen literarum transmutationem lingvæ huic veteri minus familiarem existimamus.

Johannes Jani Alanus ab Herodoti *Scoletis*, qvi postea *Scythæ* dicti sunt, Sconiam dictam existimat, & Scolingos in Sconingos transiisse. *Gudmundus* autem *Andreæ* in *Lexico Islandico* â Skal/ præstantia, derivat.

Ab *Aschanate* sev *Aschane* Gomeris filio, Japheti nepote, *Adrianus Junius* dici putat, cui Chaldæus paraphrastes favet. Eqvidem dialecti Danicæ in litera D liqvidæ N immediatè postposita vestigium hic agnoscit Cluverius, & ita ex Scania Scandiam formatam, haut refragante *Verelio*, qvi *notis ad cap. 1. historiæ Hervorianæ pag. 17.* Eadem, inqvit, nominis est „origo, sive *Scandinavia*, *Scandia*, *Scanzia* aut *Scanza* dicatur, nempe „â *Scanis* populis, & au insula. Qvid de qvod ultima hac syllaba præcedente pa„ginâ hæc habet: Plinius, *Scandiam* nostram *Scandinaviam* vocat, ut & „*C. Jul. Solinus Polyhist.* nomine satis proprio; au enim, qvod jam ut Ø „pronunciamus, insulam significat: Inde *Scandinav* insula *Scandiæ*, &, ad„juncta terminatione Latina, provenit *Scandinavia.* Veteres enim omnes eam insulam esse existimârunt, cum revera sit peninsula. In Lexico Græcc Hesychii vox ἄα, σύστημα ὕδατι, habetur; qvam vocem origine non Græcam sed Danicam esse, observavit PerIllustr: hujus Operis Censor.

Idẽ hoc *Olaus Rudbeckius*, *Atlanticæ cap XVI. §. 1. pag: 490*, suffragio suo probaturus: Ab ultima, inqvit, Sveoniæ australioris parte *Scania* Plinius & Me„la toti imposuisse videntur insulæ nomen *Scandinaviæ*, more eruditis persami„liari. Qvin & consentit *Johannes Lyschander Antiqvitatum Danicarũ Serm. III. pag. 19* ubi etiam vocis vim & nativam significationem expresus[9], formosum & amænum interpretatur: & rectè eum conjecisse lingva Septentrioni communis asseverat: Vox tamen Skaan/ qvæ fæminini est generis, non tam pulchritudinem, qvàm diffusam liqvidorum supernatantem concretamq; & solidatam pingvedinem denotat, qvalis in recens cocto lacte, glaciei instar supernè concrescente, reliqvasqve partes homogeneas ambitu suo inclusas contegente apparet (florem lactis vel cremorem vocamus.) Hinc Skiœni ɔ: membrana expansa, ad modum cremoris lacti supernatantis, appellatur: eademq; inde signficatio voci, cum terram vel solum denotat, adhæsisse videtur; neq; enim aliud genus vox Skaan/ cum provinciam denotat, veteri lingva recipit. Qvod autem *Scania*, tanqvam flos lactis, reliqvæ Scandinaviæ fertilitate agri præcellere videtur, â pretio, non ambitu nomen sortitam autumo; Et qvia flores pulcherrimi sunt, miraqve voluptate intuentes afficiunt, ideo qvicqvid pulchrum est, Skaant vel Skiønt dici solet. Nec mihi hæc sententia, utpote qvæ tantorum virorum authoritate nititur, unqvam displicuit. Cum tamen in voce Skaanc litera D liqvidæ N præponi nunqvam reperiatur, nec hodiernus id usus admittat, ab alio fonte vocabulum Scandinaviæ poterit fortè derivari. Qvod si, manentibus iisdem consonantibus, vocali A substituamus U, vox Skund resultat, qvæ festinationem denotat; hinc verbum Skunda festinare, & Skinda/ qvod idem est; nomen etiam Skindi/ acceleratio, procul dubio a radice Skid/ qvæ primâ significatione lignum aridum notat, secundâ pandas trabes, seu instrumentum, qvô Finni Norvegiq; rapidissimo cursu, per montium colliumqve devexa nivium acervos tantâ pernicitate pervehi solent, ut cum

cum avibus certare videantur. Id cum his gentibus proprium exteri animadverterent, vocemqve simul se mutuò ad properandum adhortantium, per Skunda vel Skinda prolatam exciperent, terram tam ab incolis, qvi se invicem appellarunt Skundara / & contractè Skunda / id est properantes, qvàm ab ipso properandi exercitiô, qvod patria voce Skundan vocatum, juxta suæ lingvæ terminationem cum Skundarø / vel Skundaø / vel forte etiam Skundaiø dicere vellent, *Scandinaviam* nominarunt, primæ syllabæ vocalem U in A & secundæ A. in I. mutando, finalemqve diphtongum AU, qvæ insulam denotat, in Vocales duas, juxta suæ lingvæ genium, resolvendo: unde Scandinavia conficitur. Qvod si huic nostræ Scandiæ vel Scandinaviæ nomen a provincia aliqva Scythiæ nobis ignota, inditum existimem, aliis fortè non persvasero.

Qvantum vero terrarum spatium hoc nomine veteribus intellectum fuerit, non magis inter interpretes convenit.

CAP. II.
DE SITU ET MAGNITUDINE SCANDINAVIÆ.



Hosmannus in *Lexico*, voce *Scandia*, authorem anonymum allegat, qvi *Hist: orbis terrarum geogr: & civil: septentrionales regiones* nomine communi *Scandiæ* & *Scandinaviæ* antiqvitus appellatas fuisse notat, limitibus tamen pro diversitate authorum aliter atqve aliter positis.

Complectitur illis *Jacobus Zieglerus* in sua *Scondia* Gronlandiam, Islandiam, Orcades, Lapponiam, Norvegiam, Sveciam, Bothniam, Gothiam, & Finnlandiam; *Cluverius Germ: antiq: Lib. III. Cap. XXXVIII.* Biarmiam, Lappiam, Finnmarchiam, Bothniam, Sveciam & Norvegiam; *Pontanus in descriptione Daniæ* Scaniam, Sveciam & Norvegiam; *Stiernhielmus in Dissertatione de Gothis* Sveciam, Gothiam & Norvegiam; qvæ omnia tamen istuc tendunt, ut probetur, complures arctoas regiones Scandia olim fuisse comprehensas. Qvare & ob freqventes illas excursiones, numerosasqve, qvas emisit, colonias *Officina & Vagina gentium* priscis fuit dicta: & sicuti *Plinius* eam *Orbem alterum* nuncupavit, sic & de eâ cecinit *Valerius Flaccus*: *Neqve enim plaga gentibus ulla ditior.*

Qvando ergò Ptolomæus, à reliqvorum veterum sententia diversus, arctis adeò terminis, duobus nimirum Gradibus in longitudinem, circumscribit Scandinaviam, statuendum erit, eum non nisi illam magnæ hujus peninsulæ partem, qvæ maximè ad austrum vergit, cujusqve præcipua portio hodie est Scania, descripsisse. Comprehendit enim Scandinavia totum illum terrarum tractum, qvi à Scaniæ promontorio Kimmernes usqve ad Nordkinn, qvod ultimum est Finnmarkiæ, excurrit, ducentaqve & qvadraginta circiter Milliaria Germanica magna ab austro in Septentrionem extenditur.

Rationem autem, qvare veteres Scandinaviam cognito id temporis terrarum orbi magnitudine parem crediderint, *Verelius* in *notis ad Hervoris historiam* hanc affert, cap: 1. pag: 16. Nimirum qvòd exteri, Ger-„ mani sc. & per eos *Plinius*, ambiguitate vocis Gothicæ decepti fuerint;„

 vocare

„vocare enim Gothos plagam vel regionem orbis Halfo Heimsins & septen-
„trionalem plagam Nordr Halfo Heimsins; Notare item Halfa dimidiam
„partem; qvæ significatio qvia exteris notior, alterum orbem terrarum per
„Nordr Halfo Heimsins intellexerunt, cum tantum septentrionalis plaga intelligenda esset. *Rudbeckius* Sveciam tantum Norvegiamqve, & qvicqvid hac peninsula comprehenditur, Gothiam puta, Finnmarchiam & Bothniam vetustissimorum scriptorum monumentis, qvi hæc loca lustrarunt, intelle-
„ctam docet: habitam tamen ab aliis pro altero orbe fatetur. Id vero licet
„iis, qvi in his oris peregrinati erant, aliter constaret, aliis tamen, qvos septen-
„trionalium hominum infinitus prope numerus in suis regionibus jugi con-
„fluxu crescens in admirationem rapuit, facilè persvasum est, tantam multitu-
„dinem nisi vastissimas terras non alere, nedum, retentâ domi majore inco-
„larum parte, emittere potuisse. Cum autem Scandiæ nomen celeberrimum
„esset, ea sola advenarum istorum patria, ejusqve nomine maxima pars ter-
„rarum, qvas Septentrio habet, qvibusdam, nec tamen omnibus eadem lati-
„tudine, descripta videtur: ad qvarum opinionum diversitatem cetera qvo-
„qve nomina terris per Scandinaviam intellectis imposita extendenda sunt,
„aut saltim ad eam restringenda.

CAP. III.
DE SYNONYMIS SCANDINAVIÆ.



Balciam eam apud *Solinum Xenophon Lampsacenus*; Abalum *Plinius* & *Pytheas*; Basiliam idem *Pytheas*, *Timæus* & *Diodorus Siculus*; Baltiam *Timæus* iterum & *Xenophon Lampsacenus*; Bannomannam idem ille *Timæus*; Hyperboreorum deniqve Insulam *Herodotus*, *Plinius*, *Diodorus Siculus*, *Solinus*, *Mela*, & *Mart:Capella* nominarunt. Qvid qvod *Procopio* dicta etiam fuit Thule. Et ne desint ei appellationes, vocavit eam *Rudbeckius* Atlanticam, Ogygiam, Scythiam, Oserictam, Elixoiam, Beatorum insulam, Gothiam, Codanoniam, Galliam, Galgaviam, Vergion, Cimbricam Chersonesum, Acheronta sive Inferum, Hortos Hesperidum, Campos Elysios, Sveviam.

Abali nomen, qvod habet *Plinius* Lib: XXXVII. Cap: II., *Verelio* corruptum, Cluverio in *Basiliam* Lib. III. Cap. XXXVIII. mutandum, Rudbeckio autem retinendum videtur, utpote origine Gothicum, a *Baldo* Scantzianorum numine in hymnis celebrato, alioqvin etiam *Habaldo* dicto, derivatum, interqve Sveciæ honoratissimos titulos agnoscendum.

Nec magis *Basiliæ* vocabulum *Cluverio* aut *Grotio* probatur, qvod librariorum incuria fœdatum in *Baltiam* transferendum censent, ille Capite citato, hic *prolegomenis in Procopium*; *Rudbeckio* reclamante, Regiumqve hic epithetum patriæ suæ, totiqve adeo insulæ asserente, qvam â *Basa*, qvod imperare denotat, dictam contendit; unde & illi *Basse* Deus est aut Rex, magnatesqve in Legibus Longobardorum *Bassos* dictos notat.

Baltiæ nomen omnes, nec tamen ab eodem fonte derivatum, agnoscunt. Et *Cluverius* qvidem a freto inter *Fyne* & *Sieland* (*de Belth*) effluxisse, inde-

indeqve Sielandiam, qvam priſcorum Codanoniam autumat, Baltiam dictam, qvod nomen, ut ei proprium, male *Scandinaviæ* deinceps attributum exiſtimat. Grotius *Scandinaviam* prius Græcis *Baltiam* dictam tradit a mari interiori, qvod *Balticum* Adamus Bremenſis & Helmoldus poſtea dixerunt; nomen tamen iſtud alicui mari haut proprium, ſed commune docet, marisqve irruptionem eô Friſiis ſignificari; cui *Verelius* ſubſcribit, *notis ad Cap.I. hiſtoriæ Hervorianæ pag.18.*, ubi poſtqvam ſynonyma vocis *Belte* ſeu baltei, eruta ê carmine *Einaris Skulii* ſev *Skulaſonii*, recenſuit: Fallitur proinde, inqvit, qvisqvis exiſtimat *belt* proprium eſſe nomen freti illius „ inter Sellandiam & Fioniam, uti & alterius illius, inter Fioniam & Jutiam, „ cum ſit commune nomen, vel potius metaphorica maris appellatio. Et qvod „ aliter intellexerit *Ortelius in Theſauro Geographico*, decepit eum tabula „ Daniæ Cornelii Antoniadæ. Qvin & in ſententiæ ſuæ patrocinium „ producit *Helmoldum* in *Chronico Slavorum* Lib: 1. his verbis: Sinus hujus maris ab occidentali oceano orientem verſus porrigitur, appellatus ideo „ *Balticus*, qvod in modum *baltei* longo tractu per Scythicas regiones tenditur usqve in Græciam; idemqve *mare barbarum* ſeu *pelagus Scythicum* vo- „ catur â gentibus, qvas alluit, barbaris. *Johannes Gothus Lib. XIX. cap. I* „ Baltum ſeu Galtum Amalo Gothorum Regi ſucceſſiſſe tradit; unde Baltica „ ſtemata prodierint. Meminit horum etiam *Claudius Chriſtophorus Lyſchander Lib. geneal: Sereniſſimorum Daniæ Regum fol:58.* Et Jornandi *Balta* audax eſt, vocis ſono & ſignificatione parum ab Islandorum hodierna deflectente, qvibus baldinn pervicax eſt. Sed nemo horum â Balto vel Baltico ſtemmate maris Baltici nomen petivit. *Rudbeckius* autem perinde ut *Abali*, *Baltiæ* qvoqve nomen a communi DEO *Baldo* deduxit. Mihi veriſimile videtur, â *baltei* ſimilitudine primò freta, qvæ Sellandiam, Fioniam & Jutiam interſecant, denominata; mox autem terris eadem adjacentibus, & inde etiam remotiori peninſulæ proprium hoc iis nomen a ſcriptoribus, ſitûs locorum haut ſatis gnaris, communicatum. Nec obſtat, qvod hac voce plures maris partes communi notione intelligantur, cum iis tantum competere videantur, qvæ terras, Zonæ modô, ambiunt, qvemadmodum illud Balticum, qvod mediam Daniam penetrat, & tanqvam hominem medium circumdat, partes ſuperiores ab inferioribus cinctu tantum diſcernens.

Bannomannam *Cluverius Antiqvitatum Germanicarum Lib.III.* Cap: XXXVIII, in *Baltiam* mutandam docet; *Johannes Lyſchander Antiqq. Danicarum* Serm. VII. pag.61. in *Danomarchiam*. Id qvod non ſolum Normannorum Islandorumqve monumentis omnibus repugnat, ſed etiam ſcriptorum externorum traditionibus; cum *Danorum* nomen non ante Juſtiniani Imperatoris tempora (qvinto ſcil: ſeculo â nato Chriſto) innotuerit, Procopio primum & Jornandi uſurpatum, ut notat Grotius, licet Gregorium Turonenſem, his qvidem tempore poſteriorem, in hiſtoria temporum Juſtiniani ſeu Procopii ætatem nonnihil antecedentium, illius mentionem fecisſe haut diſſimulet; id qvod etiam *Cluverius Germ. Antiq. Lib. III cap. XX.* teſtatur. Firmat hoc exterorum altum de Danico nomine ſilentium Islandorum illa Norvegorumqve ſcripta, qvæ Danum Dampi filium, Rigi illius, qvi primus Skioldungorum titulum in Regium convertit, nepotem & in ordine ſucceſſionis ab illo Frodio, qvi Chriſto in terris manifeſtato æqvalis vixit, ſextum *Danmarcham* de ſuo nomine primum dixiſſe con-

ſtanti relatione tradunt; Qvî enim nomen tam celebris populi latere potuiſſet, aut geſta tam inſignia ſub alio nomine prodi, ſi veri nominis compotes fuisſent homines? An vero genti prius, qvam regno Danorum vocabulum impoſitum fuiſſe fluvius *Boriſtenes*, *Jornandi cap. V. Danaſtrum* dictus evincat, aut etiam *Tanais* accolæ gentis nomẽ â prima boream verſus migratione retulerit, ut *Pontanus in Chorographica Daniæ deſcriptione* argutè conjicit, affirmare neſcio; cum accuſativus *Danaſtrum* â nominativo *Danaſter* obliqvetur, ideoq; haut ſatis commode vox Danaſtraum (*Danorum fluentum* inde eliciatur. Facilius forte Tanais in priſcam lingvam Dana-aa (Danorum amnẽ) reſolvetur; ſed, deficiente authoritate, conjectura tantum ſupereſt. Qvod ſi a Timæi ſeculo *Bannomanna* vox in *Danmarcham* tranſierit, ſecundum placita ejusdem *Lyſchandri Serm. III pag.* 15., id ſcriptorum neminem notaſſe monſtro ſimile videtur. Clariſſimus Mag: Arnoldus de Fine, diœceſeos Thrandenſis nuper Epiſcopus, qvi Hiſtoriam Norvegicam conſcripturus in ipſo operis curſu fato præreptus, qvæ ſcripſerat, indigeſta reliqvit, neqve Daniam, neqve univerſam Scandinaviæ peninſulam *Bannomanna* nomine intellectam, ſed ſolam Norvegiam, exiſtimavit, qvippe â voce Germanica, *van* & *Normannia*, compoſitam; Normanniæqve nomen tam veteribus Græcis, qvam Romanis inde innotuiſſe, qvod forte Norvegus qværenti Romano vel Græco, cujas eſſet? reſpondiſſet, *van Normannien.*

Rudbeckius Cap: XIII. *Mannheimum* titulum Sveciæ, *Verelius* etiam totius Scandinaviæ, veriſſimè qvidem, præviis antiqvitatibus, agnoſcunt. Verũ facilius ad voces Gothicas *Bannamannö*, vel *Fannamannö*, qvàm Mannheimum ad Bannamannam retuliſſet. Bann enim execrationem, proſcriptionem ſeu prohibitionem ſignificat: primoq; ſenſu ſacris; ſecundo aqva & igni interdicitur; tertio, ne qvid fiat, vetatur. Qvibus hoc ex officio incumbit, dici poſſunt in Genitivo plurali *Bannamanna.* Hinc *Bannamannö* imperantium inſula, leviq; mutatione *Bannamanna.* Qvod ſi *Fannamannö* intellectam ſuſpicari liceat, vocem Gothicæ lingvæ genuinam agnoſcimus, proprietatem inſuper gentis exprimentem. Fannn enim ſeu fenn/qvod in genitivo plurali habet fanna/profundam nivem denotat, qvam aſſeribus prætermittentes Fannamenn dici poſſunt, nomine Norvegis, Finnis & Svecis conveniente. Hinc *Fannamannö* inſula hominum, liqvidum per congeſtarum nivium cumulos iter radentium. Uſitata autem eſt literæ *v.* & *f.* in *b.* & viceverſa. mutatio; qvare non abſurdum, ſi incolæ harum terrarum *Fannoni* & *Fannatli* dicti ſunt, a voce fann & ana / ona & aula / qvod progredi, item ſerpere, ſignificat. Hinc jumenta annmarka vocant, qvod progrediantur per mark regionem, ut rectè interpretatur *Pontanus in Deſcriptione Daniæ*, voce *Danmarc.* Aulfær habetur in *codice LL. Island.* titulo Arfatökr (*de hæreditate* Cap: XXVIII. ubi libera ſuarum rerum diſpenſatio permittitur homini rationis compoti, dummodo domum regere, eqvo inſidere, pedes incedere (id enim magis, qvam ut ad menſuram potet, cum utramq; ſignificationem vox aulfær admittat, reqviri credo) poſſit; penultima conditio per vocem heſtfær/ultima per aulfær exprimitur, â verbo aula; ſic in epicedio Ragnaris Lodbrochis ad calcem Runicæ Celeberr: *Vormii ſtropha* 1 ſerpens lingauli appellatur, qvod lentè per ericeta repat, uti id ibidem rectè expoſitum eſt. Atqve hæc interpretatio cum Scandinaviæ notatione â Skunda apprimè convenit.

CAP. IV.
DE HYPERBOREIS.



SEdem Hyperboreorum *Ortelius* ab omnibus Boream versus collocari, licet situ admodum diversô, testatur in *Thesauro geographico*. Qvæ autem ab *Hofmanno in Lexico* circa vocis istius etymon recensentur variæ opiniones, in eo tamen conveniunt, qvòd situs maximè fuerit septentrionalis. Ipse etiam *Verelius notis ad Cap: I. historiæ Hervorianæ* credere se profitetur, veterum illos Hyperboreos aut nusqvam gentium, aut in Scandinavia, vel ad minimũ in ejus extremitate sedes habuisse. Cum enim, inqvit, ipsi Scandiani veteres sep- » tentrionalem hanc plagã semper appellaverint Nordurhalfo heimsins / & Nor- » durland / & se ipsos Nordmenn / istius nominis significationem fama ad se delatã » vocabulo *Hyperboreorum* expressere Græci. Verum autem Scandiæ situm, lo- » corumq; adjacentium exploratum non habuerunt; unde tam diversæ senten- » tiæ de Hyperboreorum sedibus; licet enim non raro ad eos commeârint » Scandiani, ut alibi ostendi, ex illis tamen, ut Geographiæ incuriosis, gentis mores & instituta potius, qvam locorum situs, Græcis innotuerunt.

Novissimè Cl: *Rudbeckius* aliam vocis originem, instituto suo apprime utilem, eruit, qvâ insulæ Hyperboreorum populos, non, ut reliqvi, a situ, sed à Principibus gentis denominatos conjectat, Atlant: Cap: 12. §.2. pag. 365, vocemq; Gothicam Yferborne Græcos sua lingva per *hyperboreos* reddidisse, persvadere conatur; argumento â Diodori Siculi Lib: II. petito, ubi Hyperboreorum urbis imperium, & sum̃a templi cura penes *Boreades, progeniem Boreæ*, qvi gentili successione principatum inibant, fuisse legitur, ipsumq; ideo *Bòream* eundem esse, qvem *Arngrimus in Republ. Islandorum* inter majores Niordi, â qvo Norvegia nomen acceperit, summæ auctoritatis & potentiæ Regem ex nonnullis fragmentis Historiæ Norvegicæ eruerat, nomine Porcum, cui Gothi, Finni & Am̃azoniæ incolæ olim paruerint. Et hanc suam sententiam pluribus adhuc rationibus firmat Rudbeckius; compositione nimirum vocum merè Gothicarum, Yfer / ([illegible],) & borin (genitus), qvam illustrare conatur usitatis apud pöetas & veteres Historicos titulis: borne / atteborne / bordige / byrdige; unde Yferborin & Yferbyrdige / eorumqve synonyma. Deinde locis regionis, qvibus nomina ex hoc fonte indita, ut Borea / Boreklubben & similia. Postea totius regionis universali nomine Borisland / ut & maris Borisfiord / qvæ *borealia* interpretatur. Accedit, qvòd ventus, qvi ex illa regione spirat, solius loci intuitu *boreas* Græcis dicatur, sicut ex adverso Africus, qvem ex Africa ad se accedere deprehendunt. Primas autem tenere putat, qvòd Scriptorum nemo regionem hoc titulo insigniverit, sed tantum homines eam incolentes, idq; qvia vera & genuina ejus notio in lingva Gothica nihil, qvod terræ, sed qvod hominibus competere possit, in se continet, generis videlicet claritatem. Verum cum ab illo *Porco*, qvem Arngrimus citat, *Boreadum* stirpem derivet, notationis ratio corruit; neqve enim Arngrimus antiqvissimum illum Regem *Porcum*, sed Þorre vel *Thorrium* appellat, qvem ipse *Rudbeckius* in suo *Brevi Chronico* ad calcem historiæ Loccenii agnoscit, & *Thorre* appellat, refertqve ad annum Mundi MMMDCXX, & in tabulis Chronologicis, Atlanticam illustrantibus, ad Annum MMMDCXXX, & qvidem post Hecatei tempora, â qvo tamen Dio-

dorus

dorus hæc desumit, qvem anno mundi MMMCD floruisse ipsemet confitetur, qvatuor circiter seculis ante *Thorrii* seu *Boreæ* tempora, cum tamen de illo ejusqve progenie nondum in rerum naturâ existente Hecateus scribere neqviverit. Sed nec *Thorrium* inter Seciæ Reges fragmenta illa antiqvissima (si tamen tractatus integer qvidem, sed brevis, id nomen meretur,) referunt, nec genus Sveonum ab eo derivant, licet Drifam Snæris Antiqvi filiam nominent, qvam qvia *Chronica Norvegica* Vanlandi Sveonum Monarchæ uxorem dicunt, ego qvoqve ab ea genus Seciæ Regum texendum arbitror. Norvegorum autem Regum continuam successionem ab eo longa serie texunt; Hujusqve filius fuit Nor (non Niordus) Norvegiæ Rex, regniqve conditor potentissimus. Qvod si ex *Verelii* mente Græci, suæ lingvæ vocabulo, nostrum nordr eadem significatione, qva nos per boream, nordr halfo/ per Hyperboreos expresserunt, ego etiam Norem per Boream intellectum, perq; Boreades ejus progeniem, concederem, modò Noris ætas Hecateum anteverterit; qvo sensu Strabonis expositio, Hyperboreos per maximè omnium septentrionales interpretantis, culpâ & errore vacaret. Nec ad rem id facit, qvod Scriptorum nemo regionem ipsam Hyperboream, sed tantum homines eam incolentes Hyperboreos appellarit; cum mentione gentis, nomen agri iis culti, licet ob limitum ignorantiam non expressi, aut pro infinito prope habiti, intellectum videatur. Qvin nec templi mentio, sacrorumq; cura, regnatrici in Svecia familiæ commissa, protinus arguit, Boream ejusqve progeniem in Svecia imperasse: Nam & plures Septentrionales terræ antiqvissimis templis gloriantur, ut Baldrshagensi Sognia, & Gaulathingensi Fialæ, longe ante Haraldi Pulchricomi tempora. Loptus enim, *Arngrimo in Specimine meridionalis Islandiæ Sect: 70.* Lopterus Gaulensis dictus, Islandiæ meridionalis incola factus, ubi prædium Gaulveriabæ, hodie pastorale, primus occupaverat, tertio qvovis anno in Norvegiam navigabat ad Numina propitianda in basilica Gaulensi, cui avus ejus maternus Thorbiornus qvidam Antistes præfuit; Sic Mostr, insula Hördalandiæ, superbit templo Mostrensi, cui Thorolfus Mostrobarbus præerat; & Mærensi Thrandia, cum ejus Antistes Pulchricomi tempore esset Thorhaddus Annosus, qvem inter eos, qvi ê Thrandia coloniam in Islandiam transtulerunt, sub nomine Thoraldi Grandævi *Arngrimus in Spec: Orient: Isl: Sect: 33* memorat. Plura repetere non attinet, cum constet, hæc delubra non illo primum tempore fundata, ultimam sibi antiqvitatem vendicare. Mirari itaqve licet *Rudbeckium* scribentem: *haut licuisse sibi ullum in Septentrionalibus regnis templum reperire, quantumcunque Saxonem & historias Danorum Norvegorumque consuluerit, præter Upsalense.* Nam horum singula, licèt Upsalensi magnificentiâ haut comparanda videantur (qvam tamen primis illis temporibus longè minorem suspicari licet, qvàm posterioribus, tot subseqventium Dynastarum industriâ, civium munificentiâ, advenarum peregrinorumq; magnificis donariis facta est,) tamen si unum aliqvod pari splendore in Norvegia id temporis extitisse statuero, rem omnino incredibilẽ haut profitebor; cum illud Thrandense, posterioribus Christianisq; seculis, omnibus Europeis palmam præripuisse, non scriptores solum fide digni, sed &, qvæ adhuc supersunt, rudera abunde testentur. Qvin & si Septentrionales Russiæ partes a sinu Gandvika ad novam Zemblam, & si qvid ultra in boream protenditur, Hyperboreorũ nomine intellectũ statuero, (cui qvidẽ meæ sententiæ nec situs, nec notæ, qvas e *Plinio, Diodoro, Solino, Mart: Capella*, aliisq; *Rudbeckius* studiosè conqvisivit, omnino repugnabunt,) sanè neq; templum Biarmense magnitudine, opulentiâ, antiqvitate, aut magnificentiâ Upsalensi concedet; id qvod im̃ensa illa spolia

pressò, ibiqve probato, fides) inde in Ostrogothiam avecta, luculenter probant, qvorum minima pars, (aulæa nimirum, qvæ parietes aulæ Deastri Jomalæ vestiebant) pluris æstimata, qvàm pretiosissima onera trium ingentium navium, qvas posterioris ævi scriptores, atqve inter hos Comitum Orcadensium Historiæ author, Dromundos appellant, mediterraneum mare persultare svetas. Descriptio insuper, qvam Sturlaugi Laboriosi vita exhibet, delubrum aurô gemmisqve intercurrentibus splendidum, solis radiorum repercussu circumsitam planitiem latè illustrâsse memorat: utut falsò ante Odini Upsalensis adventum, Christiqve hominis tempora, ædificatum freqventatumqve tradatur. Jam verò situs Biarmiæ, Jötunheimis vicinus, Boreadum familiæ favet; nam, ut legit *Verelius*, *Not: ad Cap: I. hist. Herv: pag: 4.* Nori (Noreas) gigas primus Jötunheimos incoluisse traditur, teste *Edda*, *Mythol: VII.* per qvem si Boreas intelligendus esset, nomen qvoqve hyperboreorum ab illô ejusqve progenie meritò deduceretur, ibiqve Hyperboreorum terras haberemus. Et hanc etiam Hyperboreis sedem Orphæi versus, a Rudbeckio citati, assignant, qvos Cap: XXI. *de Cimbricâ Chersoneso, pag: 522.* producit: Viciniam, inqviens, „ Maris Mortui notavit vers: 1074. „

Atqve ubi diva diem jam clarum aurora reliqvit,
Riphæas valles attingimus. Inde repentè
Prosilit angusti puppis per litora ponti,
Oceanumqve intrat. Saturnius ipse vocatur
Pontus Hyperboreis a gentibus, & mare Mortuum.

Nec ipse *Rudbeekius pag: 476.* aliter eos interpretatur. Sic enim scribit: Nullum verò signum pro Sveonia fortiùs certiùsqꝫ militat, qvam Ma- „ re pigrum, qvod omnium consensu Oceanus est glacialis, de qvo ante in „ Cap: 13. §. 1. n. 5. pag: 460. ex Plinio qvædam attulimus; hîc autem audi- „ re lubet C. Tacitum de M. Germ. Cap: 45. §. 1. eadem cum Festo verba „ proferentem: Trans Svionas aliud mare, PIGRUM ac propè immotum, „ qvô cingi cludiqve terrarum orbem fides est. *Pag:* autem *460. Cap: 13.* „ hoc mare Morimarusam Plinio vocatum tradit, interpretaturqve Mordemiøre/ ɔ: mare mortem inferens; qvi titulus cum Pliniano illo Mari mortuo fermè convenit: ut proinde dictum ita videatur, sive qvòd frigore suo longè intensissimô omnia qvasi enecet, sive qvòd semper congelatum mortuoqve simillimum jaceat. Verùm Cap: de Thule 19. §. 1. p: 513. a se ipso diversus, istud mare Pigrum a glacie, qvam continuò vehit, ita dictum, Sveciæ finibus continuari negat, sed tribus gradibus ab iis distare, itinere sesqvidiei; adventitiam enim glaciem diversis, nec certis, temporibus ad extremas promontorii Nordkinn vicinasqve oras allabi, iterumqve relabi solere. Cum autem de Nore, vel Norio gigante nihil nobis constet, nisi ex citata Eddæ fabulâ, qvæ eum omnium antiqvissimum Jötunheimorum cultorem exhibet, rerum autem antiqvarum notitia supra Odinum, Upsalensem vulgò dictum, non ascendat, nec ad Hecatæi tempora pertingat, planum est, Hyperboreorum Vocabulum nec à Thorrio, nec à Borea deduci, sed ex plaga septentrionali, qvam nos Nordur/ Græci boream appellârunt.

CAP. V.
DE THULE.



E THULES nomine post tot doctissimorum Virorum, *Pontani, Arngrimi, Cluverii, Grotii, Ortelii, Cambdeni*, nuperrimeq; *Cl: Mag: Theodori Thorlacii*, Episcopi diœcesis Skalholtinæ Islandiæ australis dignissimi, amici mei, dum vixit, conjunctissimi, aliorumqve accuratissimas disputationes, superqve his omnibus limatum *Cl: Rudbeckii* judicium, qvid addi possit, hactenus inauditum, qvamvis nesciam, eorum tamen sententias, qvantum ad etymologiam, referre non pigebit. Omitto ridiculã Goropii Becani derivationem, sive à *Tholo*, qvòd ejus instar terrarum orbi sit imposita, sive a Belgicis vocibus tot Hulen/ (qvòd non aliter ad eam, qvàm ad ploratum proficiscantur homines) etymon deducentis. Nomen Phænicium *Bochartus* esse statuit, famamq; ejus ab his ad Græcos dimanâsse, & umbram Syris nomine tali denotari, inq; scriptione expressum thet per theta, ut Alphabetus Cadmi habet. Hinc *thule ramsa* umbras vespertinas, Jer: VI. v. 4. in Chaldæo Paraphraste, Phænicibusq; *gezirat thule*, insulam tenebrarum seu tenebricosam dictam: Statio item pöetæ *Hesperiæ vada caligantia Thules*; *nigræ litora Thules*; *nigrantem Thulen* dici: & apud Strabonem; *Soles non habent puros*: apud Melam; *noctes per hyemem obscuræ*: apud Plinium; *nulli per brumam dies*, ut alias plures ejusmodi omittam authoritates, occurrere. Qvin & *Pontanus Chorograph: Dan: p: 746.* Isidori primùm etymologiam producit, qvi *Thulen* dictam existimat, qvòd in illa Sol æstivum Solstitium faciat, & ultra eam nullus dies sit: ipse tamen vocabulum Thules ad Danicum, vel Norvegicum idioma accedere censet, eo qvòd circa Norvegiæ Daniæqve oras è mari extantes scopuli, cujusmodi est illa insula, (si modò insula sit) qvæ extra litus in aperto mari propè Hellemstadium visitur, Thyle dicta, tum & ipsa Norvegiæ ditio amplissima *Thylemarchia*, hoc appellentur nomine. Porrò adducit laudatus Pontanus vocum Anglicarum *Thylle*, *Thoyle*, & Belgicarum Theulen & Thuylen similitudinem: nec *Reineri Reineccii* sententiam omittit, qvi tell limitem notare Saxonibus, & ita insulam hanc velut limitem esse Septentrionis atqve Occidentis ait; qvamvis alii id nominis accessisse insulæ velint ab Ægyptio Rege *Thyle*, qvi, ut Svidas habet, circumnavigatâ totâ terrâ atqve inqvisitis plurimarum gentium moribus, hoc vocabulum de suo nomine ditioni isti reliqverit. *Rudbeckius Cap: de Thule* pag: 514. *Reineccii* sententiam probat; Tiule enim, Tiell & Tielnar/ extremum esse regionis alicujus promontorium; item arboris apicem; nec non extremas partes ramorum atqve radicum; funes etiam extremis retium partibus alligatos; limites deniq;, sive ultimas partes regionum ita vocari. Ad has voces Vestrogothorum leges porrò alludere statuit, ubi limites Tialdrar/ Tialdrastenar/ & Tialdra appellari docet, qvæ a tabernaculis seu tentoriis originem fortè traxerint, Islandis Tiald / Danis Telt; unde voces ad architecturam pertinentes facilè derivatas conjicere liceat, cum tentoria mortalibus

talibus prius in usu fuerint, vetustissimarumqve exinde domuum typi ædificandiqve modus extiterint. Plura etiam nominum exempla affert, ut tielga / tilga / qvam Historiæ Hervorianæ Dilgam vult esse, urbemqve Sudurmanniæ & regionum primæ octavæqve limitem facit. Verùm neqve situm, neqve nominis rationem veram Rudbeckium deprehendisse existimem. Historia Hervoriana non *Dilgam*, sed *Dilgiam* habet, qvæ vox dissidia, inimicitias & rixas significat; inde loco a bello & cæde ibidem patratâ nomen obvenisse conjectandum. A Dilgio descendit Dolgr (ↄ: interfector,) hinc Rex Seciæ Eigill TuNadolgr / (ↄ: Tunnii interfector,) & Comes Sigvaldius in versu qvodam Frisadolgr (Frisorum interfector) appellatur. Qvin & Tilling / Tyllinge / Tylsa / Tylsboo / siqvidem omnes vel in extremitate positæ sunt, vel provincias, illo teste, terminant, limites etiam denotare ipsi videntur; at datur vox antiqva Islandis hodieqve in usu, at tilla / ↄ: substernere aliqvid pedibus, qvo altiùs surgatur, & at tilla sier up / se altius evehere: si igitur hæc loca editiora sunt, a tali etiam origine duci potuêre. Sed Tylesundsbro / Tylenes / & Tullo faciliùs ab alia scaturigine fluunt: Þula enim, vel *Thula*, longa continuaqve oratio dicitur, cujus finis sæpius expectatus auditorem suspensum tenet; & ad eundem modum vasta hæc, sive insula, sive peninsula, præternavigantibus extremitatem suam veluti sæpius ostendens, objectu novorum promontoriorum, & qvo longius processeris, crebrius suborientium imponit. Infinitæ igitur orationi assimilata, þula seu *Thule* nuncupata videri fortè potest. Þula autem a þilia / recensere, nomen habet: cum autem actus ille continuus sit, inde þil tabularum invicem junctarum continua series, qvam coaxationem *Vitruvius* appellat, dici meruit, qviꝗ eam parietibus domuum præfigunt, dicuntur þilia. Est & prædium qvoddam Thulunes in Vorsia, undè qvidam celebris vir primis illis temporibus in Islandiam migravit; uti & aliud Thulenes in Norvegiæ Scaniæqve confinio, cujus meminit *Arngrimus Specim: Isl: pag:160.* qvod viri celebris *Thulonis* cujusdam nomen & memoriam conservare idem Rudbeckius conjectat. Si hæc notatio displicet, in promptu est alia, haut longiùs petita; Dula enim tegmen, item obscurum qvid & caliginosum, significatione suâ exprimit; qva ratione â Phænicum, aut Chaldæi Paraphrastis poëtarumqve mente insulæ etymon non abludit, convenitqve extremis Norvegiæ, Sveciæ, atqve etiam septentrionalibus Islandiæ partibus. Sive igitur þula / sive Dula / terra ista dicta sit, facilius inde *Thulen*, qvàm ex cæteris primitivis exstruxerimus. Atꝗ has de nominis ratione dissentientes opiniones recensuisse suffecerit. Cui autem potissimùm septentrionalium terrarum id nomen jure sitûs, aut etiam aliarum proprietatum competat, haut minus inter doctos controvertitur; aliis Islandiæ, aliis Hetlandiæ, qvam veteres Norvegi Hialtlandiam appellârunt, aliis Utopiæ, ut qvæ nusqvam inveniatur terra, aliis Orcadum uni, aliis Thylemarchiæ Norvegicæ, aliis deniꝗ toti peninsulæ Scandinaviæ illud applicantibus; qvorum postremum *Rudbeckius* magni ponderis argumentis it assertum, probatꝗ non solùm Procopium id sensisse, qvi hanc peninsulam, &, secundum Pontani mentem, totam etiam Daniam sub Thules nomine descripsit, sed & longè antiqviores Scriptores, *Pytheam, Isidorum, Strabonem, Melam, Plinium, Solinum*, iis in suis descriptionibus notis illam depinxisse, qvæ vel Islandiæ, vel Scetlandiæ (Hetlandiæ), vel ullis præter Sveciam terris nullô mo-

dô competunt. Cum tamen qvasdam ex iis Scandinavia non admittat, recipiat autem Islandia; alias contra respuat, qvas Scandinavia sibi vendicat; qvædam etiam utriq; comunes sint, dubia valdè conclusio formatur, cui potissimùm illud nomen sit adscribendum. Neqve enim Norvegiæ, vel Sveciæ septem dierum navigatio in septentrionem â Britannia competit, qvod de *Thule Pytheas* tradidit, qvam tamen sub eodem cum Meröe, Alexandria, Hellesponto & Boristene meridiano eum constituisse *Rudbeckius* monstrat, longiùs ab Islandia, qvàm sitûs ratio patitur, remoto: malè etiam de Svecia & Norvegia dicitur, mitiorum fructuum capaces non esse; qvod tamen *Pytheas* de Thule prædicat, licet eã largâ & diútinâ Pomonâ copiosam, incolasq; in hyemem arborum fructus congerere *Solinus* memoret: porro à Nerigone in *Thulen* navigari, qvod habet Plinius, absurdũ erit, si Nerigon sive Norvegia hodierna, *Thule* est: mare deniq; concretum, qvod pulmonis marini simile esse, uniusq; diei navigatione a Thule distare Pytheas tradidit, non minus verè de Islandiæ occidentalibus oris, si a sinu Isafiördo caurum versus navigetur, qvàm de Scandinaviæ septentrionalibus, dicetur; sæpe enim ingens illa glacies Islandiæ occidentalia borealiaq; litora magnam veris æstatisqve partem obsidet. Haud itaq; *Thules* nomen Islandiæ adimendum, cum Ptolemæus proximè ad ejus situm *Thulen* retulerit; Solinus etiam inter Britannicas insulas eam computet, & qvidem ultimam septentrionem versus; id qvod Norvegia non agnoscit. Nec omninò indigna videri deberet Islandia *Antonii Diogenis* viginti qvatuor libris comprehensâ descriptione, collectâ è Cypressinis tabulis, in sepulchris Tyriorum Alexandri Magni tempore inventis, si probari posset, illo tempore cultam fuisse; neq; enim circumfluum mare, tot piscium, phocarum, balænarumq; generibus repletum; aut cœli constitutio; volatilium variæ species; terræq; habitus, montium, vallium, paludum, fluviorum, thermarumq; numero distinctus; tum etiam subterraneorum metallorum mineraliumqve varietas, & qvæ sunt cætera, peregrinorum cognitionem fugissent. Qvòd si qvis objiciat, aliam esse Islandiæ faciem, qvàm qvæ a veteribus *Thule* assignatur, facilè regeri potest, fuisse illô tempore longè diversam ab eâ, in qvam postea degeneravit; id qvod testis oculatus asserere possum, cum intra paucos annos, vix adolescentiam egressus, varias diversorum locorum mutationes, easq; haud exiguas, ibi observarem; neq; enim depressiora solùm litora, sed etiam ea, qvæ editissimis ripis velut aggere perpetuô septa, agris prætexebantur, æstuantis maris impetu fracta, receptam undarum molem latè diffundebant, qvâ herbida terræ superficies, sabuli arenarumq; cumulis obruta, sterilis in posterum, non modò cultoribus inutilis, sed etiam viatorum aspectui ingrata horrescit. Ventorum qvoqve rabies arenosam humum assiduis flatibus excavavit, donec velut cute nudata, & cuniculis suffossa subsideret; ut ne dicam nivium sabulis mistarum per prona montium delabentes moles, subjectam planiciem, integraq; sæpius etiam complura, prædia, vel unicâ ruinâ evertere solitas. *Thules* itaq; nomen, si Pytheam seqvimur, potius Islandiæ, qvàm Scandinaviæ competet; licet iis eas notis depinxerit, qvæ simul neutri, separatim utriqve conveniunt. Sed diversam credo a Claudiani Thule, qvam Pictorum sedem facit, de Theodosio Seniore eam debellante ita canens:

Incaluit Pictorum sangvine
Thule.

CAP.

CAP: VI.
DE NERIGONE.



Is itaq; Scandinaviæ, pro Scriptorum diversitate vel latiùs vel angustiùs sumtæ, synonymis explicatis, omissisqve cæteris, qvæ *Rudbeckius* collegit, copioséqve explicat, ad NERIGONEM deflectam, qvam Plinio inter insularum septentrionalium maximam memoratam, proqve universâ Scandia habitam *Cluverius* aliiqve arbitrantur, dubitante tamen *Arngrimo in Specim: Islandiæ* non modò an universæ, sed etiam an parti ejus occidentali, qvæ Norvegia est, nomen illud, a vocum tantum similitudine ductum, assignari debeat. Cum verò *Hugo Grotius* Norvegiæ nomine Historicis Francorum totam Scandinaviam intellectam doceat, authoritate veteris libri, qvi inscribitur *Gesta Normannorum*, cujusqve hæc sunt verba: Normanni procedentes de Scanzia insula, qvæ Norvega dicitur, in qva habitant Gothi, Hunni & Daci; *Scanzia* ibi pro *Scanzia* legendum existimo: neqve enim *Scanzia* per Norvegiam hoc loco explicari, sed pars ejus insulæ sub Norvegiæ titulo monstrari, gentes autem, qvas recenset, ad Scanziam referri videntur; &, si insulæ nomine totam Scanziam veterum more author complexus est, patriam tamen gentis in Gallias infusæ, vel saltim ejusdem gentis ducis, intra Scanziæ limites fuisse ostensurus, Norvegiæ nomine notavit; qvod frustra adjectum foret, si nihil hac nota peculiare designare voluisset: apparet itaqve hac restrictione Norvegiam a Scanziæ, tot gentium patriæ, amplitudine discerni. Verùm ut ad *Nerigonem* redeam: Sithonum terram hoc nomine vocatam *Grotius proleg: in Procopium* existimat, Norvegiæqve nomen, mollitis in latinum literis, â Plinio sic redditum; id qvod etiam concederem, ni pro certo mihi constaret, Norem, â qvo Norvegia nomen, qvod hodie usurpat, reportavit, longè post illos authores, a qvibus Plinius hoc nomen hausit, nec diu ante ipsum Plinium extitisse. Nerigonis itaqve nomen Nore longè antiqvius statuo, incolisqve & accolis Svedis Nordrike primis temporibus, Danis autem, qvos mollior sonus delectat, Nordrige/ & contractè, pro singulorum dialecto, illis Norike / his Norige pronunciatum, inqve terminationem Græcam ultimam syllabam detortam, antepenultimâ O in E mutatâ. Significabat autem hæc vox primis illis temporibus *aqvilonare regnum*; Nordur enim, vel Nord / aqvilonem denotat, desumtâ notatione a relatione plagarum cœli ad septentrionalium habitationem, qvòd cæteris propior iis existat. Nœr enim, vel, dialecto Norvegicâ, Nor / propiùs denotat; additur autem D evphoniæ causa, cum Norur aures perinde non afficiat. In voce verò Norike syncopata auferuntur R & D ob celeriorem pronuntiationem, indigenis ad insaniam usqve affectatam, qvæ priscæ lingvæ rationem omnem & nitorem, accedente peregrinarum vocum usu, penitus subvertit, ita ut ne Oedipus qvidem plurimarum appellationum, qvæ hodie in usu sunt, rationem, religiosè a priscis primisqve incolis observatam, vel maximâ diligentiâ adhibitâ, reddere possit. Qvis enim judicaret, villam meæ vicinam, Østromb nunc dictam, olim appellatam fuisse Austur-eid / qvod orientalem isthmum, ad di-

distinctionem vicini occidentalis, denotat; aut Tusster/ uti nunc usurpatur, Teitsfiord antiqvitus vocatum, sinum a Teito, sive Tito, qvod viri nomen est, appellationem accepisse: qvæ duo exempla ex infinitis adduxisse suffecerit. Et eandem ob causam regio hæc Nororike dicta, Nortke videtur etiam prisco seculo vocata.

Australis verò plaga, nobis Sudr/ per apocopen Sud/ a Sole, qvi aliô nomine Sunna/ Germanicè Sonn/ nuncupatur: inde dies Solis, Sunnudagr/ Sunndag/ denominatur; nihil autem in antiqvitatibus crebrius occurrit, qvàm ut D vel þ vicem literæ N suppleat: sic Fidur vel Fiþur pro Finnur; Mudur vel Muþur pro Munnur/ qvalium exemplorum infinita messis suppetit. Dicitur ergò Sudur/ qvòd Sol in illa plaga, scilicet australi, plurimam diei partem hæreat, favente hîc mihi Viro Eruditissimo, *Otthone Sperlingio*, in libro, qvem *Boream* inscripsit: vel, si mavis, a Sida/ qvod latus denotat, qvoniam Sol in hac plaga maximam æstivi temporis partem, hybernosqve etiam dies universos transigit, indeqve totum hemispherium radiis suis illuminat. Austur autem, vel Ostur/ a dignitate plagæ nomen contraxisse videtur; nam primum vel supremum denotat, ab adverbio Adur/ gradûs positivi, idem qvod ante, vel prius, designante; unde comparativus Edre/ vel Odre/ ɔ: dignior, superlativum facit Edstur vel Odstur/ q. e. dignissimus. Talis autem reputatur Oriens, respectu cæterorum mundi cardinum, qvòd Solem nobis qvotidie veluti pariat, qvem orientem, qvàm occidentem plures adorare, Pompejus, senectutem Syllæ cavillatus, asseruit. E contrario Vestur/ qvod pessimum denotat, respectu plagarum ad ortum & austrum sitarum, occidentem dixerunt, propterea qvòd nobis Solem auferat; nam per vocem Illur (Danicè ill vel ond) malus; Verre pejor; Vestur pessimus exprimitur.

Qvòd si qvis maluerit Nord â voce Naar/ qvæ cadaver significat, derivare, eô qvòd Sol nocturnô tempore ubiqve ferè per maximam anni partem in aqvilone qvasi mortuus delitescat, neqvaqvam refragabor. Has etymologicas derivationes magis ex propria conjectura, & indole lingvæ illius priscæ (qvæ sola etymologiæ nostræ norma & mensura est, non verò corrupta illa, tot externarum vocum confluxu repleta, tot terminationum amputationibus, tot syncopatarum vocum elisionibus, tot literarum transpositionibus depravata) qvàm ex ullo certo argumento, aut prævia ullius docti viri authoritate, depromsi; cum nulla sint, qvantum scio, in hunc usq; diem etymologica Lexica, ad intellectum lingvæ illius conscripta, præter illud, qvod seculi sui, ut & literati orbis, immortale decus *Olaus Wormius*, a Doctiss. Viro, *Magno Olavi*, pastore borealis Islandiæ in parœcia Laufasensi, conscriptum, nobis communicavit, specimen Lexici conscribendi; ut & illud, qvod Illustris *Petrus Resenius*, è lucubrationibus doctissimi studiosi Gudmundi Andreæ Islandi deprompꝫtum, nobis exhibuit. Ne igitur meam opinionem literato orbi obtrudam, afferam etiam etymologiam Clarissimi *Mag. Gerhardi Milzovii*, Vangensium pastoris primarii, & Hardangrensium, in districtu Bergensi, „præpositi dignissimi; qvi in descriptione Hardangriæ; Βορέας, inqvit, à „βορά, id est cibus, seu pabulum, cui respondet vel Noricum Wor/ cibum „significans; unde Dagwor/ Jentaculum, & Nattwor/ cœna, W in N mu„tato, dialectô Norvegica, ut verriculum, Danicè Wod/ Norvegicè Nod. „Vel est imperfectum contractum verbi Danici Nære/ Norvegicè Nore/ susten-

sustentare; qvasi Nordt pro Norede/ sustentabat, ut Skob pro Skabede/ " creabat, & pro galede gool/ qvod gallorum gallicinium est. Sed Wester/ " occidens, qvasi nedstaar/ nedstiger/ descendit, scilicet Sol, N in W verso, " & Oster/ oriens, ab opstaar/ ascendit, scilicet Sol. Sonder verò & Soer/ " Auster, qvasi Soen er der/ qvasi diceres, ibi est mare, intellige ibi ma- " re maximum & Oceanum, scripturâ & experientia non refragante. Hæc " Milzovius, intelligens ultimam boreæ regionem inde denominatam, qvòd pabulis brutorum ac pascuis apta inprimis (illud enim βορὰ brutorum ut plurimum, licet & nonnunqvam hominum, alimentum designat) facillimam etiam incolis vescendi, vivendiqve accommodam rationem suppeditet, ac indigenas largè sustentet, verbô vernaculô Nord sustentationis laborem levem ac vilem indicante. Verùm animadvertendum, id, qvòd novâ dialectô, ut pleraqve alia, nunc Wor dicitur, antiqvitus Werdur dictum, qvasi pensum vel debitum, â verbô Werd/ teneor, debeo, mihi incumbit. Hinc Dagverdur/ debitum diurnum, Danicè Davre/ & Nattverdur/ demensum sive debitum nocturnum, qvòd nobis ille cibus debeatur ad corporis sustentationem: id qvod â βορά, si non omninò significatione, numerô tamen literarum alienissimum est. Nec qvisqvam vocem Græcam βορέας ideò in Nord commutaverit, qvòd aqvilonaris tractus pabulum præ fertilioribus plagis largiùs præbeat, aut leviorem ad sustentandam vitam laborem reqvirat; qvæ qvidem opiniones experientiæ repugnant. Nec Sonder veteribus in usu erat, sed Sudr; originationes autem ab antiqvâ lingva, ut dixi, non verò ab hodierna vernaculâ, petendæ sunt. Neqvaqvam tamen opinionis meæ adeò tenax ero, qvin ultrò gratias habiturus sim, si qvis verosimiliora afferat.

Riki verò *imperium*, non specialiter semper Regnum, uti hodie in usu est, antiqvitus denotabat: sic Bisskopsrike/ i: jurisdictio episcopalis; sic Jarlsriki/ i: Comitatus vel Baronatus; sic & Godord imperii nomine veniebant. Erant autem Godord imperia politica & ecclesiastica, conjunctim sacrorum administrationem rerumqve civilium curam complectentia: de qvibus consuli poterit *Arngrimus nostras Crymog. Lib. I. Cap. VII.* Hinc adjectivum rikr plerumqve non de divite, ut vulgò putatur, sed de eo usurpatur, qvi imperium qvalecunqve obtinet, licet haud αὐτοκράτωρ & Regiô ditione longè angustius. Decursu verò temporis, prout & hodiè, invaluit, ut idem qvod opulentus sive audiqr/ Danicè rig/ denotaret. Et qvoniam opulenti & divites plerumqve fastuosi sunt, fastus ipse opulentorum rigr dicitur: nisi fortè a *rigore*, voce Latinâ, sono & significatione pariter suffragante, derivare placuerit, vel etiam a *Rigo*, qvi primus in Dania Regium titulum usurpavit, qvod fortè fastuosus fuerit. Sic etiamnum in Islandia multis retrò seculis *stivardi*, seu *stuarti* nomine insolentes notantur, qvòd qvi magistratum illum in Scotia olim amplissimum gerebant, magnificô apparatu se conspiciendos præbuerint; & qvi imitari illos volunt, supra sortem inflati homunciones, per cavillum tanti nominis facetè deridentur.

Ad N paragogicum in voce *Nerigon* qvod attinet, more exterorum additum est; nam & ipse *Cæsar*, teste *Ludovico Vive in Augustini* Libr: *XVIII. de Civitate Dei, Cap. XXXV*, Gallos omnes & Germanos suis ipsorum nominibus appellavit, finali tantùm terminatione in formam latinam inflexâ, unde vernaculâ appellatione aliis neotericis notior vox

Nor-

Norrigiæ, & hinc *Norrigianus* descendit. Itaqve hæc Plinii appellatio *Nerigon* proximè ad vocem Normannorum vernaculam Noriki / Norige vel *Norigiam* accedens, a situ suo orbisqve regione nomenclaturam adepta, boreale imperium vel ditionem significat. Vernaculum enim Nord *Boreas*, vel *aqvilo* latinis est. Riki vel rige / antiqvitus imperium vel ditio, nullam certam regiminis formam exprimens, hodie *Regnum* audit.

CAP. VII.
DE NORVEGIA.



AD NORVEGIÆ nomen qvod attinet, id certè a *Nore* descendit, qvi cum fratre Gore totam regionem continentem, insulasqve victricibus armis peragrans in ditionem redegit, eamqve deinceps â longo illo, qvod ab ultimis aqvilonis terminis emensus erat, itinere, pariterqve de suo nomine, fratre illam honoris prærogativam nec impediente nec invidente, Norveg nuncupavit: unde contractè Noregr in antiqvis membranis omnibus, & Islandorum etiam hodierno sermone, in masculino genere legitur atqve usurpatur, eo qvod Vegr (via), unde componitur, ejusdem generis sit: qvod & Illustris *Petrus Resenius Notis in prologum Eddæ, propè finem sub Literâ D*, mecum testatur. Nec est, qvòd denominationem illam qvis refellere tentet; cum & compositio vocis, & genus, scilicet masculinum, & omni exceptione major *Historia Noris* hoc ipsum evincat. Et hujus qvidem fama, sed obscura, ad *Johannem Gothum* pervenit, qvi *Lib:2. Historiarum Svedicarum Cap. 3.* dicit: se in nonnullis historiis invenire, Norem Humeli tertiò genitum, a patre Norvegiæ præfectum, ex se nomen regioni indidisse. Unde & tot tamqve evidentes, sed plerumqve ex parte mutilæ, genealogiæ usqve ad Serenissimum & Potentissimum Septentrionis Regem FRIDERICUM QVARTUM, Dominum meum Clementissimum, contexuntur. Locorum insuper & provinciarum nomina, vel ab ipso (Nore), vel posteris ejus, eorumqve nominibus indita, historiam illam confirmant. Meminit etiam *Arngrimus Jonas* ejusdem *Noris*, cujus majores fideliter recenset, *Crymog. Lib.* I. *cap.4.* diversos a relatione *Joh. Magni Gothi*, qvi Norem Humulphi nepotem facit, (cujus tempore maxima Gothorum multitudo cum Rege suo Bericone in alienas terras migraverit), fratremqꝫ etiam eundem constituit Dani, â qvo Daniæ nomen, & Angulis (rectius fortè Aungulis, vel Öngulis; ita enim au Diphtongus pronunciatur, nomenqve ipsum viri erat, antiqvitus usitatissimum, *hamum* denotans, dialectô Hæbudarum & Orcadensium *Engulis*; qvo etiam nomine in *Historia Orcadensi MS.* nepos ex filio Sumarlidio Regis insularum Hebridarum Olafi Bitlingi insignitur.

Nec *Petrum Claudium Undalinum*, pastorem & Præpositum in Norvegia olim dignissimum, virum de patria & septentrione optimè meritum, notitia illius latuit, qvi in *Descriptione succincta Arctoi hujus orbis* eorum opinionem producit, qvi nomenclaturam a Nore, antiqvo

hujus

hujus plagæ Rege, deduxerunt; unde & evidenter monſtratur, tam in Svecia, qvàm Norvegia memoriam *Noris* tot ſeculorum ſpatio non in totum interiiſſe, qvam in Libro *de Origine gentis Norvegicæ* pleniùs exponam. Cum autem hiſtoriâ Noris ſcriptores omnes, præter Arngrimum (cui tamen res Norvegicas ſcribere propoſitum non fuit) deſtituerentur, & Norvegiæ nihilominus nomen in omnium ore, paſſim etiam ſcriptis, animadverterent, a ſitu regionis id, ut qvi maſculini eſſe generis in vernacula ſua lingva neſciebant, derivârunt. Et hoc modo qvando dicit *Johannes Gothus:* nihil ſibi probabilius videri, qvàm *Norvegiam* a via ſeptentrionali nomen accepiſſe, aſſerit qvidem *Vegia*, qvæ poſteriores tres ſunt nominis iſtius Syllabæ, à via dictam eſſe. *Noris* verò Regis *viam*, ſeu expeditionem, indigitari haudqvaqvam credidit, qvippe documentis & authoritate hiſtoricâ deſtitutus. Similiterqve Norvegiam qvaſi *ſeptentrionalem viam* exactè reddi credidit *Zieglerus in deſcriptione Scondiæ*, qvod idem notavit Illuſtris *Reſenius*, *notis in jus aulicum pag, 394.*

Sunt qvi pro *Norvegia* ſubſtituunt *Norvagiam*: ſed nec hi eandem admittunt notationis originem, aliis nimirum à voce Latina *Vagus*, aliis a noſtrate Bagge eam deducentibus. Et illi qvidem, qvi a *vagis* indigenarum ſedibus dictam volunt, nominis etymon ex peregrina & aliena lingva deducunt, qvod minimè faciendum eſt, qvoad ſuppetunt originationis veſtigia in vernacula lingva: qvinimò multa dantur primitiva, qvorum nulla ratio reddi poteſt; idcircò tamen ad lingvas peregrinas non ſtatim erit confugiendum. Cæteris verò, qvi a voce Bagge / vel etiam bage / *Norvagiæ* derivant nomen, vox hæc idem eſt, qvod *incolere*, ſicuti ex *Cluverii Antiqq. Germ: Libr: III. Cap. XXI.* patet: Et huic ipſorum ſententiæ ſuffragari poſſet vox bygge / qvæ idem planè ſignificat. Sic enim, qvi ab antiqvis Norbyggiar / i. e. *Septentrionis habitatores*, fuère appellati, poſtea *Norbaggi*, ſive leniore pronunciatione *Norbagi*, tandemqve, mutatione literæ B. in V. non inſolenni, *Norvagi* dicti eſſent; eôdem prorſus modô, qvô illi, qvi in prædio Islandiæ Occidentalis Eyre olim habitabant, Eyrbyggiar nuncupabantur: unde & qvæ de ipſis compoſita eſt hiſtoria, Eyrbyggia inſcribitur; proſtantibus aliis ejusmodi exemplis multis. At verò minimè ego hanc admitto derivationem, cum ſatis mihi conſtet, nomen illud probroſum initiô fuiſſe. Etenim qvod Normanni *Norbaggi* dicerentur, caſu qvodam evenit. Nam cum Reges indigenæ ab obitu Regis Haraldi Gillii inter ſe diſſentientes, diverſis factionibus diverſa tribuerent nomina, milites Regi Ingio in Vicha ſervientes *Bagli* primò dicebantur, eôdem poſtea nomine ſub diverſis Regibus, Erlingo nimirum & Philippo, appellati. Et cum tandem hi ipſi *Bagli*, diſcordiam pertæſi, legitimo ſeſe Regum hæreditariorum ſubmitterent imperio, uſu venit, ut illa ex factione Norvegi ab hoſtibus contemptim *Bagli*, & poſtea *Baggi*, promiſcuè nuncuparentur: qvod qvidem nomen illis nimium qvantum contumelioſum fuiſſe, ex Hiſtoria Haconis Haconis filii liqvidò conſtat; ubi Comes Byrger Sveonum princeps, Haconē Juniorem Norvegiæ Regem, cum ſuô comitatu Sveciã ingreſſum, magnificè excepturus, milites ſuos atqve aulicos ſub capitis pæna dicitur juſſiſſe,

ne Normannos vel *Baggos*, vel aliô ullô contumelioſo vocabulo appellarent. Cum igitur *Bagli* a nomine factionis, qvæ contraria erat Birkibeinis, dicti ſint, priùs diſpiciendum erit, qvid *Baglorum* ante id tempus ignotum nomen propriè denotaverit. Bak ergò primò *dorſum* vel *tergum* ſignificat: unde Bagge / qvâ voce denotatur *faſcis*, qvi, cum gravioris eſt molis, a tergo plerumqve geſtatur: hinc & deminutivum Beggull / qvod faſciculum denotat, habetqve in caſu Genetivo Begguls; in Dativo & Ablativo Baggli; in Nominativo & Vocativo plurali Begglar/ Bauggiar / & Baglar; tot enim modis nomen illud in membranis ſcribitur. Hanc ipſam Birkebeini, qvi adverſæ erant partis, Bagla ſive *faſciculum* per contemtum ſolebant nuncupare; vel qvòd ipſis ad modum gravioris alicujus, cui tantùm non ſuccumbebant, oneris, per aliqvot annos incubuiſſet longe potentior factio, qvâ depulsâ, vix ac ne vix qvidem victores evaſerint; cujusqve reſpectu nova hæc non aliud qvàm *Bagli*, ſive exiguus faſciculus, reputanda eſſet: vel qvia, cum, debellatis jam fermè & devictis hoſtibus, ſecuri ſibi viderentur, Epiſcopus tamen Oslöenſis Nicolaus, perſonatus tum amicus, dolis ſuis & tricis novum hunc in ipſos hoſtem, à qvo, velut ab affligente dorſum onere, per aliqvantum tempus premerentur, coëgiſſet: vel deniqve ad ſimilitudinem vocis vernaculæ Bagla/ qvæ tumultuarium conſarcinationis actum exprimit, & ad alia etiam, qvæ *malè coagmentata* ſunt, transfertur. Sic carmen rudi Minervâ concinnatum Baglat / qvaſi in faſciculum congeſtum, dicitur: ad eundemqve modum viſa eſt illa factio impoſuiſſe ſibi Reges, absqve ullo decoris reſpectu, qvoniam, qvi primus eorum erat, Regios ementitus fuiſſet ortus; reliqvi autem, qvi huic ſuccedebant, licet Regis Magni Erlingii filii eſſent, cum tamen favore procerum præſulumqve, qvibus jura Regia vendiderant, ad regnum perveniſſent, meliùs haut ſanè jus ad id haberent, qvàm habuerat primus ille, in cujus locum ſuccedere affectâſſent, obſcuri generis homo: unde etiam, qvæ geſſerant illi, regna, Beglut/ ſive *malè coagmentata*, & qvi eos, indignos utiqve, vel nullo prorſus jure, in regnum accepiſſent, Baglar / ſive *fabri rudes*, dicebantur. A Baggi porrò vox Bagi deſcendiſſe videtur, qvæ *impedimentum* denotat: unde verbum Baga / item qvod *prohibere*, item *arcere*, ſignificans; & adjectivum Bágur/ ɔ: *aſper, durus, incommodus, inflexibilis*: hinc iterum componitur Bághentr / ɔ: *ad artes fabriles inhabilis*, & in genere fæminino Baq vel Baga / ɔ: *diſtorta*; qvo cognomine Boſii (cujus vitam edidêri Sveci) mater Brynhildis dignoſcebatur, qvòd cum viro, poſtea marito futuro, armis congreſſa, ubi ex acceptis in pugna vulneribus convaluiſſet, nodoſis cicatricibus deformis conſpiceretur. Ab eôdem verbo Baga porrò venit Bagi / ɔ: *damnum, adverſitas*; & rurſus a Bagi / qvaſi impedimento ſit viatoribus, nomen ſuum habet Norvegiæ fluvius Baſtrom / qvi in Annalibus Chartaceis ad annum MCCLXXVI. Bagaſtraumur vocatur: ſed nec aliunde appellationem ſuam trahit, vel qvæ ad eundem illum fluvium ſita eſt arx Bahus / in prædictis annalibus ad annum MCCCIX Bagahus nominata; vel, cujus meminêre illi ad annum MCCCLXVII. inſula tota Bagaholmr. Proinde minimè aſſentire poſſumus *Undalino*, qvi a Bœ/ ɔ: *domo*, Bahuſiam appellatam ſtatuit; cum enim vox Bœr non minus, qvàm Hus / domum, aut oppidum, denotet,

atqve

atqve hoc modo Bahus idem esset ac *domûs domus*, absurdam planè talem esse derivationem nemini non patet. Qvin nec, ob dictas modò rationes, cum *Pontano* senserim, qvi per Baggi significari vult omne id, qvod à tergo positum remotumqve est, & *Norbaggos* dici, qvasi qvi in boream situ posticô remoti agunt: cavendum similiter erit, ne confundatur ista vox cum voce Backi / qvæ ripam amnis, vel paulò eminentiorem inq; longitudinem extensum collem significat. Qvantum autem ad *Milzovii* attinet sententiam, qvi, qvod nec unqvam legi ego, nec approbo, in membrana se legisse testatur Bockahus / totam eam hîc apponam; dicit itaq; ille: Bocke Norvagis virum prudentiâ, fortitudine maximè, vel divi- „ tiis, conjunctìm vel disjunctìm ad admirationem ferè egregium signifi- „ cat; & verò in districtu Vosensi (taceo alios, ut in Vigensi sive Vigsi- „ densi famosissimum illud regni munimentum, qvod vulgò *Bahuus*, in „ vetustissimis membranis Bockahuse / id est illustrium vel dominorum do- „ mus, appellatur,) hodie villa qvædam rustica est, reliqvis populosior „ paulò & fertilior, nomine Bockatun / hoc est qvasi dixeris Bockorum „ sedem sive oppidum, cujus etiamnum rustici inhabitatores referunt, o- „ lim ibidem præcipuos virtute bellicâ inter Vossenses habitâsse viros. Hinc „ & decantatæ istæ magnatum Norvegicorum choreæ, Bockadansen / Da- „ nice Baggedantzen / nuncupatæ. Præterea superest adhuc in regno, „ (superesset verò magis, nisi adversa supervenissent irresistibilia) ejusdem „ originis cognomento familia perantiqva & nobilis *Bockorum*, de Bagger. „ Hi ergo in exteris versantes a suis simul & aliis Nordbockar (qvi postmo- „ dum titulo qvidem alio, sed non minus virtuoso, videlicet Nordmend / „ Normanni vocabantur) hoc est viri ê septentrione illustres, â Danis ve- „ rò Nordbagger / & a Germanis Norveger / una eademqve utrinqve ori- „ ginatione, pro sua cujusqve lingvæ indole & idiotismo satis commodè „ appellabantur. Nam Dani plerumqve in medio & fine dictionis per G „ qvod Norvegi & Angli in sua per K efferunt, exempli gratia, Kroket / „ Danice Kroget / curvus. Hok Danice Hög accipiter &c. Similiter per „ A / qvod illi per O / ut long / Danice lang / longus, & rursum qvod Nor- „ vegi per A vocalem juxta cum O inter reliqvas in lingva vernacula do- „ minium habentem, hi per E præcipuam in sua, & lingvâ Germanica li- „ teram, teste *Geberhardo* in tractatu Teutsche Schreib-kunst pag: 4. enun- „ ciant. Qvàm facilis insuper & freqvens literæ B. in V. sit mutatio, et- „ iam in plusculis lingvis notius est, qvàm ut sit probatione opus. Ger- „ mani vero & cæteri, qvi simplex V ut F pronunciant, idem assumunt „ & geminant euphoniæ ergò, qvomodo eandem ob causam alterum ex u- „ trôqve G in dictâ voce Danicâ Norbage rejiciunt. Sed enim an illud „ Norvagicum Bocke descendat a Boch / iisdem qvasi tu dixeris, capèr si- „ ve hircus, nec ne, qværitur; sanè videtur qvod sic, neqve enim caper „ vel hircus tam vile & abjectum est animal, qvin summi in orbe Monar- „ chæ, imo &, qvod majus est, omnium Monarcharum Domini & Do- „ mitoris typum aliqvando gesserit. Lev. 16. v. 21. Dan: 8. v. 5. Vir „ gregis ipse caper, inqvit pöeta Virgilius Eccloga 7. v. 7. Atqve hæc „ licet a nemine, qvod ego sciam, hactenus tacta vel detecta, vera tamen „ vocis *Norvagiæ*, vel *Norvagorum*, vel *Norbagorum*, vel *Norvegorum* (perinde enim est qvomodo scribatur) origo est & etymologia. „

At verò non abnuerim qvidem ego, Bocka olim per translationem a capris, respectu debilioris gregis, vocatos fuisse pollentes opibus & authoritate viros, qvi & hodie in Islandia, honorificô qvandoqve titulô, Storbockar appellantur. Cæterum si honoris causâ vocati ita fuissent Norvegi, & ab initio caruisset istud nomen probrô, sub capitali nunqvam pæna cavisset Comes Byrger, ne qvis eos Bagga appellaret; qvin potius ex invidia negâsse illis talem titulum fuisset visus; evincuntqve hæc abundè, istâ ab origine vocem Bagge deductam neutiqvam esse. Tandem adducere placet sententiam Clarisś: *Arngrimi*, qvi in *Specimine* suo *Islandiæ* a Bagall/ per qvam qvidem vocem scipio, vel pedum, & κατ' ἐξοχὴν episcopale, denotatur, Bagge derivat: vero simile enim videri, qvòd, qvoniam in Regem Sverrerem factionem concitâssent viribusqve instruxissent fædifragi Episcopi, ab his horumqve scipionibus nomen *Bagli* acceperit eadem ista factio. Cæterùm ut non displicet hæc Arngrimi sententia, ita expromam jam, qvâ ratione vox Baggar/ qvam antea a Bagga/ sive *fasciculo* derivatam & probrosam fuisse dixi, a Norvegis ipsis, ut maximè honorifica, usurpata tandem fuerit. Itaqve cum prædictæ factionis homines, qvod ab hostibus eis impositum erat, *Baglorum* nomen vicinis esse deridiculo sentirent, ultrò id, ne ex tali scommate haberent gaudium inimici, sunt amplexi, inqve honorem traxêre. Hinc suam ipsi, in qvam coiêrant, factionem generatim Bagla & qvivis se singillatim Belgunga appellârunt, transiitqve apud vicinas gentes appellatio illa in alteram istam Bagge; qvâ qvidem, cum ita, qvia fortibus viris imposita, honori esse cæpisset, universi ad ultimum Norvegiæ incolæ vocitari se passi sunt. Nec proinde mirum, si Dani famosas illas, qvas Norvegis proprias existimârunt, choreas Baggedantzen appellaverint, cùm Norvegos tam metricè, ut ex *Lyschandri Grönlandia* constat, qvàm communi sermone *Baggos* jamdiu nuncupent.

Hinc perspicuum est, qvàm non in etymologiæ solùm, aut historiæ, sed etiam in ethices regulas liberè peccaverit *Rudbeckius*, dum, Baggi nomine in *Pach* converso, abjectæ sortis hominibus infimæqve plebi propriô vocabulô, Norvegos Bôtnensesqve à primâ usqve memoria insignitos cavillatur, idqve *Cap: de Svecia XXIV* §. 3. *pag.* 612. aliisqve locis persvadere conatur, eô tantum fine, ut notationem a *Sven* Svecis vindicet, de qva prolixè differentem *Stiernhielmum Verelius notis ad Hist: Hervor: Cap. X.* infert. Societates enim primas reliqvis a se ortis nomina sua indidisse, qvæ exinde in familias, gentes & nationes profluxerint, statuere videtur. A *Sven* itaqve (qvod idem ipsi est, ac Son filius, & in genere puer, juvenis, minister, deinde miles, nobilis, & eqves; unde, prout putat *Svente*, sive Juvencula, illustreq; illud *Amale-Svente*, Regis Theodórici Veronensis filiæ nomen) *Svenscos* vel *Svecos* derivat, non attendens, vocem *Sven* ut plurimùm Servum denotare, teste *codice LL: Gulathingensium*, *Libr.* Kvennagifftingum; *Capit.* um abyrgd Sveinsmanns; & iterum *Libr. de homicidiis*; *Cap. Si serius cædis reus agatur*; ubi Sveinn & Prœll sunt synonyma. Subjungit mox idem ille *Stiernhielmus dicto loco*: Eadem prorsus ratione nomen *Gete, Gote*, Gut, i.e. *puer* (à Gæta gignere, a qvo etiam

Gótte,

Gotte, Verelio in notis obſervatum militem ſignificare) Juvenis, atqve in- „ de miles, tranſivit in nomen ipſius nationis & gentis Getarum, Gothorum, „ Gutarum; qvod ut certum atqve indubitatum aſſerere vererer, niſi vi- „ derem & mihi compertum eſſet, idem multis noſtræ affinibus nationibus „ contigiſſe. Inde enim Norvegi nomen Baggar ſortiti ſunt, à Bagge ſcil: „ puer, idem qvod Græcis παῖς, Gallis *page*, Anglis *Boy*, Nobis (in dimi- „ nutivo) Poike; unde etiam nomen invenerunt *Boy* & *Bojohemi*. Sic Da- „ nos a Dan/ ſeu Than/ vel Thion/ ɔ: ſervus, ſeu miniſter, à Thiena/ Thio- „ na/ Germ: Dienen/ Anglo-Sax: Thenian/ ſervire, miniſtrare, obedire, de- „ nominatos eſſe nullus dubito. Inſulſa prorſus ratiocinia! & de qvibus „ haud facilè dixerim, defleri potius, an derideri mereantur; utut conſentientem habeant Rudbeckium, qvi citatâ nuper pag. 612. plurimarum gentium vel leviter inſpecta nomina ſervitii ipſarum & impoſiti à Svecis jugi aliqvam præferre notam, operosè nimium perſvadere conatur. Nec mirum, operoſum illum eſſe; qvippe cum totum ferè terrarum orbem ſuis ſubjiciat Svecis, ipſosqve illos libertatis adeò amantes veteres Germanos (deductâ nimirum voce Tyſker à Thiod/ qvæ idem ipſi eſt ac ſervitus) Svecorum qvidem lingvâ Thiodar & Tydſkur/ nominis autem vi ſervos eſſe aſſerat. Confer: *Cap. XVI pag. 493.* Nos ſingula excutiemus: Et primùm qvidem qvantùm ad Svecos attinet, hos à *Sven* nomen ſortitos inficiatur *Snorrius Sturlæus* aliiqve, qvi à gentilitio Odini illius nomine, qvi proximô ante natum Chriſtum ſeculo vixit, & Svidrir dictus eſt, Sveciam Sviþiod/ ɔ: *Svidris populum*, denominatam perhibent. Þiod enim populum ſignificat: ſicqve Angli ante Egeberthi tempora Englaþiod / i. e. *Populus Anglorum*, dicti ſunt: fruſtra diſſentiente Verelio, qvi *Notis ad Hiſt: Gautreci Cap. II. pag. 10.* Þiod non populum, ſed regionem ſignificare ſtatuit. Vetus enim lingva asſerto ejus repugnat; & patet id, ut alias multas omittam authoritates, ex *Norvegica Snorrii Sturlæi Hiſtoria*, Svecis vulgò Kringla dictâ; ubi ſtatim in ipſo proœmio de Schytia magna (qvæ appellatur Sviþiod) hæc habentur. J Sviþiod ero ſtor Herod „ morg/ Þar ero og margskonar Þiodir og margar tungur/ Þar ero riſar og þar ero dvergar/ Þar ero blamenn og þar ero margskonar un- „ darlegar þiodir. ɔ: In Scythia ſunt magnæ multæq; provinciæ, ibi multi- „ fariæ gentes, (ſeu populi) & lingvæ, ibi gigantes, ibi pumiliones, ibi ho- „ mines furvi, ibi multiplices mirabilesqve populi. Porrò denominationem „ iſtam Verelius hoc argumento impugnat, qvòd nempe, ſi à nomine Odini Svidr vel Svidrir Svecia Svithiod dicta eſſet, utiqve non Svidthiod / ſed Svidristhiod ratione grammatica ſcribendum foret. At nihil id obſtat; per craſin enim ita dictum videri poteſt. *Rudbeckius* autem, licet a poſteriore Odino Sveciæ ſeu Svithiodar nomen promanâſſe agnoſcat, *pag. 633. & 34.*, ei tamen gentile id fuiſſe non vult, ſed ad militarem laudem deſignandam impoſitum. Arceſſi etiam vocis iſtius etymologia poterit a verbo Svida / qvod *adurere* ſignificat; hocqve modo dicta erit Svecia Sviþiod / vel qvòd gelu & frigore aduratur, Græcis igitur Scythia appellata; vel qvia, cum primum habitari cœpiſſet, exciſis, qvibus tota horrebat, ſylvis, abſumtâqve igni lignorum hac concæde, exuberarent fruges, qvæ aduſtæ ita cineribusqve oppletæ terræ committe-

bantur; unde id genus novalia etiam hodie Svidiur & Svidiulönd appellantur, ut ipse Verelius fatetur. Cæterum huic, qvam adducimus, denominationi minimè officit, qvòd vernaculâ lingvâ non Svedskir/ sed Svenskir appellentur Sveci: præterqvam enim qvòd semetipsi Svea & Svenska promiscuè vocitent, usitatissima sanè est literæ D in liqvidam N, uti in pronunciando, ita interdum etiam in scribendo, conversio. Exemplis qvidem res non indigeret, cum plenæ iis sint membranæ, præsertim vetustiores. Nonnulla tamen ponere, hic libet: Svidr nempe, Osvidr / Alsvidr / Fior Gudr / Kudr / Mudr; qvorum singula per duplex N non solummodò communiter pronunciantur, sed & aliis qvandoqve locis in iisdem istis membranis scribuntur. Sic in *Eddæ Sæmundi* vetustissimi exemplaris *titulo* Havamalum *Stropha* 102. legitur Svidr / ɔ: *benè moratus*: *titulo* Grimnismalum / *Stroph*: 33. uti & Havamalum. *Stroph.* 20 & 22 Osvidr / ɔ: *incivilis* : *titulo* Vafstrudnismalum *Stroph.* 6 & 34. Alsvidr *sapiens* : *titulo* deniqve Voluspa *stroph*: 12. radsvidr / *consultus*, sive, uti *Gudmundus Andreæ in notis ad eandem stropham* scribit, radsvinnur; qvin & in *titulo* Havamalum / *stroph*. 23. legimus fidr / ɔ: *invenit*, item *experitur*, cum tamen mox in *seqventi Stropha* exstet fiNr / qvod idem est: profertqve antedicta *Sturlæi Historia* versum Skulii Thorsteini filii: Nu fidr Olld at elldunz / ɔ: *nunc experiuntur nos senescere*; & ibidem in *Vita S. Olafi* reperitur nomen viri Fidr / qvi alioqvin appellatur Finnr: Lapponesqve Norvegici sive Finni tam Fidar / in Codice nempe LL: Gragas / qvàm Finnar promiscuè fuere vocitati: pariter idem illud, qvod in vetustissimo isto exemplari scribitur Gunnr ɔ: vir, scribitur in margine exemplaris Eddici, qvod penes me est, Gudr: Et sicuti Kudr atqve KuNr ɔ: *notus*, item *celebris*, tam in Havamalum / qvàm in Kringla indifferenter usurpatur; sic & Mudr / os (oris) idem liber Kringla pro Munnr posuit, dum nempe Einar Orcadum Comes Rangmudr / sive *distorti oris*, Haraldus etiam Thrandiæ Rex Gullmudr pro Gullmunnr / id est *Chrysostomus*, appellantur. Nec hoc soli Danicæ veteri lingvæ proprium est, sed & Britannis usitatum; id qvod *Sheringhamus de Anglorum Gentis Origine pag.* 21. his verbis docet: „Habent Britanni novem literas mutabiles, qvas umbratiles vocant, qvia „ut umbræ cedant & mutentur omnes istæ literæ in principio dictionis, at„qve aliis etiam in locis ob mollitiem varientur. D verò cum mutetur, ut „ait Daviesius, transit in N. Unde ex Lludd fit Lund. Et ad hunc modum Svedskr mutatô D in simplex N, & posteriore N, qvoniam Svennskr dici deberet, a duplici consonante, qvæ seqvitur, absorptâ, in Svenskr conversum est. Qvin & Sonskr crebrò in membranis invenitur, qvod a vocabulo Svenskr formatum est, literâ V ante vocalem omissâ. Ex voce deniqve tribus his lingvis septentrionalibus communi, Madr scilicet, sive Madur / id est *homo*, Sveci & Norvegi Mann / Dani Mand / neglectâ ultimâ syllabâ ur / formârunt.

Hæc nostra conjectura Svecis ipsis examinanda proponitur, haud levioribus fortasse argumentis subnixa, qvàm illa, qvæ hactenus a *Sveni* vocabulo arcessita tantopere placuit, præsertim cum ipse *Rudbeckius* ante Odini posterioris tempora *Svediæ* nomen nusqvam se invenisse fassus sit.

Pariqve ratione Dani, non, ut commentus est *Stiernhielm apud Verelium Notis in Hist. Hervor. Cap. X. p.118*, probante itidem *Rudbeckio Cap. de Svevia XXIV. §. 3 p. 613.* a *thana, thena*, serviendo, sed a Dad/ qvod virtutem & fortitudinem denotat, Dadskir/ & facilitate pronunciationis Danskir/ id est boni fortesqve viri, dicti videri possent; suffragante nimirum tum vi vocis primitivæ, tum etiam ortâ inde significatione, in vocabulo scil. Danumadur/ seu Danumand/ qvod idem est ac vir bonus & absolutè probus: id qvod *Pontanus Descript. Daniæ* rectè observavit, ubi honestum egregiumqve, & qvalis Pythagoræ describitur, vertit; unde & tales Græcis δαίμονες, & dæmonia hominum haut absimili ratione fuêre appellati. Errat autem *Loccenius Antiqq Sveo-Goth. Cap. XXIV p. 109.* dum Danumand idem qvod *liberalem* esse putat, secutus nimirum versionem *Undalini*, neqve enim MSS. exemplaria hanc vocem habent. Ab eadem radice nomen viris hodieqve in Islandia proprium Dadi profluxit, ipsam virtutem honestatemqve denotans. An verò Dania a Dano Rege, vel a Dad/ sive propria gentis virtute, nomen sortita fuerit, definire neqveo; licet posterius magis probem, adductus exemplô Qvadorum, qvod qvidem nomen genti proprium agnosco, licet non secundùm interpretationem magni illius *Grotii* explicandum, qvi *Proleg. in Procop. p. 14.* hos eodem prorsus modô, qvo certè populi Gothi, ɔ: boni, fuerê dicti ob humanitatem, qvados, sive malos, ob inhumanitatem in hospites, appellatos fuisse asserit; cum strenuorum potius hoc titulô elogium ferant. Qvod enim Gothicâ lingvâ dicitur *Qvadus*, id Islandicâ, qvæ Gothicæ est dialectus, uti in membranis passim videre licet, Hvatr/ ɔ: Strenuus, sive vegetus, vocatur: nihil autem usitatius, qvàm literæ K/ vel Q/ in aspirationem H/ & vice versâ, mutatio: uti ex vocibus Knif (culter) Hnif/ Hval (cetus) Qval/ &c. patet. Qvòd autem strenui fortesq; viri minùs comes vulgo videantur, sæpeq; etiam asperiùs se gerant, inde Qvadorum nomen apud Germanos in deteriorem sensum transiit; idemqve hoc vocibus vulgò *Mediis*, ut, *Hostis*, *Tyrannus*, compluribusqve aliis, evenisse videmus. Ut igitur Qvadorum gens Strenua dicta est, sic etiam Danorum fortis & magnanima. Sed de Gothorum nomine in *Serie Regum Daniæ, Lib. II. Cap. I.* abundè dictum est. Similiter *Teutones* vetere lingva Þydskir & Þyverskir appellantur; qvi tamen pari verisimilitudine, qvâ vel a Dite patre Gallos Cæsar, vel hos ipsos Teutones Tacitus a Tvitone seu Tvistone ortos prodit, denominati videri possunt a *Tyre* septentrionalium Deo, ante Odini Upsalensis in septentrionem adventum heic, & fortè etiam in Germania, culto; cujus nomen in genitivo casu *Tis* vel *Tyrs* habet, appellatâ inde tertiâ hebdomodis die Tyrsdag vel Tißdag. Qvin & in Vorsia, Norvegiæ præfecturâ, membranacea egomet vidi instrumenta satis vetusta, qvæ loco initialis literæ T, antiqvam Þ substituerunt; unde ex genetivo Þis/ commodissimè, & ad genium lingvæ veteris, absqve ullo anfractu, Þisk conficitur; magisqve id ad authorum traditionem stabiliendam facit; qvamvis mihi a Þiod/ qvod *gentem* propriè denotat, Þiodisk/ aliis Theodisk/ derivetur; qvæ qvidem vox, qvantùm ad significationem, idem est qvod *Alemannus*, ita ut ex *Theodiskis* contractè *Thiski*, id est *Alamanni*, profluxerint.

CAP.

CAP. VIII.

DE NORMANNIA.



AFfine Norvegiæ NORMANNIÆ nomen eſt, qvod ab homonymia liberandum. Interdum enim ipſam eam terram, qvæ nobis hodie Norvegia dicitur, ſignificat; interdum latiùs ſumitur; interdum ne partem qvidem ejus denotat. Prima illa ſignificatio tum nonnullis aliis, tum præcipuè freqvens eſt Adamo Bremenſi; nam licet nota huic eſſet vox *Norvegia*, ut recentem tamen reſpuit, inſcius ſcilicet, à Noris usqve tempore initium ſumſiſſe. Secundâ ſignificatione, eâqve latiſſimâ, *Eginhardus in Vita Caroli Magni* Danos ac Svecos vulgò Normannos vocitatos ait: eundemqve locum in mente habens, aut fuſiùs explicare volens, *Adamus* „ *Bremenſis*: Dani, inqvit, & Sveones, cæteriqve trans Daniam populi, „ ab Hiſtoricis Francorum omnes Normanni vocitantur: Ut adeòqve hoc nomine cunctos ſeptentrionales populos in Svecia & Dania vicinos Norvegiæ, ipſosqve ſimul Norvegos complectatur: id qvod *Grotius Prolegomenis in Procopium* aliis etiam teſtimoniis probare nititur, utut diffiteri non liceat, qvin & dentur inter Francos hiſtorici, qvi contrariam fovent ſententiam. Sic enim, qvod in *Hiſtoria Francorum Andreæ du Cheſnes Part. II. p. 588.* de deſtructione Eccleſiæ Corbejenſis extat Hi- „ ſtoricum Fragmentum: Manſit, inqvit, in tranqvilla pace eccleſia noſtra, „ a tempore Baltildis Reginæ & filii ſui Lotharii Regis, & per tempora alio- „ rum XVI. Regum, qvi poſt dictum Lotharium regnârunt, usqve ad tem- „ pus Caroli & Ludovici Regum & fratrum; in tempore ſiqvidem iſtorum, „ ſcil: Caroli & Ludovici, venerunt Normanni, qvi dicuntur Norois, & „ Dani, qvi dicuntur Danois in terris iſtis, & deſtruxerunt urbem Ambia- „ nenſium, Attrebatenſem, Corbejam, Cameracum, Tauruennam, fines „ Morinorum, Menapiorum, Brachatenſium, omne qvod circa Scaldim flu- „ men erat. Monaſteria Sanctorum Valarici & Richarii totum devaſtârunt. „ Perſecutio iſta prima fuit deſtructio. Similiter *Annales Francorum Bertiniani ad Ann: DCCCXXI.* Danos à Normannis diſtinguunt. Ibi enim Dani caſtellum Oſcellum, à Nortmannis conſtructum, ipſosq; adeò Nortmannos obſediſſe traduntur. Niſi fortè qvis regerere velit, promiſcuè uſurpata fuiſſe Danorum Normannorumqve nomina; qvippe cum in iisdem illis Annalibus, ad annum nempe ſuperiorem, legatur: Danos Regi Karlo promiſiſſe, adverſus eos Danos, qvi in Seqvana verſarentur, auxilio ituros, eosqve expulſuros, aut interfecturos, ſi eis tria millia librarum argenti pondere examinatô tribueret. Tertiâ deniq; ſignificatione intelligitur illa in Gallia regio, qvæ, antiqvis temporibus Nevſtria, poſtea appellata fuit Normannia, à Septentrionalibus illic populis, qvi duce Hrolfo Pedeſtri, ejus nominis ultimô, poſtea Robertô dictô, eam inſederunt. Qvando ergò *Crantzius* ſuo de Norvegia Norvegiæqve rebus Commentario, qvicqvid de Normannis in Gallia degentibus memoratu dignum apud authores, & præcipuè Franciæ Hiſtoricos, legitur, liberaliter ſatis inſeruit, intelligendus eſt, ad Norvegos, qvia ab his oriundi erant

Normanni

Normanni, retrahere qvasi velle hujus ipsorum sobolis gloriam; nisi fortè declarare ita voluerit, Normanniæ & Normannorum nomen ad Norvegiam & Norvegos propriè pertinere.

CAP. IX.
DE SITHONIBUS.




EX eò, qvòd Tacitus, author omni exceptione major, Plinioq; fermè coævus, antiqvissimos Norvegiæ incolas *Sithones* appellat, haud ineptè colligitur, ipsam etiam regionem dictam fuisse *Sidam*; ne tamen qvis, prout ratiocinatur *Hugo Grotius Proleg. in Procop. p. 7.* falsissimâ ex nominibus propriis *Sitto*, sive *Sizo*, & Svidgeir/ qvorum hoc *laboris avidum*, illud *pigrum* significat, conjecturâ sumtâ, *Sithones* eos à pigritia, & qvasi distingvi ita a laboriosis Svecis segnes deberent Norvegi, nuncupatos autumet; cum potiùs, & qvidem verissimè, à terræ, qvam incolebant, usitatô nomine Sida/ qvod Latinè *ora* vel *latus* dicitur, appellatos fuisse constet. Et hoc iterum nomen Norvegia vel a proprio situ, qvoniam ab australi termino ad ultimas Septentrionis oras continuô tractu mari litus obvertit, vel qvia altero ab latere prætensa est Sveciæ, obtinuisse videtur: & priore qvidem ratione Sida/ nuncupatur maritimus qvidam in Islandia tractus; qvem in ditione olim habuit vir insignis, nomine Hallus, ab eodem isto tractu *Sidu-Hallus* cognominatus; ad qvem utiq; magna pars magnatum Orcadensium, & in his Comites duo, inter Divos relati, divus nimirum Magnus, & divus Rögnvaldus Kalius (de qvibus in Historia Orcadensium diximus) genus referunt: qvin & adhuc maritimæ oræ lingvâ Islandica Sidr/ Danicâ verò Søesider/ appellantur: hincqve fortè insula qvædam *Sita*, cujus nomen apud *Irenicum in Indice urbium atqve regionum* conspicitur, dicta videri potest. Posteriorem autem, qvam attulimus, nominis hujus rationem impugnat *Rudbeckius*, qvi, præeunte hic *Pontano in Descript. Daniæ pag. 689.* *Sithones* non vult fuisse Norvegiæ populos; qvin eos in media Svecia collocat, appellatq; Sigellungos, dictos olim Ptolemæo Siggulones, qvi iidem hodie esse debeant incolæ civitatis Sigtunensis. Argumenta, qvibus suam fulciunt opinionem, hæc ferè sunt: montem nempe Sevum, qvem a septem eminentibus jugis dictum putant, *Sviones* a *Sithonibus* dirimere, hasqve igitur nationes contiguas veriùs qvàm continuas esse; Finvedos qvin etiam & Vermelandos ex Adami Bremensis sententia inter utramqve gentem intercedere; deniqve Sigtunarum, celeberrimi Sveciæ Oppidi, nominis cùm Sithonum nomine maximam esse similitudinem; atqve ex his omnibus seqvi, non Norvegiam, sed Sigtunas, a Tacito Sithonum nomine intelligi. At præterqvam qvòd secus sentit *Verelius*, qvi *Notis ad Hist. Gautr. Cap. XV. p. 78.* Sithones Norvegiæ populos esse haud dissimulat, certè neqve *Cluverius*, Geographorum Coriphæus, neqve *Grotius*, tanti fecerunt hanc inter *contiguum* & *continuum* distinctionem, ut vel extra Sveciam aliam Sithonum regionem, qvàm Norvegiam qværerent, vel in media Sveciâ, ubi Sigtunæ sitæ sunt, diversi ab ipsis Svionibus nominis gentem, imperii etiam formâ iisdem disparem, admitterent: sed neqve Finvedia totam Sveciam a Norvegia separat, nec Vermalandia tempore Taciti culta erat, utpote qvæ sub Olafo Tretelgia sive Lignario, cujus

ætatem nemo unqvam Scriptorum ad Taciti tempora retulit, primùm cœpit inhabitari: cum contrà Sithonum nomen ſtatim Auguſti tempore increbruerit; nam & *Sithonias nives* dicit *Virgilius*, & *Sithonium aqvilonem*, niſi fallor, *Ovidius*; eo qvod iſthæc regio, qvam pepetuæ glaciei nivibusqve & frigoris tyrannidi mancipatam credebant, præ ceteris aqvilonaribus regnis innotuiſſet. Non ignoro tamen, interpretes regionem litoralem Macedoniæ verſus Thermæum, in qvô mons eſt nivoſus Sithon, hîc intelligere, cujus qvidem incolas e Norvegiâ oriundos ſi qvis contendat, aſſentientem habebit *Sheringhamum*, qvi *in Libri de Anglorum gentis Origine Cap. ultimo notis* ita ſcripſit: *Sittones populus Scandiæ olim fuit, qvi in Thraciam migrantes, priſtinum fortè nomen retinuere; una enim eademqve dictio vel per* tt *vel per* th *ſæpe effertur, ut Gothi vel Gotti, Gothones & Gottones. Sithoniæ certè nomen ab antiqvis Thracibus inditum non eſt: Regio enim illa (ut Herodotus auctor eſt) primùm Ampelos; & promontorium qvod mari procumbit promontorium Toronæum a Torona urbe dictum eſt. Lycophron Sithoniorum gigantum (fortè ad Getarum nomen, qvod gigantem ſignificat, reſpiciens) mentionem facit, eosdemqve refert ſuis incurſionibus Italiam attrivisse, Piſam urbem cepiſſe, totamqve terram prope Umbros ſitam ſubegiſſe. Qvæ omnia ad Getas manifeſtè referenda ſunt, cum Piſa urbs (licet antiqva) poſt migrationem Getarum in Thraciam condita ſit. Scholiaſtes verò ad locum illum:* Ῥίζαν γιγάντων Σιθώνων κεκτημένοις, *Sithoniam a Sithone Thraciæ Rege nomen accepiſſe innuit. Fuit autem Sithon, ut alibi tradit, filius Martis & Achiröes Nili filiæ: Sed hæ ſunt Græcorum fabulæ.* Nos de nominibus terris iſtis olim cum noſtris communibus noſtram ſententiam in *Serie Regum Daniæ Lib. II. cap. VIII.* expoſuimus.



HIST:



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ

LIBER SECUNDUS

DE REGNI NORVEGICI CHOROGRAPHIA.

CAP. I.

DE GENERALI REGNI DESCRIPTIONE.



His de nominis ratione expositis, Chorographicam *Petri Claudii Undalini* descriptionem subjungimus, præmissâ *Rutgeri Hermannidæ* succinctâ dimensione.

Norvagia sive Norvegia longitudinis suæ situm ab « austro in septentrionem protendens inter 58 & 72 gra- « dum latitudinis interjacet, ac proinde cum 14 gradi- « bus sive 210. Germanicis, 140. Svecicis, ac 420. Gallicis milliaribus metitur, « oceani fluctibus versus septentrionem & meridiem cincta, in austro oppo- « sitam, & oceani in Balticum mare ingrediente freto latiore sejunctam « Chersonesum Cimbricam intuetur. Seqvitur Undalinus.

Norvagia septentrionalis regio tam longô in aqvilonem tractu protenditur, ut eôdem sub parallelo septentrionalium nulla colatur terra; cujus, qvà longissime in austrum procurrit, promontorium, antiqvitus Lidandisnes / hodie per Syncopen *Lindisnes* dictum, polum arctoum qvinqvaginta octo, qvà verò in aqvilonem ad castrum Vardeyense maximè porrigitur, septuaginta gradibus elevatum suspicit. Vastissimus hujus regionis tractus incultis montibus asper, paludibus fædus, amplissimis solitudinibus informis, sylvis & saltibus passim horridus, lacubus in longa terrarum spatia protensis, fluminibus, innumerisqve rivulis scatens, majori ex parte inhabitabilis incultusqve etiamnum jacet; nec tamen ullum adhuc mortalium omnes ejusdem regionis hominum cultui aptas perlustrâsse partes certò affirmare possum. Qvà orientem spectat Sveciæqve jungitur, incipit ab insula Danaholmo, qvæ occidentem versus adjacet illis

insulis, qvæ a Libonoto insulas ostio fluminis Gautelfæ in Danici Sveticiqve Regnorum confiniis adjacentes (inter qvas præcipua Brenneya) spectant. Tres olim horum aqvilonarium Regnorum Monarchas, Eiricum nempè Daniæ, Ingium Sveciæ, & Magnum Nudipedem Norvegiæ, conventu in hac insula celebratô, uni omnes mensæ sive petræ accubuisse, ita ut in proprio qvisqve consideret Regnô, memoriæ proditum est. Hæc insula Parva Dania dicitur, inde in boream per Vestro-Gothiæ, Vermalandiæ, aliarumqvè Sveciæ provinciarum limites in Jamptiam procurrens per juga montis Kiöli, ubi Finni feriqve lappones vagantur, in littus Carelstrandense extenditur, ibiqve clauditur.

Australe latus in occidentalem vergens oceanum, inter insulæ Danaholmi eum terminum qvi euronotum, & promontorium Lindisnesiam qvod libonotum, spectat, (qvæ ab oriente in occidentem qvadraginta unius milliaris longitudine distant) magni maris recessu excavatum, ingentem admittit sinum, Oslofiördum dictum, qvi ad oppidum usqve Osloam deinde penetrat; olim Vika, hodie â nautis Belgicis Die sack van Norwegen vocitatur, magnusqve huic sinui adjacens terræ tractus, ab illo sortitus nomen, antiqvitus etiam Vika dici meruit, qvod postea nomen Bahusensi tractui inditum est, qvi Vika sive Viksida appellatur. Porrò cum littus ab insula Danaholmo triginta milliarium longitudine in caurum Osloam usqve procurrat, mox in libonotum sese reflectendo, triginta octo milliaria ad promontorium Lindisnesiam, hujus regionis extremum, in meridiem libonotumqve extensum angulum conficit: latus autem occidentale â promontorio Lindisnesia japygem versus per tractum Jadrensem ad fretum Cormtense, vulgò Carmsund / indeqve ad celeberrimum totius regionis emporium Bergas per triginta vel ultra milliaria procedit; hinc centum qvinqvaginta circiter ad Nortcapen sive Koppen / omnium Finnmarchiæ insularum longissimè a continenti caurum versus dissitam, piscatione celebrem, numerantur milliaria, unde littus in ortum ad castrum Vardhusense, tandemqve versus euronotum ad Carelstrandam recedit. Totus hicce maritimus tractus â castro Bahusensi (qvà ad Gautelfam sive in euronotum vergunt Norvegiæ fines, sitô) ad castrum usqve Vardhusense in insula Vardeya, omnium hujus Regni munitionum longissimè in septentrione exstructum, & ab hoc rursus in euronotum ad littus Carelstrandam dictum, expansus, nusqvam qvidem præter Listensem Jadrensemqve tractus, paucissimaqve alia loca, rectà ad qvartam milliaris partem procedit, sed promontoriis lingulisqve distinctus, tortuosoqve Oceani irrumpentis recessu intersectus, innumeros, nunc magnos nunc parvos, admittit sinus, qvorum qvi majores sunt, unius duorumve milliarium ut plurimum invicem distantes spatio, regionem alluunt. Sunt qvi qvinqve, sex, decem, vel etiam qvindecim, & qvandoqve plura milliaria longitudine sua adæqvantes, innumerabiles sinus & freta huc illuc diffusa efficiunt; qvidam latitudine unum aut duo, ubi maximè expanduntur, milliaria haud excedunt; pars octavâ, qvartâ, aut dimidiâ milliaris parte ostia terminant, nihilominus tamen, in immensum fere excavatâ terrâ, spatiosè diffunduntur.

Universo continentis littori crebræ adjacent insulæ, hîc magnæ illic parvæ, cum scopulis & brevibus, qvibus omne vicinum mare, qvod illas innumeris interluit fretis, refertissimum. Harum verò insularum, qvæ tam in finibus qvâm reliqvo mari positæ sunt, tantæ magnitudinis ut plurimùm existunt, ut unius, qvinqve, vel sex villarum sint capaces, qvædam verò unam, qvinqve, vel sex paræcias continere deprehendantur: minorum autem insularum scopulorum & tæniarum omninò infinitus hic est

numerus.

numerus. Inter has insulas terramqve continentem, per interflua freta magnis parvisqve navigiis universæ regionis litus legi potest, nec unqvam se oceano committere, aut sine insularum, sævientis in se maris undas recipientium, munimentô, exponere nautæ necesse habent, nisi cum vastissimorum sinuum ostia longiùsve procurrentia promontoria, aliave in mare protuberantia & insulis destituta litora superare necessitas urget, qvæ præter-navigantibus longè periculosiora sunt, qvam ipse oceanus, cum paucissimas aut ferè nullas navium stationes tutas exhibeant, asperô & confragoso litore omnem accessum prohibente. Inter insulas hasce innumeras plurimæ eæqve fidissimæ stationes ac portus, nautis perqvam necessariæ, reperiuntur; qvi, modò locorum tantam habeant notitiam, ut syrtes & brevia evitare atqve superare sciant, aut fortunâ ipsa gubernante illa prætervehantur, pro arbitrio ubiqve ferè sub eminentibus scopulis tutas inveniunt stationes. Extra omnes insulas subtus aqvas, ad triginta vel qvadraginta, vel etiam sexaginta præter propter passus assurgentes, continuus qvasi scopulorum agger universæ regionis lateri prætexitur, ubi diversa piscium genera hamô capiuntur, extra qvem duobus, aut tribus plus minus â regionis litore milliaribus, vastissimus immensæ profunditatis oceanus incipit, eô profundior, qvô longiùs in septentrionem extenditur; a meridionali autem regionis litore non ultra sex aut novem milliaria porrigitur. Inde namqve arenosus fundus modicæ profunditatis æqvor ad Frisiam, Bataviam, & Angliam usqve vehit. Occidentali lateri immensum Grænlandicum, sive Islandicum, mare adjacet, cujus profunditas nemini adhuc mortalium est explorata. Harum insularum usus atqve commoditates paucis inferiùs commemorare in animo est. Jam ad ipsam continentem obiter describendam nos conferamus.

Continentis maritima loca per omnem litoris longitudinem ita se habent, ut orientalis tractus, qvi â fluvio Gautelfa incipiens, ad qvadragesimum milliare in sinum Oslöensem â meridie in septentrionem excurrit, vulgò jam Vika nuncupatus, versùs ortum inter Sveciam & oceanum in arctum cogatur. Sed qvô longiùs ad sinum Osloensem procedit, eô spatiosior latiùsqve panditur, estqve humilis regio camporum vastâ planitie, densissimis passim abiegnis vestita, sylvis decora, modicæqve altitudinis collibus, qvos ad litus exsurgentes magni parviqve sinus interfluunt, conspicua. Simili modô omnis districtus sinui Osloënsi ad utrumqve latus adjacens, imò omnis ab oppido Osloa tractus cum provincia Heidmarchensi ad Gudbrandzdalos usqve, spatiosos campos sylvis distinctos habet. Nec asperior aut inæqvalior est regio ab Osloa ad Agdarum litora, vulgò Agdesiden / expansa, præcipué districtus Nidernesensis, inibi situs, ut & Listensis & Jadrensis a promontorio Lindisnesia, in occidentem vergentes, ubi litus in septentrionem reflectitur, qvæ tamen duæ provinciæ sylvis prorsus carent. Per reliqvum omne regionis litus immensi montes perpetuis fere jugis sese extollunt, & qvo longiùs in septentrionem contendas, eo altiora vastioraqve tam promontoria qvàm montium videbis cacumina. Cæterum mediterranea regio longè altiores vastioresqve habet montes, incultos & inhabitabiles, qvorum continua immensæ longitudinis juga, duodecim vel qvatuordecim milliaria latitudine passim adæqvant. Vir qvidam apud exteras nationes diu multumqve versatus, hanc mihi regionem universam perpetui montis vel rupis, terrâ passim contectæ, maximâ tamen ex parte ob sterilitatem inutilis, formâ pinxit; montemqve hunc vel rupem ad ingentis arboris, qvæ

ab ortu in oecasum ramis diffusa ceciderat, similitudinem haud incommodè referri posse monstravit. Cujus stirps & ima radix immensus & inhabitabilis esset iste mons, qvi orientales Norvegiæ provincias a Sveciâ dirimit. Primus ex hac stirpe pullulans ramus, mons est ille omnium longè maximus, Thrandenses provincias ab Herdalis primum, deinde a Jamptiâ dividens, tandemqve ad extremam septentrionalis regionis oram procurrens, ad occidentale latus Norlandiam atqve Finnmarchiam, orientale Svetici Regni qvasdam provincias habet, Kiölus, qvod carinam sonat, vulgò dictus, eo qvod navis carinæ eversæ in modum in äërem surgat, vagantib⁹ Lapponibus repletus, ut inferius plenius declarabitur. Alter ex eadem stirpe in austrum productus ramus Heidmarchiam ab Eystridalis, sive orientalibus valibus, discernit, prioris illius vigesimam partem vix adæqvans. Occidentem versus ab hisce duobus ramis idem mons ubi in angustissimum coarctatur jugum, duodecim milliaria latitudine comprehendens, â meridie Gudbrandzdalos, â septentrione Updalos habet, Dofrafiall / sive Dofrinus mons itidem nuncupatus, nomen a villa qvadam parva & ignobili, ad australes ejusdem montis radices sitâ, qvæ Dofra dicitur, contraxit. Suos deinde ingentes ramos in occidentalem usqve oceanum latissimè spargit, qvorum unus Thrandheimum â Raumsdalo perpetuô jugô distingvens, immensæ ferè altitudinis, sublimi & acutô vertice, insignis in cœlum eminet, qvatuordecim milliarium latitudine, ubi arctissimus; atqve ibidem â nemine colitur. Alter in meridiem inter Raumsdalum & Gudbrandzdalos, similiterqve inter Gudbrandzdalos & tractum Valdersensem, deinde Thelamarchiam & Settersdalum, protensus, in ipso mari Agdasidam alluenti desinit. Cæterum â Raumsdalo austrum versus producta juga, maritima qvædam in occidentem vergentia regionis loca â Valdersensi, Haddingiadalensi, & Setterdalensi tractibus disterminant, divisaqve, tam in finibus septentrionem versus ab oppido Stavangria, non adeó longè distantibus, qvàm extremè in austrum porrecta regionis orâ, circa Listeniem tractum desinunt. Hujus autem prostratæ arboris ramusculi, qvi complures certè sunt, ad minores montes collesqve, omnes ab altioribus cacuminibus inter valles passim longè protensos, sunt referendi. Ramorum verò interstitiis vasti campi, planities, convalles, lacus & flumina inter montes ubiqve occurrentia significantur. Folia deniqve villas, cum agris pratisqve in æqvalioribus locis inter asperos montes lacus & fluvios sitas, haud ineptè denotare videntur.

Hæc igitur universa regio in valles â mediterraneis & intimis Regni locis, ad litora usqve orasqve maritimas productas, præcipuè distribuitur, per qvas ingentes labuntur fluvii, qvi primò ex compluribus fontibus in unum collecti, magnos parvosqve in mediterraneis locis, utet ipsis latè expansis montibus lacus & stagna efficiunt; unde in subjectas & depressas valles compluribus rivulis aucti rapidô cursu passim feruntur. Deinde haud raró recollecti in vastissimos stagnant lacus, qvi tandem in mare, intimosqve sæpissimè sinuum recessus se exonerantes, maximos emittunt amnes.

In his vallibus circa præterlabentia flumina, spatiosa planities, hominum cultui apta, glebâ ut plurimum tenui & arenosâ conspicitur, qvæ (valles) per universum Norvegiæ maritimum latus dispositæ, inter se unum, duo vel tria distantes milliaria, singulæ singulos irruentis maris magnos faucibus excipiunt sinus. Porrò inter easdem valles asperi montosiqve siti tractus, sylvis tamen passim vestiti, complures editis montium

jugis

jugis interjectas, & qvinqve, ſex, vel octo milliaria ab auſtrali regionis latere diſtantes habent villas, cum mediterranea, & ad occidentale litus vergentia, his conſimilia montana loca omninò inhabitabilia ſint, frigoris immodicâ vi omni terræ fertilitati nimis officiente. Itaqve prout maris accolæ inſulas & ſinibus circumjectas oras, longisſimosqve vallium atqve iis interjectos montanos tractus qvosdam in tantam altitudinem elevatos inhabitant, ut ſubjecta montium juga ad multa milliaria circumqvaqve proſpiciant; ita mediterraneus populus ſpatioſos inter altiſſimos montes expanſos campos, valles, fluminumqve aut lacuum, ſex, vel decem, vel etiam viginti, circuitu milliaria comprehendentium, ripas incolit, ut in ſingularum provinciarum deſcriptione inferiùs demonſtrabitur.

CAP. II.
DE TOTIUS NORVEGIÆ ANTIQVA ET NOVA DIVISIONE.



Um remòtas inſulas regionesqve â Norvegis olim inventas & occupatas, atqve ab iisdem eorumqve poſteris excultas & inhabitatas, puta Islandiam, Grænlandiam, Orcades, Hialtlandiam & Færeyas, regno Norvegico poſtea ſubjectas, aut occidentalis Scotiæ peninſulas & promontoria, eiqve; ut & Hyberniæ, plurimas adjacentes inſulas ab eadem gente ſubactas, cum, inqvam, has hîc deſcribere nec animus nec otium ſit, ad hujus regionis, de qvâ paucis agere inſtituimus, tam antiqvam, qvàm novam diviſionem breviter declarandam nos conferamus; qvam in Fylke, vel præfecturas, qvæ ſeqventi ordine enumerantur, antiqvis temporibus diſtributam fuiſſe ſatis conſtat.

Prima, ſcil: Elfarfylke / cæteris hoc in Regno orientalior, â Gautelfâ flumine, & inſulâ, Daniâ Parvâ dictâ. (qvæ Brenneyam ab occidente reſpicit) in ſeptentrionem, ad fretum Svinaſundam extensâ, numeratur, olim Alfheimar / & poſtea ſucceſſu temporis Granafylke dicta. Jam verò ejus auſtralior pars Bahuslæn, ſeptentrionalior Vika, vocatur.

Secunda verſus ſeptentrionem â freto Svinaſunda ſita præfectura, apud ſerræ molam, Sugerſug nuncupatam, incipit, & ad Loanderstungam, Promontorium in Osloenſem prorumpens ſinum, extenditur. Hæc Vingulmarchia primùm nuncupabatur; deinde Auſtfoldia; & tandem longo poſt tempore Borgarſyssla / ab oppido Sarpsburgo, S. Olafi Norvegiæ Regis auſpiciis ibidem exſtructô, appellationem ſortita.

III. RAUMARIKIA (jam Römerikia) omnem tractum â ſinu Osloënſi ad flumen Karlsſundam Heidmarchiam verſus complectitur. In hôc caſtrum Aggerhuſenſe, & emporium Osloa, ad ſinum ab oppido nomen trahentem. Inter hanc provinciam atqve Sveciam duæ, Marchenſis & Soleyenſis, jacent præfecturæ.

IV. DALVIKA, tres comprehendens nomarchias (antiqvis qvippe temporibus tractus interiorem ſinus Oslöenſis receſſum ambiens propriè Vika, hujusq; incolæ Vikenſes vocabantur; at tres illæ præfecturæ ſpatioſô tractu ad loca extenſæ mediterranea, Dalvikiæ, incolæqve Dalvikenſium nomine venêre) ſunt autẽ hæ: Raumarikia, Heidmarchia, & Gudbrandzdali.

V. HADALANDIA, qvatuor jam minores præfecturas, Hadalandiam

diam nempe ſtrictè ſic dictam, Valdreſiam, Thotniam & Haddingiadalum (hodie Hallingdal corruptè dictum) complectens.

VI. VESTFOLDIA, diſtrictum Tunsbergenſem cum Egenſi & Lienſi, illisqve adjacentibus tractibus, continet. Superioribus autem ſeculis ſinus Oslöenſis Foldiæ ſive Foldenſis ſinus dictus eſt, cui ab oriente adjacens tractus Auſtfoldia, & ab occidente Veſtfoldia, ad Agdaſidam usq; extenſa, appellabatur.

VII. GRENLANDIA, hodie Brattzbergenſis præfectura vulgò dicta, cui Thelamarchia cum Sigdalo & circumjectis locis adſcribitur.

VIII. AGDA, qvæ a promontorio Giörneſia ad alterum, nomine Ottruneſiam, Auſturagda (ſeu orientalis Agda) vocatur.

IX VESTURAGDA, ſeu occidentalis Agda, â promontorio Ottruneſia ad amnem usqve Syram extenſa.

X. ROGALANDIA, ad ſcopulum Hornnaglam in ſinu Hardangrenſi, qvi Rogalandiam â Sunnhordalandia dirimit, conſpicuum, expanſa, in duos jam diſtrictus diſpeſcitur, Jadrenſem nempè, Dalenſi conjunctum, & Fiördenſem, qvorum ille Rogalandia olim, incolæ vero Rogi, & poſtea Rygi, præfecturaqve ipſa Rygiafylke/ nuncupati ſunt; qvô in tractu oppidum eſt Stavangria; hic autem, ſcil: Fiordenſis, jam Rogalandia, vel Ryggafylke/ malè contra veterum morem vocatur. (Pace Celeb. Undalini etiam tractum illum nominis ſui ambitu Rogalandiam complexum dixero, ab Augvaldo qvippe Rogio, qvi in Augvaldzneſia, Inſulæ Cormtis villâ, habitavit, tam villa, qvàm ditio ejus denominatæ ſunt; diſtat autem villa hæc plus minus ſex milliaribus Germanicis â Jadria.)

XI. SUNNHORDIA, ad flumen usqve Miökeram, qvod ingentem amnem denotat, protenſa, qvæ hodiè tantum Sunnhordalandia ſeu Sunnhordia dicitur.

XII. HARDANGRIA, verſus orientem, ad flumen Opiniar dictum, ſeſe extendit.

XIII. NORDHORDIA, à Miökerâ ad ſcopulum Sognſeb dictum, dilatatur, habetqve celeberrimum hujus Regni emporium Bergas.

XIV. SOGNIA, ad ſinum & diſtrictum Lioſter, hodie Lyſter appellatum, procurrit.

XV. FIALÆ, ſive præfectura Fialenſis, apud tractum Kvennvogaſtrandam verſus finitur.

XVI. FIORDI, vel Fiordenſis præfectura, Sunnfiordum & Nordfiordum, ɔ: *auſtralem & ſeptentrionalem ſinum* comprehendens, ad litus usqve Stadenſe protenditur.

XVII. SUNNMÆRIA, ad terminum Lingvær procedit, jam Sundmær vulgò dicta.

XVIII. RAUMSDALSFYLKIA, hodiè Raumsdalus, ſinu vulgò Stim appellato è ſeptentrione clauditur.

XIX. NORDMÆRIA, ad ſinus Thrandenſis fauces verſus aqvilonem terminatur.

XX. THRANDIA, ad utrumqve vaſtiſſimi ſinus Thrandenſis latus, octo præfecturas habet, in cujus intimô receſſu parvum oppidum, nomine Steinkeras/ olim ſitum fuiſſe conſtat. Præfecturarum autem hic eſt ordo. 1. Eynenſis ſive Onenſis, duas magnas inſulas, Indereyam & ydereyam nominatas, continet. 2. Sparbyggenſis, vel Spareböenſis. 3. Veradalenſis. 4. Skaunenſis. 5. Stiordalenſis. 6. Strindenſis. 7. Gauldalenſis, hodiè Guldalenſis. 8. Orkadalenſis. Qvibus nona & decima jam adduntur. Jamptia nempe & Herdalus, longô tractu â Thrandia in ortum inter altiſſima montium juga diſſitæ.

XXI.

XXI. NAUMUDALAFYLKIA, hodie Nomedal/ a tractu Thrandensi ad fretum Bandlangssundam procurrit.

XXII. HALOGALANDIA, jam Hælleland dicta, in duos divisa districtus, qvorum australior sinu Vogensi, septentrionalior promontoriô Trondenesia terminatur.

Ultima ad septentrionem hujus regionis præfectura, duos jam districtus, Salteyensem vel Saltensem & Seniensem comprehendit, a qvâ oceanô undiqve circumfusæ Nomarchiæ, Lofodia nimirum & Vesterola, non longè distant.

XXIII. Omnium tandem ultima FINNMARCHIA recensetur, latissimô tractu Siofinnos, Fiallfinnos (ɔ: maritimos & montanos Finnos) Lappones, Karelos & Gandfinnos (ɔ: Finnos Magicos,) continens, primò in septentrionem, & deinde in aqvilonem ortumqve, ad castrum usqve Vardhusense provehitur, tandemqve evronotum versus, & Karelstrandam reflexo litore circumagitur, habetqve Trumsensem præfecturam maritimam, extra cujus litus Langenesia & Andanesia, vastæ insulæ, in Oceano conspiciuntur.

CAP. III.

DE ORDINE DIVISIONIS AB ARIO EINARIS INSTITUTO.



Est & alius supradictas præfecturas numerandi ordo, ab Ario Einaris, Regis Eysteini qvondam aulico, conscriptus, â septentrionali regionis limite hunc in modum incipiens.

1. Finnmarchia Siofinnos, Fiallfinnos, Lappones, Karelos & Gandfinnos comprehendens.
2. Halogalandia vel Haleyensis districtus, duas complectens præfecturas.
3. Naumudalus.
4. Aunensis præfectura in Thrandia.
5. Sparbyggensis.
6. Veradalensis.
7. Skaunensis.
8. Stiordalensis.
9. Strindensis.
10. Gauldalensis
11. Orkadalensis.
12. Nordmæria.
13. Raumsdalus.
14. Sunnmæria.
15. Fiordi.
16. Sognia cum tractu Fialensi.
17. Hordalandia, Nordhordalandiam, Sunnhordalandiam, Hardangriam cum Vossia conplectens.
18. Rogalandia Fiordensem Jadrensem & Dalensem habens tractus.
19. Agda, in Orientalem & Occidentalem divisa.
20. Vestfoldia in Vika.
21. Vingulmarchia.
22. Grænafylkia.
23. Raumarikia in Uplandis sita.
24. Hringarikia.
25. Heidmarchia.
26. Gudbrandzdali.

Hæ omnes jam enumeratæ præfecturæ hisce temporibus in duas tantùm dividuntur partes, Syndenfields/ & Nordenfields/ sive cis & trans Dofrinas alpes. Illa interior regionis pars, omnes præfecturas versus austrum, ab his Dofrinis alpibus extensas occupat mediterraneas, maritimasqve, qvæ per septentrionem excurrentes apud Raumsdalum terminantur; licet qvidam, perperàm tamen, ad emporium Bergas, & qvidam ad Stafangriam,

 totum

totum hunc tractum protendi velint. Eidem illi tractui seqventes maritimæ adscribuntur præfecturæ:

I. Vika, inter Gautelfam amnem fretumqve Svinasundam interjecta, viginti duorum milliarium longitudine. Castrum Bahusense, triaqve oppida, Kongahellam, Marstrandam, Oddevallam, antiqvamqve arcem Hornburgum, nunc vetustate collapsam, cum aliqvot cænobiis habet.

II. Borgarsysla â freto Svinasunda ad sinum procedit Oslöensem; cujus etiam interioris & Orientem spectantis lateris haud exiguam obtinet partem, ubi Sarpsburgum oppidum, jam alium in locum translatum & Friderichstadi nomine insignitum, cænobiumqve Bernokloſtr conspiciuntur.

III. Romarikia, intimum sinûs Oslöensis recessum occupans, Osloam oppidum, (qvod in alium etiam translatum locum, nunc Christiania vocatur) arcemqve Aggerhusensem cum aliqvot vetustis & dirutis cænobiis possidet.

IV. Vestfoldia urbem habet, nomine Tunsbergam, cum ejus vetustate dirutâ arce, Oppidum Skeynam, aliqvot cænobia, & ecclesiam paræcialem opulentissimam Gierpen vocatam.

V. Agda sive Agdasida, viginti milliarium longitudine, ubi nulla castra præter unum collapsum, Seyersvold dictum, nulla oppida nullaqve cænobia visuntur, aut unqvam fuerunt. Et hæc Norvegicarum præfecturarum sterilissima censetur. (Hodie celebri urbe Christiansand/ auspiciis Christiani IV. Daniæ Regis fundatâ, castroqve Friderichsholm munitissimo, à FRIDERICO TERTIO, Daniæ Monarchâ Gloriosissimo, similiter ædificatô, nobilitatur.)

VI. Rygiafylkia, olim Rògalandia, cujus longitudo duodecim milliaria complet, oppidum habet Stafangriam, templo satis magnifico conspicuum, utet ædibus episcopalibus, adeò splendidè exstructis, ut illis parem cum integræ starent, in hisce borealibus regnis vix ullam hominum ætatem vidisse crediderim. Est etiam in hoc tractu templum Augvaldznesense, olim magnificum, & cænobium Utsteins Klostur vulgò nuncupatum.

VII. Sunnhordalandia cum Hardangria, ubi cænobium Halsnes Klostur/ opulentissimum qvondam, situm est.

VIII. Nordhordalandia, longè celeberrimum totius Norvegiæ emporium Bergas cum splendidissimo monasterio, nominê Munchelif/ castrum etiâm Bergenhus & cænobium Lyseya Klostur comprehendit.

IX. Sognia & Fialæ. X. Sunnfiordus & Nordfiordus. XI. Sunnmæria. XII. Raumsdalus.

Seqvuntur jam mediterraneæ, ut sunt:

I. Soleyæ. II. Austurdali, III. Gudbrandzdali, IV. Heidmarkia. V. Grenlandia. VI. Hringarikia. VII. Hadalandia & Thotnia. VIII. Sigdalus, Modum & Laverdalus. IX. Thelemarchia. X. Haddingiadali. XI. Valdersia. XII. Tractus Rabygdensis.

His ita enumeratis, ad exteriorem Norvegiæ tractum perventum est; qvi universas septentrionem versus â Dofrinis alpibus, tam maritimas, qvam mediterraneas, nomarchias continet. Incipit a Nordmæriæ litore in boream primùm, & deinde in ortum ad insulam Vardeyam, qva nulla septentrionalior hujus Regni pars deprehenditur, propè extensus. Nomarchiarum hæ sunt maritimæ.

I. Nordmæria. II. Præfectura Fochsöensis. III. Naumudalus. IV. Hællelandia, cum Saltensi, Seniensi, Throndenesensi & Andarnesensi præfecturis, insulisqve hinc ad occasum Brumalem in oceano sitis, Rosta, Vereya,

reya, Lofodia & Vesterola. V. Finnmarchia ad extremam usqve Norvegiæ oram extensa, unde litus in ortum brumalem per sinum Gandvikam, ad Karelstrandam, Norvegiæ, ut vulgò habetur, limitem reflectitur.

Ad mediterraneas autem referuntur. I. Thrandia cum octo nomarchiis superius commemoratis. II. Herdalus versus septentrionem a Dofrinis alpibus inter editissimos montes situs. III. Jamptia, qvæ a Thrandia longo tractu in ortum distans duas paræcias continet. IV. Immensus & ad Hyperboreum usqve oceanum procedens mons Kiölus, qvem soli vagantes tenent Lappones.

CAP. IV.

DE VIKA, PRIMA ORIENTALIS NORVEGIÆ PRÆFECTURA.



HÆc Norvegiæ præfectura primùm describenda venit. Incipit ab insula Dania Parva, qvæ trium, ut supra dixi, Regnorum limes, occidentem versus ab insula Brenneya inter complures magnas parvasqve in finibus Norvegiæ Sveciæ & Hallandiæ jacentes insulas, sita est; undè haut procul per continentis litus in mare se exonerat ingens fluvius, Gautelfa, (vulgò jam Gottelfa dictus,) qvi ê vastissimo Vestro-Gothiæ lacu Vænere oritur, Löseqve, (olim Liodhus) Sveciæ oppidum, cum circumjecto tractu a Norvegia dirimit, hic magnam insulam, nomine Hisingam, inter duo castra, Bahusum Norvegiæ, & Elsburgum Sveciæ, sitam amplexibus suis efficit. Eadem hæc insula duobus hisce subjecta Regnis, qvinqve paræcias continet, qvarum duæ Svecorum, tres autem Norvegorum Regi parent; illam etenim tertiæ dimidiam partem, qvæ Svecorum Regem olim principem agnoscebat, Sanctum Olafum Norvegiæ Regem talorum jactu ei extorsisse, memoriæ proditum est. Insulæ autem longitudo tria circiter milliaria, latitudo unum adæqvat. Hæc jam Vikæ nomine tota insignitur præfectura, sed perperàm: antiqvis enim temporibus, intimo sinui Oslöensi adjacens tractus, propriè Vika dicebatur, cum Alfheimorum antiqvissimum nomen â primo suo sortita Regulo Alfo hæc teneret nomarchia, & deinde temporis successu Hrænafylkia (rectiùs Ranarikia) â furtis & latrociniis, qvibus illâ tempestate perqvam infesta fuit, Gothis & Hallandis, cæterisqve Danis in istas oras haud raro non sine ingenti incolarum damno ac detrimento irrumpentibus, appellationem contraheret (mihi Ranarikia dicta videtur â prædis, qvòd interdum fortè Svecis, interdum Norvegis cesserit, perqve vices fortiori paruerit) unde tam bellicosi ferocesqve, his assvefacti exercitiis, evaserunt incolæ, ut tam mare qvàm terras latrocinando peragrantes, ne accolis qvidem parcerent; nec id solum cum liberi suiqve juris essent, sed etiam postqvam Norvegorum Monarcharum subacti sunt imperio, sæpe contra ipsos arma capientes, Danorum vel Gothorum, vel etiam factiosorum Norvegiæ pseudoregum, aliorumqve seditiones & turbas cientium hominum, imperium & auspicia, ad arma & cædes semper parati, seqvebantur, (ut ex Chronico Norvegico patet) qvorum truculentiores habebantur, qvi Gothis proximi ad Gautelfam habitabant: atqve ita ad eorum denotandam immanitatem

Elfargrimi in opprobrium (id qvod tamen ego dubito) dicti sunt, ut in Magni Nudipedis Norvegiæ Regis historia legitur. Tandem hic tractus, eo qvod amni Gautelfæ adjaceret, Elfarfylkia fuit appellatus, cujus jam orientalior pars Bahuslen / septentrionaliori Vikæ antiqvum nomen tenente, nuncupatur. Hæc ditio austrum versus angusta, sed in septentrionem procedendo magis magisqve expanditur. Svecia enim ab oriente eam premens, septentrionem versus ad fluvium Glomam in Svetica regione fontes aperientem, ingentiqve amni Raumelfâ, qvem nunc Sarpen vocant, sese infundentem, extenditur: In ortum deinde solstitialem vergens, a Regno Norvegiæ ubiqve fere, aut saltibus, aut montibus, aut fluminibus lacubusve discernitur.

Præfectura hæc â Dania Parva ad fretum Svinasundam, inter caurum & septentrionem, viginti circiter milliarium longitudine excurrit.

De hujus provinciæ notatu dignissimis locis, castellis & oppidis.

Magnus ille, qvem toties jam memoravimus, fluvius Gautelfa ê vastissimo Sveciæ lacu Vænere, viginti qvatuor milliarium circuitu, cui Vestro-Gothia, aliæqve Svecorum provinciæ adjacent, inter Elsburgum & Bahusum profluens, duobus hisce Regnis Norvegia & Svecia divisis, in sinum Elsburgicum devolvitur; hîc ad sextum â litore milliare in adeo angustas fauces, vulgò Troldhette dictas, comprimitur, ut longiori tigno in altum surgentes jungere ripas, & fluvium ita transgredi, facile sit. Sed ante qvam his liberatus angustiis latiori alveo prorumpit, horrendo impetu ex prominente & inferius concavatâ rupe prosiliens, longiori ab eadem spatio in subjectum cadit solum. Sub hac immani cataracta latrones & sicarii qvondam longo tempore latitabant, donec tandem per fumum & flammam ibidem visam proditi meritas dedêre pœnas.

De castro Bahusensi.

In occidentali hujus, de qvo diximus, fluminis ripâ ê medii insulæ Hisingiæ lateris regione, castrum satis munitum, & in rupe collocatum, hodie Bahus / olim Baqahus / dictum, ut antiqvæ testantur membranæ, conspicitur. Qvod vir præclarus Johannes Holgeri filius, bello inter Danos & Svecos grassante, ab hostibus Svecis graviter obsessum strenuè tutatus est; qvippe cum post longam oppugnationem, vastissimam turrim Farshatten appellatam cepissent, admoto igne sulphureo, illâ cum omnibus suis contignationibus & universa structura â sedibus convulsâ, centeni aliqvot Svecorum milites in aëra longè horrendo cum fragore ejecti interficiebantur. Contigere hæc tempore hyemali, Anno Christi MDLXVI. Huic jam castro subjecta cum suis partibus Vika, nomen ab ipso, ut supra dictum est, contraxit.

De Kongahellâ vetusto oppido

Qvarta milliaris parte â castro Bahusensi ad eundem fluvium, antiqvum situm est oppidum, nomine Kongahella, qvod Regiam vel Regum petram sonat, eo qvod aqvilonarium horum regnorum, puta Daniæ Norvegiæ & Sveciæ, Principes de bello aut pace, majorisqve momenti, & ad communem Regnorum salutem pertinentibus, causis acturi, conventum celebrare consveverint in hoc eodem oppido propè Re-

gnorum confinia, locô perqvam oportunô, excitato. Regnante autem Sigurdo Hierosolymipeta, qvi illud præ cæteris omnibus Norvegiæ oppidis multis modis ornari curaverat, ad summas opes atqve magnificentiam, tunc temporis celeberrimum, pervenit. Verùm sub Rege Haraldo Gillio a Vandalis ethnicis tam miserè fœdeqve direptum est & devastatum, ut ad pristinum splendorem postea nunqvam redierit.

De oppido Marstranda.

Duobus plus minus â Kongahella milliaribus caurum versus, in insula qvadam sita est Marstranda, qvatuor milliaribus in septentrionem a Dania Parva distans. Qvæ ê Kongahellæ ruinâ prima incrementa cepisse videtur, locô aptissimo ad piscationes exercendas, ubi tam halices, qvàm aliorum genera piscium olim capiebantur, collocata. Nomen autem illi â Már mergus, cujus avis magnam ibidem fuisse copiam creditur, vel a Mar ɔ: mari, & strand ɔ: litus sive ora, ut *mergi ora* dicatur, inditum fuisse necessum est. Pars Malstrandam appellant, atqve sic etiam in vetustissimis membranis scribitur. De fundatione urbis nihil mihi constat, nisi qvòd Haconis Grandævi Norvegiæ Regis auspiciis primùm exstructa est. Antiqvis præterea privilegiis & immunitatibus donatam esse constat, qvæ â laudatæ memoriæ Friderico Secundo Daniæ Rege, cum piscatione & halecum abundantiâ adeò celebraretur, renovata & in multis aucta fuerunt. Jam vero compluribus abhinc annis, prout reliqvæ hujus regionis oræ, hac omni destituta est maris fertilitate; cujus non minimam certè causam, privilegiorum malum abusum, & tam ipsorum oppidanorum, qvàm vicinorum piscatorum corruptos & impios mores fuisse, credere licet. Hoc oppidum non, ut cætera in hoc tractu castra & oppida, Svetici belli vim sentiebat, nec in hostium potestatem ullâ unqvam tempestate venit, præterqvam qvòd semel, anno scil: Christi MDLXVI, tempore hyberno insulam Köeyam, sagittæ tantùm jactu â Marstranda distantem, per congelata freta progressi occupâssent. Sed oppidani excubias probè agentes, glacie circumqvaqve dissectâ & perforatâ, omni eos aditu arcebant, primâqve illa nocte, qva dictam insidebant hostes insulam, cum solito humidior & calidior ventus aëris mitigatâ sævitiâ pluviam indicare videretur, haud diu comorati, ne dissolutâ glacie in continentem redeundi omnis eriperetur copia, re infectâ recesserunt.

De antiqvo oppidulo Oddevolda.

Ad qvintum â Marstranda septentrionem versus milliare, fretum, qvod Svansundam vocant, qvinqve milliarium longitudine terram proscindit, habens a meridie tractum, de qvo dicimus, ubi Bahus & Kongahella conspiciuntur, verùm â septentrione duas, inter complures, pulcherrimas insulas Tiørn & Orost dictas, qvarum illa unam, hæc verò tres parœcias continet.

Ad intimum hujus freti recessum oppidum cernitur satis antiqvum, Oddevolda (Odensvold / sive Odsvold), vulgò appellatum, â qvo ad Svetici Regni extrema unum tantùm milliare numeratur, inde ad Bahusum qvatuor, & hinc rursus ad Oddevoldam compendiosiori viâ redeundo par excrescit milliarium numerus.

De castris Hornburgo & Karlsburgo.

Constat insuper ad fretum Hornburgicum in Vika superioribus seculis castrum, nomine Hornburgum exstructum fuisse, complures autem annos

desolatum, ut et aliud castrum Karlsburgum, qvod a Christiano Rege Johannis filio anno Christi MDXXXII. devastatum sua sepultũ riunâ hodie jacet.

Hic universus Vikæ tractus planus & campestris, pascuis lætus & arvis fertilissimus ingentem frugum copiam incolis subministrat; licet qvandoqvè ægilope (Svimling vocant) in agros irrepente suffocentur & corrumpantur; qvæ frugibus in cerevisiæ usum convertendis admixta, eam ex his decoctam adeo stupendarum efficit virium, ut si qvis inde sextarium tantùm ebibat, nimiâ ebrietate, omnibus sensibus supra modum occupatis, neqve stando neqvè ambulando sufficiat. Pultes qvoqve ê simili confectas frumento comedendo qvìvis facilè inebriatur.

Hæc etiam regionis pars vastis passim atqve ad varios hominum usus perqvam accommodatis, plurimaqve ferarum & avium genera alentibus, vestitur sylvis: hîc immensâ proveniente saginâ pascuntur sues, hîc tigni, tigilli, navium mali, asseres & scandulæ, ingensqve lignorum, infinitis hominum necessitatibus inservientium, copia, qvotannis succisa mercatoribus divenditur, multæqve his onerantur naves. Herbida qvoqve pascua tàm armentorum qvàm pecudum numerosam hîc producunt multitudinem; unde incolis carnes, coria & sebum suppetunt. Abundant & lacus & flumina variis piscibus, nimirum esoce, lucio, parcâ aurata, & angvilla. Nec litus suis caret piscium generibus, cum asellum varium, longum, majores & minores passeres, scombros, multosqve alios, magnamqve halecum copiam proferat. Insulæ hic illic circa litora sparsis gregibus pascendis, avibusqve cum ingenti ovorum numero capiendis valdè sunt idoneæ, phocarumqve ac lutrarum capturæ aptæ. Præterea ædes & domicilia hîc passim pulcherrima, prædiaqve sacerdotalia & templa ornatissima, qvibus satis opulentæ subiectæ sunt parœciæ aliqvot & olim cœnobia, jam verò compluscula bona allodiala visuntur.

De Canum marinorum circa hujus præfecturæ litus capturâ.

Sexaginta circiter ab hinc annis Vikæ hicce tractus Canum marinorum (Haa vocant incolæ) superfluâ abundantiâ haud ignotus fuit. Qvi hamo capti, & multis lembis Nylosiam Sveciæ emporium qvotannis advecti, incolis loci vendebantur, per mediterraneas Sveciæ provincias porrò divendendi. Hunc etenim piscem Sveci plurimi æstimantes, ingenti pretio & præstantissimis mercibus, ut argentô, cuprô, ferrô, pannô, linô & similibus, non absqve magno Norvegorum lucrô, coëmebant. Tandem ipsi Sveci, ut & Hallandi, huc accedentes, compluribus annis ad hæc litora piscabantur. Cumqve hic piscis, præ cæteris omnibus, inexplebili desiderio humanis inhiet carnibus, easqve avidissimè devoret, plurimos homines, præsertim obesiores, detestabile carnificis ministerium exercendo, clanculum trucidâsse, eorumqve carnes hamo indidisse piscatorio, deprehensi sunt, tàm fastis, qvam profestis diebus promiscuè piscationes exercere minimè veriti: qvapropter, Deo optimo maximo ita providente, hoc eôdem pisce vicinum mare omninò destitutum, ad sceleratorum sicariorum explendam avaritiam id genus ultrà non produxit.

De halecum capturâ circa Norvegiæ litus.

Hîc omni ferè tempore, aut ad australe, aut septentrionale, aut ad utrumqve simul, aut etiam occidentale Norvegiæ litus, magna halecum

lecum copia olim ſuppetebat, compluresqve ánte annos in freto Cormtenſi, & huic vicinis inter Stafangriam & Bergas finibus adeò affluebat, ut longiſſimis retibus capta & in litus extracta, in magnos acervos fœni inſtar cogeretur: & cum tantam abundantiam incorruptam conſervare, mercatoribusve aut peregrinis, paucis ea loca tunc temporis freqventantibus, vendere poſſeſſores neqvirent, omnino haleces putreſcebant; qvapropter ſuas profiteri non ſunt auſi. Hæc ejusdem piscis copia usqve ad annum Chriſti MDLX. his in locis permanens ad Bergarum deinde vicina litora ſe tranſtulit, (hoc autem tempore, qvo hæc ex Undalino ſcribo, jam multos annos pari abundantiâ Divino munere rediit.) Nec minor halecum copia ad Vikæ olim litus affluxiſſe dicitur, qvam incantatores nefandis artibus & magicis ceremoniis, æneum eqvum in mare demergendo, repuliſſe ſunt qvi perhibent; qvæ tamen relatio præter nugas & figmenta nihil ſanè præ ſeſerre videtur, cum hominum erga Deum ingratitudo donorumqve ejus abuſus, & impii atqve execrandi mores, hujus commoditatis, utet cæterarum avertendarum, præcipuæ ſint cauſæ; cujus etiam exemplum jam noviſſimè anno Chriſti MDLVI habuimus, cum bono permittente Deo, ad hoc Vikæ litus tanta hujus piscis data eſt abundantia, ut aliqvot millia navigiorum, lemborum nempe, celocum & cimbarum, tam ex Dania & Holſatia, qvam Norvegiæ ſeptentrionalibus & occidentalibus oris, præter ipſos Vikæ incolas, piſcatum huc qvotannis proficiſcerentur. Ad hoc non pauca hominum millia, ex proximis & circumjectis regionibus, cum uxoribus ac liberis, magnos parvosqve hujus Vikenſis litoris ſinus cæteraqve loca occupantes & inhabitantes, piſcatu vixerunt, ubi tam viri nobiles, qvàm urbani cives & coloni innumera fermè ædificia, etiam triſtegas & tabernas piſcatorias, qvarum multæ tantæ fuêre amplitudinis, ut tot halecibus, qvot qvatuordecim tonnarum dodecades caperent, una arefaciendis capaces eſſent, extrui curavere. Itaqve hîc in extremi litoris crepidine octo aut novem milliarium longitudinis, multa domuum ac tabernarum piſcatoriarum millia conſpiciebantur, hominumqve infinita multitudo ad omnes ſinus & freta, & in magnis parvisqve, per hunc omnem piſcatui deſtinatum tractum, circumjectis inſulis habitabat; qvò ad halecem cöemendam, navigiorùm aliqvot millia ê Dania, Germania, Friſia, Batavia, Anglia, Scotiâ, atqve etiam Galliâ profecta, unô qvovis annô hinc onuſtæ domum redierunt, halecemqve ad remotiores regiones, in vitæ ſuſtentandæ uſum poſtea per longum iter transportârunt. Verum hoc Dei donô ac munificentiâ ingrato animo acceptâ, incolæ hujus loci abutentes, cum tributorum exactores præter ſuperiorum mandata piſcatores mercatoresqve graviſſimis oneribus expilarent atqve vexarent, tam inhumanos feroſqve induebant animos, ut nec indigenæ, nec advenæ illuc piſcatum profecti, ab eis tuti eſſent, maledictis qvippe & verberibus ſæpe ab iis lacerati, niſi tam multi tantarumqve virium exiſterent, ut ad reſiſtendum pares viderentur, qvibus haud rarò retia cum piſcibus furtim ſurrepta ſunt. Nec feriis & feſtis diebus tam ſuis qvàm advenarum retibus, modò id clanculum peragi poſſit, piſcari verebantur. Ad hoc peſſimis indulgendo moribus, crapulæ nimirum & ſcortationibus, a verberibus, vulneribus cædibusqve manus haud abſtinebant. Qvin & aliis qvoqve ingentibus vitiis opprimebantur. Itaqve omnipotens Deus, portentoſâ halice, qvæ illis in locis anno Chriſti MDLXXXVII, capiebatur, eis prædictum eſſe voluit, ſe ob eorum horrenda ſcelera hoc ſuum donum iis omninò ablaturum,

turum, qvod etiam proximè inseqventi annô factum est; adeò ut multa mercatorum piscatorumqve millia, non absqve ingenti damno & rerum suarum dispendio frustra longum iter eò molirentur.

Hujus tractûs maritimæ oræ situs & longitudo inferiùs post descriptam seqventem præfecturam exponetur.

CAP. V.

DE BORGARSYSLA, SECUNDA NORVEGIÆ PRÆFECTURA.



Hic tractus â freto Svinasunda (qvod angustò meatu aliqvot milliarium longitudine terrã proscindens, magnum ê continente proruentem admittit fluvium) ad sinum Oslöensem expansus, jam vulgò *Borgarsysla* ab oppido Sarpsburgo dicitur, qvæ antiqvis temporibus Austfoldia & Vingulmarchia appellata, suum etiam Regulum habuit. Porrò oppidum illud, qvod jam corruptè Saltzburgum vocant, olim Sarpsburgum ab horrendâ propinqvi fluminis cataracta, qvæ Sarpus dicitur, nomen sortitum, a S. Olafo Norvegorum qvondam Rege exstructum est, distatqve â Svinasunda in septentrionem duorum milliarium, sed â proximo litore unius tantum, longitudine. Hoc a Svecis anno Christi MDCXVII solo æqvatum & in cineres redactum, postea Clementissimi Daniæ Regis Friderici Secundi jussu, unius milliaris spatio propiùs mare exstructum, privilegiisqve & immunitatibus donatum fuit, ab ejus nomine Fridrichstadus dictum. E vastissimo Heidmarchiæ lacu, incolis vulgò Mios vocato, haud exiguus profluens amnis, alium postea ê Svecia promanantem, nomine Glomam, intercipit, & sic longa terrarum permensus spatia, versus ortum a sinu Oslöensi sese in mare exonerat, qvi uno supra Sarpsburgum milliari, ex alta rupe, horrendo prolabens sonitu immanem efficit cataractam, adeo ut äere bene temperato, ad qvartum hinc milliare (vel ad septimum, ut aliis placet) susurrus auribus percipiatur. Hinc olim capite condemnati, præsertim patriæ proditores aut læsæ Regiæ Majestatis rei, dejecti pœnas pendebant.

Hisce temporibus sinus Oslöensis nomen ab oppido Osloa nactus servat, superioribus autem seculis Folda sive Foldensis sinus appellabatur, â fluvio, qvem haud longô ab Osloa ortum versus intervallô, per districtum Foldensem (cujus incolæ olim Foldungi dicti) profluentem excipit, Borgarsysla Austfoldiæ, Tunsbergensis præfectura Vestfoldiæ nomine gaudebat, qvorum singulis suus fuit Regulus.

Totius australis Norvegiæ omnium longè maximùs hic est sinus, ostium habens trium milliarum latitudine, ubi scopuli duo, qvos incolæ Sosstrene seu sorores vocant, dimidio milliari ab orientali litore distantes, insula etiam Fierdeoe vel Fiellroe/ ad occidentale latus ab istis scopulis, duorum milliarium intervallo dissita. Deinde in angustias coarctatus ultra unum passimqve dimidium vix patet milliare. Verum qvà longissime in septentrionem procurrit, universa ejus longitudo decem complet milliaria. Propè orientale litus profundiores undas volvit, scopulisq; & brevibus infreqvens, tam magnis qvàm parvis navigiis tutum iter præbet. Hunc Batavi

tavi nautæ Sonewate appellant. In ejusdem ſinûs faucibus ad litus orientale, magnus inſularum conſpicitur numerus, qvarum præcipua habetur Onſeya, unam continens paræciam, eiqve proxima, ſed longè minor Rugeya, qvæ unum circiter milliare â Moſæ amnis oſtio diſtant. Ad qvartum â ſcopulis Søſtrene/ modò commemoratis, milliare, in occidentali ſinûs ora, portus eſt, unus ex tribus hujus Regni, aſſerum & ſcandularum, aliorumqve ejusmodi lignorum mercaturâ celeberrimis; talibus onerata mercimoniis, ad exteras regiones numeroſa navigiorum proficiſcitur multitudo, non absqve magno incolarum emolumentô, qvippe fluvius Moſa, â qvo portus nomen obtinet, ſupra qvinqvaginta ſerrarum agit molas. Ad hunc portum tam opificum qvàm cæterorum hominum magna habitat multitudo, domiciliis & ædibus adeò auctis, ut in emporii qvandam ſpeciem, excreviſſe videantur. Hinc ad interiorem ſinûs receſſum ſita, & ad Osloam oppidum prope extenſa, Foldenſis nomarchia olim ſub diſtrictu Auſtfoldenſi comprehendebatur.

Maritimæ regionis oræ longitudo â Dania Parva Osloam usqve, cum portuum, promontoriorum, inſularum & fretorum præcipuorum & celeberrimorum, qvæ hic inveniuntur, nominibus, hæc eſt:

Gautelfa, ut ante dictum eſt, ê Vænere, vaſto lacu, profluens, cum ſeptentrionem verſus ad planiora pervenit loca, magno aqvarum divortio. Inſulam efficit Hiſingiam, qvæ ab oriente Nyloſiam Veciæ oppidum, ab occidente Bahuſum Norvegiæ caſtrum habet.

A caſtro Bahuſenſi boream verſus ad extremam Hiſingiæ oram - - - - - - ½ Miliare
Hinc ad Nyloſiam usqve - - - - - $1\frac{1}{2}$ Mil.
A caſtro Bahuſenſi libonotum verſus ad Konghellam usqve - $1\frac{1}{2}$ Mil.
Extra vero Hiſingiæ oram auſtrum ſpectantem innumeræ objiciuntur oceano Inſulæ, a freto Sildaſunda ad Hallandiam usqve, per ſex integra milliaria huc illuc ſparſæ, inter qvas pauciſſimæ qvædam Svecorum ditionis ſunt, occidentem verſus ab oppido Nyloſia jacentes, qvæ Hallandiæ litori obverſæ, Svetici vocantur ſcopuli.
A Dania Parva Marſtrandam usqve - - - - 6 Mil.
(cujus tractûs freta portusqve in cartis hydrographicis videntur)
A Kongahella occidentem verſus ad Sildaſundam - - 1 Mil.
Hinc caurum verſus ad Marſtrandam - - - - 1 Mil.
A Bahuſo ad Oddevoldam japygem verſus - - - 4 Mil.
A Marſtranda ad Tiornshofut - - - - - ½ Mil.
Hinc in fretum Kirkeſundam - - - - $1\frac{1}{2}$ Mil.
Hinc ad Krageſundam - - - - - 1 Mil.
Hinc ad Molleſundam - - - - 1 Mil.
Hinc occidentem verſus uſqve ad Hermanshofut - - - ½ Mil.
Ibi fretum Hermansſunda
Hinc ad inſulam Goſeyam - - - - - ½ Mil.
Hæc â tergo ſinum Guldmarsfiord in continentem immisſum habet, adjacet & litori Hermanshofut ab occidente, ſcopulus Jslandzbierg/ & inſula Guldholmen dicta.
A Goſeya ad Salteyam - - - - 1 Mil.
Hinc ad Malmeyam - - - - 1 Mil.
Hinc ad Boneskioer - - - - 1 Mil.
Ibi portus & optima navium ſtatio, *portus Regis* vulgò appellatus, ſitus eſt.

Hinc in ſeptentrionem ad Sodehafvit - - - ¼ Mil.
A Boneſtiœr in ſinum Brevika - - - ½ Mil.
Cui proximus ſinus Bodmefiordus dictus terram interiecans, inſulam faucibus adjacentem habet, Sudervedholm nomine, portu oportuno haud ignotam.
A Brevika in fretum Hornburgicum - - - 1 Mil.
Apud qvod caſtrum Hornburgum nomine olim fuerat excitatum.
Hinc ad Dyngam - - - - - 1 Mil.
Ubi etiam inſula Nordervedholm oceano objicitur; navium ibi ſtatio & ſepulchretum unum, alterum in Sudervedholm humandis nautis & piſcatoribus deſtinatum, non incelebria.
A Dynga ad Otterkloſam - - - ½ Mil.
Hinc in fretum Haſteinſundam - - - 1 Mil.
Eſtqve ipſum fretum longitudine - - - ½ Mil.
Hinc ad inſulam Coſter - - - - 2 Mil.
Qvæ navigiis permeabili freto a continente divulſa, octo continens villas, eminentes oceani ſcopulos Hvalerne (balænas) dictos, in viciniâ habet.
Hinc boream verſus procedendo, in fretum Svinaſundam, Vikæ terminum, pervenitur.
A freto Svinaſunda, ad nomarchiam usqve Marchenſem & Moſedalenſem, Sveciæ finibus obvertentes - - - 4 Mil.
Ab inſula Coſter ad Agerſundam - - - - 2 Mil.
Hinc ad Rogeyam, ſinus Osloenſis inſulam - - 2 Mil.
Hinc Osloam - - - - - 8 Mil.
Hæc inter ſupra dictos portus ad navium ſtationes (licet longe plures, & qvidem innumeri ferè inveniantur) longitudo, & milliarium numerus deprehenditur. Verum qvi rectâ breviſſimo itinere tendunt, hunc obſervant milliarium numerum, nempe
A Marſtrandia in fretum Hermansſundam - - 4 Mil.
Hinc ad Boneſtiœr - - - - - 4 Mil.
Hinc ad Haſteinſundam - - - - 4 Mil.
Hinc ad Agersſundam - - - - 4 Mil.
Omnis hic tractus in occaſum brumalem porrigitur.
Ab Agersſunda ſeptentrionem verſus - - 8 Mil.
Ab Agerſunda Tunsbergam usqve in japygem - - 4 Mil.

CAP. VI.

DE PRÆFECTURA AGERSHUSENSI.



OMnes omninò nomarchiæ Agershuſenſi caſtro circumjectæ, eiqve propinqvæ, hoc tempore in univerſum Agershuſen / ſive Agershuſenſis præfectura, appellantur, ſub qva hæ ſeqventes comprehenduntur.

1. Borgarſylla, de qva jam diximus.
2. Raumarikia.
3. Heidmarchia.
4. Gudbrandzdali.
5. Soleyæ.

6 Auſtur-

6. Austurdali. 8. Handalandia cum Thotnia.
7. Hringarikia. 9. Sigdalus & Modum cum Egensi & Lyensi ditionibus; Thelamarchia qvoqȝ cum reliqvis districtu Bragenesensi contentis tractibus.

Huc etiam pertinent Valdresia & Haddingiadalus.

Qvæ omnes præfecturæ superioribus seculis ita distributæ sunt, ut Osloa & omnis ab utroqve latere, ad interiorem sinûs marginem jacens, ditio, cum Raumarikia, Ringarikia, Hadalandia & Thotnia, Vikæ nomine vulgò insignirentur. Heidmarkia, Gudbrandzdali, iisqve conterminis ditionibus, Uplandorum in hunc usqve diem apellatione gaudentibus.

De Agershuso, Osloa & Raumarikia.

Castrum hocce Agershus dictum, in intimo sinus Osloensis occidentali litore, ad maris qvoddam diverticulum, exstructum conspicitur, habens ab oriente Osloam oppidum, templum verò Agershus tyrke vocatum â septentrione; a qvô, ut & circumjectâ parœcia, castrum nomen contraxit, qvod Norvegici Regni proreges sibi in sedem eligere solent. Verum â qvo & qvando fuerit excitatum, nihil certi investigare potui, cum frivolis relationibus non sit credendum. Traditur enim tres qvondam fuisse sorores, qvorum una templum Agershusense, secunda castrum, tertia vero splendidissimum cænobium, in omnium heic longè pulcherrima insula Hefnudeya nuncupata, & in meridiem ab Osloa qvarta milliaris parte distante, ubi etiamnum ejus parietina rudera visuntur, exstrui curavisset. Hoc idem castrum Agershus anno Christi MDLXVII. â Svecis gravi obsidione cinctum, impigrè fortiqve manu defensum est & conservatum, hostibus irritô tandem conatu recedentibus.

De Osloa.

Versus ortum Solis a castrô Agershus/ omnium australis Norvegiæ tractûs oppidorum pulcherrimum celeberrimumqve emporium, Osloa nomine, collocatum est, appellationem â flumine orientem spectantem ejus partem permeante, qvod Loen vocant (ut videtur, sortitum, & a vocabulo Os / ostium, ut Oslo, qvasi Loaros dicatur, haud secus ac Nidaros, a flumine Nid, qvod in Genitivo habet Nidar & Os ostium componitur, nisi vocabulum Os / qvod in Osloæ nomenclatione præcedit, hic seqvatur. Hoc in oppido hujusce diœcesis episcopi sedes semper fuit, ea propter Osloensis diœcesis vulgò dicta, omnem maritimum tractum duorum milliarium latitudine â Kongahella ad Agdæ usqve promontorium, qvod Geirnesiam vocant, procurrentem obtinet. Antiqvis qvoqve temporibus in Heidmarkiæ Uplandorum præfecturæ vetusto oppido, nomine Hamar, sedes fuerat episcopalis, eiqve subjecta diœcesis Hamarensis vocata, hac tempestate Osloensi diœcesi adjecta, & cum ea conjuncta, uni utraqve paret Antistiti.

Continet itaqve diœcesis Osloensis subseqventes præfecturas.

1 Vikam cum toto districtu Bahusensi.
2 Borgarsyslam cum Markensi & Mosdalensi tractu
3 Raumarikiam.
4 Heidmarkiam.
5 Gudbrandzdalos.
6 Eystridalos.
7 Soleyas.
8 Hringarikiam.
9 Hadalandiam cum Thotnia.
10 Tunsbergensem &
11 Bratzbergensẽ præfecturas.
12 Thelamarkiam.
13 Bragenesiam.

 Hi

Hi aurem Epiſcopi, qvorum hic longâ ſerie adſcribuntur nomina, â primis Chriſtianæ religionis in hoc Regno jactis fundamentis ad noſtram usqve ætatem hanc diœceſin adminiſtrûrunt

1 Asgautus.
2 Thorolfus.
3 Aslakus.
4 Giraldus.
5 Carolus (potius Kolus)
6 Petrus.
7 Vilhelmus.
8 Thorſteinus.
9 Helgius.
10 Nicolaus.
11 Ottar.
12 Thorkell.
13 Hakon (vel Haqvinus)
14 Andreas.
15 Eyvindus.
16 Helgius.
17 Salomon anno Chriſti MCCCXLVIII.
18 Sigfridus.
19 Hallvardus.
20 Jon Ao. Chr. MCCCLXXVIII.
21 Eyſteinus.
22 Jacobus.
23 Sverrer.
24 Jon.
25 Gunnarus.
26 Nicolaus.
27 Herlovius.
28 Andreas anno Chr. MDXIV.
29 Magiſter Johannes Mulius Epiſcopus Osloæ inanguratus cum e Thrandia reverteretur facto naufragio non procul â Jutiæ litoribus, qvo tempeſtatibus erat depulſus cum duobus eqveſtris ordinis viris, anno Chr MDXXIV. periit.
30 Mag: Johannes Ref, primus Lutheranæ ſectæ Osloenſis & Hamarenſis Epiſcopus MDXLIV.
31 Mag: Franſiſcus Bierrig.
32 Mag: Johannes Nicolai.
33 Mag: Andreas Dal.
34 Mag: Nicolaus Claudii.
35 Mag: Nicolaus Geſtropius.

Habuit olim Osloa ornatiſſimum templum, Beatæ Mariæ conſecratum, ingentibus reditibus locupletatum, qvi his temporibus, templo deſerto & neglecto, Regni cancellario conceduntur, ſimiliqve modo ſacrarum virginum opulentiſſimi cœnobii, jam deſolati, maxima bona & latifundia in præfecturam ſunt converſa. Primaria autem oppidi ædes vel baſilica Divo Hallvardo dicata, priſtinum ſplendorem diu conſervavit, licet anno Chriſti MDLXVII flam̃as ſentiret, bello graſſante Svetico: Chriſtianus qvippe Munchius ibidem eâ tempeſtate arcis præfectus, oppido ſubjici faces, fædoqve incendio, ne in hoſtium poteſtatem veniret, deleri curavit, & qvicqvid divitiarum, domeſticorumqve utenſilium cives qvatuor & viginti horis hinc non abſtulerant, eodem periit incendio, univerſa qvoqve qvæ hic in portu ſtabant navigia, poſſeſſoribus circumjectam glaciem confringendi (hybernum enim tempus erat) inqve alium locum deducendi poteſtatem fruſtra petentibus, concremata ſunt, temere qvidem, cum hoſtes tertia demum ab incendio die, ad locum ubi oppidum fuerat, pervenirent, arx tamen a militibus ſtrenuè defenſa eſt, qva de re pluribus agere alibi locus eſt.

Eſt præterea Osloæ ſupremum hujusce Regni tribunal, â qvo non datur provocatio, niſi ad ipſum Regem. Conveniunt itaqve hic ter in anno, æſtate nempe circa natalem Baptiſtæ, hyeme ineunte circa Calixti diem, & circa diem converſionis Pauli Apoſtoli, Regni Cancellarius viriqve nobiles propius oppidum habitantes, cum aliqvot nomophylacibus, qvi cum prorege Conſuleqve & cæteris aſſeſſoribus cauſas cognoſcunt & lites dirimunt. (Hæc autem jam plane immutata ſunt.) Hic Chriſtianus Johannis filius Daniæ Rex â Danici Regni nobilibus anno Chriſti MDXXXII. captus eſt.

Ad

Ad hoc oppidum magnis parvisqve navigiis â scopulis atqve brevibus tutum iter & accessus patet, ubi immensa mercium venit copia, fertili circumjecta regione, magnum frumenti numerum suppeditante. Construxerat hanc urbem Haraldus Imperiosus Norvegiæ Rex, circa annum Chr: MXLIX. (jam verò post fœdi incendii devastationem, in alio haud procul excitatâ loco, Christianiæ nomen a Christiano Qvarto laudatissimæ memoriæ Daniæ Rege adepta tenet.)

De Raumarikia, eiqve adjacentibus præfecturis.

Universæ ad interioris sinus Osloensis litora jacentes nomarchiæ, olim, ut ante dictum est, sub Vikæ nomine comprehendebantur, sed qvæ â sinu remotiores in septentrionem procedunt, Dalvika & postea Uplandæ, qvod nostra etiam ætate nomen obtinent, appellatæ sunt.

Foldiæ districtus ortum versus ad intimum sinus Osloensis recessum, cui & antiqvitus nomen dederat, ut Foldensis sinus appellaretur, jacet; habens âboriente Markensem nomarkiam. Illa autem præfectura, qvæ Osloam & Agershus continet, vulgatô jam nomine Agersherret dicitur. Duobus boream versus ab Osloa milliaribus sylva Glelleraasen incolis vocata, unius tantùm milliaris latitudine locum habet, qva transmissâ in Raumarikiam (vel Romarikiam, ut hodie vocant) pervenitur, adsedem usqve sacerdotalem Eidsvoldam, qvæ ab Osloa octo distat milliaribus, extensam ibi & terminatur. Ibidem vastissimo Norvegiæ lacui Mios finis imponitur, qvæ etiam ingentem emittit fluvium trajectu Vermesunda satis celebrem, cui amnis Gluma, e Sveciæ defluens finibus, jungitur, & communi deinde alveo Sarpsburgum præterlapsi, (ut paulo ante diximus) in mare cadunt.

De Lacu Mios.

Vastissimus Norvegiæ lacus Mios, ab Eidsvolda in septentrionem, Lille-Hamar usqve oppidum, sedem antiqvitus Episcopalem, ad qvatuordecim milliaria protenditur, complures orgiarum centurias variis in locis profundus; insulam habet haud exiguam, munito castro, & arce Regia conspicuam, ubi, regnante Hacone Sverreris filio, Ingius Baglorum Rex cæsus occubuit. Piscium præterea varia producit genera, qvi statis temporibus, pro sua qvisqve naturâ, & sinus & fluminum rivorumqve ostia subeunt; capiuntur autem inter reliqvos hi: Lucius, haud raro qvinqve vel etiam sex pedum longitudine, parca, tructa, murena fluvialis &c. & in universum hic piscium genera qvatuordecim numerantur. Inveniuntur in hoc lacu lapides cristallini, plurimi avellanæ magnitudinis, qvorum & unum habui, qvi trientem Libræ Coloniensis pendebat.

Ab antiqvo qvodam rerum Norvegicarum scriptore literis consignatum est, in hoc eodem lacu immanem angvem qvinqvaginta cubitorum longitudine delitescere, qvi tantùm instantibus magnarum rerum vicissitudinibus in lucem prodeat, de qvo incolæ plane ignari sunt: qvoties tamen eum transvehuntur, qvadam superstitione tacti, nunqvam proprio nomine Mios, sed Fiorden (sinum) appellent. Est autem navigantibus infidus & periculosus, multosqve mortalium absorbet, ipsoqve oceano aspectu terribilior, turbineqve nocentissimo, & ibidem freqventissimo, perqvam timendus; stagna enim & lacus ventis vehementioribus agitata oceano citius moventur, immanesqve fluctus cient.

CAP. VII.

DE HEIDMARKIA, SOLEYIS, ET EYSTRIDALIS.



Rtum versus à jam dicto lacu Mios, inter Eidsvoldam & Gudbrandzdalos, qvatuordecim milliarium occupans spatium, sita est Heidmarkia, ditio glebæ fertilissimæ, unde tempore autumnali armentorum & pecudum, hyberno autem frumenti, farinæ & bynæ ingens copia Osloam defertur.

De oppido Hamare, Hamarensiqve diæcesi.

Traditur omnium totius Norvegiæ oppidorum vetustissimum esse Hamar, tantæqve olim fuisse magnitudinis, ut mille & sexcentos cives contineret. Fuerat hîc olim sedes Episcopalis, exedra & Basilica tribus turribus insignis, Sanctæ Trinitatis Templum appellata, qvæ integra perstitit, donec tandem anno Chr. MDLXVII. â Svecis incendiô est deleta, ad qvod usqve tempus Canonici Heidmarkenses suos hic agere conventus, & concilia celebrare consveverant. Hæc diæcesis Osloënsi primum est adjecta, regnante Christiano Tertio Daniæ Rege, ex qvo tempore Hamar qvotidie decrevit, Osloa itidem emergente, & ad summam magnificentiam crescente, superioribus qvippe seculis omnia oppida in Episcoporum & Canonicorum sedes electa, eorum tunc temporis summis divitiis & haud exiguâ potentia aucta, ornata & conservata, cæteris præstabant, qvæ jam hoc in Regno neglecta & ævô caduca, nihil præter ruinas ostendunt, exceptis aliqvot maritimis, mercimoniorũ usu & exercitio antiqvam formã tuentibus.

Hi seqventes Episcopi Hamarensi præfuere diæcesi.

1 Arnoldus.
2 Ormus.
3 Ragnar.
4 Thorer.
5 Ivar.
6 Hallvardus.
7 Paulus.
8 Petrus.
9 Gilbertus.
10 Thorfinnus.
11 Jorundus.
12 Thorsteinus.
13 Ingialdus.
14 Botolfus.
15 Hallvardus.
16 Magnus.
17 Sigvardus anno Christi MCCCLXXIII.
18 Arnbiornus.
19 Petrus.
20 Gunnarus.
21 Carolus.
22 Hermundus.
23 Carolus Jamptus.
24 Magnus anno Christi MDLXIII.

Primus hic Præsul Arnoldus, Grænlandiæ antea Episcopus, huc accesserat, cum se in Grænlandiam reversurum omninò negaret, â Cardinale Nicolao, anno Christi MCLII in Norvegiam veniente, Hamarensis Episcopus consecratus est, longè post alias diœceses hic constitutas.

De Soleyis & Eystridalis.

Habet ab occiduo latere Heidmarkia nomarchiam Soleyas, qvæ rectiùs Solveid dicerentur, a Solvio scil: primô ejusdem districtus Regulo, & eid/ isthmô, duobus lacubus interjectô. Ei ad ortum æstivũ vallis,

vallis, nomine Eyſtridalus, longo tractu Sveciæ terminos perſtringens, proximè adjacet, a qvibus etiam Dofrinas alpes ſeparat. Huc proficiſcentibus ingentes ſaltus permetiendi ſunt, cum hæ nomarchiæ in plurimas diſtinctæ partes, ſparſim inter ſylvas collocentur, ut ex eô patet, qvòd tria, qvæ unum ſacerdotem agnoſcunt, templa, viginti & qvatuor milliarium longitudine diſtent. Per hanc vallem Eyſtridalum ad Thrandiæ præfecturas, circuitis ab oriente Dofrinis Alpibus, vel etiam ſeptentrionem verſus ad Herdalos, iter facientibus datur acceſſus.

CAP. VIII.
DE GUDBRANDZDALIS ET DOFRA VILLA.



Septentrionem verſus à ſæpe dicto lacu Mios ſiti ſunt Gudbrandzdali, a Gudbrando, primo hujus ditionis dynaſta, hanc appellationem ſortiti, cujus etiam nomen, ut plurimùm, ſucceſſores longo temporis decurſu ſibi uſurpandum retinuerunt; qvo etiam S. Olaſi Norvegiæ Regis avus maternus (id qvod ego Undalino vix credo) ut & ipſi conſangvineus Dala Gudbrandus, hujus præfecturæ ultimus Regulus, qvi Chriſtianæ religionis juratus hoſtis, a Divo Olafo deficiens contra ipſum bellum moliebatur, inſigniti ſunt.

Extenduntur hi Gudbrandzdali, vel Gudbrandi valles, in ſeptentrionem ad Dofrinas uſqve alpes, ex qvibus haud ignobilis ortus fluvius, Gudbrandzdalos permeando lacui Mios tandem ſeſe infundit, qvi locô qvodam oportunô, inter cæteros ſublicio ponte octodecim tignorum longitudine, totidemqve ſuffulto lapideis columnis, junctus, haud rarò diſſolutarum nivium aqvis, in unum velut confluvium ſe colligentibus, in tam immenſum augetur, ut eundem hunc pontem irreſiſtibili vi & aqvarum mole confractum & divulſum abripiat. Per illum pontem vir qvidam eqvô vectus, cum fluminis urgente impetu collapſurum intelligeret, curſu qvantùm poterat citato, ripam aſſecutus eſt; tantâ autem celeritate dirutus eſt pons ipſe, ut cum reſpiceret, ne unus qvidem tignus ſupereſſet, a ut ullum ejus veſtigium appareret. Hoc amne incolæ ſub montis radicibus habitantes, per collium anfractus in compluſculas elices derivato, ventoſâ & ſiccâ tempeſtate arefactos agros irrigant.

De Villa Dofra.

In ſupremo Gudbrandzdalenſi tractu, ſub monte editiſſimo, ſita eſt villa templo inſignis, Dofræ nòmine inſignita, a qva Dofræ mons ſive Dofrinæ Alpes ſuam ſortitæ ſunt nomenclationem, (montē qvidem à gigante Dofrio primum, villam a monte deinceps dictam, ego credere malo.) Hinc per clivum cacumen verſus ad montis ſupercilium - 1 Mil
Hinc ad primam hoc in monte domunculam, viatorum uſibus deſtinatam, Fogſtovamqve dictam - - - - 2 Mil.
Hinc ad villam Hiartkind in ejuſdem montis tractu - 3 Mil.
Hinc ad aliud viatorum divortium Driſeſtovam, a fluvio haud exiguo Driſâ, illud prætermeante, nomen adeptum - 3 Mil.
Hinc in vallemDriſâ, updalum ſeptentrionali montis lateri ſubjectam 3 Mil.

Recta

Rectâ in ſeptentrionem toto hoc itinere directo.

E Leſiæ paræcia, ſupremo Gudbrandzdalorum tractu in Occidentem, per immane montis jugum, inde meridiem ſpectans montis Dofrini latus permetientes, in Raumsdalum, ad nundinas ibidem inſtitutas, qvotannis proficiſcuntur incolæ, ubi aſellum exenteratum & ſiccatum, aliaqve vitæ neceſſaria, qvæ omnia caballis domum vehunt, mercantur. Unde ſæpius id genus merces minori illic pretio, qvam maritimis in locis, veneunt.

Gudbrandzdalos ab occidente immenſæ altitudinis montium juga claudunt, ab oriente verò vaſtiſſimæ ab Eyſtridalis ſylvæ ſeparant: extra earum fauces ad occiduum lacûs Mios latus, tractus, olim Grœnlandia dictus, jacet. Hic Haraldus S. Olafi parens educatus, cognomen Grænski ab hac præfecturâ contraxit, cui olim univerſa Thelemarkia, ut ſupra habetur, ſubjecta erat. Huic ſatis dives & ſpatioſa paræcia, antiqvo nomine Thotnia, lacum qvoqve Mios ab oriente habens, contermina eſt. Hinc libonotum verſus Hadalandia jacet, ſeparata a Thotnia per ſylvam qvinqve milliarium longitudinis (per qvam, neceſſitate ita poſtulante, Sverrer Rex Norvegiæ ſua duci navigia curaverat, unde Kielvegur / ſive carinæ via acceptum nomen in hunc usqve diem ſervat) qvâ demum tranſcenſa in Hadalandiam ventum eſt. Inter reliqvas paræcias Hadalandia unam habet celeberrimam, Gran eam incolæ appellant, ubi duo ê vivo ſaxo magnifice in uno eodemqve ſepulcreto, â duobus, ut fertur, ſororibus exſtructa conſpiciuntur templa, adhuc ab omni vetuſtatis injuria intacta, ſacris peragendis rebus utrumqve dicatum. Habet hæc præfectura, ab illo, qvod Africo opponitur, latere, Hringarikiam, â Hringo ejusdem primo dynaſta ſic vocatam, & longô poſt tempore â Sigurdo Syre, S. Olafi vitrico, Reguli jure adminiſtratam, qvam, ut & Hadalandiam ab occidente alluit ingens lacus, nomine Rond / in qvo Rex Halfdanus Niger Haraldi Pulchricomi pater ſuffocatus periit (ut in Chronico Norvegico habetur.)

A Hringarikia Libonotum verſus, ubi Rond ingentem fluvium effundit, ſita eſt paræcia, qvæ Modum nuncupatur, cui ab occidente confines ditiones Nomedalus & Sigdalus, haud exiguô amne ex Haddingiadalo profluente, & poſtea Hringarikenſi fluvio apud paræciam Modum ſeſe jungentes perſtringuntur. Deinde paræciam Eger nominatam, qvam ditiſſimi cultiſſimiqve totius Norvegiæ in habitant coloni. Permeat in ſinum Dramen vulgò dictum, ubi unus ê tribus hujus Regni portubus, navium malis, aſſeribus & tignis immenſaqve lignorum copia celeberrimis, exoneratur. Eſt & hic ſinus, Koppervika nomine, portu lignorumqve mercatu ſatis notus, ſedesqve nomarcharum, Braganeſia dicta, qvæ circumjecto diſtrictui nomen, qvo Braganeslen appellatur, indidit, paræcia verò hæc Lyen dicitur. Alter qvoqve præter modò dictum fluvium, in hunc Dramenſem ſinum ex orientali properans regione profluit amnis, qvi innumeras molas ſerrarum, tam eminus qvàm cominus â litore, agit. Ad qvartum ab Osloa Libonotum verſus milliare hic Dramenſis ſinus dimidii milliaris longitudine in continentem irrumpens ad Braganeſiam verſus Japygem protenditur.

Occidentem verſus â Naumudalo & Sigdalo, modò commemoratis ditionibus, Vallis Haddingiadalus (jam Hallingdal perperàm dictus) inter aſpera montium juga ſitus eſt, duas continens paræcias, diæceſi Stafangrenſi ſubjectas, â qvo Valdenſia in ſeptentrionem jacens, eidemqve diæceſi adſcripta, magnis montibus ſeparatur, in tres paræcias diſtributa, qvarum præcipua vulgatô nomine Slidere vel Sltri / ubi antiqvis temporibus

præpo-

præpoſitura parum à forma Capituli diſtans, id qvod templi magnifici eximia ſtructura, inſignes campanæ, aliaqve ſatis magnifica ornamenta hodieqve monſtrant, cui undecim parœciæ antiqvitus ſubjiciebantur.

Profluit ex hoc Valdreſiæ tractu ingens fluvius, qvi in libonotum iter urgens â fluvio Haddingiadalenſi intercipitur. Hæ omnes jam commemoratæ mediterraneæ & montanæ nomarchiæ, priſcis ſeculis Uplandorum nomine, qvod etiamnum tuentur vulgò, venêre: ſunt autem frugum fertiliſsimæ, armentorum & pecudum, cum reliqvis, qvæ talia comitantur, bonis, numeroſam producentes multitudinem. Paræciæ qvoqve Eger & Lyer præter cœtera commoda, magna ſalmonum copiâ gaudent

Cæterum hac invicem diſtantiâ ſupra dictæ ſitæ ſunt præfecturæ:

Ab Osloa in ſeptentrionem per ſylvam Gielleraaſænſen ad Raumarikiam - - - -	3 Mil.
Hinc ad Eidsvoldam, ſedem ſacerdotalem, aqvilonem verſus -	5 Mil.
Hic Heidmarchia lacusqve Mios incipientes in ſeptentrionem ad Gudbrandzdalos usqve extenduntur per ſpatium. -	14 Mil.
A Mios autem ad alpes Dofrinas - -	9 Mil.
Tractushuic lacui aboccidente adjacens editos & aſperos habet montes	
Ab Eidsvolda in Thotniam - - - -	8 Mil.
Hinc africum verſus ad Hadalandiam - -	5 Mil.
A cujus paræcia Gran ad Hringarikiam - -	3 Mil
Hinc ad paræciam Modum - - -	2 Mil.
Hæc vero paræcia longitudine complectit - -	3 Mil.
Hinc verò ad paræciam Eger - - -	2 Mil.
Hinc ad Lyer Dramenſi ſinui adjacentem - -	2 Mil.
Omnes hæ ditiones libonotum verſus protenduntur.	
Sed ab Osloa ad Lyer/ etiam Libonotum verſus - -	4 Mil.

CAP. IX.

DE VESTFOLDIA, IN TRES HODIE PRÆFECTURAS, TUNSBERGENSEM, BRUNLAVENSEM ET SKIESYSLENSEM, QVÆ ET BRATZBIERGENSIS DICITUR, DIVISA.



UNiverſus ille tractus, qvi ſinûs Oslöenſis occiduum latus ad Agdenſem usqve præfecturam obtinet, Veſtfoldia olim dictus, in tres jam partes vel præfecturas, puta Tunsbergenſem, Brunlavenſem & Skieſyslenſem, ſive Bratzbiergenſem, cui Thelamarkia adjecta eſt, dividitur.

De oppido Tunsberga & Tunsbergenſi præfecturâ.

DItio hæc Tunsbergenſis â Dramenſi ſinu meridiem verſus, per maritimam ſinûs oram, ad ultimas hujus loci inſulas, oceano oppoſitas, extenſa, nomen habet â Tunsberga oppido, ad nonum ab Osloa milliare in continentis ad eundem ſinum litore exſtructo; qvod totius Norvegiæ vetuſtiſſimum (haud facilè cum Undalino dixerim) emporium, ante Haraldi Pulchricomi, Norvegiæ Regis, tempora exiſtens, ſub ejusdem ſucceſſo-

cessoribus ad ingentem magnitudinem opesqve pervenit, eodemqve in statu permansit; donec tandem S.Olafus Sarpsburgum, ejusq; frater Rex Haraldus Strenuus seu Imperiosus Osloam ædificari, & Rex Sigurdus Hierosolymipeta, longo post tempore, Kongahellam ornari & amplificari curaverunt; qvod prioris urbis nomini haud parùm offecisse & certè non minima, inter graviora ab isto tempore hoc in regno accidentia, qvæ tam illud, qvàm cætera hic oppida destruxerunt, & oppressa â pristino splendore & magnificentia longe removerunt, ejus interitûs causa fuisse videtur. Huic oppido arx munita qvondam in rupe satis altâ & præruptâ, qvæ duos tantum, â meridie nempe & septentrione, habet accessus, collocata, ab aqvilone imminet, licet urbis olim ædificia a septentrione eam ambirent, Tunsberg/ɔ: oppidi rupis vel petra, appellabatur; lingvâ etenim antiqva Tun oppidum, vel civitatem, ut etiamnum Anglicâ & Scoticâ, denotat. Hæc arx (ab Alberto Krantzio Kongsberg perperàm vocata) bello gliscente intestino, cum Rex Christianus Johannis filius civibus infestus huc accessisset, diruta est & desolata, anno Christi MDXXXII.

Duorum a Tunsberga milliarum longitudine in austrum, ubi sinus Osloensis excavato litori primùm sese infundit, ut supra dictum est, duæ insulæ, Notterø & Tiomø unam parœciam constituentes, sitæ sunt, longo angustoqve invicem diremptæ freto, qvod Grimsholmsunda incolis vocatur. Verùm insula Jarlseya â Tunsberga euronotum versus, dimidii milliaris spatio, in eodem hoc sinu conspicitur. Qvarta milliaris parte occidentem versus ab hoc oppido, villa, nomine vulgato Sæm / rectè & antiqvo vocabulo Sæheimur dicta, jam nomarcharum, olim Vestfoldiæ Regulorum, ante arcem Tunsbergensem exstructam, sedes, sita est. Hîc Regulus Biornus, Nauta sive Mercator cognomento, Haraldi Pulchricomi filius, & S. Olafi proavus, tumulo Farmans hauge / ɔ: nautæ tumula (cui & adjacet ager Farmans akur / ɔ: nautæ ager, in hunc diem nominatus) congesto tegitur; de cujus cæde historia Eirici Blodoxii Norvegiæ Regis consulatur.

De Brunlavensi præfecturâ.

A Tunsberga occidentem versus procedendo, ad Brunlavensem pervenitur præfecturam, ubi præfecti sedes prædium, nomine Brunlaug, in promontorio, longo tractu in oceanum procurrente, Brunlavnesia dicto, exædificatum visitur. Habet ab oriente hoc promontorium sinum Laffvervikam, vulgo Larvig / portu tutissimo, asserum, scandularum, & talis materiæ mercaturâ celebrem; qvi, ut & cætera hîc loca, a fluvio Laufven nomen sortitur, qvi ê mediterraneo tractu Sandsverd/ occidentem versus a parœcia Eger sito, ortus, per vallem Laufverdalum, sex milliaribus libonotum versus â sinu Dramensi distantem, labens, in hunc Laufvervigensem infunditur sinum, cui nobile prædium Fredsiøe adjacet. Ad occiduum hujus promontorii Brunlaufnesiæ latus irrumpit sinus Skielfiordensis. Inter Brunlaufnesiam & insulam Jomfrulandiam sinus extremis faucibus duorum milliarium latitudinem habet, â qvibus introrsum, unius circiter milliaris spatiô, portus est omnium notissimus Langsunda, ubi qvotannis tanta malorum navalium, asserum, infinitorumqve in varios usus deputatorum lignorum, qvæ a Skiena atqve mediterraneis locis huc deferuntur, copia exteris divenditur mercatoribus, ut centum aliqvot navigia his onusta hinc recedant.

De

De Skienensi vel Bradtzbiergensi præfectura, & primùm de oppido Skinea sive Skiena.

Sesqvimilliaris longitudine â portu Langsunda, & ab extremâ ejusdem sinus oceano obversâ orâ ad tertium milliare, per locum, qvi Porsgrunda vocatur, Skiena fluvius in mare defertur, in cujus, ortum spectante, ripâ, ab ipso ostio dimidii milliaris distantiâ oppidum Skinea situm est, â qvo hæc præfectura Skienensis dicitur. Ille amnis in Thelamarkia fontes aperiens, longis terrarum præteritis spatiis, hîc ex prærupta rupe, per qvam passim perforatam & incisam, tanqvam in longiores canales deducta aqva, ad agendas molas serrarum, ad hoc oppidum complures exstructas, labitur. Parvum illud est oppidum, splendida tamen ædificia, & opibus potentes habet cives: qvia autem templum in petroso & humandis demortuis prorsus incommodo loco exstat, sepulcretum extra oppidi pomeria constitutum est. Hinc versus meridiem sacrarum qvondam virginum, satis opulenti, cænobii visuntur rudera, verùm ab oriente ustrinæ sunt, ubi magnô labore & mirô artificiô, aqva præterlabens ferri fabrorum vices sustinendo, eorum agit instrumenta. Propius oppidum ortum versus Regiæ ædes & villa rupi inædificata, nomine Bradtzbierg cernitur, âqvâ etiam circumjecta ditio Bratzbergensis adepta est denominationem. Hinc etiam in ortum duorum milliarium intervallo abest vallis Laufverdalus, per qvam Lausven amnis in sinum Laufvervikensem defertur, ut modò dictum est. Qvarta milliaris parte euronotum versus â Skinea, templum, qvod Gierpen Kirke vocant, conspicitur, cui subjecta parœcia sacerdoti, præter decimas aliosqve reditus, octodecim bovinorum coriorũ decades qvotannis olim persolvebat, qva omni pensione judicibus aliisve laicis concessâ, sacerdotes decimis & reditibus aliis incertis contenti esse jubentur. Ad occiduum hujus Skienensis sinûs litus parœcia, vulgatô nomine Bamble / in complures insulas dispersa, & aliqva ex parte in continenti sita est. Extima, propè idem litus, insula Jomfrulandia, & villa Regia nobilis jacet, ubi, ut & in minoribus circumjectis insulis, villicus, piscationem, phocarumqve & lutrarum capturam, non absqve ingenti lucro exercet, atqve in mari pereuntium mercatorum opes, dissolutarumqve navium partes, huc non rarò, oceano ventis agitato, ejectas ad litus, in tuta loca transferre tenetur, certamqve earum portionem adipiscitur. Ad hæc fertilissimis agris, & lætissimis pratis gaudet, adeò ut hæc omnium Norvegicarum pari magnitudine insularum præcipua credatur; est autem plana & humilis, sesqvimilliaris tantum ambitu: qvam Norvegici nautæ navigando appropinqvantes, qvadam superstitione capti, non proprio nomine Jomfrulandiam, sed Terram Bonam, donec eam sunt prætervecti, nuncupant, eundemqve circa plura hujus regni loca morem servant.

Nullos hæc insula serpentes aut venenata animalcula, glires aut mures habet, nec huc transportata diu vivunt; qvod etiam in multis Norvegiæ partibus, insitâ naturâ hisce animalculis lethalibus & pestiferis, observatum est: in universo qvippe Nordlandiæ tractu, in septentrionem a Thrandia extenso, totaqve Islandia aliisqve occidentem versus jacentibus insulis, nec ullus qvidem serpens, aut venenosum animal reperitur, majorqve Norvegiæ promontoriorum, eiqve adjectarum insularum pars, glirem haud diu vivere patitur; cujus causa an humus, gramina, herbæ, aër, vel alia qvædam haberi debeant, aliô differendum locô reservabitur.

De Thelamarkia.

Skienensis & Bratzbiergensis præfecturæ haud exigua pars est Thelamarkia, duobus ab oppido Skiena distans milliaribus, vastôqve octodecim milliarium longitudinis tractu in japygem extenditur, populosa regio, in septem parœcias distributa, habetqve ad decimum sextum â Skiena milliare, duos editos montes, unde exscisæ cotes, tempore hyberno per conglaciata flumina & stagna plaustris Skienam vehuntur, qvibus liburna, qvæ materiâ onusta in Hispaniam mercandi gratia mittunt, saburræ loco onerantur, magno ibi pretio postea vendendis. In supremâ hujus ditionis parte mons altissimus, & cæteris fere omnibus editior, exsurgit, nomine Gufte / â qvo non adeò procul alter, qvem Tind vocant, immensâ fere altitudine, cui hic nullus sane comparandus venit, in cœlum eminet; superioribus seculis in hoc tractu ustrinæ, ferro, qvod hîc ex terra effodiebatur, expurgando & exercendo aptæ, fuerunt, longo jam tempore neglectæ (nunc vero iterum magno lucro restitutæ) cum incolæ hac tempestate, lætis pascuis, fertilibus agris, venatione & pecunia ex materia hic succisa, qvæ per ingentes & aliqvot milliarium longitudinis lacus Skienam defertur, pice liqvidâ, aliisqve ejusmodi mercibus, redacta, vitam sustentent. Capiuntur hic alces, rangiferi, lynces, martes, lupi, ursi, vulpeculæ, hyenæ, lutræ, castores, sciuri, mustelæ alpinæ &c. cum varii generis avium multitudine, plurimiqve inveniuntur lacus, ingenti piscium, & præsertim truttarum, copiâ referti. Qvæ etiam bona, ut ante diximus, aliæ hujus Regni nomarchiæ, verùm nulla tantâ eorum abundantiâ gaudet, qvantâ hæc Thelamarkia. Hic præterea spatiosus districtus, qvi undiqve altissimis, nisi ab eo tantum latere, qvod ad maritimam oram oppidumqve Skienam vergit, circumdatur montibus, numerosos divitesqve habet rusticos, argenteæ suppellectilis atqve nummorum copiam, ad centum aliqvot Joachimicorum valorem exsurgentem, possidentes, qvibus divitiis pares in reliqvis hujusce Regni præfecturis haud facile repperies. Sunt autem mali, impii, duri, feri, & seditiosi ultra omnes terræ hujus incolas; nam & antiqvitus in deliciis habebant, Episcopos, pastores, præfectos regios & eorum vicarios occidere, id qvod vel inde manifestum est, qvòd in una qvadam ejusdem præfecturæ paræcia septem pastores cæsi sunt, alibi duo, alibi plures. Unum ibidem natum novi, cujus pater tres sacerdotes occiderat; hic etiam cum mero incaluit a Deo petebat, ne sibi mors prius obveniret, qvàm & ipse totidem pastores occidisset. Possent etiam plures divitias coacervare, nisi ipsi felicitatem suam immodicâ potione, conviviis & (qvæ hæc seqvuntur) irrogatis ob cædes, conflictus, stupra & gravia alia delicta, ingentibus multis, ipsi corrumperent. Tantum de Osloënsi & Hamarensi diœcesibus breviter commemorare satis erit. Ad reliqvas Regni partes perlustrandas festinabimus.

CAP. X.

DE DIÆCESI STAFANGRENSI.



Sloensi itaqve & Hamarensi diœcesibus perlustratis, progrediendo paululum, Stafangrensis, qvantâ fieri potest, diligentia, inspicienda oculis objicitur; qvæ has præfecturas continet; Agdam, Rogalandiam, Valdresiam & Haddingiadalum.

De

De Agda.

Agda, vel Agdaſida, haud exiguus tractus, in tres jam diſcernitur præfecturas, puta Nidneſenſem, Mandalenſem, & Liſtenſem, a maritimi lateris ſitu, qvod longis extenſum ſpatiis oceanus diverberat, antqvis temporibus Agder dictus, verum Agdaſida inde nuncupatus eſt, qvod cum ê ſeptentrionali regione huc accedat, litus in evronotum reflecti, & cum ex orientali venias, in japygem, & poſtea ſeptentrionem circumactum retorqveri cernas. Suum olim Regulum hæc qvoqve ditio habuit. Dividitur etiamnum in duas tantùm partes, Auſturagdam nempe, promontorio Geirneſia alteroqve Otterneſia dicto interjectam, & Veſtur-Agdam, hinc ad amnem Syram ſeſe extendentem.

De Nidneſenſi præfectura.

Hic diſtrictus inter cæteros Agdenſes vaſtiſimus, nomen habet a villa qvadam, ſede jam præfectorum, qvæ a prætêrlabente amne Nid Nidneſia dicitur. Idem omnem â promontorio Geirneſia tractum, duodecim milliarium longitudine, ad fretum Rannöſundam; â litore verò verſus montana & mediterranea loca, ad vigeſimum qvartum milliare extenſum, complexus, in triginta unam paræcias, înter novem diſtributas ſacerdotes, dividitur; qvarum hæ ſunt præcipuæ.

Geirſtadus, prædium templo ſedeqve ſacerdotali, cum circumjectâ paræciâ, notisſimum, duobus milliaribus â promontorio Geirneſia occidentem verſus ſitum eſt. Hoc priſcis temporibus Rex Olafus, ab eodem Geirſtada-Alfus dictus, ſibi in ſedem elegerat: cujus ob fauſtum & pacificum, omni affluente felicitate, regimen, memoria inter Norvegos longo tempore viguit, ejusdemqve nomine Olafus Norvegiæ Rex, longâ poſt annorum ſerie, inſignitus eſt.

A Geirſtado qvinqve milliarium intervallo verſus occaſum Holta vel Holtenſis paræcia abeſt; â cujus litore, unius tantum milliaris diſtantia, inſula Trumme/ unius etiam milliaris longitudine, conſpicitur. Continet hæc paræciam, templumqve habet ex vivo ſaxo magnificè exſtructum, qvod altitudine ſua nautis in alto navigantibus Norvegiæ indicat oras. In hocce qvoqve tractu ad ſextum a litore milliare, tribus aſperis & eminentisſimis cacuminibus extolluntur montes, qvos Trumlinger vocant, navigantibus cum Norvegiam primum proſpexerint, hunc Nidneſenſem tractum prodentes.

Qvatuor ab Holta milliaribus, templum Oyeſtadenſe, cum ſua paræciâ, diſſitum, milliaris tantum ſpatio a litore diſtat. Hanc ſacerdotalem ſedem Oyeſtadum, antedictus fluvius Nid ab occidente arctô alveô inter duas præruptas rupes, ubi horrendam efficit cataractam, præterlabitur; ubi ponte ê validis longisqve tignis malisqve facto junctus, qvem Strugebroe vocant; qvi licet rupibus, qvibus amnis coarctatur, ab utroqve latere junctus, viginti cubitis, fluminè, præſertim aridâ & ſiccâ tempeſtate cum parciùs fluit, altior ſit, nihilominus largo imbre & disſolutarum nivium aqvarum, ſupra ripas creſcentium, violento impetu, cum tranſeuntibus hominibus eqvisqve, prævîſam mortem præcurrere non valentibus, aliqvoties dejectus eſt. Hic etiam amnis ſalmonum piſcatu nobilis, in portum Arndalum, uno milliari ortum verſus ab Oyeſtado diſtantem, delabitur. Ab Oyeſtado milliaris tantùm ſpatio libonotum verſus paræcia Hommedalenſis ſita eſt, dimidio milliari a litore diſtans, habetqve præ-

dia nobilia, Landvikam milliaris intervallo ab insula Hamborgeya vulgo dicta sitam, & Norholmum, hinc pari distantia jacentem. Abest ab hac Hommedalensi duorum milliarium longitudine in libonotum Molandensis paræcia.

Universus tractus has qvinqve paræcias omnes maritimas & oceano obversas continens, planus & magna ex parte glebâ limosa, largam frugum subministrat copiam, nisi forte tempore verno nimiâ siccitate arefacta & humore destituta sterilis reddatur. Qvercetâ etiam, omnium hac in regione longè optima, cum illis conjunctis commodis habet, pro hujus certe regionis conditione tam maris, qvam lacuum & fluminum fæcunditate, salmonum & scombrorum abundante copiâ felix. Duæ etiam hîc sunt sylvæ fageæ, licet non adeò magnæ, cujus generis arbor hinc ad occidentem, vel septentrionem, in Norvegia nunqvam invenitur, ad ortum verò passim ejus magna reperitur copia. Habet qvoqve hic districtus ad oram maritimam splendida ê saxo exædificata templa, pulchraqve ædificia, & incolas bono proboqve præditos ingenio.

De tractu Robygdensi.

Japygem versus, qvinqve milliarium a promontorio Geirnesia distantiâ, sedes Sacerdotalis, templo conspicua, qvam Omblii vocant, sita est, â qva versus occidentem semimilliaris spatio, magnus ille fluvius Nid ê remotis locis properans in mare exoneratur. Hinc ad sextum milliare in libonotum ad ingentem amnem, Otteraaen vocatam, Efiensis sita est parœcia. Byglandia sedes sacerdotalis cum suo templo in septentrionem ab Efviâ tribus milliaribus distans, ad insignem, qvem fluvius Otteraaen ibidem efficit, lacum visitur; ubi ex uno loco sedecim vel octodecim villæ eidem lacui circumjectæ prospiciuntur. Hujus parœciæ Orientale latus, mons, Byklefield dictus, â Thelamarkia dirimit. Settersdalensis paræcia sacerdotalis sedes, nomine Valde/ septem ab hac abest milliaribus ad fluvium etiam Otteraaen sita. Habent hæ paræciæ Byglandensis & Settersdalensis â septentrione & occidente asperos & incultos montes, sex, septem, vel octo, vel etiam qvibusdam in locis duodecim milliarium longitudinem transversis adæqvantes jugis. Qvatuor hæ paræciæ longiusculè a mari distantes inter mediterraneas numerantur, Raabygdelag incolis dictæ, magnam frugum copiam proferentes, licet tamen qvandoqve frigoris immodicâ vehementiâ rigentes, verno tempore agri omni fermè frugum proventu incolas frustrentur. Hîc etiam multum venationibus student, capiuntqve alces, rangiferos, cervos, variiqve generis aves sylvestres, qvibus vescuntur, & vitam sustentant, pecudum & armentorum numerosos alentes greges; unde illis carnes, coria, pelles, butyrum & sebum copiosè proveniunt: venantur & ursos, lupos, lynces, martes, vulpes, hyænas, lutras, castores, sciuros, & mustelas albas, qvarum pelles in locis maritimis, non absqve lucro, divendunt, multum etiam picis liqvidæ in his præparatur locis. Incolæ res ad usum vitæ necessarias, qvibus domi destituuntur, in maritimis oris cöemunt. Sunt & ibidem lacus & flumina truttarum & percarum abundantiâ fæcundissima.

CAP. XI.

DE MANDALENSI PRÆFECTURA.



Ic tractus â Mandalo, præcipuâ hîc paræciâ, nomen trahens, Midsyssel etiam, qvòd media inter duas Agdenses jaceat præfecturas, appellatur. Angustis contenta terminis, incolas nihilominus divites probosqve habet, inter reliqvas

Agdenses nomarchias facilè primas obtinens, in duodecim paræciales dividitur; qvarum hæ præcipuæ reliqvis anteponuntur: Topdalus sedes Sacerdotalis, templo ornata magnifico, a Molandia, paulò ante commemoratâ, tribus abest milliaribus libonotum versus. Hanc vallem Topdalum ingens permeat fluvius, salmonum piscatu multùm celebris, qvi ibidem compluribus in locis capiuntur, copiosissimè tamen ubi Bustikend / sive Boskikend vocant, qvæ hodie Regis est possessio, olim colonorum prædio, qvod Boen dicitur, adjecta. Sex ab hinc lustris hoc loco singulis annis tantum salmonum piscabantur incolæ, qvantum qvadraginta, qvandoqve etiam qvadraginta octo, amphorarum, vel viginti, aut viginti qvatuor, tonnarum dodecadibus implendis sufficeret, unde annuum tributum, duodecim saliti esocis amphorarum dodecades, ducentiqve siccati salmones pendebantur. A templo Topdalensi milliaris longitudine versus libonotum templum Otternesense cum sede sacerdotali situm est, in planô & pulchro in mare protuberanti tractu, qvem Otternesiam vocant, inter qvatuor alia prædia, qvæ ita appellantur, Mechlestuse / Ellesti / Odda & Soidalen. Hic tractus, utet fluvius ab occidente præterlabens Otteraa dictus, denominatur â monte mediterraneo, hinc decem vel undecim milliarium distante intervallô, reliqvos montes hic magnitudine longe superante, gibboso cacumine, Otteren sive Lutra dicto, eo qvòd ejus animalis sese ad cursum accingentis speciem qvadantenus referre videatur. Hoc ingentis altitudinis jugum, nautis huic appropinqvantibus regioni, per multa milliaria Agdensem indicat tractum. Verum Otteraaen seu Lutræ Fluvius, omnium, qvos Agda in mare emittit, longè maximus, triginta milliaria longum iter ad litora conficiens, qvatuor paræcias, Settersdalensem, Byglandensem, Efviensem, & Otternesensem prætercurrit, salmonum, qvi reliqvos omnes in Agda captos magnitudine multùm superant, copiâ fæcundus. Verùm ob nivosarum aqvarum, qvarum magnam copiam ille vehit amnis, frigiditatem, ejus ostium non prius qvavis æstate, qvàm ultimis Julii mensis diebus salmones intrant, nec ultra unum milliare adverso permensi sunt flumine, cum insuperabilis altitudinis per transversum alveum objicitnr rupes, â qvâ ê superioribus properans locis flumen delabitur, aspectu terribilem efficiens cataractam, latôqve & altô rapidè profluens alveô multos haud raro hominum absorptos suffocat.

De portu castroqve Fleckereyensi.

Fleckereya insula semimilliari in circuitu ab Otternesensi tractu antedicto distans, meridiem versus in extremis sinûs faucibus sita est; inter cujus occiduum latus continentemqve jacet portus, Fleckereya etiam dictus, omnium australis Norvegiæ notissimus, singulisqve per hunc occidentalem oceanum, tam ortum qvam occidentem versus, proficiscentibus usitatissimus, navigiisqve ab omni cœli marisqve injuriâ conservandis idoneus. Qvadriginta circiter ab hinc annis, Gallis cum piraticâ classe per occidentalem oceanum grassantibus, Norvegiæqve occidentales præsertim oras, non absqve incolarum damnô & detrimentô, deprædantibus, atqve hunc portum præ cæteris ob ejusdem commoditates freqventantibus, (ex eadem qvippe regione spirante vento ad aliud insulæ latus portum intrare, & aliô exire qvivis facilè potest) Christianus Tertius Daniæ Rex, laudatæ memoriæ, anno Christi MDLV. Magnum Gyldenstiern cum armatâ classe, cui illum præfecerat, ad Regnum defendendum misit. Cujus (postqvam in hoc eôdem portu Fleckereyensi classem continendo totam ferme

me æſtatem triviſſet) Hafniam redeuntis, & claſſem reducentis, ſvaſu, per Petrum Hvitfeldium anno Chriſti MDLVI. in parvô ſcopulô, in vicinô mari ſitô, ê qvernis lignis, magnâ cum impensâ & ingenti labore caſtrum conſtrui curavit, ſed fruſtrà. Piratæ enim licet hoc portu arceantur, alios his in oris innumerabiles reperiunt. Chriſtiani Munchii arcis Agerhuſenſis qvondam præfecti, Petri Hvitfeldii ſucceſſoris, juſſu, hoc idem caſtellum anno Chriſti MDLXIV, die decimo qvartô Octobris eſt deſtructum, materiesqve in alium translata locum (floret jam, cum hæc ex Undalino exſcribo, idem caſtellum in vicina rupe exſtructum, hoſtibus, ut videtur, propè inexpugnabile, maximiqve uſus.)

De Sognedalo & Helgeſunda.

Occidentem verſus ab Otterneſiâ duobus milliaribus, anteqvàm ad Mandalum perveniatur, Sognedalus vallis, qvatuor templa & totidem paræcias continens, ſita eſt; qvam haud exiguus amnis permeat, extra cujus oſtium, ſemimilliaris â continente, & â portu Fleckereya duplo longiori, intervallo, inter oceano objectas inſulas, portus eſt, Helgeſunda dictus, ob commodam fidamqve navium ſtationem multùm celebratus: habet ad auſtrale litus duas, omnium, qvi in tota Norvegia viſuntur, longè maximas, duodecim cubitorum altitudinis pharos ſaxeas, S: Olafi mandato, (ut vulgò fertur) conſtructas; nec procul ab illis pixidis nauticæ effigies duriſſimæ inſculpta eſt rupi.

Mandalus, vallis inter cæteras nomine notisſima, â Sognedalo duobus milliaribus in libonotum diſtans, qvinqve paræcias complectitur, qvas fluvius Manaa vel Maneraa/ qvi valli nomen dederat, percurrens, ê lacu qvodam non exiguô, nomine Ore/ plus milliaris longitudine, ad nonum in ſeptentrionem milliare a mari ſito oritur. Hic idem lacus multis magnisqve amnibus, per longa ſpatia ex ingentis incultiqve montis, ad Setterdalenſis paræciæ occiduum latus ſeſe extollentis, fontibus, exceptis, & nivoſarum aqvarum ingenti copiâ auctus, in tantum excreſcit, ut inde dictus fluvius Manaa maxima capiat incrementa, & qvandoqve æſtivo tempore, ad S. Johannis usqve diem diſſolutarum nivium aqvis valdè abundet.(Duo maria, tractum Mandalenſem conſtringentia, Marnadali, id eſt marium vallis, ſeu bimaris vallis nomen ei indidiſſe, vetuſtas membranas ſecutus, auctor eſt Celeberrimus in Islandiâ qvondam Epiſcopus, Mag: Bryniolfus Svenonius, qvi tamen tractum illum nunqvam conſpexit; qvod ego ex relatione conſultisſimi viri, Abſalonis Bejeris, judicis provincialis diſtrictûs qvondam Fridrichſtadenſis, qvi hoc mihi ex Epiſcopi ipſius ore exceptum retulit, iterum refero.) Hic amnis reliqvos omnes in Norvegia fluvios ſalmonum fæcunditate, qvi cæteris etiam præſtantiores habentur, longè ſuperat; & licet hic a Maij menſis initiô usqve ad Junii finem, compluribus in locis, variis modis, pro piſcatorum arte & ſolertiâ, capiantur, multi tamen in vaſtis gurgitibus ſeſe abſcondentes, eorum elabuntur manus, qvos ibidem fœtus eniti, & ſuum propagare genus putant, eo qvod hic, non ut minoribus in fluviis, ſalmonum abundantia piſcando continuè exhauriatur. Civibus olim Landzcronenſibus peculiari privilegio longô tempore conceſſum eſt, qvovis annô ad hunc tractum Mandalenſem proficiſci, ad ſalmones, ut & alias heic provenientes merces, coëmendas, qvos conditos ſale Lubeckam transportârunt, & huc rurſus argentum, cuprum, pannum, linteum, calybem, ferrum ſtannum, frumentum, farinam, bynen, panem, lupulum, linum, cannabem, & cerviſiam, variaqve vinorum

norum genera, cum aliis, incolis necessariis, mercibus, advexerunt divenderuntqve. Hinc circa annum Christi MDLIII qvâvis æstate ultra centum tonnarum, seu, qvod idem est, ducentarum amphorarum dodecades, salmonis saliti, utet siccati, ad exteras nationes transferebantur; Et nihilominus incolæ magnam ejus abundantiam muriâ conditam sibi in vitæ sustentandæ usum reservabant, & centuriæ interim aliqvot hominum, toto æstivi temporis spatiô, recente tantùm victitabant. Qvam hoc in tractu ejusmodi piscis abundantiam, si pro justâ magnitudine describerem, certè vix fidem apud lectorem inventurum spero; nam hac tempestate vix, ac ne vix qvidem, utpote omni piscium copiâ, non solùm hoc in flumine, sed in hisce ubiqve oris magis magisqve decrescente, tertiam partem suppeditat.

Qvinqve a litore milliaribus supra templum Mandalense, hujus districtus primarium, qvod Bielland vocant, templum conspicitur, ad jam dictum amnem Mandalensem exædificatum; qvi ibidem ponte, ê longissimis lignis, magnâ arte laboreqve inter duas rupes, octodecim ab ipso flumine, illas hic intersecante, cubitos altas, constructô jungitur, qvem tamen pontem, imbrium nivosarumqve aqvarum augmento tumidus, haud raro attingit. Hinc semimilliaris in septentrionem longitudine, apud villam qvandam, nomine Foss/ inauditô mirôqve piscandi utuntur modo; in immenso qvippe gurgite, prope cataractam haud mediocrem, piscator ratem in hos usus factam conscendit, & rupem domûs instar concavatam, qvæ ad gurgitem exsurgit, magnâ celeritate adverso flumine nitens, subit, illamspeluncam magnâ cum difficultate intrat, salmonesqve ibidem commorantes, qvandoqve decem, aliqvando etiam viginti, præter propter, expulsos, collegis suis, secundô amne delatus, capiendos tradit. Qvi verò huic non asveti piscationi, rupem subeunt, sæpius semimortui re infecta cum rate vi fluminis ejiciuntur: est enim hic piscandi actus valdè periculosus, uno namqve ratis tigillo solutô, de illorum, qvi ista vehuntur, sive unus sit, sive plures, vitâ actum est, immani cataractâ eos rapiente & absorbente. Hic olim tanta salmonum capiebatur abundantia, ut qvotannis ejusdem piscis saliti duodecim tonnæ, id est viginti qvatuor amphoræ, decimarum locô persolverentur, cum hoc tempore ejus duodecimam partem qvandoqve vix excedat.

Nomarchia Mandalensis, in freto Randeyasundâ incipiens, ad scopulum Kragen maritimô tractu in qvinqve milliarium longitudinem extenditur; omnibus etiam commodis, qvæ in Nidnesensis præfecturæ descriptione commemoravimus, præterea salmonum abundantia, Topdalo, Torvedalo, Sognedalo & Mandalo pariter communi, qvondam etiam superfluâ, meritò celebranda.

CAP. XII.

DE LISTENSI PRÆFECTURA.



TErtia atqve ultima Agdæ præfectura Listensis est, templa viginti unum cum suis paræciis, qvæ a qvinqve tantum sacerdotibus administrantur, habens, qvarum hæ sunt præcipuæ:

Undalus vallis qvatuor ecclesiasticas parœcias, qvæ uni subsunt sacerdoti, continens, modicæ magnitudinis fluviô intersecatur. Sedes hîc est Sacerdotalis

Valle dicta, â qva ad Octavam circiter milliaris partem stagnum, nomine Tarvanger/ milliaris longitudine, locum habet, immensâ & inscrutabili passim profunditate, in qvo priscis temporibus unum Antistitem & sex sacerdotes periisse, vulgatâ relatione traditur.

Ab Undalô unius milliaris intervallô versus libonotum isthmus jacet, nomine Spangareid/ templô ê vivo saxo pulcherrimè exstructô conspicuus. Nomen ab eximio qvodam athleta Spang dicto, suô olim habitatore, postea inter cæteros heroas ibidem contumulatô, contraxit. Hunc eundem isthmum oceano sinuiqve Lenefiordo interjectum superioribus seculis perfodere, & navigantibus permeabilem reddere aggressi sunt accolæ, ibidem, si opus successisset, emporium fundaturi; verùm rupibus & petris, qvas terræ superficies contexerat, obstantibus, frustra ingentem hunc laborem, cujus in hodiernum usqve diem supersunt haud exigua vestigia, subeuntes, ab inceptô destiterunt. Hîc etiam Olafum Tryggvinum, Norvegiæ qvondam celeberrimum Regem, conventum celebrâsse, ejusdemqve athletas sagittando concertâsse, ingentis molis erecta saxa indicio sunt; in qvô certamine omnium fortissimum & sagittandi peritiâ ceteros longè antecellentem Einarem Thambaskelferem, intensô arcu, cui nomen Vomb/ octavam ferè milliaris partem (modò veteri famæ, & in facti perpetuam memoriam erectis saxis credendum sit, sagittâ permensum fuisse asserunt. Hinc promontorium, jam corruptè Lindisnesia, antiqvitus Lidandisnesia â vergendo sic dictum, eo qvòd regio hîc in boream reflexa vergat, milliaris longitudine in libonotum procurrens, semimilliaris latitudine, asper, collibusqve intumescens tractus, duodecim villas comprehendit, nullas arbores habens, qvas hîc, ut & omnes sylvas in cæteris Norvegiæ oceano objectis locis impetuosi venti, salsiqve maris exhalantes vapores devastant & corrumpunt. Est & hoc promontorium omnibus nautis, occidentalem oceanum peragrantibus, notissimum, & certissimũ Norvegici litoris indicium, â qvo ad remotas regiones cursum dirigere & instituere probè norunt, omniumqve Norvegiæ tractuum longissimè in meridiem protenditur. Litora hujus promontorii qvæ austrum spectant mox in aqvilonem, qvæ verò Zephyrum, in caurum, & deinde in septentrionem vergunt. Ab hoc promontorio qvartâ milliaris parte occidentem versus portus est inter cæteros celeberrimus, nomine Seleoi vel Seløe/ inter qvem & Listensem paræciam complures, eæqve sparsim, insulæ, ut & sinus & erumpentis maris impetu perforata litora, qvibus Lingdalus, continentis tractus, confinis est, interjacent. A sinu Undalensi ad qvintum versus aqvilonem milliare, sedes sacerdotalis, nomine Viclland/ cui qvatuor subsunt parœciæ, sita est.

Listria, à qva hæc nomarchia nomen obtinet, magna est paræcia, e saxo magnifice exstructum, omniumqve hujus diæceseos, qvæ in agris visuntur, amplissimum habens templum, maxima ex parte plana & campestris, magnam frugum copiam producit, maritimis commodis & piscium fœcunditate haud infelix. Est & hic oceano oppositus tractus navigantibus valdè periculosus, ad qvem, nocturno præsertim tempore, compulsi, haud raro naufragium patiuntur, cum nullus hic reperiatur portus, sed vicinum undeqvaqve mare scopulis & brevibus sit refertissimum. Huc appulsa est magna pars classis Christiani Secundi Daniæ Regis, qvâ ê Batavia anno Christi MDXXX. in Norvegiam vectus est, qvæqve violentâ tempestate ingruente fracta, cum multis vectoribus periit. Horum calvarias compluribus annis vicinis litoribus mare infundebat. Habet hæc paræcia â septentrione

ptentrione lacum, nomine Framvorde/ passim immensæ omninò altitudinis, cui imminens alta rupes seqventes runicas literas hoc ordine exhibet,

ᚢ ᚴ ᛁ ᛅ ᛁ ᛁ ᚱ ᛁ ᚦ ᛁ ᛚ ᛐ ᛋ ᛁ ᚿ

nostras hasce indicantes

U K I A I I R I TH I L T S I N

tam integras & perspicuas, ut nuperrimè inductas facilè qvivis credat, cum tamen aliqvot seculorum decursu perduraverint: nec incisæ sunt rupi, sed mirandô sanè opere lapillô delineatæ videntur.

Porrò in tractū Listensem glires licet invehantur, ultra decimum qvartum tamen diem nullo modô vivere possunt, ut ut murium ibidem infinita sit multitudo.

De Qvinisdalo.

Ad occiduum Listriæ latus, sinus, qvem Qvinisfiordum vocant, duorum milliarium longitudine, versus aqvilonem litori infunditur, habens ab occidente insulam Hittereyam, unam paræciam complectentem. Ab intimo hujusce sinûs recessu incipiens vallis longô tractu versus mediterranea procurrit loca, Qvinisdalus, ab ingenti, qvem permeat, amne Qvinen dicto, vocata est. Hic idem fluvius loco qvodam perqvam angusto altas rupes intersecans, in subjectum solum magnam efficit cataractam (Maefos vocant:) mox velut siphone emissus, longiori a rupe interstitio prosilit, ubi sub proruente aqvâ, pontone ad rupem applicato, salmones adverso flumine cataractam saliendo superare nitentes, & irrito conatu mox decidentes, piscator excipit, periculosô sanè piscandi modô. Hîc, ut memoriæ proditum est, vir qvidam fratris sui percussorem fugientem ad internecionem persecuturus, cum in angustias redegisset, strenuo saltu, qvæ sola elabendi via restabat, cataractæ angustias, duodecim cubitorum latitudinis, transcendentem perseqvi haud dubitavit; verùm ulteriorem, ut destinaverat, ripam attingere minimè valens, sed in fluentum decidens, ab hoste vitæ periculô liberatus & in ripam extractus est: cui confestim hoc ingenti beneficiô sibi reconciliato fratris cædem impunitam condonavit.

De monte Qvinisheiden dictô.

Inter duas modò commemoratas valles, Lingdalum nempè & Qvinisdalum, mons magnus, qvem Qvinisheiden vocant, extollitur, trium milliarium latitudine versus Listriam protensus, omniumqve in maritimas hasce oras ab immensis mediterraneæ regionis jugis procurrentium longè maximus. Qvæ juga variis in locis varias sortiuntur appellationes; vocantur enim supra Qvinisdalum inter Oseraldum & Syrdalum Heckfield; inter Efiensem & Jadrensem tractus Langfield: inter Biuglandiam & Stafangriam Bychlefield; inter Settersdalum & Fiordensem districtum Joglefield; & paulò longius in boream extensa Houklefield; atqve inter Settersdalum & Haddingiadalum, & ad Valdresiæ deniqve occiduum latus Filefield; duodecim vel ad minimum decem milliarium latitudine.

De fluvio Syra.

Dimidiô ab insula Hittereyâ milliari, ingens fluvius, vulgatô nomine Syra, inter præruptas rupes horrendô adeoqve rapidô in mare proruit cursu, ut ab ipsius ostio aliqvot milliarium longitudine concitatum in oceano æstum nautæ deprehendant, ventôqve vehementiore

ejusdem oſtium ê contrario afflante, tantos vicinum mare fluctus ciet, ut ſcaphis & minoribus navigiis omninò inſuperabile reddatur. Hunc amnem, contra qvàm reliqvos, ſalmones nullo unqvam tempore intrant, qvod miraculi ferè loco ab incolis reputatur. Profluit autem inter aſperas rupes ex lacu qvodam nomine Lundevand milliaris longitudine, qvi haud exiguum fluvium, qvem Syredalsaa vocant, in monte paulo ante commemorato Langefield/ ortum, longoqve poſtea tractu vallem Syrdalum permeantem admittit.

Ad qvartum ab hujus lacûs fontibus milliare, in aſpero incultoqve illo monte, ſuperioribus ſeculis qvinqve villæ exſtructæ fuerunt, qvæ cum nec ſacerdoti ob rerum domeſticarum egeſtatem ſuſtentando ſufficerent, nec templum ob ſylvarum & materiæ inopiam incolæ ædificare poſſent; ſpeluncam elegerunt in montis cujusdam clivo, centum hominum capacē, in qvâ congregati Deum orarent, & circa ejusdem oſtium demortuos humarent, adqve illam ſibi in templum conſecrandam, Epiſcopum duodecim vaccis conduxerunt; in cujus facti memoriam duodecim vaccarum ſpelunca in hodiernum usqve diem appellatur. Verùm inſigni illa & ſatis notâ graſſante peſte, hæ ſuis incolis deſtitutæ & deſertæ villæ poſtea incultæ ſemper jacuêre; cum iſte tractus nivibus, tam æſtivô qvàm hyberno tempore, omnes hic valles & humiliora loca montiumqve ſeptentrionem ſpectantes clivos conveſtientibus, prorſus ſit inhabitabilis. In memorato lacu Lundevand/ prout in Heidmarchiæ lacu Mios/ imanem angvem marinum degere, patrumqve memoriâ aliqvoties in hominum prodiiſſe conſpectum, conſtanti relatione aſſerunt accolæ. Marinis angvibus huc primum pluiſſe facilè crediderim, nubibus recentes tales fætus attrahentibus, & hoſce in lacus unà cum pluvia rurſum dejicientibus.

Univerſi tractus a promontoriô Geirneſia, Agdæ terminô, ad amnem usqve Syram, per mare & terras milliarium numero dimenſa longitudo hæc eſt:

A promontorio Geirneſia ad inſulam Ryſeyam, qva ſinus, Sandfiordus dictus, in litus irrumpit - - - - ½ Mil.
Hinc in fretum Fidieſundam - - - 1 Mil.
Hinc ad inſulam Askereyam - - - - 1 Mil.
Hinc ad Lingeyam - - - - 1 Mil.
Hinc in fretum Trumeſundam - - - 1 Mil.

Habet inſula Trumeya in orientali litore portum, nomine Trundling/ qvam fretum Trumeſundam milliaris longitudine ad Madneyam usqve inſulam procurrens â continente dirimit. Hinc occidentem verſus propè vallem, qvam Arndalum vocant, Regio juſſu Petrus Hvitfeldius nobile illud navigium, Hannibal appellatum, conſtrui curaverat, Anno Chriſti MDLXIV, qvod poſtea ad Gothiæ oram confractum periit.

A Mardneya ad promontorium Heſtneſiam - - - 1 Mil.
Hinc ad Holmen graa - - - ¼ Mil.

Qvæ inſula occidentem verſus â ſcopulo nomine Hermanzhofut/ ad Vikæ latus ſito, conſpicitur, de qvibus hic circumfertur rhythmus.

Hermans hofvet oc holmen graa
Siger mangen af som aldria saa

ɔ: De Hermanzhofvit & holmen graa multi narrant qvi nunqvam viderunt.

A promontorio Heſtneſia in fretum Hamborgarſundam - 1 Mil.
Hinc ad inſulam Joſtereyam - - - 1 Mil.
Hinc ad Klofholmam - - - - 1 Mil.

Hinc

Hinc in fretum Ulfasundam - - - - ½ Mil.
Hinc in fretum Randeyasundam - - ½ Mil.
Prope qvam portus Ripervicha jacet.
Hinc ad occidentale sinus Flechereyensis ostium - - ½ Mil.
Ubi vastus sinus ad Topdalum usqve vallem, & tractum Otternesensem continenti regioni infunditur.
A Fleckereya in fretum Helgesundam - - - 1 Mil.
Hinc ad promontorium Taanesiam - - 1 Mil.

Inter qvæ sinum Trysfiordum dictum litora admittunt, in qvo insignis illa navis trium annorum spatio, anno nempe MDLXX, LXXI, LXXII Sanctus Olafus dicta, cujus carina septuaginta cubitorum fuit, constructa est. Ibidem, procurante Petro Hvitfeldio, ingens navigium anno Christi MDLIV ædificatum fuit.

Ad occiduum Taanesiæ latus, sinus Harkmarkisfiordus dictus, cum portu celebri, satis notus in terram irrumpit longitudine - ½ Mil.
A promontorio Taanesia in fretum Skierensundam - 1 Mil.

Qvod ab occidente duos, nomine notissimos, scopulos Koo & Kalf: vaccam & vitulum, ad portum Klosven eminentes, propinqvos habet. Paulo autem longius in occidentem provecto, sinus aperitur Mandalensis, ingentem amnem per Mandalum vallem profluentem excipiens, ad cujus ripam templum saxo structum, qvod Halsaa Kirche appellant, visitur.

A freto Skierensunda in sinum Undalensem - - 1½ Mil.
Hinc ad promontorium Lindisnesiam - - 1 Mil.
Hinc ad portum qvendam in ortum spectantem in Listensi districtu situm, satisqve tutum, nomine Esgvaag - - 1½ Mil.
Hinc præteritâ Listria ad Versteen - - 1 Mil.
Hinc ad insulam Hittereyam - - - - 1 Mil.
Hinc ad amnem Syram - - - - ½ Mil.

Hujus autem Agdensis regionis litoralis tractus â promontorio Giernesia in fretum Ulfasundam, libonotum versus, & deinde ad promontorium Lindisnesiam inter libonotum & Zephyrum procurrit, Listensi tandem omniqve reliqvo ad fluvium usqve Syram litore rectâ fere in japygem vergente. Innumeri sinus, freta, portus, magnæ parvæqve insulæ in his oris reperiuntur.

Verum â Tunsberga, ad insulam Mardneyam - - 12 Mil.
Hinc ad promontorium Lindisnesiam - - 12 Mil.
Uno qvolibet hoc milliari qvintâ parte Danico longiore.
Maritimos jam Agdæ tractus recensuimus: milliarium per continentem numerus restat.
A promontorio Geirnesia caurum versus ad Geirstadum sedem sacerdotalem - - - - - 1 Mil.
Hinc ad Holtam sacerdotale prædium - - - 5 Mil.
Ab insula vero Trumseya à mari dissitum est prædium Holta - 1½ Mil.
Hinc ad Oyestadum etiam sacerdotalem sedem a promontorio Hestnesia non longe distantem - - - - 4 Mil.
Hinc ad Humedalense sacerdotale prædium ab intimo Straumsfiordensis sinus recessu haud remotum - - - 1 Mil.
Hinc ad Molandensem sacerdotum sedem - - - 2 Mil.
Hinc ad Topdalensem - - - - 2½ Mil.
Hinc ad Otternesensem, libonotum versus - - 1 Mil.
Hinc in vallem Sognedalum - - - - 2 Mil.

Hinc ad Mandalum - - - - 3 Mil.
Hinc ad Undalenſem ſacerdotis ſedem - - - 1 Mil.
Hinc ad Lingdalum - - - - 2 Mil.
Hinc in vallem Qvinisdalum - - - - 3 Mil.
Hinc ad lacum Lundevand/ occidentem verſus, ex qvo amnis Syra profluens in mare currit - - - - 2 Mil.

Reſtat tandem ut mediteranei tractûs longitudo deſcribatur, qvæ ita ſe habet:

Diſtat â ſæpiùs dicto promontorio Giernesia, modo comemoratus Geirſtadus, japygem verſus - - - - - 3 Mil.
Hinc in caurum ad Ombli ſacerdotale prædium - - 5 Mil.
Hinc ad Byglandiam inter caurum & favonium procurrendo - 8 Mil.
Hinc ad Settersdalum japygem verſus - - 6 Mil.
Cæterum a Byglandia ad Efvienſem ſacerdotis ſedem libonotum verſus - - - - - - 3 Mil.
Hinc ad Ombli iterum, primum in orientem & deinde in occidentem reflectendo - - - - 5 Mil.
Ab Efvia in libonotum ad templum usqve Biellandenſe - - 5 Mil.
Agdæ diſtrictus triangularis, tribus æqvalibus conſtat lateribus, qvorum primum â promontorio Geirnesia ad amnem usqve Syram in libonotum, & poſt in occidentem tendens complectitur 21 Mil.
Secundum ab hoc fluvio ad vallem Settersdalum in aqvilonem 21 Mil.
Et hinc tertium ad Geirnesiam in euronotum procurrens etiam complectitur - - - - 21 Mil.

De Agdarum Regulis

Abhinc circiter octingentis annis, ante Haraldi Pulchricomi tempora, compluribus Regulis Norvegiam occupantibus, hic etiam diſtrictus ſuos habuit dynaſtas, qvosdam, ut ante diximus, in Geirſtadis habitantes, & qvosdam in Liſtenſi tractu ſedem eligentes, ubi in editi montis ſupercilio, rupi inædificatæ arcis, cui Sejervold/ a Sejero vel Sigurdo, hujus ditionis qvondam Regulo, nomen impertitum, rudera ævoqve caduci muri viſuntur, prædia autem nobilia pauca hic antiqvitùs fuêre, neqve his temporibus multa deprehenduntur, nullaqve omninò cænobia, cujus cauſam piratarum imodica latrocinia, hanc oram præ cæteris omnibus, ob portuum comoditatem, continuis latrociniis crudelitèr infeſtantium & divexantium, fuiſſe conſtat, tum etiam qvod hic diſtrictus, ſi reliqvis Norvegiæ præfecturis comparetur, ſterilis ſit & macilentus.

CAP. XIII.

DE ROGALANDIA, SEU RYARFYLKENSI PRÆFECTURA.



Rajectò tandem fluvio Syrâ, in Rogalandiam ſive Rygafylke perventum eſt, in duas jam nomarchias diſtributam, qvarum auſtralior Jadrenſem & Dalenſem tractus, Septentrionalior Fiordenſem tantùm in boream ad ſinum usqve Hardangrenſem extenſum continet. Univerſæ hujus regionis tractus maritimus a fluvio Syrâ ad Hardangriam, qvindecim

cim circiter milliaria longitudine complectitur. Rogalandia olim totus hic districtus, ejusqve incolæ Rogar dicti sunt, & postea successu temporis Ryerylke / & incolæ Ryger / qvod nomen hac tempestate Fiordensis tantum ditio sibi vendicat, vulgo Ryerfilke vocata, cum Jadrensis & Dalensis per se nomarchiam constituant, utet Fiordensis, generali vocabulo Stafangerslen incolis vocantur, â Stafangria vetusto oppido, in medio hujusce regionis litore sito, Jadrensem & Dalensem â meridie, â septentrione verò Fiordensem sev Ryerfylkensem tractus habente.

De Jadrensi & Dalensi nomarchiis.

Jadrensis & Dalensis, ut modò dictum est, ditiones, unâ comprehenduntur nomarchia, cujus septentrionalior pars Dali sev Dalensis tractus, inter asperos editosqve jacens montes, qvatuor hasce seqventes parœcias continet.

Prima eorum est Sognedalensis, eaqve maritima caurum versus â fluvio Syra distans, longitudine - ½ Mil.

Secunda Lundensis, ad magnum illum lacum Lundevand sita, â fluvio Syra septentrionem versus intervallo - - 1½ Mil.

Tertia Hellelandensis in montanis sita, â Sognedalensi japygem versus distat - - - - - - 3 Mil.

Qvarta & ultima Eikersundensis maritima, a Sognedalensi occidentem versus - - - - - - 3 Mil.

Et ab Hellelandia dirempta longitudine plus minus - 1½ Mil.

asperis & inhabitabilibus tesqvis (Svadeheden incolæ vocant) â Sognedalo dividitur. Fretum autem Eikersunda, Milliaris tantum longitudine, haud exiguam insulam, nomine Eikereyam, qvam a continente dirimit, ab occidente habens, tres ingentes amnes ê continentis litore prorumpentes, omnes salmonibus fœcundos, excipit, portu omnibus has perlegentibus oras communi, satisqve tutô, notissimum.

De Jadrensi tractu.

Hæc ditio incolis Jadar / eo qvod æqvali rectoqve litore oceano opponatur, dicta (Jadar enim lingvâ antiqva fimbriam vestimenti aliarumqve rerum extremitatem denotat) milliaris tantum a litore latitudine, pulchrâ planitie versus montana procedit, milliaris fermè a freto Eikersunda spatio septentrionem versus apud ecclesiam Ognekyrke dictam portumqve vulgari nomine Syrevog incipiens, septem milliarium longitudine hasce præcias complectitur.

1 Haaff / ad medium hujus ditionis sita est litus, ubi exiguus & celocibus tantum idoneus reperitur portus, amnem salmonum fœcunditate abundantem excipiens.

2 Lye / qvæ a litore tantum abest intervallo - - - 1 Mil.

3 Klep a litore dimidii miliaris spatio remota, ad fluvium Figien appellatum, salmonum copiam abunde suppeditantem, sita est, & ab Ognensi paræcia septentrionem versus distat - - 4 Mil.

4 Haaland maritima parœcia, septentrionem versus â Klep distat longitudine - - - - - - ½ Mil.

5 Sand in montanis sita locis, â maris crepidine in ortum distat 1 Mil.
ab Ognensi verò ecclesia septentrionem versus - - 5 Mil.

Hinc japygem versus ad emporium Stafangriam - - - 1 Mil.

Hinc

Hinc ad promontorium Tungunesiam, ultimum Jadrensis tractus terminum, etiam in japygem - - - 1 Mil.

De Stafangria.

Situm est hoc oppidum Stafangria ad sinûs, qvem & Tungufiordum & Buknesiordum vocant, qvoddam in evronotum erumpens diverticulum, nomen a vicino scopulo, Staf dicto, & vocabulo angur (priscâ lingva mare significante, adeptum,) exiguum qvidem nostro tempore emporium, sed cujus priscæ magnificentiæ & amplitudinis, splendide ornateqve exstructa Basilica (cui, excepta unâ Thrandensi æde primariâ, nullum magnificentius, nec comparandum sane templum in tota Norvegia invenitur) pulcherrimæqve ædes Episcopales, certa & satis conspicua sunt indicia; visunturqve hodie ad octavam circiter milliaris partem ab illis, qvæ jam supersunt, ædificiis, antiqvarum domuum vestigia, lapidibus constratarum viarum distincta interstitiis, civesqve municipes olim septingentos, &, ut qvidam volunt, mille octingentos habuisse traditur: Cæterum hi seqventes Episcopi Stafangrensem administrârunt diæcesin.

1 Ranaldus, natione Anglus, Haraldi Gillii Norvegiæ Regis jussu innocens suspendio interemptus.
2 Jon, postea Thrandiæ Archiepiscopus, qvam omnium primus hic suscepit dignitatem.
3 Petrus
4 Amundius.
5 Eiricus, electus anno Christi MCLXXXV.
6 Nicolaus vel Niall, electus anno Ch. MCLXXXV.
7 Henricus, electus anno Christi MCCVII.
8 Eschill vel Aschell.
9 Thorgils anno Christi MCCLXVI.
10 Arnius MCCLXXXIV.
11 Ketill, electus anno Ch. MCCCIII.
12 Eiricus, electus anno Christi MCCCXXI.
13 Guttormus, electus anno Christi MCCCXXXVIII.
14 Arnius vel Arnoldus.
15 Olafus anno Ch. MCCCXL.
16 Botolfus, electus anno CHRISTI MCCCLXXIX. primus templo cathedrali subjecta prædia omniaqve ejus bona in unum libellum conscribi curavit.
17 Hacon anno Ch. MCD.
18 M. Audun Eyvindi filius anno Ch. MCDXXVI. primum Eirici Pomerani Daniæ Regis concionator, & postea Stafangrensis Episcopus, universæ hujus diæcesis templa summâ diligentiâ restauravit, magnificeqve ornavit, cujus insigne arietis caput fuit.
19 Gunnarus vixit anno Christi MCDXLVIII.
20 Sigurdus vixit Ao. Ch. MCDLXI.
21 M. Alfus, sev Adolphus, electus anno Christi MCDLXIII.
22 M. Eylifus seu Elephus obiit anno Christi MDXII.
23 M. Höfculdus Höfculdi filius, electus anno Christi MDXIV, captus cum cæteris Norvegiæ Episcopis anno Christi MDXXXVI. obiit Bergis.

Lutheranæ autem sectæ hi fuerunt Stafangriæ Antistites.

1 Jonas Guttormi filius, inauguratus anno Christi MDXXXVII. officium anno Christi MDLVII, sponte deposuit.
2 Janus Riberus obiit anno Christi MDLXXI. ad decrepitam provectus senectutem. Longo hic antea tempore in insulis Fœreyis Antistitis functus est officio, donec, Gallicis piratis illas infestantibus oras, huc accessit, eas deserere coactus.

3 M. Geor-

3 M. Georgius Eirici filius obiit anno Christi MDCIV.
4 M. Laurentius Claudii filius Skabo Cathedram adiit anno Christi MDCV. obiit Ao. MDCXXVII.
5 M. Thomas Curtii filius Veignerus, Cathedram adiit anno Christi MDCXXVII.

CAP. XIV.
DE NOMARCHIA FIORDENSI SEU RYARFYLKIA.



Ecunda Rogalandiæ nomarchia Fiordi seu Ryarfylkia vulgari nomine appellatur, duodecim habens paræcias, omnes vastissimô illo sinui circumjectas, qvi inter promontorium Tungunesiam ab austro & Bucken (scopulum sinui Buchnico adjacentem) ab aqvilone duorum milliarium latitudine ex oceano irrumpit, atqve in multos variosqve sinus & freta, qvæ in variis locis varias sortiuntur appellationes, dispergitur. Universam illam ditionem generali vocabulo Fiordene jam vocant incolæ.

De insulâ Cormt / & freto Carmsundensi.

Tribus ab antedicto promontorio Tungunesia, japygem versus, milliaribus, insula, antiqvo nomine Cormt (nunc Carmen vocant,) novem plus minus milliaria in circuitu, sita, seqventes paræcias habet; qvarum prima numeratur Augvaldznesensis, ubi sedes sacerdotalis Augvaldznesia â Rege Augvaldo sic dicta, qvi primus Regum eum habitandi locum elegerat, postea cum vaccâ, qvam pro Deo coluit, ibidem contumulatus, multorum deinde Regum, & Haraldi qvoqve Pulchricomi, sedes fuit, in medio insulæ ortum spectantis latere, ad fretum Carmsundam, cum circumjecta paræciâ sita. Hic templum, vel potius sacellum, qvod vulgari nomine sacellum Regium vocatur, unum ex qvatuor, qvæ laudatæ memoriæ Rex Olafus Tryggvinus, Christianæ hoc in Regno religionis fundamenta jaciens, sacris peragendis dicata primùm exstrui curaverat, e saxo excitatum, cujus jus patronatus penes Reges erat, donec Eiricus Pomeranus Daniæ Norvegiæqve Rex hoc Episcopis usurpandum concessit, magna qvondam redituum abundantiâ ditissimum. Hodie nihil præter rudera ostendit. Prope hoc ingens templum Haconis Senioris, Norvegiæ Regis, sumptibus magnificè ê vivo saxo exædificatum conspicitur, cujus tantum chorus, in qvo hoc tempore res sacræ solô peraguntur, integer remanet, cæteris parietibus ruinam qvotidie minantibus. Secunda Skutenesensis Paræcia, australem insulæ partem occupans. Tertia Torvestadensis, semimilliaris spatio septentrionem versus ab Augvaldnesia borealis insulæ Cormtis tenet litora, â qvibus in occidentem, ad tertium præterpropter milliare, in vasto oceanô visitur insula, Utsyra dicta, decem vel duodecim villas, qvæ unam faciunt paræciam, complectens, qvam Torvestadensis etiam sacerdos administrat & non sine periculo, tempore præsertim hiberno, sæpè adit.

Fretum autem Carmsundum, e meridie in septenttionem prorumpens, tribus milliaribus longum, insulam Cormtem â continente dirimit, hinc boream versus ad oppidum usqve Bergas continuæ ferme insulæ continentis litus præcingunt, & tutum iter navigantibus præbent.

Fiordenſis ditionis paræciæ hæ ſunt:

Skioldenſis paræcia ad intimum, japygem ſpectantis, magni illius, qvem pauló ante commemoravimus, Stafangrenſis ſinûs, ſita eſt receſſum.

Hinderaaenſis paræcia ab hâc caurum verſus jacet. Hinc Vigedalenſis ortum verſus ab utraqve hac ad interiora ejuſdem ſinus litora.

Suledalenſis inde in ortum altisſima montium ſuſpiciens juga, ſacellum habet in Ordalenſi exiguo tractu, aſperrimis interjecto montibus, unde per arduum montis jugum ad Setterſdalum, vallem antedictam, datur acceſſus. Telſenſis paræcia â Suldalenſi in meridiem extenditur, & hinc Hielmelandenſis in evronotum, unde Strandenſis in auſtrum evronotumqve eſt expanſa. Finneya & Rendiseya duæ paræciæ, cum circumjectis inſulis, in magno hoc ſinu ſparſim ſitis conſpiciuntur.

Hæ omnes paræciæ cum ſuis templis in circum ferme ſunt diſpoſitæ. Gandenſis in auſtrali hujusce Stafangrenſis ſinûs ora poſtrema eſt.

Stafangria oppidum in tractu Jadrenſi verſus libonotum locum obtinet, unde in japygem Rannebaaenſis jacet eccleſia, non procul a promontorio Tungunesia, ubi illum, de qvo diximus, ſinum, littora admittunt.

Occidentem verſus a Rendiſeyâ inſula, & a Stafangria ſesqvimilliaris longitudine verſus japygem, cænobium viſitur, qvondam magnificum, nomine Utſteins Kloſtur/ hoc tempore privatorum hominum poſſesſio.

Verùm majores minoresqve inſulæ, per ingentem hunc ſinum Stafangrenſem diſperſæ, magni parviqve ſinus ex eôdem diffuſi, & longisſimô tractu humiliora terrarum ſpatia altiſſimis interjecta montium jugis interſecantes, tantæ ſunt multitudinis, ut nec enumerari, nec deſcribi facilè poſſent, magnaqve hic paſſim ſalmonum copia capitur, præſertim in Digredalo, Hielmelandia & Fraefiordo, ut & in Suledalo, ubi tantæ olim capiebantur magnitudinis, ut ſex tantùm ad tonnam implendam ſufficerent.

Jadrenſis & Ryarſylkenſis nomarchiarum maritimæ oræ in certa milliaria diviſa longitudo.

A fluvio Syra japygem verſus ad vallem Sognedalum - $\frac{1}{3}$ Mil.
Hinc ad portum Eigerſundam - - - 2 Mil.
Fretum vero Eigerſunda conſtat longitudine - - 1 Mil.
Hinc ad portum Syrevog/ ubi Jadrenſis incipit tractus - 1 Mil.
Hinc ad oſtium amnis Haavog / toto hoc litore in Japygem procurrente - - - - 3 Mil.
Hinc in ſeptentrionem confragoſa lingula, nautis infeſta & diligenter cavenda, milliaris longitudine japygem verſus in mare exſeritur.
Ab Haavog caurum verſus ad inſulam Rott - - $2\frac{1}{2}$ Mil.

E cujus regione haud ignotum portum, nomine Tannanger/ in continentis litore mare efficit.

Ab inſula Rott occidentem verſus oceano oppoſitæ, inter complures, in qvibus tam hyberno, qvam æſtivo tempore liberè vagantes paſcuntur boves, duæ nominantur inſulæ, Tior & Haaſteen / ad hanc anno Chriſti MDLVIII Regia qvædam navis, qvinqve inſignes vehens campanas, baſilicæ Stafangrenſi detractas, vehens, confracta periit.

Ab inſula Rott ad promontorium Tungunesiam, ultimam Jadrenſis ditionis oram, ſeptentrionem verſus - - $1\frac{1}{2}$ Mil.

Hinc

Hinc in euronotum ad emporium Stafangriam - - 2 Mil.

Ad Jadrenſe præterea oceano oppoſitum litus, naves haud raro, nocturno præſertim tempore obductis tenebris, impingunt, ubi noſtrâ ætate tres ingentes & cæteris longè majores liburnicas confractas eſſe conſtat. Primam anno Chriſti MDLVIII, magnis & pretioſis onuſtam mercibus ex Hiſpania redeuntem. Secundam anno Chr: MDLXVII, qvæ ſaccaro, pipere & aliis aromatibus onerata ex India redierat, univerſis nautis in undis pereuntibus; mercium magna copia ab incolis aqvis erepta fuit. Tertiam verò aliqvot ab illó tempore præterlapſis annis, qvæ etiam magni pretii mercibus ſatis fuerat dives. Multa alia magna parvaqve navigia, in has qvotannis oras incidendo, fracta undis ſubmerguntur.

Ab inſula Rotr japygem verſus ad inſulam Hvitingſeyam nomine, unam complectentem parœciam - - 2 Mil.

Hinc japygem qvoqve verſus ad promontorium Skutuneſiam - 1 Mil.

Ibi incipit antedictum fretum Carmſundum, unde ad fretum Hofveſundam - - - - - 4 Mil.

Hinc Sletten protuberans litus, ſine inſularum munimento oceano oppoſitum prætereundo ad ſcopulum, vulgari nomine Hornnagle/ - - - - - - - 3 Mil.

Ubi Ryefylkenſi nomarchiæ, atqve diœceſis Stafangrenſis fines ſunt, omni hoc litoris tractu in caurum vergente.

CAP. XV.

DE BERGENSI DIOECESI.



Eragratis jam ordine tribus Norvegiæ diœceſibus, qvartam aggrediar, qvæ Bergenſis dicitur. Hæc a ſinu Hardangrenſi ſeptentrionem verſus ad Sunnmæriam usqve expanſa, ſeqventes continet præfecturas: Sunnhördalandiam, Nordhördalandiam, Hardangriam, Sogniam, Fialas & Fiördos, id eſt, Sunnfiordum & Nordfiordum.

De Sunnhördalandiâ & Nordhördalandiâ.

Duobus â freto Cormtenſi in ſeptentrionem milliaribus, apud ſcopulum Hornnagle / nunc Tiornagle dictum, ubi etiam portus eſt haud ignotus, ſinus Hardangrenſis duodecim milliariû longitudinis continenti ſeſe infundit, aqvilonem verſus procurrens, cujus occidentalior pars Sunnhördalandiam â ſeptentrione habet, tam continentem, qvàm in inſulas diſperſam regionem occupantem. Verùm interiora illius ſinûs litora intimumqve ejus receſſum Hardangria obtinet.

Ab Hornnagle autem japygem verſus milliaris longitudine in ſeptentrionem ab ipſius Hardangrenſis ſinûs oſtiô, magna oceano circumfuſa viſitur inſulà, qvam Bimmelen vocant, qvæ aliam ab oriente in äëra altè exſurgentem habet, nomine Siagen / ad cujus orientem ſpectans litus, inſula, Moſtur dicta, portu ſatis celebri Moſturhafn non ignobilis, ſita eſt. Hæ omnes magnæ vaſtitatis inſulæ, parochiales aliqvot continent eccleſias, Moſtrenſeqve templum, omnium primum in univerſo Norvegiæ Regno, Regis Olafi Tryggvini, circa annum Chriſti CMXCVII, auſpiciis exſtru-

ctum fuisse vulgò creditur, extra cujus sepulcreti murum admiranda sane manuum, digitorum, cubituum, pedum qvoqve & genuum, cæterorumqve nudi hominis membrorum, in durissima rupe conspicua hodieqve vestigia visuntur, ad eum maximè modum, ac si corporis velamento nudatus homo hic ambulasset, saltâsset, & postea cecidisset. Japygem versus â Mosture, celebratissimâ insula, antiqvo nomine Stord/ jam Stolen vocant, locum habens, tribus longâ milliaribus in septentrionem protenditur, Regum priscorum qvondam sedes, præsertim Haraldi Pulchricomi, & eô mortuo filii ejus Haconis Adalsteini alumni, qvi cum suis patruelibus, Haraldo nempè Grafeldo & ejus fratribus, de rerum summa hic conflixit, qvam pugnam Saxo Grammaticus atqve Crantzius qvalicunqve modo descripsêre. Hisce autem temporibus in eadem hac insula, multis magnisqve commodis felicissimi nobiles agri exstant. Ad tertium hinc in ortum milliare aqvilonem versus a portu Mostur hafn Halsneya insula occurrit, magnificô qvondam ornata cænobio, qvod Halsnøe Klo-ster/ sinumqve hoc in loco eandem cingentem insulam Halsnöefiordum vocant. Hinc ad intimum suum recessum Hardangrensis sinûs appellationem sortitur, Hardangriam ditionem utroqve latere alluens. Qvæ hoc nomen a fame & cibariorum penuria, ea adepta est tempestate, qva Reges Norvegiæ Haraldus Grafeldus, atqve ejus fratres in insula Storda domicilium habuerunt annonæ ingravescente caritate, magnô stipati satellitio, cui alendo, qvotidie exhausta, vix, ac ne vix qvidem, sufficiebat. Molarium præterea lapidum ingens copia Hardangriæ rupibus excisa in plurimas postea Norvegiæ distrahitur præfecturas, utet petrarum vastarum atqve tenuium, pani tenuissimo, qvem Flatbrod vocant incolæ, excoqvendo accommodatarum, exsiccandoqve frumento, qvædam duorum cubitorum longitudine, & sesqvicubiti latitudine. Hic etiam sali excoqvendo operam olim dederunt, qvod tamen fusco & nigricanti semper fuit colore, prout illud, qvod apud Osloam coqvitur. Cæterum de pane illo Flatbrod dicto, plura hîc dicere libet.

Petræ itaqve illæ, ut mox commemoravimus, ex Hardangriæ erutæ montibus, & postea recisæ, complanatæqve formâ sunt circulari, transversum digitum crassitudine non multum superantes, trium plus minus cubitorum circumferentia, qvæ minoribus saxis impositæ, eisqve in circum dispositis suffultæ, igne succenso calefiunt, & jam qvantum libet calefactis placentæ petrarum ferme adæqvantes circumferentiam, depsatâ prius massâ, in mensâ diductæ & explanatæ ad brassicæ ferè foliorum tenuitatem (qvo enim tenuiores sunt, eo meliores & sapidiores) ligneâ spatâ sublatæ superimponuntur, mirâ qvidem solertia, qvod tractatæ inter transponendum non disrumpantur: deinde indurantur, aqvaqve respersæ continuè versando excoqvuntur, qvod opus citius qvam qvis credat perficitur. Deinde in mensis, ut plurimùm fulcris sustentatis, ne arrodantur â muribus & gliribus, sibi invicem superinjectæ coacervantur, donec in trium vel qvatuor cubitorum altitudinem exsurgant. Multi certè ob istum panem, utet cæteras vitæ sustentandæ hîc inventas res necessarias, hanc rident regionem, ignorantes, aut iniqvè perpendentes, neminem ulli unqvam regioni meliorem fortunam præstantiorave dona & commoda largiri posse, qvàm ipse omnipotens Deus ei communicavit, & sua munificentia concessit, eamqve hunc defectum multis magnisqve felicitatibus compensare, cum tamen panis ille nullatenus contemnendus sit, nec absqve magna necessitate, plurimisqve comitantibus cõmodis, ejus conficiendi

inventus

inventus atqve excogitatus modus, qvorum aliqvot enumerare non piget. Itaqve in primis ſciendum eſt, pauciſſimis hîc in locis ſiliginem producere agros, nec purum inveniri hordeum, qvod avenâ ſemper conſperſum, & ad dimidium, ut plurimum fit, commixtum deprehenditur, ob immodicum frigus, hordeô & ſiligine in avenam hîc ubiqve degenerantibus, qvod hordeum ſive avena in tenuiſſimas haſce, ut diximus, placentas redactum longè melius ſapit, qvam ſi aliam in formam aut modum tranſtuleris, præſertim ſi aliqvid ſiliginis admiſtum habeat. Hæ præterea placentæ, magis ad alimentum conferunt, meliusqve & citius ſaturant homines, qvàm ullus alius panis, non absqve commodo & magno incolarum emolumento: nec tam citò mucent vel ſitu corrumpuntur qvàm alius haud raro panis, ſed qvo diutius ſervantur, eo meliores ſunt, annosqve qvindecim vel viginti, vel etiam qvadraginta, incorruptæ durant, licet tantæ vetuſtatis inſipidæ & auſteræ qvandoqve reddantur.

Cum autem univerſa Norvegia, paucis exceptis provinciis, frugum penuriâ laboret, & hæ qvoqve, ubi fruges aut verno tempore gelu & aeris rigore, aut æſtivo Solis fervore, in depreſſis inter altiſſimos montes vallibus multùm ſæviente, exurantur, vel etiam autumnalis tempeſtatis frigus & immanitas eis officiat, ne ad perfectam perveniant maturitatem, ac itaqve inſeqventi anno ſementi faciendæ prorſus inutiles fiant, aut continuis imbribus, tempore præſertim verno, omnino corrumpantur, indeqve annuo proventu cives deſtituantur, qvod ſummam & intolerabilem annonæ caritatem facilè efficit; colonus ferme qvivis tantâ hujus panis inſtructus eſt copiâ, qvanta annuo ſpatio ad vitæ ſuſtentandæ uſum ſufficiat, viſunturqve in eorum ædibus decem vel viginti, ſecundum cujuscunqve facultatem, ejusdem panis acervi, ſinguli unam, qvandoqve etiam ſesqvitonnam excoctæ continentes farinæ, & ex his multi viginti ante annos confecti. Superioribus tamen ſeculis eis coqvendis & cumulandis longe major qvàm hiſce diebus opera impenſa eſt, in eum ſolummodo finem, ut ſi fortè bello exorto, omnibus præcluſis itineribus, adventitio fruſtrarentur frumento, domeſticiqve agri opem negarent, unius duorumve annorum ſpatio pane non egerent. Verum in maritimis hujus regni oris, qvæ ab exteris freqventantur mercatoribus, ex tritico optimo, Germanicave ſiligine confecto pane, atqve ex variis regionibus advecto, haud ſecus qvam fertilioribus & ditioribus in terris ſuſtentantur incolæ, vel etiam multo largius utuntur, pauperes ubiqve omnium rerum inopiam tolerant, paucis tamen in locis minorem qvam hoc in Regno.

De parœcia Qvindherrit, & monte Fuglefang.

Ad interiora ſinûs Hardangrenſis litora tres ſitæ ſunt parœciæ, Bergenſi ſubjectæ diæceſi, qvarum una ad intimum ſinûs terminum jacens, nomine Qvindherrit altos ſuſpicit montes præſertim ab eo, qvod evronotum excipit, latere, ubi inter cætera immanis altitudinis montis eminet cacumen, perpetuis damnatum nivibus, vulgari vocabulo Fuglefang dictum, ab avibus nempe, paſſeribusq; in ejusdem diſruptæ & frigoris vehementiâ dilapſæ nivis ruinis & cavernis degentibus, infinitæ multitudinis, qvi varios referentes colores, puta album, nigrum, viridem, flavum, rubrum, &c. hunc in montem turmatim ſeſe recipere viſuntur, ſed tamen nullo modo vel arte capi poſſunt, cum nivoſum hoc jugum præ va-

ſtis profundisqve hiatibus atqve nimia altitudine omninò ſit inacceſſum. Hoſce paſſeres imperitum olim vulgus, Pontificiis occæcatum tenebris, damnatorum eſſe animas avium ſpecie apparentes, & hic perpetuò vangantes, inſana tactum ſuperſtitione credidit. Qvos paſſerculorum qvoddam, licet omninò rarum, eſſe genus, in nivoſo illo montis cacumine degens, victum qværens & genus propagans, neminem ſanæ mentis inficias ire puto. Hoc jugum Fuglefang tantæ eſt celſitudinis, ut duobus altiſſimis montibus, Guſte nempe in Thelemarchia, & monti Joklefield dicto tertium annumerari facilè mereatur, qvibus nullus ſane a meridionali Dofrinarum alpium latere altitudine comparandus in Norvegia invenitur.

Non procul ab intimi ſinûs Hardangrenſis litore exigua ſita eſt parœcia, nomine Eidsfiordus, qvam ſuperioribus ſeculis Stafangrenſis Antiſtes permutando, & aliam non longè â freto Cormtenſi in ſeptentrionem jacentem, qvæ Svedeſogn dicitur, retribuendo, a Bergenſi Epiſcopo in eum accepit finem, atqve diæceſi Stafangrenſi adjecit, ut ad Haddingiadalenſem eccleſiam viſitandam, hic comitatum neceſſariumqve viaticum ad montanum iter conficiendum inpromptu habeat. A Stafangria ad hanc Eidsfiordenſem paræciam octodecim milliaria numerantur verſus aqvilonem, & hinc per ingentem & aſperum montem Halnefield vel Hardangersfield incolis dictum, ad vallem Haddingiadalum (de qva in Agershuſenſis diſtrictûs deſcriptione habetur) qvatuordecim ſunt milliaria; nec in illo univerſo montano tractu ullæ villæ, aut culti ſoli veſtigium invenitur, ſed aliqvot domunculæ, longis diſtinctæ ſpatiis, qvarum una Biſkopsboe/ ſeu ædes Epiſcopalis, vocatur, excitatæ ſunt, in qvibus viatores pernoctant, & a tempeſtatum injuriis ſeſe tutantur. Legibus præterea vetitum eſt, hunc montem a ſancti Bartholomæi die, ad feſtum usqve crucis, qvod in vernum incidit tempus, tranſcendere, ne, ut ſæpe fit, nivibus obruti homines, aut per errorem in devia ſeducti, ſævâ urgente tempeſtate intereant. Ex Sigdalo qvoqve in Hardangriam proficiſcentibus, Haddingiadali auſtrum ſpectanti latere præteritô per eundem montem eundum eſt.

Cæterum in Hardangria, utet qvibusdam aliis ab hominum freqventiâ & habitationibus remotis ditionibus, in ſumma annonæ caritate, extrema neceſſitate compulſi incolæ, Ulmi vel abietis, vel etiam interiorem betulæ corticem cum frumento commoliunt, unde factô & excocto pane famem ſedant, aliqvantulo lactis, caſei aut ſylveſtrium avium carnis, qvibus aucupandis multùm ſtudent, adjecto; ut omninò inauditum ſit, hoc in Regno homines fame periiſſe, qvod tamen in longè fertilioribus regionibus qvandoqve contingit.

Univerſus tractus ab hoc, de qvo jam diximus, ſinu, ad qvartum ab oppido Bergis in ſeptentrionem milliare, priſcis ſeculis Hordalandiæ nomen obtinuit, cujus incolæ antiqva lingva Hørdar dicebantur, ejusdemqve hoc tempore auſtralior pars Sunnhordalandia vocatur, duas hodie nomarchias complectens, qvæ tria ſatis magnifica qvondam habuere cænobia, primum Halſneyenſe, de qvo paulo ante dictum eſt. Secundum Lysſenſe non procul â Bergis meridiem verſus excitatum. Tertium illud pulcherrimum Bergenſe monaſterium (Munkelif dictum) hoc tempore ſolo æqvatum; pluraqve hic olim, longe tamen minora & nomine inferiora, fuere.

CAP.

CAP. XVI.

DE MARITIMO ITINERE A FRETO CORMTENSI AD OPPIDUM BERGAS, UTET DE IPSO OPPIDO.



Ccidentem versus â portu Mostrensi duæ insulæ, Bimmelen & Siggen dictæ, sitæ sunt, qvæ â septentrione magnas parvasqve innumerabiles ferme insulas, longâ serie litori oppositas, habent, magnis parvisqve fretis diremptas, unde longo latoqve tractu ingentes sinus continenti infunduntur, & inter complures duo notiores, Korsfiordus & Biörnefiordus dicti. Has inter insulas continentemqve, a freto Cormtensi Bergas usqve, commodum navigantibus datur iter, in insularum autem litoribus, scopulis & portubus ingentes annuli ferrei, trium vel qvatuor ut plurimum cubitorum circumferentiâ, tantæ crassitiei & ponderis, ut vir, licet manu fortis, illos ægrè exigat, rupibus plumbô infixi visuntur, qvibus, necessitudine id efflagitante, rudentem annectere, duo vel tria, vel etiam plura simul possunt navigia.

Qvarta milliaris parte austrum versus â Bergis, exiguus est sinus, nomine Kiøckelwik / ante cujus ostium nautæ semper, môdo ê continente spiret ventus, vela contrahere necesse habent, ob impetuosissimum eodem ex sinu prorumpentem turbinem, qvem aspera hic montium juga, vel aere tranqvillo, præcipue efficiunt: unde incolis de qvavis ferme re necessariò sine mora evitandâ natum est proverbium: Stryg for Kiøckelvig ɔ: contrahe vela ante Kiöchelvikam.

De Bergis.

Hoc oppidum ab excelso, qvod suspicit, montis jugo (Berg enim antiqva lingva montem vel rupem significat) nomen adeptum, Ao. Christi MLXX. plus minus ab Olafo Norvegiæ Rege, cognomine Qvieto sive Pacifico, primò est fundatum, universi Regni Norvegici hoc tempore florentissimum, ob Germanicorum Hanseaticæ societatis mercatorum freqventiam, & mercimoniorum abundantiam. Habet â Septentrione arcem propinqvam, in eo exstructam loco, ubi templa olim fuisse constat, unde facilè qvis judicare potest, hoc emporium antiqvis temporibus multo amplius, qvàm hac est ætate, fuisse, & cum reliqvis hujus Regni universis oppidis decrevisse, qvod tamen damnum, crebris jam ædificiis, per spatiosum, mariqve superstructum, pontem exsurgentibus, qvadantenus compensari videtur. Hic Bergensis diœceseos Antistitis sedes est, cujus priscorum Episcoporum nomina ad annum usqve Christi MCCCL, qvo ingens exorta pestis atrocissimè in his oris grassabatur, ê libro qvodam Islandico descripsi, cæteris aliundè collectis, hoc ordine:

1 Biarnhardus Anglus.
2 Svenus.
3 Magnus.
4 Ottar.
5 Sigardus.
6 Nicolaus.
7 Paulus.
8 Martinus.
9 Havardus.
10 Arnius.
11 Petrus.
12 Ascatinus Anglus, consecratus anno Christi MCCLXXI.
13 Narvius, consecratus anno Christi MCCLXXVIII.

14 Ar-

14 Arnius.
15 Andfinnus ſive Arnfinnus. Ao. MCCCXIII, obiit Ao. Chriſti MCCCXXIX.
16 Hacon obiit Anno Chriſti MCCCXLI.
17 Thorſteinus, conſecratus anno Chriſti MCCCXLII.
18 Gisbertus.
19 Benedictus.
20 Jacobus vixit Anno Chriſti MCCCLXXVIII.
21 Aslacus.
22 Arnoldus.
23 Olafus.
24 Thorleifus vixit Anno Chriſti MCDL.
25 Andreas vixit Anno Chriſti MCDLV.
26 Olafus.
27 Finnbogus, Finno, vel Finnus.
28 Johannes Teiſtius vixit Anno Chriſti MCDLXXIV.
29 Andordus vixit Anno Chriſti MDVI.
30 Olafus vixit Anno Chriſti MDXXII. Hic non, ut cæteri Norvegiæ Epiſcopi, Anno Chriſti MDXXXV captus erat, ſed in Voſſenſem parœciam ortum verſus a Bergis ſitam, ſeceſſit, ubi ſub vulgi tutela reliqvum vitæ tempus tranſegit, ibidem mortuus & ſepultus.

Qvos hi Lutheranæ Eccleſiæ Antiſtites ſeqvuntur.

1 Mag: Gebel Petreus.
2 Doct: Johannes Schieldrup.
3 Mag: Andreas Foes.
4 Mag: Andreas Koldingius obiit Anno Chriſti MDCXV.
5 Doct: Nicolaus Paſchaſius.

Plura de ponte Bergenſi (licet ab Undalini tempore planè immutatò.)

E vaſtô qvodam ſinu alius minor in orientem inter duo promontoria ſe inſinuat, qvorum auſtralius Nordnes appellatur, omne ſpatium è regione illius ad auſtrale latus usqve ad orientalem finûs illius terminum emporium Bergenſe ſitu ſuo complet, in fine ejusdem pons ſive tabellarium conſpicitur, ſupra mare latè in ſeptentrionem, ante urbis ædificia, extenſum, qvod ii Germani incolunt, qvi ſocietatis Hanſeaticæ negotia gerunt; qvod qvædam urbis pars ab ortu & aqvilone ad arcem usqve pertingens circuit; Arx autem in altero promontorio ad boreale ſinus Bergenſis latus exſtructa eſt. Pontem paterno idiomate Garpebryggen/ o: Germanorum pontem, appellant (Germani qvippe priſcâ lingva Norvegica Garpar dicuntur) nec ultra viginti unum domicilia ingenti ſpatio in ortum protenſa continet, qvorum qvodvis centum plus minus mercatores & inſtitores cum ſuis famulis inhabitant (complectitur enim unum qvodqve circiter octodecim, & qvædam viginti qvatuor cænacula) & hi omnes cælibem, cum uxores ducere eis interdictum ſit, vitam agunt; univerſiqve ê qvovis domicilio unam ad menſam in ſuis diverſoriis cibum capientes accumbunt. Hunc pontem reſtaurare, ædesqve ſeniô confectas reficere Germanici iſti Hanſeaticæ ſocietatis mercatores tenentur, qvi maximâ ex parte Lubecenſibus, Hamburgenſibus, Roſtochenſibus, Bremenſibus & Daventrienſibus conſtant; qvi & qvotannis huc navigiis transportatas merces, puta linteum, pannum, farinam, bynam, cerevifiam, cum variis vinorum generibus, cuprum & argentnm, aliaqve perneceſſaria mercimonia univerſæ Norlandiæ incolis, utet propinqvioribus atqve vicinis, pro ſalmonibus, butyro, aſellis arefactis, & oleo ex piſcium inteſtinis confecto, aliisqve rebus in hiſce provenientibus oris, divendentes, Norlandicis ſemper magnam neceſſariarum mercium copiam, proximè

inſeqventi

insequenti anno persolvendam, concredunt, qvâ de re in Norlandiæ descriptione plura. His mercatoribus cum qvolibet intra urbem mercaturam exercere licet, extra verò eam proficiscendo, aut per agrum Norvegicum vagando, negotiari, & merces venum exponere, minimè iis conceditur, qvod civibus tantum municipum est, qvi a Germanis illis negotiatoribus ingentia bona mutuò accepta, in locis mediterraneis, haud mediocri cum qvæstu, divendunt. Neqve inter hos Germanos qvivis sibi mercatoris nomen pro libitu assumere potest; per ludorum genera novem, (vel potius sævissimos cruciatus aptiore vocabulo dicendos, cum eorum singuli parùm a morte differant) aditus in eorum societatem patet, in qvos cum consensum est, summâ fere cum imanitate transfigitur dies ille tyrocinii, qvô rudimenta posituri, aqvâ, igni fumo & flagellis torqventur, variisqve pœnis afficiuntur: haud etiam raro, inter exercitia illa multi candidati exanimantur, nisi aliqvos sibi faventes amicos in illa mercatorum turbâ habeant: duo istorum ludorum ultimi cæteris longè sæviores & periculosiores sunt, adeò ut multi qvi priores septem pertulerant, ab incepto desistentes, subire omnino recusent. Jam vero ex hisce novem ludis sex tantùm hodiernus usus tenet, nec tantâ nunc, qvantâ olim, atrocitate per aguntur. Habent & hi suum tribunum, utet secretarium, qvi ut plurimum est Magister Artium. Libellos obsignaturi rubrâ cera utuntur, peculiariqve templo, Germanicoqve concionatore in ipsa urbe gaudent. Partem urbis, qvam inhabitant, vigilum præsidio custodiisqve vallant, centumqve viros armatos, modò necessitas postulet, hinc educere, & cum reliqvis pontem facilè propugnare qveunt, magnis atqve parvis tormentis æneis probè instructi. Canes qvoqve molossos alunt, qvi interdiu tam mansveti tamqve qvieti jacent, ut licet a peregrinis & advenis calcentur, ne se loco qvidem moveant; noctu autem tanqvam ferissimi leones nemini advenienti parcunt, nec ulli ignoto inter illos tutus datur transitus. Si fortè accedat, ut urbis aliqva pars incendium concipiat, solent statim mercatores ædium suarum partem, qvæ flam̃am proximè spectat, destruere, & materiam in mare projiciere, atqve hoc maximè modo a suis domiciliis incendium arcere. Ingens illa mercium copia, qvæ qvolibet anno, multis magnisqve liburnis ab Hanseaticæ societatis civibus huc infertur, & postea divenditur & distrahitur, Regias sanè opes adæqvat; nec in borealibus hisce tribus Regnis ullum emporium divitiis & mercimoniorum freqventia huic comparandum invenitur; tantumqve mercium jam longô temporis decursu Norlandis singulis annis creditum est, qvantum nullô unqvam ævô solvi potest, nam multi sæpe Norlandorum cum uxoribus & liberis universisqve mercibus naufragio pereunt, aliove modo intereunt.

Qvà urbs in austrum vergit, elegantissimum illud Bergense monasterium Munkelif exædificatum fuit, hoc tempore prorsus desolatum, cui subjecta prædia reditusqve annuô canone redimenda patent. Verùm evronotum versus vix ultra sagittæ jactum ab urbe nobile prædium, qvod Lungegaarden vocant, situm est.

De monte Hekkefield.

Imminet oppido ab oriente ingentis allitudinis mons, Hekkefield dictus perpetuis fere nivibus tectus; unde integri qvandoqve mensis spatio, æstivô præsertim tempore, continuæ pluviæ effunduntur, proximis in provinciis serenâ & siccâ affulgente tempestate; unde Imber Bergensis (Bergendog) pro octo vel qvatuordecim dierum pluviâ, incolis in proverbium abiit.

De Vosſenſi paræcia.

Ortum verſus â Bergis, ad qvartum plus minus milliare, ſatis magna & populoſa ſita eſt parœcia, qvæ vulgari nomine Voſs nuncupatur. Clariſsimus Vir, Mag: Gerhardus Milzovius Vósſorum qvondam paſtor, & eorundem, nec non Hardangrienſium, Præpoſitus, diſtrictum Hardangrienſem, ut & parœciæ Voſsenſis ſcripto in publicum edito, accuratisſimè deſcripſit, unde qvantum ad præſentem materiam reqviritur, excerpſimus, hisqve ſubjungimus.

" Voſſea, inqvit, vulgo Wos/ Vaas ſev Vors/ ut in vetuſtis cartis & " codicibus reperitur (an per contractionem qvaſi Waſs-Aas/ id eſt locus " qvidam editior inter aqvas ſev ab aqvis ſitus, plurimis inſuper lacubus, " ſtagnis, fluviisqve & amnibus ſcatens, qvos tamen oportunis tempori- " bus, negotio minus difficili, iter facientibus, qvorſum diſcupiunt tranſi- " re licet; vel a viro qvodam ejusdem nominis; vel â grandi illo fluvio " Vosse-elfven/ Vorſain antiqvis monumentis dicto, per mediam Voſſeam " ab oriente in occidentem labente, vel deniqve ab antiqva illa Norvegica " dictione Woor/ qvæ cibum notat, qvia priſco forſan ſeculo ſedes hæc " frugifera fuit, cultòribus ſuis rei ſatis ſuperqve cibariæ pro labore reſtitu- " ens, ita denominetur, eqvidem pro certo qvod affirmem vix habeo) trac- " tus eſt in diæceſi Bergenſi, maximam partem montanus, habens circum " ſe ſitas ab Evroaqvilone præfecturas Sognenſem & Valdrenſem, ab orien- " te Hallingdalum, ab Evronoto & Auſtro Hardangriam, ab africo Bergas, " inſulamqve Oſteröenſem, a ſeptentrione Sundfiordam &c.

" Longitudo Voſſeæ, ut hodiè habetur, antea enim ulterius egredieba- " tur; nimirum ad promontorium qvoddam, adhuc Wosseneſs/ hoc eſt pro- " montorium Voſſicum, qvia limes inter Voſſos erat, & eorum vicinos Nord- " hordos, nuncupatur: cujus neqve inſcium fuiſſe, qvi nobis Norvegiæ " deſcriptionem lingva vernacula bono publico dedit, comperio, dum " ſcribit; Østen for Bergen/ heden ved fire Mile/ ligger Wos: ad Orien- " tem à Bergis, circiter qvatuor miliaria, Woſſea eſt:) â libonoto & qvi- " dem à villa cui nomen Teſen/ Euroaqvilonem verſum ad locum qven- " dam petroſum, in valle Nidröenſi, incolis Sleipe-ſvaet/ hoc eſt lapidem " lubricum & declivem, qvi Voſſenſium & Sognenſium diſtrictus diſtingvit, " ſe extendens, eſt qvaſi miliarium ſeptem: Latitudo verò ejusdem, unius " duntaxat, qvibusdam tamen in locis plùs minùs.

" Dividitur in tres tractus minores, videlicet Waſwærdenſem, Wangen- " ſem & Strandenſem. Horum ut medius, ita major præſtantiorqve Wangen- " ſis eſt; qvippe qvi ſpecialiter in octo Octavas (Otte deele) ſeu octonaria, " vulgò Attungar/ diſpeſcitur; qvorum nomina, antiqva noſtra dialecto, " hæc ſunt: (1) Dyrſwinardals Attung: (ab amne Dyrſvingen ſic dictum) " hujus anterior pars appellatur Wæßbygden: (2) Strandar Attung: alias " Guulfiordungen (3) Vorgſtrandar Attung: (4) Winjar Attung: (5) Voar " Attung: (6) Brynar-aliter Qvißlar-Attung; à flumine præterlabente " Qvißlen: (7) Barla-item Barda-Dals Attung & (8) Wiikiar Attung. " Hæc hactenus de Voſſia dicta, ex Clariſſ: Milzovii Presbyterologia ad ver- " bum exſcripſi. Redimus nunc ad Undalinum.

De freto Kileſtrøm dicto.

In occidentem â Bergis complures magnæ parvæqve inſulæ, plurimæ tamen ignobiles, jacent, hincqve in boream producto continentis littori multæ prætenduntur, plurimis diremptæ fretis, unde vaſtos procur-

rentes

rentes ſinus qvosdam qvindecim vel ſedecim milliarium longitudine reducta litora admittunt. Unum verò inter cætera hîc nominare fretum, nomine Kileſtrøm / qvatuor milliaribus in ſeptentrionem â Bergis diſtans, non pigebit, æſtuum certè inter anguſtias terrarum confligentium, &, qvod mirum eſt, ex adverſô ſemper recurrentium, rapidiſſimo impetu periculoſiſſimum: cum enim â littore oceanus refluit, ab hoc fretô admitti, & vice verſa, cum rurſum allabitur, ab illa emitti, utrumqve magnâ violentiâ, conſvevit. Itaqve qvi æſtuanti inq; ſe contorto huic vortici naves parvas magnaſve committere audent, (omnibus qvippe Norlandicis neceſſariò transmittendus eſt) aut fluctuantis æqvoris rapiditate abrepti in littus vel ſcopulos è mediô freti eminentes, compelluntur, aut convolutis aqvarum cumulis abſorbentur. Qvod ſeptem qvondam Norlandiæ naves expertæ ſunt, omnes ſemihoræ ſpatio vel ad ſcopulos colliſæ & confractæ, vel vorticoſis pelagi æſtuantis molibus obrutæ & demerſæ. Has itaqve anguſtias ſalvi ſine periculo transnavigaturi, in proximô commorari portu decernunt, donec pleno alveo æqvor ad ſummum incrementi pervenit, langveſcente vi illa, qvæ undas concitabat, qvâ tempeſtate facilè ſuperabiles ſunt.

CAP. XVII.

DE SOGNIA, SEU SOGNENSI PRÆFECTURA, HODIE Sognefylcke / OLIM SOGN ET Sygnafylcki DICTA, UT ET DE FIALIS SEU FIALENSI NOMARCHIA.



B hoc jam dicto freto Kileſtrøm / ſeptentrionem verſus continentis prolatum littus, ingens Sognenſis ſinus, ſedecim milliaria longus, unum latus (ultra qvod tamen multis in locis dilatatur) in ortum irrumpendo interſecat, ab utroqve latere hominum cultui aptam habens regionem, qvæ frugum proventu, armentorum & pecudum copiâ, & piſcium abundantiâ felix, inter compluſcula commoda, ſylvas etiam incolis valdè utiles latè extenſas producit. Qvinqve in hoc tractu continentur vaſtiſſimæ parochiæ, qvæ ſunt: Vygenſis, Leckangerenſis, Sognedalenſis, Fylkisbigenſis, atqve Væandenſis (Urlandenſis) Duæqve ad intimum ſinus receſſum jacent parœciæ, Lyſter & Loerdal dictæ. Hinc per montem Fiellerfield in Valdreſiam duodecim ſunt milliaria (qvo in itinere aſpera editaqve juga, Galdre appellata, periculoſo tramite tranſcenduntur) unde Osloam recta proficiſci licet. Datur etiam octava, ſed omnium totius Norvegiæ longe minima, unicô qvippe gaudens templo, cum triginta tantum ferè villis ſubjectis. Hæc autem parœcia trium â littore milliarium longitudine diſtans, in valle qvadam, nomine Oſterdal / aliis Juſterdal / ab ingenti eam permeante fluvio, Juſtre dicto, ſic denominata, ſita eſt.

Fialenſis præfectura Sognenſi huic ſinui â ſeptentrione adjacet.

De emporio Kaupangure.

Non procul ab intimo ſinûs Sognenſis receſſu emporium olim exſtructum fuerat, hac tempeſtate planè deſolatum, qvod vernacula lingvâ

Kaupangur i Sokn / hoc eſt emporium in Sognia, dictum eſt, ex duobus antiqvis vocabulis, Kaupa / emere; & angur / qvod agrum vel locum qvemvis, in qvo homo hîc vitam agit, & ſuſtentatur, denotat, compoſitum. Similiqve modo illæ nomarchiæ, Hardanger / Levanger / Eidanger / ut & oppidum Stafanger. Et ita unum qvodvis Norvegiæ emporium generaliter olim Kaupangur vocabatur. Nec multum Danica lingva hinc diſcrepat, ut ex Daniæ emporiorum nominibus apparet, qvæ ſunt, Nykiøping / Sarkiøping / Ringkiøping / Stubbekiøbing : & in Svecia Nykiøping & Lingkiøping / cum multis aliis, qvæ antiqvis temporibus Nykaupangur / & ſic deinceps, dicta ſunt.

De Fiordis ſev Fiordenſi præfectura.

Poſt Fialënſem tractum Fiordenſis, hoc eſt Sundfiordus & Nordfiordius, ſev auſtralis & ſeptentrionalis ſinus, locum obtinens, omne terrarum ſpatium in boream ad Sunnmæriam usq; extenſum, atq; mediterranea verſus loca procurrentes, montibusq; interjectas valles ſuo ſub nomine comprehendit. Hinc ab intimo ſinûs Nordfiordi receſſu per aſperos & incultos montes, ad Gudbrandsdalos, ſupra commemoratos, decem vel duodecim milliaria longum iter deprehenditur.

Seqvitur Maritimæ oræ longitudo â litore Sletten dicto, auſtrali Bergenſis diœceſis terminô, ad Sunnmæriam usqve in ſua milliaria diſtributa.

A litore Slettenſi, ſævientis oceani undis oppoſitô, fretoqve Cormtenſi a ſeptentrione vicino, per proximum Sinum portu Moſtrenſi â ſiniſtra relictô, recto curſu continentem inter & ei objectas inſulas japygem verſus Bergas ſunt - - - -	10 Mil.
Hinc in fretum Kileſtrøm - - -	4 Mil.
Hinc Sognenſis ſinus ſuperato oſtio ad portum Vigtusvaag in freti Mielmerſundæ auſtrali primo intuitu navigantibus ſeſe aperientem - - - -	1 Mil.
Ipſum fretum etiam conſtat longitudine - - -	1 Mil.
A qvo ad aliud fretum, nomine Steinſundam - - -	1 Mil.
Hoc fretum etiam in tranſitu complectitur - -	1 Mil.
Unde ad inſulam Drifeyam - - - -	1 Mil.
Hinc ad Olden - - - - -	1 Mil.
Hinc ad Molver - - - - -	1 Mil.
Hinc ad Kind - - - - -	1 Mil.
Hinc per inſulis vacuum pelagoqve oppoſitum litus, qvod Stade vocant, usq; ad Flaavert/primum Sunnmæriæ portum -	12 Mil.
Vel ſi ab inſula Drifeya, ſive Drøføe / ad portum Smolver curſum dirigere placet, hinc abeſt - - - -	2 Mil.
Inde ad inſulam Hindeyam - - -	1 Mil.
Hinc ad fretum Fureſundam - - -	1 Mil.
Hinc in portum Horn - - - -	3 Mil.
Hinc in ſinum Ulvogum - - - -	1 Mil.

Hoc modo inter crebras oceano objectas inſulas continentemq; curſu confecto, unum reſtat milliare, donec nudum in mare protuberans Stadenſe litus præternavigandum attingatur, hinc octo tantum milliaria, ad antedictum Sunnmæriæ portum Flaaver/ complectens. Ad modò dictum portum Horn inſignis altitudinis acuminato faſtigio eminet rupes, undiqve prærupta, & omnibus præter volucres inacceſſa, nubibusqve ferè perpetuis

petuis obducta, incolis Hornttinde convenienti nomine dicta, cum Tinde lingva Norvegica altas & fastigiatas rupes significet; pelagus, qvà ejus latus alluit, inexplorandæ est altitudinis. Hæc rupes septentrionalior Bergensis diœcesis terminus habetur.

CAP. XVIII.
DE THRANDENSI DIOECESI, ET PRIMUMDE SUNNMÆRIA, NORDMÆRIA ET RAUMSDALO.



Am tandem ad qvintam atqve ultimam Norvegiæ diœcesin, cæteris perlustratis, perventum est, qvæ vastissimo tractu a sinu Nordfiordo, omnem reliqvam Norvegiæ longè lateqve expansam partem complectitur, in seqventes distributa præfecturas, qvarum qvæ australiores sunt primùm hoc ordine describuntur.

De Sunnmæria, sive Sunnmæriæ præfecturâ.

Fiordensi præfecturæ â septentrione adjacet Sunnmæria, â dicto portu Horn / vel sinu Ulvog in boream extensa, montibus non adeò freqvens, sed pulchrâ passim conspicua planitie, magnum etiam insularum, continentis litori adjacentium, numerum comprehendit. Est & populosus tractus, plurimis commodis felix, optimisqve abiegnis vestitus, unde naviculæ præstantissimæ fiunt. Invenitur præterea in antiqvo qvodam libro, qvi *Speculum Regale* inscribitur, esse in Sunnmæria paludem Biorkedalsmyr dictam, in qva coryli defixi rami ea pars, intra triennium in cotem convertatur, qvæ aqvæ vel limo imponitur, reliqvâ pristinam naturam conservante. Verum circa istam paludem alnus copiosè nascitur, qvæ licet ei injiciatur, nihil sanè immutatur.

De Nordmæria.

Septentrionem versus a Sunnmæria, Nordmæria locum obtinet, plurimas spatiosô tractu insulas, qvas multis fretis interluens mare invicem separat, complexa: utraqve hæc olim præfectura, Sunnmæria nempe & Nordmæria, unus fuit comitatus, qvem tempore Haraldi Pulchricomi Rognvaldus Gaungu Rolfi, postea Nordmanniæ Ducis, pater, administravit, inde Rognvaldus Mœra Jarl / sive Mæriarum Comes, dictus. Hic districtus ab insula Raudholm septentrionem versus ad portũ Kirkhofuit / ubi ejusdem nominis promontorium in mare prominet, decem plus minus milliaria longitudine adæqvat, versus montana & mediterranea loca spatioso tractu procedens.

De Raumsdalo.

Inter Sunnmæriam Nordmæriamqve reducta litora ingentem admittunt sinum, cujus interioribus litoribus Raumsdalus, sive, ut hodie appellant, Rumsdalus, adjacet, præfectura longô latoqve tractu versus mediterraneos extensa montes, ubi notæ altitudinis aspero murice jugum in äera surgit, nomine Rumsdalshorn / qvod â mediterraneis Dofrinis alpibus, tanqvam ramus ex arbore, proveniens, hîc deficit.

Ex Raumsdalo per montana & ardua loca, iisqve interjectam nomarchiam, nomine Lesſie/ ad Gudbrandsdalos proficiſcuntur incolæ, qvam etiam viam S. Olafum Norvegiæ Regem, cùm ad ultimum Regnum deſerere cogeretur, ingreſſum fuiſſe è Chronico Norvegico facilè apparet. Incolæ autem Gudbrandzdalenſes in Raumsdalum, Sunnmæriam, vel Nordmæriam qvotannis proficiſcuntur, nundinis inſtitutis aſellum ſiccatum; ſal, aliaqve vitæ ſuſtentandæ neceſſaria, cöemturi. Raumsdalenſes etiam ſtatis temporibus ad Gudbrandsdalenſes, cum magnâ mercium copiâ, qvarum tamen aſellus arefactus maxima pars eſſe ſolet, contendunt, qvi minori hic ſæpe pretiô qvàm in emporiis divenditur.

De Fochſenſi præfecturâ.

Poſt Nordmæriam, Fochſen/ ſeu Fochſenſis præfectura, locum habet, ingens terræ ſpatium occupans ad utrumqve oſtii ſinus Thrandenſis latus, duodecim milliarium longitudine, inter complures inſulas unam ſatis ſpatioſam, qvam Hitteren vocant, comprehendit, qvæ promontorium Kirhofvit (ɔ: vaccinum caput) verſus incipiens, & novem milliaria in ſeptentrionem procedendo, longitudine adæqvans, continenti præteritur, vaſtis denſisqve ſylvis interqve depreſſas valles paſſim ſurgentibus montibus obducta, tantam cervorum ante aliqvot annos aluit copiam, qvantam nullus totius Norvegiæ æqvalis tractus produxit, qvorum ibidem abundantia, ut & in cæteris hujus Regni locis, multùm jam decrevit. Diſtrictus autem hic ad Thrandiæ fermè oppidum dilatatur.

De promontoriô Agdaneſia.

Ab antedicto promontorio Kirhofvit ad portum Kraagevogum decem milliaria ſunt ſeptentrionem verſus; inde in ortum vergendo duo milliaria ſunt, ad Agdaneſiam aqvilonem verſus a Kirhofvit ſitam; litus enim in aqvilonem ad ſinus usqve Thrandenſis oſtium reflectitur, qvi apud Agdaneſiam faucium latitudine unum milliare haud ſuperans vaſtiſſimo tractu continenti infunditur, octo nomarchias circumjectas habens.

CAP. XIX.

DE UNIVERSO TRACTU THRANDENSI, DEQVE OPPIDO NIDAROSIA.



Thrandenſem longè lateqve diffuſum ſinum, apud Agdaneſiam, ut dictum eſt, irrumpentem litora admittunt, qvi octo circumjectas alluit præfecturas; qvasdam longiſſimo tractu verſus mediterranea inter montium juga procurrentes, qvarum qvævis ſuum habuit Regulum, donec tandem Haraldus Pulchricomus univerſæ Norvegiæ Monarchiam invaſit. His autem nominibus inſigniuntur:

1 Orkadalus.
2 Strinda.
3 Gaulardalus.
4 Stiorodalus.
5 Skoufvenſis præfectura.
6 Veradalus.

7 Oyenſis

7 Oyensis præfectura, duas insulas, Indereyam nimirum & Ytthereyam, continens.

8 Sparboënsis.

Nona autem & decima Thrandiæ adscribi possunt nomarchiæ, Jamptalandia scilicet & Herdalus, licet hæc Gaulardalo adjecta sit. Qvæ omnes priscis seculis generali nomine Thrandia dicebantur, estqve totius Norvegiæ præcipuus tractus, populosissimusqve; ubi hujus Regni, antiqvis præsertim temporibus, maximum erat robur, qvapropter Reges ut plurimum hîc suum domicilium habuerunt, qvod bellis ingravescentibus, aut aliqva gravi urgente necessitate, eorum qvasi refugium fuit.

De Orcadalo.

Duobus in ortum â promontorio Agdanesia milliaribus, sinus Orcadalensis evronotum versus continenti se infundit, huic Orkadalensis adjacet præfectura, qvæ ad mediterraneos extensa montes, Orkadalum, Opdalum, Renneboum, & Meldalum valles distrahitur.

De Strinda.

Hinc ortum versus ad sinum Thrandensem Strindensis jacet ditio, cum suis paroeciis, qvæ sunt: Strind / Kledebo / Leneîtrand & Næs. Hac in nomarchia oppidum Thrandense, seu Nidarosia, exstructum conspicitur.

De oppido Nidarosia seu Thrandia.

Qvatuor ab Agdanesia ortum versus milliaribus, ad australe sinûs Thrandensis litus, antiqvum celeberrimum oppidum Nidarosia, vulgò jam Thrandia dictum, situm est, qvod pientissimus potentissimusq; Rex Olafus Tryggvinus, in occidua fluminis Nid ostii ripa, ubi prædium antea Nidarnesia fuerat, fundari curavit, & hinc ei nomen Nidarosiæ contigit, a fluvio Nid qvi in Genitivo habet Nidar / & vocabulo Os / ɔ: ostium fluminis, compositum.

De Basilica Thrandensi.

Hoc oppidum Nidarosia, sede Archiepiscopali haut incelebre, plurima templa cænobiaqve habuit, qvæ tamen Basilica cathedrelis suâ magnificentiâ, mirandaqve sane structuræ elegantiâ, longè superavit: qvam ut paucis complectar, in toto orbe Christiano artificiosâ pulchritudine parem non habuisse, dum integra floreret, liqvidò confirmare possum. Hoc autem tempore maxima ejus pars, exceptâ tantum sacra cella seu choro, prostrata & diruta jacet, cujus perfectam, ut deceret, descriptionem, cum me, contra qvàm vellem, præstare non posse ingenue confitear, pauca tantum, qvæ hic subjunguntur, in medium proferre non pigebit.

De Sancti Olafi sacris reliqviis, deqve Basilicæ Thrandensis structurâ & magnificentiâ.

Tradit historia Norvegica Olafi Haraldi filii Norvegiæ Regis (qvi Sanctus dictus est) subditorum manibus interfecti corpus, ab ipsius amicis, ne in hostium potestatem veniret, inhonesteqve tractaretur, huc illuc transferendo occultatum & servatum fuisse, donec tandem ab Episcopo Grimkele, & Einare Thambaskelfere, Rege Sveno Knuti filio, ejusqve matre Alfiva, qvi tunc temporis hoc in Regno rerum summam tenebant,

nebant, permittentibus, Nidarosiæ in templo S. Clementi dicato magnificè sepultum est, & paulo post, ob plurima, qvibus anteqvam humo mandatum fuit, miracula, claruisse tradebatur, effossum, atqve in ipso templo, ubi aptus & commodus visus est locus, ornatæ inclusum tumbæ, collocatum, qvod proximè inseqventibus annis aliqvoties aperuerunt, eiqve capillos & barbam totonderunt, atqve ungves præciderunt, cujus sanctitatis opinione Archiepiscopus cum suis Præsulibus, Abbatibus, Prioribus & Monachis, omniqve senatu ecclesiastico, miracula, qvæ ad hoc ipsum cadaver fieri dicebantur, celebrando & propagando, mortalium mentes occupaverunt, illudqve statis temporum vicibus, Papistico more pompam ducentes, circumtulerunt; ad qvod immensa hominum multitudo, non ex Norvegia solum, sed è Dania etiam Sveciaqve, cæterisqve remotioribus regionibus ingentia offerens donaria, confluxit, inde creditu majorem pecuniæ summam coacervârunt; ex qva inter cætera argenteus loculus factus est, qvo sacras, ut vocant, hujus Regis reliqvias condiderunt, & hunc iterum duabus arcis ligneis, auro & argento gemmisqve præstantissimis fulgentibus, incluserunt.

Ornatissimæ qvoqve structuræ basilicam, cujus etiamnum aliqva pars integra visitur, Regum suffulti auxilio hujus loci Archiepiscopi exædificârunt: non tamen unius Regis ætate admirandum hoc opus absolutum est, utpote cujus fundamenta Haraldus Strenuus Norvegiæ Rex, & S. Olafi frater, primus in arenoso illo colle, ubi fratris Olafi corpus primùm sepultùm fuerat, jaci curavit, ejusqve postea filius Rex Olafus, cognomento Qvietus seu Tranqvillus, unà cum Archiepiscopo Eysteino qvandantenus perfecit, Christoqve dicavit, Sanctiqve Olafi loculum altari imposuit. (Hæc falsa sunt, longe enim post Olafum vixit Eysteinus ille, qvi Basilicam, cujus hodie aliqva pars exstat, ædificavit, destructo illo, qvod Haraldus Rex excitavit, templo &c.) sub regibus autem seqventibus, temporis successu, immensis opibus, perpetuis tam indigenarum qvàm peregrinorum donariis, qvotidie crescentibus, multis modis elegantissimè ornatum fuit, donec tandem Archiepiscoporum qvidam chorum pulcherrima magnificentissimaqve structurâ adjecit, qvem hoc tempore tantùm superesse modò diximus.

Cæterum qvâ arte exstructa hæc basilica, qvantæve magnitudinis fuerit, cum mihi eam oculis perlustrare nunqvam contigerit, aliorum tantùm relationibus rem acceptam paucissimis hîc subnectere licebit. Primùm qvod ejus formam concernit, ea crucem maximè repræsentare dicitur, tota ex vivo recisoqve exædificata saxo, universis parietibus tam interius, qvam exterius undiqve mirando opere exsculptis, innumera simulachra, ingentiqve artificio elaboratas imagines exhibentibus, in occidentem qvoqve vergentis templi angulo, qvi totus fuerat deauratus, duodecim Apostolorum ingentis magnitudinis lapideæ statuæ omnes etiam deauratæ, visuntur; multiplices insuper, tam ad intra qvàm ad extra, marmorearum columnarum habet ordines, ex albo ac nigro variiqve generis ac coloris marmore, usqve adeò egregiè politas, ut metalli instar fusas esse, sint qvi arbitrentur; Et harum qvidem sexaginta in australibus templi foribus eleganter factas cernere licet; qvas fores qvanti constiterit exstruere, cum arduum & difficile definitu plurimi existiment, multò difficilius foret, universi hujus templi structuræ sumptus animo percipere, & pro operis magnificentiâ æstimare. Dicitur porrò præstantius qvodqve ad hanc fabricam deputatum marmor ex Hybernia atqve Grænlandia huc fuisse

trans-

transvectam; mollius autem illud album atqve versicolor tractus, Thrandensis abundè subministravit. Et prout cathedralis hæc basilica structuræ elegantiâ, omniqve operis magnificentiâ eminebat, ita etiam reliqvis ornamentis cæteris præstabat, ditissimum enim habuit sacrarium, libris, calicibus, patellis, vestibus Sacerdotalib⁹, hierothecis, atq; aliis ejus generis rebus ac ecclesiæ utensilibus refertissimum. Itaqve Archiepiscopus pompam ducens, superhumerale Attalicum indutus, Sacrosanctæ Trinitatis, ex puro auro, eum in modum qvô vulgò pingi solet, conflatam imaginem tergo gestabat, sanctiqve Olafi loculum, qvem, ut ante diximus, duabus arcis ligneis, qvarum una alteri includebatur, conditum, â sexaginta viris (tot enim reqvirebantur) circumferri curavit; extremâ verò ab arca, auro & argento obductâ, infiniti fermè pependêre sacculi, donariorum receptacula, super qvam pœnitentiarius (ut vocant) constitit, Pontificis Romani indulgentias, seu peccatorum remissionem, pecuniam offerentibus denuncians. Qva vanitate unâ qvandoqve die qvatuor vel qvinqve millia librarum argenti lucrati sunt. Est & hæc Basilica pro hujus Regni facultate ingentibus reditibus, magnisqve possessionibus ditissima, adeò ut hujus loci in suis tricliniis, cantharis, poculis, patinis & orbibus argenteis, omniqve argenteâ suppellectile summâ cum magnificentia usi fuerint, qvæ cæteroqvin in exedra recondita servabatur.

Verùm cum universa hæc magnificentia mundanusqve honos instabili & lubrico niteretur fundamento, citius qvam qvis credidisset miro exitu planè corruit; Basilica qvippe ter ictu fulminis flagravit, ultimâqve vice ignis hinc evidenter longo tractu sinum Thrandensem transvolans cænobium Holmkloster dictum consumpsit, atqve in favillas redegit: qvod certissimum fuit argumentum, hæc non fortuitò, sed Dei omnipotentis voluntate accidisse, qvi graves atqve horrendos eorum errores ac idololatriam, qvibus miserum populum, non sine Sacro-Sancti nominis Dei irritatione, seduxerant, impunitos esse noluit: similiqve modo ecclesiastici hujus ordinis pompa & luxus, mundanæqve dominationis potentia & authoritas, qvæ omnia, mortalium offuscatis mentibus, Pontificiâ potestate nitebantur, veræ Christianæ religionis Divinâ gratiâ his in oris luce affulgente, evanescente fundamentô, in totum concidêre. Illud verò dolendum, multoqve magis vituperandum qvàm laudandum est, qvod sub initium reformatæ religionis, templis ac monasteriis, qvicqvid auri, argenti, aliorumve cimeliorum, Pontificiorum olim usui inservientium, ibidem reperiebatur, imò tam sacerdotum vestes, qvàm alia utensilia, detrahere minimè contenti, nisi ornatas & elegantes structuras, nullâ re, præter insitam ingenii protervitatem & malitiam, impulsi, dejecerunt ac destruxerunt, magnâ utilissimorum librorum copia, pretiosisqve antiqvitatum monumentis, præter omnem necessitatem, fœdô incendiô combustis, sacrasqve ædes, universis ornamentis turpiter spoliatas, detestabile Christianoqve homine indignum latrocinium exercendo, omni ornatu prorsus denudârunt: qvibus eô facilius abstinere potuissent, qvô minus, qvòd certè nullum erat, hinc lucrum fecerunt. Hoc etiam modo Otto Stigius pulcherrimam Thrandensis Basilicæ Bibliothecam, cum compluribus, qvæ in hujus civitatis exedrâ servabantur, magni pretii necessariis libris & monumentis ibidem in cæmiterio cremari curavit: consimili incendio Thordus qvidam, cognomento Rodde, universos Stafangrensis exedræ libros & antiqva scripta malignè delevit. Eadem tempestate argenteus, qvo S. Olafi corpus condebatur, loculus, duabus illis, qvas ante nominavimus, ligneis arcis, omni

auro argentoqve ac prætiosissimis gemmis (qvarum una reliqvis præstabat, qvam Archiepiscopus Eiricus Valkendorp butyri viginti tonnarum dodecadibus emerat, & inter cæteras arcæ extremitati inseri curaverat) denudatis ablatum est, utet ingens crux argentea, a tribus in pompa viris, ante S. Olafi tumbam portari solita, calicesqve, patellæ, & hierothecæ, cum reliqvis hujus Basilicæ cimiliis, aureis pariter ac argenteis, exedræ & triclinio exempta. Præter altaris ornamenta detractæ etiam sunt gemmæ, insignes campanæ, & his similia, qvorum haud exiguam partem ingens qvoddam navigium sibi impositam, in Daniam transvecturum, ante Agdanesiam undis absorbtum & submersum, nunqvam postea comparuit; cum paulo ante bona ejusdem pecuniæ portio, magnâ nave in Daniam transportanda Batavis piratis in prædam cessisset, qvod contigit anno Christi MDXLI. Cæteris qvoqve ornatis hujus oppidi operibus Regium solium in Basilicæ sepulcreto, multis gradibus ex saxo, insigni artificiò exsculptis & elaboratis, exsurgens, elegantissimè constructum, meritò annumeratur, cui Reges olim cum eligerentur, aut iis homagium populus præstaret, insidere consveverunt.

Verum qvod de basilicæ Thrandensis eleganti & magnificâ structurâ diximus, de muri ac marmoris, magnâ arte elaborati & exsculpti, opere & elegantia intelligendum est; satis enim constat, plurima in orbe Christiano templa atqve ædes præ hoc Thrandensi auro & argento multum fulsisse, rebusqve pretiosissimis abundantiùs ornata fuisse, qvæ tamen muri artificosâ structurâ huic nullatenus comparanda sunt.

Rutgerus Hermannides in Descriptione Norvegiæ hæc habet; Ædi-
« ficium fuit magnificentissimum, cætera totius Europæ templa omnia
« splendore superans, imo in toto Christiano orbe, ut qvidam affirmant, sibi
« simile aut par non habens, sive artificium, sive amplitudinem spectes,
« structura enim qvadrato lapide & columnis pulcherrimis atqve artificio-
« sissimis unum qvemqve in admirationem rapiebat. Hæc ille.

Plura de S: Olafi corpore.

Porrò ut de S. Olafi corpore plura dicamus (qvod immortali honore ac Divino cultu, in remotis etiam regionibus, seducti mortales longô tempore proseqvebantur) considerandum erit, an hoc corpus, qvod Pontificii (ut modò dictum est) in loculo magnâ cum pompâ circumferebant, verum Regis Olafi corpus fuerit, totqve seculorum decursu incorruptum perduraverit, de qvo cum multis, qvi se vidisse, atqve contrectâsse aridum hoc corpus, ejusqve letifera vulnera contemplatos fuisse professi sunt, collocutus sum; & his qvidem inter se dissentientibus & diversa referentibus. Nostra qvoqve ætate Agdarum qvidam nomophylax, nomine Jonas Simonis filius, qvi in prædio, Holeim dicto, in Mandalo habitavit, ibidemqve Anno Christi MDLXXV. IV. Calend: Augusti, ætatis sexagesimo tertio demortuus est, doctrina & sapientiâ, præ cæteris omnibus id temporis hujus Regni nomophylacibus, præditus, adeoqve pius & in officio vigilans, ut parem vix his in oris haberet, natus in districtu Thrandensi, puerqve Scholam Nidarosiæ freqventans, diaconi qvoqve officio in Thrandensi basilica functus, plurima nobis de oppido Nidarosia ejusqve templo cathedrali, & S. Olafi reliqviis suggessit, retulitqve se vidisse aridum & siccum illud corpus, qvod S. Olafi vulgò habetur; idqve grandi & procerâ fuisse staturâ, omni ex parte integrum, rubrâ barba, nasoqve parum concidente, & ariditate constricto, in qvo letalia ejus vulnera visebantur, ligni instar durum & siccum. Verum cum homines

olim

olim longè grandiores, qvam his diebus fuissent, Rex autem Olafus humiliori staturâ suo tempore cœterorum, qvi tunc vixêre, respectu fuisse dicatur, nihil impedire statuit, qvominus id verum ejus corpus haberi possit: nihilominus cum miraretur qvod supra qvingentos & qvinqvaginta annos (tot enim ab ejus cæde ad illud temp⁹ effluxere) omninò corruptum & vermib⁹ consumptum non esset, conclusit, aut â Pontificiis balsamo conditum cujus tamen nullam notam nec humoris vestigium exhibuit) aut miraculosè conservatum. Sed cum præstanti præditus animò, verum Dei cultum fidemq; amaret, omnemqve pravam & superstitiosam religionem valdè exosus, Sathanæ in incredulis potentiam, Papistarumqve imposturas & calliditatem multis in rebus, probè cognosceret, qvandoqve etiam sibi persvasit, monachos falsa venditantes in primi putridi Regis corporis locum aliud balsamô conditum & siccatum clanculum substituisse, taliqve deinceps modo putrescenti recens semper substituendo vulgati miraculi speciem conservatam ostentâsse, qvod tamen si factum esset, famam nunqvam vulgasse, res mira videri possit.

Bellorum autem tempestate inter Danos Svecosqve sæviente, hi, cum Thrandiam armis obtinuissent, hoc idem corpus in sepulcreto qvondam humo mundari curârunt, qvod Friderico Daniæ Rege exercitum huc mittente, pulsisqve hostibus, & Trandiâ recuperatâ, ê nostratibus qvibusdam locum indicantibus effossum est, & summô cum honore & magnificentia in cathedrali Basilica in cænotaphio reconditum, cujus exeqvias universi hîc ecclesiastici ordinis viri, nobiles, cum militum tribunis, copiis omnibus, & omni reliqvâ turba, qvantâ pro hujus oppidi facultate fieri poterat reverentiâ, cohonestantes proseqvebantur.

Anno MDLXVIII. Georgius Lycke, eqves auratus, Regio jussu huc profectus, S. Olafi bustum humô impleri jussit.

Episcopi Nidarosiæ hi fuerunt.

Primus Sigurdus Episcopus, tempore S. Olafi, cui in officio Grimkell successit, qvi, ut dictum est, corpus Regis effodi, loculo condi, & altari imponi curavit, qvem hi subscribti secuti sunt.

1 Jon.
2 Rodolphus.
3 Ragnar.
4 Ketill.
5 Asgautus.
6 Sigvardus vel Sigurdus.
7 Sigvardus vel Sigurdus.
8 Albertus vel Adalbertus.
9 Simon.
10 Ivar.
11 Reidar.

Seqvuntur Archiepiscopi, qvorum primus Jon Episcopus Stafangrensis, electus in Episcopum Thrandensem anno Christi MCLII, & a Romani Pontificis legato, Cardinale Nicolao, qvi Nidarosiæ Archiepiscopalem constituerat sedem, ibidem Archiepiscopus consecratus. Huic seqventes Archiepiscopi ordine successerunt.

1 Eysteinus anno Ch. MCLX.
2 Eiricus MCLXXXIV.
3 Thorer MCCXI.
4 Guttormus MCCXV.
5 Petrus MCCXXVIII.
6 Thorer MCCXXXIV.
7 Sigvardus MCCXXXIV.
8 Sörlius MCCLVI.
9 Einar MCCLVIII.
10 Hacon MCCLXVII.
11 Jon.
12 Jorundus vel Georgius MCCLXXXVI.
13 Eylifus MCCCIX.
14 Paulus electus anno Christi MCCCXXVI.
15 Arnius electus anno Christi MCCCXXXLIII.

16 Olafus electus anno Christi MCCCXVI.
17 Thrandus.
18 Nicolaus Danus MCCCLXIV.
19 Vinaldus MCCCLXIX.
20 Eschillus MCDII.
21 Aslacus Bolt, anno Christi MCDXXIX.

Horum jam dictorum Episcoporum nomina ex antiqvo Libro Islandico Manuscripto excerpsi, seqventium ex Chronico Episcoporum â nobilissimo viro Arnoldo Hvitfeldio conscriptô descripsi.

1 Marcellus postulatus, sed non confirmatus.
2 Henricus, electus contra Marcellum.
3 M. Olafus MCDLV.
4 Gautius MCDLXXIV.
5 M. Johannes Krabbe MDX.
6 Mag: Eiricus Valkendorp antea Roschildensis ecclesiæ Præpositus, electus anno Ch. MDXVI.
7 Olafus Eingilberti MDXXIII. qvi MDXXXVII. in voluntarium abiit exilium.

Hi verò post reformatam Religionem.

1 M: Johannes Gaas.
2 M: Johannes Magni filius.
3 M: Isacus Grönbeck MDCXV.
4 M: Andreas Arebo.
5 M: Petrus Skielderup MDCXXIII.

Nidarosia, ut ante dictum est, in occiduâ fluminis Nid ostii ripa exædificata est, ingentis vastitatis ædificium, qvod Gildestalen / id est convivalem domum, vocant, ad litus exstructum olim habuit, tectô sectilibus tabularum laminis convestito, qvalibus plurima hoc in regnô templa obducuntur, in qvâ, in ingentem longitudinem extensâ, domo cives & præcipui in tractu Thrandensi coloni, nuptias, compotationes & convivia concelebrare soliti fuêre, cui vicinæ erant cellæ, vinaria & penuaria, cubilia & culinæ, cum reliqvis convivantibus necessariis ædibus, sed aliqvot annos destructa est ac desolata, in ejus jam locô civium aliqvot domiciliis excitatis. Hinc maritimus in occidentem arenosus extenditur campus, prisca lingva Norvegica Eyrar dictus, ubi universale omnis districtûs Thrandensis forum olim celebrabatur. Habet etiam oppidum ab occidente spatiosam planitiem, Kalfskind dictam, in qvo Comes Erlingus Scackius Magni Regis pater, cum Sverrere Rege acie confligens cecidit, plurimis olim atrocibus præliis, heroumqve cæde nobilitatâ. Huic ab occidente petra, Steinberg / adjacet; qvò cum pervenias, propinqvam habes rupem, cui Rex Sverrer castrum, jam vetustate collapsum, inædificaverat. Verum qvà Nidarosiæ ædificia in meridiem vergunt, episcopales exstructæ visuntur ædes, â qvibus exiguo etiam in austrum spatio fluvius Nid sublicio ponte sternitur, qvo trajecto cænobium Elgesetters Kloster dictum, a dextra haud procul in citeriori fluminis ripa collocatum vides, unde semimilliaris intervallo aqvilonem versus antiqva Comitum sedes, palatium nomine Hlader (nunc Laden vocant) distat, templo jam in tractu Strindensi primario conspicua. Hic potentissimus Norvegiæ Comes Hacon, ejusqve pater & avus, qvi districtum Thrandensem Comitis titulô adminstrârunt, domicilium habuere, unde Hladajarlar, id est Hladarum Comites, seu Hladenses Comites, dicti sunt, non autem Ladejarler. Hîc qvoqve magnificum extitit delubrum, cujus foribus celeberrimus Rex Olafus Tryggvinus, cum ad Norvegiæ sceptra, Hacone Comite â pessimæ fidei proprio servo trucidato, pervenisset, ingentem annulum aureum detractum, Sigridæ Sveciæ Reginæ inter alia dona misit, qva de re ipsius videatur Historia. Sesqvimilliaris ab Nidarosia spatio, Archiepiscopus Olafus Engelberti filius, in

in exigua, mariq; circumfusa insula, qvæ longo ponte ligneo continenti jungebatur, castrum Steinwigsholm excitari curavit, qvod integrum perstitit, donec tandem inter Danos & Svecos gliscente bello Regio jussu demolitum est. Haud procul â castro Steinwigsholm occidentem versus, Tuttereya (Insula Tuta) locum obtinet, superioribus seculis speciosissimo ornata cænobio, cujus elegantiam labentes parietinæ etiamnum testantur, ubi hôc qvoqve tempore pulcherrimum visitur pomarium, a monachis olim malis consitum. Hæc insula leporum fœcundissima est.

Vixerat in hujus insulæ monasterio, septuaginta circiter ante annos Monachus qvidam Sanctus, Frater Stephanus vulgò dictus; qvi tam religionis immutationem & Basilicæ Thrandensis incendium atqve excidium, qvàm cænobiorum & exedrarum devastationem, Monachorum & Canonicorum persecutiones, sacrariorum & tricliniorum direptiones, utet castri Steinwigsholm ædificationem, cum plurimis futuris, qvæ postea evenerunt, rebus, verè prædixit, cui consimile vaticinium Jamptiæ qvidam colonus, Hallvardus Wise seu sapiens, eodem tempore propagatum posteris reliqvit. Hic idem frater Stephanus, aleam omniaqve ejusmodi ludicra exosus, qvoties homines eis indulgere viderat, illachrimâsse dicitur, tesserasqve & chartulas lusorias, si modo id alias modestè peragere posset, ludentibus ereptas flammis injecit.

Duobus in ortum a Nidarosia milliaribus prædium Stiklastadæ, ubi S. Olatus in acie cecidit, situm est; ibidem horreum, in qvod Regis interfecti corpus primò illatum fuit, hunc in diem integrum perstare fama est. Ad intimum sinûs Thrandensis recessum in Scoufvensi parœcia, qvæ a Nidarosia sex milliaribus distat, nundinæ qvotannis in Jejunio Qvadragesimali instituuntur (Leffangrensis nundinas vocant,) ad qvas Sveci atqve Jampti, varii generis onusti mercibus, turmatim proficiscuntur.

Qvarta milliaris parte a Nidarosia septentrionem versus pulcherrimum cœnobium Holmskloster in parvâ oceano undiqve circumfusâ insulâ, collocatum fuit, à qvâ septentrionale sinus Thrandensis litus sesqvi-milliaris abest spatio.

Tribus circiter ab oppido japygem versus milliaribus, ad septentrionaliorem sinûs oram, tractus, Stadsbygden vocatus, jacet, ornatissimo prædio, optimatum antiqva sede, Stadsrein dicto, notissimus; ubi Bardus Guttormi filius, Ingii Regis Ducisqve Skulii pater, habitavit. Hîc postea Dux Skulius speciosum fundavit cœnobium, qvod ingentibus bonis & reditibus ditavit, qvæ universô hoc tempore â Regiô præfecto administrantur.

Distat in evronotum a Nidarosia tribus milliaribus lacus ingens, vulgò Salesiøe/ vel Saleboſtøe/ qvi dictum fluvium Nid emittit, duorum milliarium longitudine in vulturnum diffusus, ad cujus extremitatem præcipui hoc in Regno molares rupibus exciduntur lapides, in plurimas provincias distrahendi.

Ad sextum â sæpius dicto oppido milliare, versus aqvilonem, prædium Egge in insula qvadam locum obtinet, Kalfi Arnini sedes & domicilium, qvi S. Olafum armis aggrediendi & occidendi auctorem & antesignanum ejusdem subditis sese præbuit.

Si in hac descriptione regionis sitûs aut intervallorum dimensio minus forte accurata deprehendatur, causa est, qvod illum tractum peragrandi mihi nunqvam data est occasio, sed aliorum tantùm relationes in his conscribendis secutus sum.

CAP. XX.

DE PRÆFECTURA GAULARDALO, HODIE Guledal DICTA, DEQVE MONTIBUS, Dofrefield ET Rudefield; UTET DE PRÆFECTURIS, STRINDENSI, SPAREBOENSI ET JAMPTALANDIA SEU JAMPTIA.



Aulardalos ingens vallis, evronotum versus a Nidarosia, inter editos jacens montes, ad Dofrinas usqve alpes procurrit; qvam magnâ aqvarum copia insignis pererrat fluvius Galaac (olim Gaul) nomine, unjus ab dicto oppido in occidentem milliaris spatio in sinum Saltfiordum cadens.

Hic idem amnis Gaul â qvo vallis nomen sortitur, anno Christi MCCCXLIV. occulto meatu terram subiens, aliqvot dierum spatiô nusqvam comparuit, qvod terræ lapsus secutus est, ex altissimi enim montis clivo humus, immensâ lapidum & arenarum mole commixta, horrendo fragore proruens, vallem transversam collis instar oblepsit, flumini, qvod tunc largè profluebat, alveum omnemqve simul elabendi viam obstruens, unde in stagnum repentè diffusus, omnis ingenti inundatione supra agros ædesqve accrevit, plurimis mortalium cum armentis & pecudibus deletis & suffocatis, tandemqve incredibili vi & impetu objectam terræ molem perrumpens, & secum immani rapiditate devolvens, qvidqvid obvium erat, villas, homines & animantia absorpsit, adeò ut hac inundatione octo & qvadraginta prædia, eorumqve qvædam nobilia, cum aliqvot templis, sedibus suis convulsa & abrepta sint, ducentiqve qvinqvaginta exstincti homines, coloni nempe, cum uxoribus, liberis, operariis atqve hospitibus ad convivia arcessitis: acciderunt enim hæc tempore autumnali, proximâ vespera ante Festum Crucis, qvo præcedaneas ferias celebrabant; nec minor adventantium, proficiscentium, accedentiumqve multorum pauperum, eo qvem dixi modô, numerus periisse creditur, pauciqve mortuorum reperti sunt, nec multi hoc in tractu improvisum periculum & mortem imminentem eluctati sunt, plurimis aqva cum terræ colluvie simul ruente haustis. Longo præterea tempore universa hic vallis paludis instar omnino impervia fuit, qvæ tandem exsiccata, planos campos, plurimaqve arenosa & sabulosa ostendit loca.

De Dofrinis alpibus.

Has jam dictas Orkadalensem & Guldalensem præfecturas mons mediterraneus, vulgò Dofrafield/omnium totius Norvegiæ maximus altissimusqve ab austro claudit, universamqve regionem plurimos montes collesqve passim propagando, ingenti tractu percurrit, a villa qvadam Dofra nomen adeptus; qvem ex Thrandia Osloam proficiscentes octoginta milliarium, qvæ hic ordine enumerantur, longum iter conficiendo, tam hyberno, qvam æstivo tempore transcendunt.

A Nidarosia itaqve ad Melhus villam Gaulardalensem -	2 Mil.
Hinc ad Grinnesogn - - - -	2 Mil.
Hinc ad Stouresogn euronotum versus semper contendendo	1 Mil.
Hinc in vallem Sognedalum - - -	2 Mil.
Hinc ad Rennebo - - - - -	3 Mil.
Hinc saltus Updalensis transeundus complectit - -	5 Mil.

Et

Et mox vallis Opdalus, longus - - - 1 Mil.
Hinc ad Dofrensium alpium radices - - - 2 Mil.

Ubi insignis fluvius, Drifven seu Drifaaen dictus, rapido cursu ex declivi montis latere proruit, qvi valle Opdalo peragratâ in sinum postea Thrandensem labitur. Hunc tortuoso volumine prolabentem, anteqvam ad montis, duodecim miliaria latitudine complectentis, fastigium perveniatur, novies transmittere necessitas postulat. Verùm

A montis radicibus ad viatoriam, qvæ prima hic invenitur, domum, Drifvestoven vulgo appellata - - - 3 Mil.
Hinc ad alteram nomine Hiartkind - - - 3 Mil.
Hinc ad tertiam domum nomine Fogstoven dictam - - 3 Mil.
Hinc ad antedictam villam Dofram etiam sunt - - 3 Mil.
Hinc in Gudbrandzdalum - - - - 3 Mil.

Totumqve hoc iter (ut ego existimo) evronotum versus dirigitur. Tempore præterea vennô, autum aliqve, periculosissima hæc est profectio; amnis qvippe Drifven, qvi, ut modò diximus, novies transeundus est, resolutarum nivium aqvis imbribusqve, in imensum ferme haud raro augetur, horrendisqve cataractis prolabitur, qvas pontibus inter præruptas & asperas ripas, funibus suspensis, vixqve stabili, ob rupium asperitatem atqve inæqvalitatem, fundamento nixis, non sine magna difficultate transire oportet. Hibernô autem tempore tam nobiles aulici & Regii ministri, qvàm cæterorum hominum turba, hac maximè viâ proficiscuntur; nives enim, qvarum hîc imensa est copia, ventorum impetu adeò condensatas & frigoris vehementiâ constrictas, ut tam jumentis qvàm hominibus sustinendis sufficiant, celeri cursu, exiguo temporis spatio facile transmittunt, coloniqve incredibili xylosolearum beneficiô easdem perlabuntur. Tres autem illæ, qvas diximus, domunculæ, Drifvestoven/ Hiartkind & Fogstoven ipso in monte in usum viatorum exstructæ sunt, ubi necessitate id efflagitante pernoctare possunt; pro qvibus restaurandis, integrisqve conservandis, coloni, qvi proximè illas ad montis radices habitabant, annuis villarum reditibus ab hujus Regni Regibus Archiepiscopisqve antiqvitus liberabantur. His qvoqve temporibus apud Hiartkind, inter duas alias mediam, vir qvidam habitat, ad vitam sustentandam vaccas aliqvot, huic domunculæ attributas, habens; qvi vicissim tenetur ædem, qvoties opus est, reficere, hiberno tempore iter facientibus viam monstrare, eqvis pabula, & alendo foco idoneam materiam semper in promptu habere, sunt enim ea in domo cacabi, ollæ, aliaqve ejusmodi necessaria utensilia, in reliqvis verò fomites & ligna, ut succenso igne viatores cum hîc noctem transigere necessitate compellantur, frigoris vim arcere, gelidosqve artus, admoto igni refovere qveant. Qvot autem milliaria â Dofra per Gudbrandsdalos & Heidmarchiam Osloam usqve numerentur, in orientalis Norvegiæ descriptione videre licet.

De montibus Rudfield/ Skare & Sulefield.

Habet ab oriente antedictus tractus Gaulardalensis ingentem montem, Rudfield vulgò dictum, qvi septentrionem versus a Dofrinis Alpibus procurrit, & versus Sveciam flectendo, Jamptiam in boream protensus magna ex parte circuit, Finnmarkiamqve, in septentrionem identidem productus, â Svecia dirimens in hyperboreo deficit oceano, varia in variis locis adeptus nomina; qvippe inter districtum Thrandensem & Herdalum Rudfield inter Norvegiam & Sveciam Skarsfield inter Thrandiam & Jamptiam Sulefield/ generaliqve vocabulo inter Norvegiam & Sveciã ad ultimũ usq; regionis limitem Kiolur nuncupatur. CAP.

CAP. XXI.

DE HERDALO, STIORADALO, VERADALO, ALIISQVE THRANDIÆ PRÆFECTURIS.



Uperatò monte Rudfield/ iter ortum versus dirigendo, pervenitur in vallem Herdalum, duas parœciales ecclesias, qvatuordecim milliarium invicem distantes intervallo, complectentem, qvæ hoc tempore Gaulardalensi præfecturæ adscribitur. Hic tractus hâc occasione primùm excultus fuisse traditur: Herjulfus, cognomento Hornabriotus, Regis Halfdani Nigri, Haraldi Pulchricomi patris, signifer, cum in Regis odium incurrisset, exulqve ad Svecorum Regem profugisset, longoqve tempore, non sine ingenti ejus gratiâ, fidelem ei operam locâsset, tandem cum nobilis cujusdam Svecorum filiâ, qvam in amorem pellexerat, clam in hæc inter Sveciam Norvegiamqve interjecta aufugit, ubi collocato domicilio sedeqve electa, famulos vel in Sveciam, vel etiam in Thrandiam ad res vitæ necessarias cöemendas ablegare consvevit. Hic tractus Heriolfsdalur primò nuncupatus, nunc syncopata voce Herdalen dicitur, habens â meridie ditionem Osterdalum vel Eystridalum nomine, qvæ tamen ingentibus montibus vastissimisqve sylvis separantur.

Ex Thrandia autem ad parœciam Stourefogn dictam numerantur	5 Mil.
Hinc per parœcias Aalensem & Holtaalensem - -	3 Mil.
Hinc per montem Rudfield in tractum Herdalensem -	24 Mil.

De Stiordalensi præfecturâ.

Ad orientale sinus Thrandensis latus Stiordalus est, continens parœcias Stiordalum Frosten & Salebo/ ubi insignis visitur lacus, Selebosiøe vulgò nominatus, qvi notissimum in universa Thrandia fluvium Nid/ supra comemoratum, emittit.

De Verdalensi & Skousensi præfecturis.

Ortum versus a tractu Stiordalensi ad intimum sinus Thrandensis recessum, Verdalensis & Skoufensis seu Skounensis jacent nomarchiæ.

De Indereyensi præfecturâ.

Dimidii milliaris ab intimo sinûs Thrandensis recessu spatiô, ad septentrioni obversum litus, in mare sirrumpens, sinum trium cum dimidio milliarium longitudine efficit, qvi primùm boream versus & deinde in ortum procurrit, circumjectum habens tractum Indereyensem, ad septentrionale Verdalensis ditionis latus situm. Ubi hic deficit sinus, priscis temporibus Norvegiæ Comes Hacon, a potentiâ Potentis cognomen sortitus, emporii, qvod Steinkerás dixit, fundamenta jaci curavit, â Regis Haraldi Grafeldi fratrumqve ejus capitalium hostium vi & fraudibus ibidem se tutaturus. Verùm paulo post Rex Olafus Tryggvinus, neglectô hoc oppido, Nidarosiam, ut supra diximus, exstruxit. Qvô ad Vandaliæ litora devictô, Comites Eiricus & Svenus Haconis filii, tam amore

paternô,

paternô, qvam odiô in Regem Olafum conceptô, ducti, desertâ Nidarosia Steinkeràs restaurârunt. His in principatu succedens S: Olafus, summâ ope & industria Nidarosiæ reficiendæ, augendæ, & ornandæ negotium suscepit, qvæ ab illo tempore ad summam venit magnificentiam. Dicitur autem per Syncopen Nidrosia, & hoc tempore vulgò Thrandia, qvô posteriore nomine simul universæ illæ octo nomarchiæ antiqvitus veniebant.

De Spareboënsi præfecturâ.

Hic tractus Spareboënsis sinui Thrandensi a septentrione adjacet, longèqve in boream Naumdalum versus extenditur. Atqve ita octo illæ Thrandorum præfecturæ, sinui Thrandensi circumjectæ, obiter commemoratæ sunt. Qvi sinus inter portum Kragevog in australi, & fretum Valdersfund/ in septentrionali sitô litore, ex oceano continenti infunditur, unici tantùm milliaris ostii latitudine, â qvo duorum milliarium spatio, inter promontorium Agdanesiam & septentrionale litus, adeò coarctatur, ut semimilliare latitudine vix adæqvet.

A promontorio Agdanesia distat Nidarosia - - 4 Mil.
Hinc ad tractum Verdalensem - - - 6 Mil.
A Nidarosiá vero ad intimum limitem sinus Bedstadfiördensis, boream versus numerantur, - - - 9 Mil.
Ditio hæc Thrandia suam appellationem a viro qvodam multis retrò seculis nacta est, qvi ibidem sedem habuit, Regioqve titulô & potestate imperavit, lingvâ antiqva Þrandr/ Danice Troen & Truet nominatus.
A Nidarosia, ut mox dictum est, boream versus, ad Verdalensis tractus litora sunt - - - - 6 Mil.
Hinc ortum versus ad villam qvandam, Strin nomine, sub montis Sulefield radicibus collocatam - - - 2 Mil.
Hinc per ipsum montem, ad prædium Duen (qvod primum in Jamptia occurrit) - - - - 12 Mil.

Qvi (mons) nomen a prædio Sull in ipso monte duobus milliaribus â cæterorum hominum habitaculis distante, sitô, sortitus est, ubi ingens fluvius, Sulaae appellatus, rapido cursu proruens, in sinum Thrandensem properat.

De Jamptiâ.

Præfectura hæc Jamptia, mediô fere inter Norvegiam Helsingiamqve situ, nomen habet â primo suo incolâ, Ketille Jamptiô, qvi Aunundi Spareboënsis præfecturæ Comitis filius, Eysteini Uplandarum Regis, cognomento Illrade seu Astuti, tyrannidem fugiens, cum universa familiâ ê Thrandia ortum versus proficiscebatur, monteqve Kiölo superatô ingentes excidit sylvas, terramqve excoluit, ab eo tempore, ut & his diebus, Jamptalandiam dictam. Plurimi deinde magnatum Thrandensium Eysteini crudelitatem exosi, ad exemplum Ketillis solum vertentes, in Jamptiam profugerunt, novumqve territorium suis coloniis amplificantes excoluerunt. Ille etenim Eysteinus Thrandos, intolerabilibus fere vexatos tributis, filii sui Sörkveris, Regio titulo cohonestati, imperio regendos commisit. Qvo sublato Eysteinus, odio & ira stimulante, inauditum tyrannidis excogitans facinus, canem, nomine Saur/ ut tradunt antiqvitates, summâ cum contumeliâ eisdem Regem dedit, qvi in insula sinus Thrandensis, Saurseyâ dicta, domicilium habuit, a lupis, gregem ipsius infestanti-

bus, de qvibus instinctu satellitum vindictam sumere satagebat, dilaniatus, ingenti congesto colle, ab ejusdem nomine Sørshøyd appellatô, Regiô more eadem in insula magnificè tumulatus est.

Continet Jamptia qvatuordecim parœcias, vastissimis sylvis a Svecorum dirempta finibus, tam frugum qvàm animantium ingentem producens copiam, magnumqve ferarum numerum, præsertim alcium & rangiferorum, incolis subministrat.

Hujus jam descripti districtûs maritimæ oræ, in sua milliaria dimensæ, longitudo ita se habet. (Licet de Fochsensi nomarchia supra qvalicunqve modo dictum sit; nihilominus tamen paulo altius de illius situ obiter qvid repetendum videtur.)

A Nordmæriæ septentrionem spectante termino ad antedictum portum Kraaevog numerantur - - - 5 Mil.

Hinc idem districtus in septentrionem ad fretum usqve Buchlesund extenditur spatio - - - - 6 Mil.

Verum inter sæpe nominatum Kragevog eiqve proximos a Septentrione portus, duobus scilicet a promontorio Agdanesia in occidentem milliaribus distantes, sinus Thrandensis latitudine adæqvat - - - - - 3 Mil.

Ibidemqve Giandvig dicitur, non autem Gandvig/ qvæ appellatio mari, seu Lacui Albo, inter Norvegiam & Russiam terris infuso, & accolis, Gandfinnis dictis, tantùm competit.

A Kragevog ad insulam Foren (antiqvitus Fotsken) septentrionem versus - - - - - ½ Mil.

Ab hac nomarchia hæc suam traxit denominationem, qvæ duo milliaria ambitu complectens, unicum tantum prædium, nomarcharum sedem, habet.

Ab insula Foren in fretum Valdersund - - - 1 Mil.

Hinc in fretum Stocksund - - - - 2 Mil.

Hinc in tertium fretum Bucklesund etiam - - 2 Mil.

CAP. XXII.

DE NORDLANDIA.



Niversa illa hujus Regni portio, qvæ vastissimo tractu a jam dicto districtu Fochsensi in septentrionem protenditur, generali vocabulo Nordlandia dicitur, seqventes hasce præfecturas comprehendens.

1 Naumudalus
2 Heljelandia vel Halogalandia
3 Salteya
4 Senien
5 Trumsa
6 Lafodia cum Vesterola, Rosta, Vereya
7 Langenesia
8 Andenesia
9 Finnmarchia.

Omnis hic tractus, in qvantum â Norvegis colitur, innumeras insulas magnas parvasqve, promontoria, lingulas & isthmos habet; qvæ infinita freta & sinus intersecant, montana verò & mediterranea loca, utet sinuum intima â Naumudalo ad ultimum usqve in boream projectum regionis terminum Finni occupant. Cæterùm omnes insulas tam majores, qvam minores, promontoria, isthmos, sinus, portus, & navium stationes, qvæ in hoc

Regno & Stafangria auſtrum & orientem verſus, usqve ad Marſtrandam, & hinc ad Regni limitem & Gautelfæ oſtio objectos ſcopulos inveniuntur, licet nimis arduum, & magis qvàm qvis crederet difficile, longo tamen tempore numerari ac qvandantenus deſcribi poſſe non nego. Verum â Stafangria verſus ſeptentrionem ad regionis hujus ultimos terminos, præſertim in Norlandia, licet eis numerandis & deſcribendis totam qvis ætatem impendat, omninò tamen impoſſibile fore certum eſt.

De Naumudalenſi præfecturâ.

Hic diſtrictus Naumudalenſis, àb antedicto freto Buckleſunda longo latoqve tractu mediterraneos verſus montes extenſus in ſeptentrionem, ad ſcopulum, vulgò Helgelands Flœs dictum, procurrendo, longitudine ſuâ comprehendit - - - 12 Mil.

Habet autem Buchleſund a ſeptentrione ingentem ſinum, Folden ſeu Foldefiorden dictum, cujus latitudo ab auſtrali litore, ad inſulam Alegaard / boreali ejusdem oræ objectam adæqvat - 6 Mil.

Hinc ad promontorium Straumshofvet - - - 3 Mil.

Ex hoc ingenti ſinu Foldefiordo, alius ſinus, Naumudalenſis dictus, procurrit, & fluvium Naums / qvi vallem Naumudalum permeat, excipit. Verùm

A Straumshofvet ad Lockenſiam, aqvilonem verſus, magnæ illius inſulæ, Locken dictæ, promontorium - - - 2 Mil.

Hinc ad ſcopulum Helgelands Flœs auſtralem Helgelandiæ terminum - - - - - $\frac{1}{2}$ Mil.

Intra has inſulas nomarchia Naumudalenſis in continenti per valles latè panditur. Magna illa inſula, qvam Vicht nuncupant, anguſto freto â promontorio Straumshofvet directa, tria milliaria in occidentem procurrendo complet, magnum incolarum numerum ſuſtinens, qvæ infinitam fere cervorum & damarum (verum jam ut in reliqvis hujus Regni locis, longè qvàm antea minorem) copiam olim produxit.

De Heljelandia ſeu Helgalandia.

Hæc præfectura antiqvitus Halogalandia vel Haleyalandia dicta fuit, ejusq; incolæ Haleger / extenditurqve â ſcopulo Helgalandsfles, vaſtiſſimos ſinuum tractus continendo, verſus ſeptentrionem ad inſulam Fugley viginti milliarium longitudine.

A ſcopulo Helgelandsfles ad Sandver - - - 1 Mil.

Hinc ad Torfve (antiqvitus Torgar) nomarcharum ſedem, etiam - 1 Mil.

Ibi altiſſima eminet rupies, Torfhatten vocata, & duobus ingentibus foraminibus ê pelago proſpicientibus perſpicua.

Hinc ad Stielfven - - - - 4 Mil.

Hinc in ſinum Alſtehovig - - - - - $1\frac{1}{2}$ Mil.

Ibidem prædium, ſedes ſacerdotalis, Alſtehouf dictum, ſitum eſt.

Hinc ad inſulam Kaarholm - - - - $\frac{1}{2}$ Mil

Hinc ad ſcopulum eodemqve nomine portum Hangebiern - 2 Mil.

Hinc ad inſulam Mangvarholm - - - 1 Mil.

Hinc in fretum Rangeſund - - - - - 2 Mil.

Hinc ad Inſulam Ridey - - - - 1 Mil.

Hinc ad Inſulam Meley - - - - 2 Mil

Hinc ad Stytten - - - - - 1 Mil.
Et hinc ad insulam Fugley - - - - 2 Mil.
Hæc Halogalandiam â septentrione terminat, qvæ longo latoqve tractu versus mediterraneos montes procedens, ingentes admittit sinus, ad qvorum fines Finni habitant, qvi etiam magna ex parte insulas, isthmos & promontoria cum Norvegis excolunt.

Distribuitur hæc præfectura in tres partes, qvarum prima Bryneyensis sex parœciales ecclesias continet. Duobus cum dimidio milliaribus ab hac insula Bryney versus occidentem Vyneya insula jacet, unam continens parœciam. Secunda Alstehoufensis, octo parœcias habens, colonosqve nongentos, & jam qvidem plures, præter illos, qvi litora occupantes, piscatione tantùm aut mercaturâ, vel etiam artibus mechanicis, vitam sustentant, omnesqve illos Finnos, qvi intermixti Norvegis hic habitant: sita est autem sedes sacerdotalis Alstehouf in insula Alsteen/ qvinqve milliaria in circuitu continente. Tertia Rodeyensis, sex parœcias habens, qvarum una ab insula Dunnen sive Duagen, qvatuor milliaribus vasto undiqve circumfusa oceano, distat. Sed templum qvod insula Frœn dicta habet, Sandekyrke vulgò appellatur. Evronotum versus semimilliaris intervallo ab insula Rodey prædium jacet Thioten/ antiqvitus Thiotta dictum, ubi regnante Divo Olafo Harechus de Thiotta habitavit, a Rege Haraldo Pulchricomo genus ducens, qvod hodie prædium duodecim coloni inhabitant. Hic Harechus de Thiotta, cum Kalfo Arnii filio de Eggis, & Thorere, cognomento Cane, de Biarkeya, conspirantium colonorum tribunus, contra S. Olafum arma sumpsit.

De insula Duneyâ seu Donøe dictâ.

Portus Hangebiernen/ ejusdemqve nominis rupes, in continenti obverso hujus insulæ litore, Duneya locum obtinet, unde austrum versus semimilliaris intervallo in eadem insula eminens rupes, qvam Dunnebiernen vocant, distat, ibidemqve portus haud incommodus in japygem excipiente insulæ litore invenitur, & hinc sesqvimilliaris spatio abest templum Danneneskyrke/ seu Dannoneskyrke dictum. Hæc prima est Norlandiæ insula, in qva tempore solstitiali æstivô tam noctu qvàm interdiu solem videre contingit; unde apparet polum Arctoum gradibus sexaginta novem hic attolli, omnemqve illum tractum, qvi hinc in septentrionem protenditur, Zonæ frigidæ subjectum esse, & qvo longius ab hac insula septentrionem versus progrediaris, eo altius supra horizontem nocturnô tempore diem perfudi sit, nec tam splendidè lucere, qvam in meridie, ob exsurgentes noctu terræ vapores, & nebulosas exhalationes.

De Salteyensi præfectura.

Septentrionem versus ab insula Fugley/ hæc nomarchia, qvam vulgò Salten vocant, longô tractu extenditur, has parœcias continens: Gilleskalen/ Saltey/ Stegen & Lodingen/ qvæ cum suis adjunctis minoribus ecclesiis octodecim milliaria longitudine complent, sc:
Ab insula Fugley at Lodenbratta - - - 4 Mil.
Hinc ad Stegen supremi judicis provincialis sedem - - 6 Mil.
Hinc ad Sandtoft - - - - 6 Mil.
Hæc qvoqve præfectura versus mediterranea latè expansa, sinus qvatuordecim vel sedecim milliarium longitudine intersecantes complectitur.

De

De Seniensi præfectura.

Tractum Salteyensem versus septentrionem excipit præfectura Seniensis, Senien vulgò dicta, qvæ ad Trumbsensem usqve præfecturam (in qva, cum ad perfectam maturitatem ob nimiam aëris frigiditatem fruges non perveniant, nec seritur, nec metitur) versus boream procurrit.

De Trumbsensi præfectura.

Continet hæc præfectura, qvam Trumbsenlœn nuncupant, duas parœcias, qvarum australior Thrandenesia, borealior Trumbsen vocatur, nec ulla septentrionalior hoc in Regno deprehenditur parœcia, qvæ villas cum pratis habeat. Norvegi enim, hinc septentrionem versus in Finnmarchia habitantes, asperas & petrosas insulas, scopulosqve sine agris pratisqve, piscatione victitantes, tenent, templaqve habent lignea, & ea qvidem parva, qvorum duo vel tria unum tantum sacerdotem agnoscunt.

Tractus hic a Sandsoft/loco ita dicto, versus boream ad Loppen usqve Finnmarchiæ insulam extenditur, sedecim aut octodecim milliarium longitudine.

Hôc in tractu, ut modò dictum est, Thrandenesensis jacet parœcia, cujus primarium templum in Trandenesia ê vivô saxô magnificè exstructum, situm est, omniumqve in tota Norvegia ruralium splendidissimum censetur. Hæc parœcia Episcopo Thrandensi in proprios usus concessa est, in qva septem vel octo suos habet vicarios, & more antiqvo tertio qvovis anno in Thrandenesiam proficisci tenetur, ut de religione & verâ verbi Dei administratione in hac boreali suæ diæceseos parte diligentius inqvirere, & qvæ necessaria videntur ritè ordinare faciliùs qveat. Hac in nomarchia insula, hodie Birckøe/ olim Biarckey dicta, sita est, pulcherrimum eodem nomine insignitum habens prædium, qvod paulò ante nominatus Thorer, cognomento Canis, inhabitavit, qvi â Rege Haraldo Pulchricomo oriundus (id qvod legisse non memini) cum Kalfo Arnii filio & Harecho de Thiotta contra S. Olafum exercitum duxit, eumqve armis impetivit. Districtus Trumbsensis in boream ad insulam usqve Loppen/piscatoribus in tota Finnmarchia freqventissimam, procurrit, unde jam ad Norlandiæ qvasdam insulas obiter describendas revertimus.

CAP. XXIII.

DE NORDLANDIÆ INSULIS, ET PRIMUM DE Roste ET Verey.



AD duodecimum milliare occidentem versus ab insula Stytten seu Fugley/ qvâ australior nulla in Saltensi vel Salteyensi districtu sita est, insula, nomine Roste/ qvatuor in circuitu milliaria habens, cum circumjectis minoribus insulis parœciam constituit, qvæ Lofodensi adjungitur parœciæ, â qva in aqvilonem qvatuor milliaribus distat insula, Verey dicta, olim etiam unam parœciam continens, qvæ hodiè ecclesiæ qvoqve Lofodensi adscripta est. Est & hæc insula ejusdem ferme cum Roste va-

ſtitatis, aliqvantùm tamen editior. Nullus in his duabus inſulis portus aut navium oportuna ſtatio, nec locus qvidem, qvo navigia ad litus tutò appelli poſſint, invenitur, ac eapropter plurimi hic piſcatorum cum ſuis cimbis & celocibus, naufragio facto, haud rarò pereunt.

De inſula Moſkey, & freto Moſkeyæſtrøm vulgò dictô.

Unius milliaris longitudine aqvilonem verſus ab inſula Vereyâ, Moskeya locum habet, cultoribus qvidem vacua, ſed centuriis aliqvot ovium paſcendis electa, qvas Lofodiæ incolæ eò ſaginandas transportant. Ab hac inſula boream verſus ſemimilliaris ſpatio, Lofodiæ qvædam lingula, Moſkeyænes nomine, in mare procurrit, inter qvam & Moskeyam rapidiſſimo curſu horrendum proruit fretum, qvod Moſkeyæſtrøm vocant, immani vortici haud abſimile, nam allabentibus oceani undis, per has terrarum anguſtias mare irrumpens litoribus infunditur, & rurſus refluentibus, per easdem delabitur, & utrumqve tantâ æſtûs violentia, ut cujusvis rapidiſſimi fluminis, anguſto inter aſperas rupes meatu, ingentibus cataractis devoluti, vim & ſævitiam, etiam tranqvillo cœlo, longè ſuperare videatur, ejusdemqve æſtuantis ſuſurrus, multorum milliarium longo ſpatio exaudiatur, tantiqve hic ſunt in ſe ipſos contorti vortices, ut navigia etiam, qvantumvis magna, ſi propius accedant, abſorbeant. Cæterùm licet hoc fretum ingentis ſit profunditatis, nihilominus tamen qvicqvid eo mergitur, æſtûs violentiâ ad imum fundum detruſum, aſperis ibidem rupibus & ſaxis illiſum confringitur, etenim cum navigia hauſerit, recedente tandem æſtu, in minutas partes revomit, nec unqvam tranqvillum eſt, aut ſuperabile, niſi cum aut æſtuum relapſu, ceſſante undarum conflictu, mare tranqvillatur, aut pleno alveo æqvor ad ſummum incrementi pervenit, langveſcente utrinqve maris violentiâ, qvod tamen ultra horæ qvadrantem non perdurat. Itaqve impetuoſis ſpirantibus ventis, hos vortices, vehementius præſertim æſtuantes, uno milliari prælernavigantes propius accedere non audent, cum multi mortalium, qvi incauti nimis illos appropinqvant, periculum non ſentiant, priusqvam ab æſtuum vi cum navigiis abſorpti ſubmerguntur. Haud aliter ingentes ceti a vorticibus, modò appropinqvent, rapiuntur, qvi cum ſe undarum violentiæ neqvicqvam obluctari, ſed nolentes volentes aqvam ſubituros cognoſcant, tam horrendos edunt boatus, ut terram movere putentur; ita abſorpti, vitam profectò finiunt, ſcopulis illiſi atqve ſuffocati. Ingentes qvoqve arbores hauſtas, cortice, ramis & foliis denudatas, contuſasqve hic idem æſtus reddit. Itaqve de hoc Moſkeyæſtrøm variæ hominum feruntur ſententiæ; putant enim qvidam immenſæ profunditatis hic eſſe vorticem, aqvamqve per qvædam foramina ſubire terram, & per alia alibi exire, & contrà cum ibidem ſubierit, hic erumpere, & utrumqve ſtatis vicibus, vel etiam in profundis terræ venis perennem hic ignem ſulphureum, ut in Iſlandia & aliis qvibusdam terrarum locis, latitare, qvi hoc maximè modo aqvam in ſui nutrimentum abſorbeat, & paulo poſt ſumma cum violentia & impetu emittat. Ego autem exiſtimo aſperrimas & inæqvales, ut paſſim in hac regione, cautes ſub undis latere, qvæ hunc horrendum æſtum, cum mare affluit aut refluit, cauſentur, præſertim cum ſex utrinqve horarum ſpatiô, maris reciprocationem ſeqvens, ſæviat.

De insulis Losodia & Vesterola.

Insula hæc Losoden hodie (olim Losat/) dicta, cum reliqvis tribus; Vesterola nempe, Rosta & Vereya, præfecturam constituit, â promontorio Mosskenes japygem versus ad sinum Vogensem novem longa milliaria & aliqvot lata. Est autem vasta & multis commodis dives insula, tanta piscium copiâ abundans, qvanta in toto Nordlandiæ tractu alibi nusqvam invenitur, lætissimisqve pascuis viret, qvæ mirum in modum luxuriantia, tantæ altitudinis gramina producunt, ut armentorum ventrem attingere dicantur; adeo utile animantibus nutrimentum, ut capri & oves multo plus hic pingvescant, qvàm in ulla alia Norvegiæ provincia, unaqve qvadraginta octo sevi libras subministret. Ingentes præterea & editos montes hæc insula habet, tot im̃anium ursorum feraces, qvot nulla reliqvæ hujus regionis præfectura producit, non modo armentis & pecudibus infestos & inhiantes; sed etiam piscibus, qvos ê piscatorum tabernis clanculum surreptos devorant; infelici tamen eventu sua sæpe exercent latrocinia, nam tempore qvodam, cum ê Losodia in Moskeyam ad complurimas, qvas illic prospexerat, oves capiendas, opimamqve, ut videbatur, prædam occupandam, qvidam eorum tranare decrevisset, ab æstuante freto, de qvo ante diximus, neqvicqvam aqvarum impetuosis viribus obnitens, absorptus est, qvod insulani tam viderunt qvàm audierunt. Eosdem qvandoqve fretum hoc transituros æstus abripit atqve in altum compellit, ubi â piscatoribus, ibidem cimbis suis piscationem exercentibus, occiduntur. Accidit præterea aliqvando, cum colonus qvidam Losodensis peregrè domum rendens, amphoram hydromeli plenam, qvam advexerat, prope litus cum reliqvis mercimoniis nocturno tempore reliqvisset, ut ursus superveniens dentibus aut ungvibus operculo detracto aqvam mulsam, cujus desideriô multum tenetur, hauriret, adeoqve se ingurgitaret, ut crastina illucente die, ebrietate obrutus, ibidem recubaret, ac itaqve a colono ad litus redeunte interficeretur. Haud rarò etiam oleum ê piscium intestinis confectum, confractis qvibus continetur vasis, ebibunt, non sine possessorum detrimento; & cum piscium hepar, qvod in oleum convertendum ingentibus in vasis servatur, forte inveniant, exhausto qvi supernatat liqvore, liqvore, illud qvod reliqvum est corrumpunt. Cum forte aliqvando ursus tabernam intrâsset piscatoriam, piscesqve altius (ut citius indurarentur) suspensos apprehensurus, cymbam, qvæ recèns structa ibidem forte collocata fuerat, ascendisset, eâdemqve eversâ confestim corruisset, tantam concepit iram, ut illam in minutas confringeret partes. Qvodam tempore etiam hac in insula ursus, nondum ad maturam provectus ætatem, eqvum interempturus comprehendit, moreqve solito posterioribus divaricatis pedibus eum complexus est, anterioribus autem collo injectis, dentibus dilaniare sangvinemqve exsugere cœpit, sed cum ad illum hoc modo mox prosternendum viribus non sufficeret, eqvus concitatô cursu per densissimam sylvam ad proximam villam contendit, qvem ille retinere volens, anteriore alio pede arboris propinqvæ ramum sum̃â vi apprehendit, eiqve impressas ungulas, eqvo effuse currente, qvantumvis invitus, reliqvit; domum itaqve celeriter vectus, â colono, qvi insolitô auditô strepitu foras egrediebatur, occisus est. Hæc de ursis jam com̃emorata hic sibi potissimum locum poscere videbantur, cum hac in insula eorum tanta sit multitudo, ut gregatim incedere conspiciantur, in editis & inaccessis montibus ab hominum omni impetu tuti liberiqve sese continentes. Nec

satis

ſatis mirari poſſum qvo modo huc primùm pervenerint cum tot milliaribus â continenti inſula diſtet.

A promontorio Moſkoenes/ qvô in Lofodia auſtralior nulla terræ pars, ad Balleſtad numerantur - - 3 Mil.
Hinc ad ſedem piſcatoriam Hennesvær - - 3 Mil.
Et hinc ad ſinum Vogenſem, Lofodiæ maximè ſeptentrionalem ortum æſtivum verſus, etiam - - - 3 Mil.

Omnes namqve inſulæ â Roſta ad Vogas, verſus continentis litora ordine flectunt, ut tandem â Vogis rectâ in orientem ad Stegen / in præfectura Saltöenſi prædium non ultra qvatuor milliaria deprehendatur. Duo præterea anguſta freta Lofodenſem tractum interſecant, Fangeſtrøm aliud, aliud Gimſøeſtrøm vocant. Jacet autem inſula Gimſø / â qva fretum nomen habet, inter Lofodiam & Veſterolam. In ſeptentrionali atqve occidentali Lofodiæ ora, ut & in compluribus magnis parvisqve inſulis, plurima inveniuntur loca, tam villis exſtruendis apta, qvàm piſcatoribus idonea, modò ſua navigia tuto ad terram ibidem applicare poſſent; nam univerſum litus, ubi cymbæ ſubducendæ ſunt, aſperum & confragoſum in magnam extollitur altitudinem, & paſſim inter editos ſcopulos anguſtiſſimæ infundunt ſe freta, qvæ vento ex oppoſito litora afflante adeo æſtuant, vicinumqve mare circa univerſum littus tantos ciet fluctus, ut omnino inſuperabile reddatur, qvare piſcatores haud raro undarum ſævitia â littore excluſi, donec tandem venti ponant, & mare tranqvilletur, longiori â terra ſpatio, huc illuc fluctuando commorari coguntur, in ſummo periculo verſantes, nam eorum haud pauci ſæpe naufragiô pereunt. De piſcatione circa littora Lofodiæ, ad cætera jam properantes, paulo poſt dicemus.

De Inſula Veſterola ſeu Veſtrola.

Tribus circiter milliaribus japygem verſus â Lofodia, inſula, qvam Veſterolen incolæ vocant, ſita eſt, inter reliqvas omnes longiſſimo tractu in caurum procurrens. Unam continet parœciam canonicis Nidroſienſibus conceſſam, ſub Lofodenſi præfectura comprehenſa, in qva prædium ingens nomarcharum ſedes, qvod præter reliqvorum animantium multitudinem pecudumqve greges, ſexaginta vaccis alendis ſufficit, paſcuorum enim amœnitate & ſoli ubertate Lofodiæ nihil cedit.

De præfecturis Langeneſia & Andeneſia.

Boream verſus â Veſterola, & â promontorio Trumbſenſi, Trondenæſia dicto, caurum verſus, ad tertium plus minus â continentis littore milliare, ſita eſt inſula nomine Langeneſia, â qva in japygem alia, Andeneſia dicta aliqvantulum diſtat, qvarum qvævis cum circumjectis inſulis nomarchiam conſtituit, lætiſſimisqve paſcuis freqvens magnum animantium numerum producit, univerſo mari vicino ingentem piſcium copiam ſubminiſtrante. In his nec ſeritur nec metitur ob nimiam cœli frigiditatem, qvæ tempore æſtivo ſtatim poſt natalem Baptiſtæ terram infeſtans fruges matureſcere non ſinit.

De Inſula Vardøa / & caſtro Vardhuſenſi.

Hac in inſula Vardöa caſtrum, vulgato nomine Vardhuus / excitatum eſt, de cujus exædificatione, aut qvo ſub Rege fundatum eſt, nihil certi qvod adſcribam habeo. Septem autem milliaribus in ſeptentrionem

trionem eadem insula â continente distat, â qva evronotum versus ad parvam qvandam insulam, Lyngestuven appellatam, ut in terminorum regni Norvegici descriptione habetur, hocce regnum finem accipit: ingenti intervallo ab Andenesia vulturnum versus projecta est hæc Vardöa. Sunt autem hæ, jam obiter commemoratæ, majoris vastitatis insulæ, cum reliqvæ innumerabiles sint, qvæ totum continentis littus præcingunt, qvarum aliæ hominum cultui aptæ, aliæ vero incultæ jacent.

CAP. XXIV.

DE NORDLANDIÆ SEU JAM DESCRIPTARUM PRÆFECTURARUM GENERALI QVODAM STATU, DEQVE PISCATIONE CIRCA NORLANDIÆ LITTORA.



Res illæ præfecturæ, Numedalensis, Heljelandensis & Saltensis, soli optimi frugumqve bene feraces agrorum vastitate insignes passim habent villas, adeo ut sementi faciendæ qvadraginta frumenti tonnas una tantum reqvirat; verùm siliginis parum terra hæc producit, præterqvam in qvibusdam Heljelandiæ locis. Sed nulla his septentrionalior ditio, nec vastus Trumbsensis tractus, Finnmarchiave, ob frigoris vehementiam frumenti sunt feraces, verùm in maritimis locis inter asperas & eminentes petras pascuis freqventissimæ adeoqve lætis, ut genu tenus alta excrescant gramina, licet tamen in Lofodia & Vesterola plus luxurient, qvo armenta pecudesqve optimè nutriuntur pingescuntqve. Reperiuntur qvoqve in hisce locis prædia, innumerabili animantium multitudini alendæ idonea, qvorum qvodvis ultra centum frumenti tonnas agris tantum serendis sibi dedoscit. Inter hæc unum (Thiotta) haud infimi nominis recensetur, qvod hisce temporibus duodecim inhabitant coloni, eiqve subjectæ circumjacentes insulæ, sex vel octo colonis sustentandis, modò excolerentur, sufficerent; inde pro annuo reditu aselli arefacti 48. Woger / seu duo millia ducentæ nonaginta novem Romani ponderis libræ, regio præfecto qvovis anno penduntur. Habet qvoqve Nordmæria huic consimile prædium, duodecim etiam colonorum sedem, nomine Husestadum. Nec minor & Birckröa seu Biarkeya, tractûs Trumbsensis villa, licet ibi non feratur, infinitam tamen animantium sustentat copiam. Horum prædiorum atqve consimilium unumqvodqve vir tantum unus, sed ingenti domesticorum numero stipatus, antiqvitus inhabitavit. Verùm qvi angustis finibus circumscriptis utuntur villis, aut qvi nullas habent, vaccas tamen cæterorumqve animalium greges alunt, tempore æstivo in insulas alias incultis, sine reliqvorum incolarum damno, fœnum nutriendis animantibus desecant, qvibus etiam, urgente necessitate, contusa piscium ossa capitaqve, ut & induratos asellos, cum cujusdam generis alga marina commixtos, devorandos præbent. Cæterùm cum Norlandiæ præfecturæ populosissimæ sint, & tam indigenis, qvàm advenis freqventissimæ, adeo ut villæ atqve agri tantæ multitudini alendæ nec suppetant, nec sufficiant, insulas & scopulos occupando piscatione haud pauci vitam sustentant. Qvi inter cætera frumenti, cujus longè minor hic est proventus, qvam tot hominum millia sibi in necessarios deposcant usus, penuriâ laborantes, lembos & celoces piscibus

arefactis onustos ad vitæ necessaria comparanda qvot annis Bergas mittunt. Nec id solum Vardoæ, Finnmarchiæ aut Nordlandiæ incolæ faciunt, sed etiam Thrandenses, & omnes qvi septentrionem versus â Bergis habitant, factaqve mercium permutatione, farinam, bynam, aqvam mulsam, cervisiam, præsertim Lubecensem & Rostochiensem, argentum, nummos, æs, pannum, linum, sal, & lupulum, cum compluribus aliis, qvas necessitas reqvirit, rebus, domum reportant. Nec tantum Germanicæ farinæ aut cervisiæ in australis Norvegiæ provinciis qvam septentrionalis, & præsertim in Nordlandia consumitur, non sinè incolarum detrimento, (licet universo orbi terrarum commune sit malum) cum parcimoniæ minus studentes, plurimi cibo & vino se ingurgitent: tempore etiam hyberno, vel eâ anni tempestate, qva Bergis Christianiæve hydromele aut Germanica cervisia vix reperitur, in Nordlandia abunde venditur.

De piscatione circa Nordlandiæ littora.

Cum hic, de qvo jam diximus, tractus, non tantum frumenti numerum subministret, qvantum incolarum multitudo ad vitam sustentandam reqvirit, Dei optimi maximi, cui has oras ab hominibus fidem Christianam amplectentibus inhabitari placuit, immensa largitate & munificentia, superflua varii generis piscium copia abundè sustentatur; adeo ut præter illos pisces, qvos in qvotidianos usus circa vicinum littus & scopulos qvovis anni tempore capiunt, statis vicibus infinita multitudo, qvæ maxima ex parte asello tam vario, qvam longo atqve passere majore constat, tam copiose littora subeat, (qvod etiam in Islandia, Grænlandia, & Norvegiæ Russiæqve confinibus oris usu venit) ut admiratione dignum videatur. De Heljelandorum itaqve & Saltensium piscandi modo pauca adscribere placet, unde qvadantenus intelligi potest, non adeo dissimilem in reliqvis hujus regionis præfecturis piscationis exercitium servari.

Statim igitur â festo natalitiorum Christi, circa S. Pauli feriam, Heljelandenses cum suis celocibus & cymbis ad iter sese accingentes, septentrionem versus viginti vel etiam triginta milliaria emetiendo in Lofodiam proficiscuntur, cum tempore hyberno hujus insulæ littora præ reliqvis omnibus piscosa deprehendantur, piscatus etenim circa Röstam & Veröam desvevit, propterea qvod piscatores ob scopulosi littoris asperitatem & portuum penuriam multoties naufragium facientes interierint. Cum in Lofodiam perventum est, plurimas domunculas ventis undiqve pervias, ex lignis sursum transversumqve positis, de qvibus pisces exsiccandos suspendunt, exstruere solent. Piscaturiqve cymbis ut plurimum qvatuor scalmorum, semimilliaris spatio in occidentem â littore remigant: unde tranqvillo salo, uno die, una qvævis cymba, centum aliqvot ingentibus piscibus ter onusta domum redit, asellus enim varius & longus, passeresqve majores, tam dense fundum operiunt, ut confestim anteqvam ima petat, hamum cum esca indita deglutiant. Qvandoqve etiam cum funem piscatorium repente attrahunt piscatores, ab hamo ex improviso aliqva ex parte transfixi in cymbas extrahuntur. Hæc loca, ubi tanta piscium copia congregatur, Fiskever sua lingva nuncupant incolæ. Captum piscem, dum hamus iterum fundum petit, piscator capite truncat, exenteratqve, & intestina jecore nec reservato abjicit. Capita verò in mare projicere, ne pisces ea conglutiendo rumpantur, & sine ullo hominum commodo intereant, interdictum est, secusqve facientes graviter mulctantur. Summa

tamen urgente necessitate ita inter illos convenit, ut trajectô per ea validô fune plurima simul colligata undis mergantur, ita enim piscibus nihil nocent. Vento exsiccandos pisces, perforatis caudis, funiculis duos vel tres unà connexos in tabernis suis piscatoriis suspendunt, suos qvisqve peculiari charactere insignitos. Peractâ piscatione, cum jam Martius mensis in exitu fermè est, domum revertuntur, relictis aliqvot viris, in piscium, donec arefiant, custodiam, qvi tum demum â possessoribus auferuntur. Ille autem piscis, qvi verno capitur tempore, ob aëris illâ anni tempestate in iis locis frigiditatem atqve siccitatem, optime induratur, nec, ut qvi æstate capitur, exdorsuatur, nisi forte ingentis sit magnitudinis. Piscium illa capita qvæ domum vehunt, exsiccata & deinde contusa, simul cum alga marina, fœno, piscium etiam ossibus & pinnis, animantibus in escam præbent. Passeres majores in longa segmenta dissecant, pinnasqve cum parte pingvissimâ succidunt, has Raf/ illas Rechling nuncupantes, qvi præ reliqvis piscibus multùm commendantur. Verùm cum hi passeres majores ob carnis crassitiem atqve pingvedinem æstivo tempore ægrè siccentur, (tantæ enim magnitudinis circa Andenesiæ littora capiuntur, ut mensuræ nostratis sesqvitonna unius in frusta dissecti vix sit capax) nec ob salis vasorumqve penuriam condiri qveant, illos inescatos clam sæpe dimittunt piscatores, qvod si palam fiat, ingenti pecuniâ mulctantur. Aliis verò piscibus, nisi ad qvotidianum victum, capiendis hic parùm student.

Tempore hyberno ante natale Salvatoris festum, cum longissima nox incumbit terris, in naviculis suis paulùm â littore prodeuntes, & in profundissimis finibus haud raro commorantes, piscem Haaskierding / qvem corrupte Haakierling vocant, capiunt, duabus cum una die noctibus unum sæpe exspectantes. Hic noctu melius cernere dicitur, qvô etiam tempore facilius inescatur, putridam autem phocarum carnem, cujus desiderio maximè tenetur, hamo indere oportet, ejus qvippe nidorem decem milliarium spatio eum olfacere tradunt, hamum autem catenæ ferreæ duos cubitos longæ, ne immanissimo dentium ejus acumine abscindatur, appendi, hancqve funi piscatorio alligari necesse est. Hunc piscatores maxime expetunt ob jecoris abundantiam, unde liqvoris vel olei ingentem copiam excoqvere solent; nec hic pro magnitudine corporis est robustus, ossium enim loco cartilagines tantum habet, ac eapropter exiguo hamô qvandoqve capitur. Verùm si forte tempore æstivo ab illis, qvi asellum piscantur, ex improviso inescatus extrahatur, exciso hepate, utere consutô & fistulâ sufflatô, ne ima petat, reliqvosqve pisces, qvibus utiqve infestus, in eodem semper loco hærens submoveat, fluitans dimittitur. Ex aselli aliorumqve piscium jecore maximam olei copiam conficiunt incolæ, in eum tantum usum collecto & conservato. Capiunt & piscem his in oris, qvem Brugde / seu Haabrand vel Haamær vocant, jecoris abundantiâ multum commendatum. Is admodum robustus haud facilè hamo domatur, solet autem superne natando, vestigiaqve navis premendo, eam inseqvi, tamqve prope eam accedere, ut cultris, qvos gubernaculo appendunt, oculum nautæ ei effodiant, qvo vulnere saucius, eam viam, qvam, dum magno se impetu iraqve verteret, arripuit, cursu velocissimo perseqvitur, qvæ si ad continentem vel insulam ducat, ej tandem exitio fit, ibiqve capitur. Qvavis etiam æstate Helgelandenses ultra Lofodiam circa brevia & scopulos piscantur, & qvod jam de eorum piscatione dictum est, id etiam de Nordlandiæ Finnmarchiæqve incolis intelligi potest, qvi tam æstivo qvam hyberno tempore, aut in jam commemoratis insulis, aut etiam aliis, qvæ universo

continentis litori prætenſæ huc illuc ſparguntur, prout cuiqve commodisſimum videtur; piſcationem exercent. Circa terræ continentis litora, ut & inter minorum ſinuum ſcopulos & inſulas, qvavis anni tempeſtate pueri & imbecillis hominum turba, in cymbis, & qvidem exiguis, varia piscium genera qvotidie capiunt, puta varium aſellum, aſellum longum, paſſerem, albulam minorem, Graaſey magnitudine aſelli, cujus ſuperflua abundantia, ſed æſtate tantum, in his oris invenitur, Brosme/Stokok ſeu Knude/Knør/ qvi reliqvis præfertur, atqve longe plures, qvibus vel ipſi veſcuntur, vel arefactos vendunt. Piſcantur & ibidem, ubi profundius eſt mare, ingentis magnitudinis aſellos, Lub vocant, qvorum qvatuor vel qvinqve in fruſta diſſecti & ſale conditi, tonnam adimplent. Rajas verò, qvas hic ceperunt, non comedunt ipſi, ſed exſiccatas Svecis, per mediterraneos montes huc qvandoqve proficiſcentibus, divendunt. Rupibus qvoqve & ſcopulis littoris inſidentes incolæ, piſciculos qvosdam, Seygumme ſeu Blaaſtack vocatos, aliosqve minutos his conſimiles, hamo piſcantur, ut & muſtelas marinas in ipſo ferme littore ſub alga degentes, angvillæ magnitudinis. His adde oſtreum, aſtacum, cancerem, qvibus pro delicatiori cibo utuntur. Sues præterea piſcis cujusdam, Syll dicti, in arenoſo litore ingentem copiam effodiunt! hic in arena ſemper degens ibidem nutritur, colore argenteo, & qvidem ſplendidiore, haleculam magnitudine haud excedens, acutum in tergo cirrum habet, aliis ineſcandis piſcibus valde idoneus. Sunt & hîc congri angvillæqve fluviatiles, â qvorum eſu incolæ omnino abſtinent, colubri Fratres illos vocitantes. Captant qvoqve ſcombros, tructas, balleros, a cipenſeres (vulgo aſturiones) tum ſcombri tum eſocis generis, Makreelſtorier & Laxeſtorier/ ut & in fluviis, licet raro, eſoces, lucios, & truttas. Vituli porro marini, phocæ, ingentesqve ceti, qvi aut capiuntur, aut demortui fluctibus in littora ejiciuntur, plurima incolis commoda præſtant, e qvorum carnibus immenſam olei abundantiam exprimunt. Cæterum belluæ marinæ, qvas Trold-Hvale vocant, ut & immaniſſimæ hydræ, in perniciem generis humani tantum, ut videtur, natæ beſtiæ, valde hic extimeſcendæ ſunt, multos qvoniam haud raro mortalium ſubverſis navigiis interimunt.

De imô maris fundô circa Nordlandiam.

Prout hæc regio inæqvalis, alibi in editos montes ſurgit, alibi in valles ſubſidet; ita & vicini maris fundus, alibi collibus tumulisqve refertus, alibi admodum depreſſus apparet, ut hinc immenſæ profunditatis æqvor obſervare liceat, nam ſupra rupes & exſurgentes ſcopulos, triginta, qvadraginta vel ſexaginta paſſus adæqvat. Qvamdiu autem in inſcrutabilis altitudinis oceano, ſive ob frigoris vehementiam, ſive aliam qvandam cauſam ſeſe continet piſcis, tamdiu piſcatoribus eum capiendi nulla fit copia, excepto tantum illô, qvi in ſinibus inter ſcopulos & inſulas hyemem tranſigit. Verùm cum ſtato anni tempore, ex Divina providentia, littora ſubeundo editiora ſub undis loca occupat, ubi illi pariter ac in profundo ſalo alimenta non ſuppetunt, hamo inditam eſcam lubens apprehendit. Sed ubi mare tantæ eſt profunditatis, ut funis piſcatorius fundum non attingat, nunqvam extrahitur, itaqve neceſſario ex immenſæ altitudinis pelago ad hos colles & brevia, ut capi poſſent, piſces compelluntur. Qvæ loca longius paſſim â terra diſtantia, piſcatores, ſumpto â proximis terræ qvibusdam locis certo indicio, diligenter notant obſervantqve.

CAP.

CAP. XXV.

DE NORDLANDIÆ ANIMALIBUS ET SYLVIS, MORBIS QVOQVE FREQVENTIORIBUS, &c.



HAbet Nordlandia, prout reliqvæ Norvegicæ provinciæ, varia animalium genera, tam domesticorum qvàm ferarum, nocuarum & innocuarum. Eqvorum, qvos tota fert Norvegia, optimi atqve generosissimi hic inveniuntur. Major boum qvam qvis facile credat, numerus. Præterea capræ, oves, sues, canes, feles & mures; glires verò nulli, qvos forte invectos ista terra vivere non patitur. Littora vicinumqve mare ingenti phocarum multitudine scatent; montana verò & sylvestria, alces, cervi, lepores, & infinita rangiferorum copia occupat. Aliqvot etiam ursorum nigrorum genera, alborum verò nulla, licet exempla, pauca tamen, suppetant, albos illos immanissimos ursos, immensâ illa fluctuante glacie, qvam ventorum vis huc atqve illuc compellit, è Grænlandia vectos, ad hasce oras pervenisse, multosqve hominum, anteqvam occidi poterant, è medio sustulisse, qvod & haud raro in Islandia contingit. Sunt etiam hîc hyænæ, lupi atqve vulpeculæ, & hæ qvidem rufæ, albæ & nigræ, qvæ cæteris præferuntur, nec non tria lyncium genera, puta Ulfgouber / Ref-vegouber & Kattegouber. Lutræ & castores in finibus ac fluminibus, in sylvis martes, sciuri, mustelæ alpinæ atqve meles. Verùm ultra Heljelandiam in universo illo septentrionem versus protenso tractu, nulli omninò serpentes, bufones aut ranæ, aut ulla venenata animalcula deprehenduntur; cujus causa an humo, herbis, vel frigidæ aëris temperiei adscribenda sit, juxta cum ignaris me nescire fateor.

Æstivo tempore in universa Nordlandia Finnmarchiaqve, culicis qvoddam genus, qvod magnitudine cæteris longe anteit, infestô aculeo & ingrata voce, homines, noctu præsertim, cum se ad qvietem composuerint, multum inqvietat, aliarum autem muscarum tantus hic non est numerus, qvantus in reliqvis Norvegiæ provinciis. Licet porro Nordlandia nullos producat glires, nec invectos patiatur, qvi hybernâ tantum exactâ tempestate, renascentibus graminibus, mox exanimantur, qvod etiam in plurimis hujus regni maritimis locis atqve insulis contingere observatum est; nihilominus tamen glirium aqvaticorum, Lemen vocant, immensam & infinitam ferme habet copiam, qvæ dira qvidem animalcula, insulis præsertim incultis, & à continenti terrâ remotioribus, incumbunt, atqve unâqvâqve universo gramine radicitus corroso, tanqvam vomere fuisset proscissa, relictâ, in aliam transeunt, immenso agmine facto, tanqvam in acervum congesta unum supra alterum, hæc subtus, illa supra aqvam recta simul tendunt, nec aliqvot tantum millia murium aqvaticorum hoc agmine continentur, sed multæ myriades; collis enim instar supra undas coacervantur, & qvæ infimæ natant, ad duorum passuum altitudinem in aqvam demersa; itaqve piscatores iis obviam facti, loco cedere sinè mora necesse habent, aliàs cymbas eorum multitudine suâ obruunt, atqve profundis aqvis submergunt, qvod & aliqvoties contigisse dicitur; nam ex improviso sæpe invecti, in summo constituti periculo, effugientes ægerrime elabendi viam invenerunt.

Sunt qvoqve in Nordlandiâ plurima avium genera, & imprimis galli, gallinæ & anſeres, prout in aliis regionibus. Tum ſylveſtres, ut aqvilæ, qvarum duo hic reperiuntur genera, falcones, accipitres, cuculus, qvi tamen ultra Lodingeſogn, japygem verſus in nomarchia Saltenſi ſitam parochiam non viſitur. Bubo, corvus, cornix, nycticorax, pica, graculus, monedula, urogallus, lagopus, ſturnus, picus martius, vel merula major. Varia etiam picorum genera, ut picus viridis, flavus, niger &c. merula, turdus, turdus torqvatus, alauda, hirundo, motacilla, galgulus, paſſer, veſpertilio, regulus; ut & avicula Egde dicta, alaudæ magnitudinis, qvæ æſtate totis canit noctibus. Item Troldrucker picâ grandiores, qvæ nocte intempeſta volare, omnesqve res albicantes petere ſolent. Varia dantur falconum genera, ſc: Hvidfalcker / Gierfalcker / Gaasfalcker / (fortè milvus,) & Fiſkefalcker ſeu Giuren. Bubonum etiam varia, ut ulula, noctua, Hornugle & Kattugle. Horſegioger / Stougſkader / Regnſpoer / Heiloner / Myreſniber / Soelſort / Erler / Grenſpurre / Grentitlinger / Steendulper &c:

Similiter & aves marinæ, ut cygnorum anſerumqve infinita copia, eqvus marinus, (Haff-Heſte) pica marina, qvam & Glib & Tielt vocant, eſtqve prima omnium earum, qvæ verno tempore e remotis locis huc advolant, ardea, & varia anſerum genera, ut tarda, Radgies / Ringgies & Graffgies. Haffſkuer / Haffeller / Teiſter / mergorum etiam varia, utpote Haffmaager / Strandmaager / Sortemaager / cum reliqvis ejusmodi, ut ſunt Tærner / Hattetærner & Sandtærner / anates, & qvidem variæ, ut fulica, Lunder / Sandtollen ſeu Teendelobben / corvus marinus. Item Laugvner/qvæ terram fodiendo cuniculos, in qvibus ovis incumbunt faciunt, ac eapropter periculoſiſſimum eſt illas rupes, in qvibus hæc avis nidificatur, ova inveſtigantibus perſcrutari, cum perforatâ undiqve humo; inſtabilis gradus haud raro fallat; ita ut homines præcipites devoluti intereant. Harum avicularum in inſulis Röſta, Veröa & Mosköa infinita eſt multitudo. Hæ jam dictæ aves marinæ, in omnibus Nordlandiæ inſulis magnis parvisqve nidulantur, & ova pariunt. Qvarum inſularum aliæ planæ ſunt & humiles, ubi facili negotio ova qvilibet colligere poteſt, aliæ editæ, & præruptis rupibus in aëra ſurgentes: unde ſæpe multi mortalium, aves & ova capturi, cum incaute progrediuntur, decidunt atqve miſere pereunt. Cæterum qvi hoc plenum periculo ſuſcipiunt negotium, bacillum habent, cui præfigitur hamus piſcatorius, qvo ex anguſtis rupium cavernis aves protrahunt, protractasqve obtrito collo dejiciunt, vel etiam capitibus earum baltheo, qvo cinguntur, ſubditis, pendulas ipſi geſtant, ſinuqve ovis repletô onuſti, de rupe deſcendunt, atqve in ſua ſe recipiunt navigia. Qvidam verò nimis temerarii, altius qvam oportet per aſpera & prærupta nitentes, cum exiguâ illâ, rupibus paſſim inhærente, cui inſiſtunt, terrâ, præſertim ſi ab avibus, de qvibus modo diximus, perfoſſa fuerit, præcipites qvandoqve ruunt. Simili qvoqve caſu illi non raro abſumuntur, qvi ex altiſſimis rupibus deſpicientes, præ nimia capitis & oculorum vertigine ſui non compotes, miſere ad ima devolvuntur. Tum etiam alii, per rupium aſperos anfractus, manibus pedibusqve reptantes, in tantas perueniunt anguſtias, ut nec progredi, nec reverti ullo modo qveant, præſertim avium ovorumqve oneribus graves, ac itaqve in horrendam mortem præcipites feruntur. Cum verò ita qvis ecciderit, univerſæ aves, qvotqvot in illa ſunt inſula, in unum ſupra demortui cadaver congregantur, omnesqve vociferantur & garriunt, velut miſerè pereuntis

euntis fatalem casum conqverentes: unde etiam qvi longius absunt, hominem hoc jam dicto modo periisse indicium capere possunt. Fertur in hac regione olim, ut & hodie in Færeis insulis, hac de re severa lex lata, qva ejus, qvi in rupibus & petris ova qværens lethali casu conficeretur, consangvineus amicusve eadem, qva ille deciderat, viâ, rupem petere tenebatur, qvo præstito, demortuum inter Christianos humo mandare fas erat, sin periclitari nollent, vel simili casu, qvi id in se recepit, interiret, uterqve tanqvam αὐτοχεὶς communi sepulturæ locô privabatur, eorumqve bona Regio fisco cesserunt. Has insulas, qvæ tali avium & ovorum copiâ abundant, Eggver sua lingvâ nuncupant incolæ, qvarum præcipuæ Træen & Verey Heljelandiæ litori objacent, licet magnô cum labore & periculô aves hic & ova captentur; auceps enim funi alligatus, ad nidos ê summitate cautis se demittit; interim supernè aliqvot remanent viri, qvi eum demissum, peractô opere rursus extrahant. Habet & Saltensis districtus insulas qvasdam, Helgevær dictas, planas & campestres, avium freqventiâ præ ceteris omnibus commendatas, ubi duo tantum homines, unius duarumve horarum spatiô, citra omne periculum, tot ova facilè colligere possunt, qvot una vix capiat tonna.

De Nordlandiæ sylvis atqve arboribus.

Sunt præterea in tractu Nordlandiæ ingentes sylvæ, qvibus multæ insulæ, & intimis sinuum recessibus adjacentia loca vestiuntur, ipseqve mons Kiolus, & hoc in magnis tantum vallibus vel circa lacus fluminave, supremum autem ejus jugum perpetuis nivibus riget, tantaqve hic ventorum est vehementia, ut si qvæ essent arbores, omninò radicitus evulsas prosterneret. Verùm hæc in Nordlandiæ sylvis inveniuntur arborum genera: abies & pinus, qvibus maximè abundant, ulmus, populus nigra, betula, alnus, sorbus, juniperus, corylus (qvæ tamen arbor ultra Alsten Heljelandiæ paræciam, non provenit, & ubi illa non reperitur, ibi nec reperiuntur serpentes) Assel / Rennassel Hulsver sive Hylstorn Ivenholt / Heeg & Selie. Hæ autem seqventes ibi non existunt, qvercus, fraxinus, tilia, Rhamnus solutivus, salix, oxyacantha, prunus sylvestris, fagus, sambucus, coccognidium, Len/ Brageved / Korsved / Uredvendæl & Orbertræ / nec ulla sativa, ut malus, prunus, pyrus, cerasus, qvæ tamen omnes in cæteris Norvegiæ locis reperiuntur.

De morbo in Nordlandia freqventissimo.

Hæc ditio, ob sereni aëris frigidam temperiem, peste, aut variis morborum generibus, rarissimè laborare dicitur, exceptô tantum unô stomacace hîc freqventissimo, qvo multi mortalium absumuntur, præsertim advenæ, qvi ea qvæ hic suppetunt alimenta, passeres sc: majores, aliosqve pingvissimos pisces, qvi recentes, & maximam partem sine sale, qvotidie consumuntur, minimè tolerant; provenit autem iste morbus, ex malâ stomachi constitutione, contra qvem Angelicæ, cujus ibidem immensa est copia, tam caulem qvam radicem recentem atqve viridem comedunt, utet chamæmorum, ê qva etiam pultes in hujus morbi remedium conficiunt. Invenitur hîc qvoqve herba, qvam Erichs Græs vocant (cochleariæ, ut existimo, qvoddam genus) præcipuum ejusdem morbi remedium, cujus superflua in insulis qvibusdam datur copia, qvam æstivo tempore onustis aliqvot cymbis domum vehunt, ejusqve folia in ingentibus vasis condiunt, iisdem hybernâ tempestate olerum loco usuri.

Ingens hominum multitudo circa Norlandiæ oras naufragio qvotannis perit, tam piscatores, qvam mercatores, qvi merces suas Bergas vehentes, aut inde domum redeuntes, ante Stadense litus haud raro periclitantur, & procellâ vehementiori derepente oborta, cum uxoribus & liberis, qvos omnes septentrionaliores Nordlandiæ incolæ, Bergas proficiscentes secum habent, obrutis navigiis undarum cumulis absorpti vitam finiunt, ut anno Christi MDXCIV. accidisse memoratur, cum qvindecim Norlandarum naves, qvarum singulæ viginti vel triginta, vel etiam qvadraginta homines vehebant, uno eodemqve tempore ante Stadenses oras, omnes aqvis submersæ sunt.

Totius Nordlandiæ, utet reliqvarum hujus regionis provinciarum, oras, vehementissimi sæpe venti perflant, qvi inter aspera montium cacumina proruentes, impetuosissimi instar turbinis, naves etiam ad anchoras stantes, qvasi in girum circumactas freqventer abripiunt, easdemqve, vel in altum, vel in brevia, rudente dirupto, non sine naufragio compellunt, cujus ventorum impetûs eminentia montium juga causas esse constat. Itaqve Nordlandorum naves (qvas latas non altas fieri oportet, qvô meliùs vim ventorum perferre possint) tum qvod omnes apertæ, arefactis piscibus, in ingentem altitudinem congestis, & tabulis tantum aliqvot contectis onerantur, tum etiam prælongos malos, cum gravissimis e lanâ confectis velis habent, dum promontoria in æstuosum protensa mare, sævientibus ventis superare nituntur, facilè eorum vi & impetu subvertuntur. Qvidam etiam solâ temeritate in certam ferè mortem ruunt, sive parvis sive magnis navigiis vehantur, juxta superbi, stultâ qvadam procacitate, pro dedecore reputantes vela contrahere, aut in tempore jacturam facere, vel cuiqvam occurrenti cedere; qvapropter in angustis qvandoqve fretis concurrentes, inter se collisæ naves demerguntur, aut in scopulos seu brevia æstuum ventorumve vi coactæ feruntur, confractæqve unà cum mercimoniis pereunt, ut in freto Kilestrom / qvatuor milliaribus in septentrionem a Bergis distante, accidit, ubi septem (ut suprà diximus) Nordlandorum navigia unius horæ spatiô perierunt, qvod majori ex parte stultorum hominum temeritati adscribendum est.

De Sacerdotibus Nordlandiæ, eorumqve reditibus.

Hæc diœcesis Thrandensis, utet Bergensis, de qvâ dictum est, amplas divitesqve habent parœcias, secus atqve australioris vel orientalis regionis provinciæ. Uni qvippe sacerdoti sexcenti vel octingenti coloni decimas solvunt, præter eos, qvi villas aut agros non excolunt, annuas tamen decimas pendere tenentur. Fuerant olim in Alstehousensi Halogiæ paræciâ nongenti coloni, qvorum jam multitudo suprà millenarium excrevit numerum, ubi præter solitas piscium frumentiqve decimas, aliosqve ejusmodi reditus, qvotannis sacerdoti ducentas vel trecentas Vaager (id ponderis genus est) aselli arefacti honorarii loco offerunt, qvi vicissim plurimos comministros, non sine maximis sumptibus, sustentat, licet qvibusdam eorum vitæ necessaria coloni subministrent, qvi non sine gravi vitæ periculo, duobus vel tribus milliaribus a continente distantes, sævôqve oceanô circumfluas insulas, rem Divinam facturi adeunt.

Gravissimas qvoqve jacturas hi qvandoqve patiuntur sacerdotes, cum navigia piscibus siccatis, & oleô ex eorum intestinis factô, onusta, qvæ Bergas

Bergas ad commutandas merces ablegant, (non enim tantô domi qvantô hîc pretiô vendi possunt) pereunt: Verum si prosperè res cadat, bene & feliciter in omnium rerum abundantiâ vivitur. Haud pauci nihilominus in hoc Regno sacerdotes, omnium prope rerum indigi, servilem ferè vitam agunt, qvi tamen defectus superioris magistratus curâ emendari facilè potest. Verùm boream versus ultra Trumsensem districtum angustis finibus parœciæ circumscribuntur; duo enim vel tres, vel qvandoqve plures, viculi piscatorii unum habent sacerdotem, & templa exigua, eaqve lignea, qvæ Korshus vocant incolæ, sacerdotiqve suo, more antiqvo, decimas offerunt, unde honestè vitam sustentat, commodéqe vivit.

CAP. XXVI.

DE FINNMARCHIA.



Ltra Trumsensem præfecturam, ditio, vulgari nomine Finnmarchia dicta, sita est, qvæ apud insulam piscatoribus freqventissimam, nomine Loppen/ Batavis Nordkapen / incipiens, deinde propius austrum ortum versus ad insulam Vardeyam, & hinc in euronotum ad Karelstrandam, ultimum regni limitem, reflexô litore procurrit. Nec eapropter Finnmarkia appellatur, qvod soli tantum Finni eam inhabitant, verùm qvia isti Finni, qvos Siofinnos, sive maritimos Finnos, vocant, interiora cujusqve sinus litora, & Lappones, qvi Lappefinni, seu Fieldfinni nuncupantur, mediterranea montemqve Kiolum, tenent, insulas verò omnes, promontoriumqve & lingularum in mare exporrectarum extremitates Norvegi piscatu vitam sustentantes occupant.

De insula Vardeya.

Ad septimum in septentrionem milliare a Finnmarchiæ litoribus, sita est hæc insula Vardeya, vasto circumfusa oceanô: unam habet parœciam, & castellum Wardhus nuncupatum; a qvâ euronotum versus, ad insulam Lingestuen Norvegia terminatur, ut in libello qvodam, de ipsius finibus conscripto, haberi repertum est. Universi porro Finnmarchiæ maritimi tractûs longitudo, qvadraginta seu qvinqvaginta milliaribus constat. Qvi hic habitant, æstatis aliqvot mensibus sole tam noctu, qvam interdiu lucente, continuum habent diem, & e contrà hyberno tempore tot mensium spatiô, perpetuam noctem & tenebras, nisi cum Luna forte interluceat, tum enim piscatum prodeunt, & reliqva opera, qvæ foris peragenda sunt, faciunt. Exiguum in his locis vaccarum aliorumve armentorum alunt numerum; qvas hyeme algâ marina, piscibus arefactis, contusis & semicoctis, eorumdemqve ossibus comminutis, pascunt, utet fænô, qvod tempore æstivo in insulis hinc illinc per oceanum sparsis, modò eas per maris violentiam accedere possent, desecant. Hi uno qvovis anno profectionem ad Bergas inter se partiuntur; illi enim, qvi ineunte vere hoc iter suscipiunt, cum autumno insegvente, ob itineris longitudinem, domum redire neqveant, Bergis, vel in septentrionalioribus qvibusdam Norvegiæ locis, hyemem transigere necesse habent, qvibus tandem reducibus, proximo vere cœteri suum iter Bergas institu-

unt. Circa interiores omnium Finnmarchiæ siuuum recessus, utet universæ Nordlandiæ, Finni habitant, Lappones vero montana vagabundi tenent. Qvi omnes, cum antiqvis temporibus suum haberent Regem, ne ullus qvidem Norvegorum, hoc in districtu habitavit. Regnante enim Haraldo Pulchricomô, qvi universam Norvegiam, præter eam ditionem, subegerat, Regem, cui Mötulli nomen erat, agnoverunt, tam ante qvam post illa tempora Regibus parere sveti, & his qvidem propriis & indigenis, Nec Regnum Norvegiæ ea tempestate ultra insulam Loppen extendebatur. (In his Undalino Haraldi Pulchricomi vita adversatur, qvæ commercia cum Finnis, jusqve tributorum ab iis, sed Regis nomine, exigendorum, præfectis Halogensihus, a Regulis Halogiæ ante Pulchricomi tempora, mox ab ipso Pulchricomo, datum affirmat,& demonstrat, Reges tamen suos Finnos habuisse, sed Norvegis subjectos, nihil impedit.) Universus autem Nordlandiæ tractus, cum eâ, qvæ hodie Helgelandia dicitur, præfectura, Halogalandiæ seu Halogiæ(vel, ut jam pronunciant, Heljelandiæ) nomine insigniebatur. Hisce verò diebus, maritimi isti Finni Norvegiæ Regno adscribuntur, Lappones autem tribus parent Regibus, haud exiguam sanè regionis portionem occupantes. Ingens qvippemons Kiolus, totius Nordlandiæorientale perstringens latus, â Jamptia ad ultimam Finnmarchiæ oram nivosis jugis procurrit, centum longus milliaria, latitudo autem ab Helgelandia in ortum versus Nordbotniam, ad intimum sinus Botnici recessum sitam, octo dierum itinere vix conficitur, ad minimum octoginta milliaria adæqvans.

Omnium Nordlandiæ, ut & Finnmarchiæ, ad Regni usqve terminos, sinuum litora, ut sæpius dictum est, Finni incolunt, per immensum autem montem Kiölum, qvem etiam Lappomarchiam vel Vildfinnlandiam vocant, multa Lapponum millia vagantur, & venatione vitam sustentant, ferinas carnes absqve pane comedentes, cum exiguô aut prope nullo sale.

CAP. XXVII.
DE FINNIS.



Versus septentrionem extensæ regionis a Naumudalo & Jamptia, sinuum intima Finni accolunt, & universum Kiälum tenent, & hi Lappefinni sive Fieldfinni, illi vero Siofinni, & utriqve simul Ganfinni, a Familiari illis diabolico Spiritu, Gan dicto, nuncupantur.

De Finnorum religione.

Sunt autem omnes isti Finni pro ethnicis admodum habendi, in verâ enim Christiana religione sese informari & institui haudqvaqvam patiuntur. Nam licet Siofinni, sev Finni maritimi, liberos suos ad sacerdotem, qvandoqve tres vel qvatuor annos natos, ut sacrô fonte abluantur, ducant, & qvidam eorum semel in anno sacris intersint rebus, Sacramqve Domini coenam more Christianorum accipiant, (qvam tamen illis sub Pontificibus, ut & post eorum tempora, non consecratam, datàm fuisse existimantimò & qvidam scint, in eâ ad qvam pertinent parœ-

ciam, ſuoqve ſacerdoti annuas decimas offerant; nihilominus tamen, horrendis ſuis incantationibus & idololatriâ, hæc omnia nihil præter ſimulationem habere abundè teſtantur, ut ex ſubſeqventibus ad oculum cuivis facilè patebit. Deaſtros ſuos in ſylvis & teſqvis habent, qvorum ſingulos complures adorant, nec aliud ſunt, qvam aut ſaxum inſigne, aut celſa pinus, aut ſtatua lignea; qvos in antris aut ſpecubus collocare ſolent, taliaqve ſua numina Landquder/ 0: Deos tutelares, vocant, qvos peculiaribus unus qvisqve notis & characteribus inſignitos, ethnico more ſacrificiis omniqve cultu proſeqvuntur, & hæc omnia occultè inter ſe ipſos peragunt, haud ſecus ae Biarmii olim, qvi ligneam ſtatuam, qvam Jomala appellarunt, pro Deo coluerunt, ut in hiſtoria S. Olafi legitur. Accidit paucos ante annos in Helgelandia, ut vir qvidam, etiamnum ſuperſtes, cum urſos venatum per montana tenderet, ad ingens antrum perveniret, ubi ingentem ligneam invenit ſtatuam, qvæ Finni cujusdam fuit deaſter, ibidemqve illius Ganeſke ſeu pixidem, qvâ ſuum Gan incluſit, repoſitam; hanc cum aperuiſſet, muſcis colore cæruleo refertam animadvertit, qvas Finni Gan vocant, ſuntqve diabolici qvidam ſpiritus, qvos qvotidie emittunt. Statuam ille diſſectam ad nocturnum frigus arcendum pro ignis alimento habuit, pixidem vero ſepoſuit, nec ultra qvicqvam agere auſus, primô diluculo ſine cunctatione abibat. Sunt præterea omnes iſti Finni horrendi incantatores, adeò ut in toto terrarum orbe nec unqvam habuiſſe pares, nec adhuc habere crediderim. Suum illi Gan hæreditariâ qvaſi ſucceſſione accipiunt, nec tamen potentiâ æqvales ſunt, ſed qvædam familiæ in arte magicâ reliqvis excellunt; qvin & nonnulli Lapponum incantationum peritiâ ſuperant Finnos maritimos, qvi eapropter liberos ſuos illis in magicâ arte erudiendos tradere ſolent, qvod & neceſſarium illis; Omnes qvippe incantationibus inſtructiſſimos eſſe oportet, cæteroqvin enim ad ſui defenſionem infirmi, cum ab aliorum inſultu ſeſe tutari non valeant, variè vexantur, atqve interdum perimuntur. Præterea ſingulis diebus ſinguli Finnorum unum Gan/ ſeu dæmoniacam illam muſcam, de ſuâ Ganeſke ſeu Ganhyd/ 0: pixide vel ſacculo coriaceô, emittere tenetur, & cum homines non ſint in qvos, eum immittant (qvod non ſine cauſa, aut interveniente fortè ſimultate, facere dicuntur) aërem illis conturbant, repente cum magna vehementiâ procellas ciendo, hominibus vel animalibus, vel aliis qvibuscunqve rebus nocituras, qvandoqve etiam rupes, aut ingentes montes eas emittendo diruunt. Haud rarò levem ob cauſam homines diabolicô illô ſpiritu infeſtant Finni interficiuntqve, ut ipſi credunt, qvam illis poteſtatem mortalium certè incredulitas concedit; ſed nec ulli incantationibus nocere qveunt, niſi patris ejus nomen ſciant. Poſſunt inſuper qvicqvid in remotis agitur locis, exiguo temporis ſpatiô perſcutari, qvod peracturi negotium, in terra recumbunt, ſpiritumqve ad id perficiendum emittunt, mortuoqve ſimiles, nigrô atqve lividô colore facie diſtinctâ, horæ circiter aut ſemihoræ intervallô jacent, pro itineris, qvam emetiri neceſſe eſt, longitudine; ſpirituqve redeunte, velut ſomno ſoluti, qvid in illis locis, qvos adire rogati fuerant, unus aut alter agat, probè exponere valent. Cujus rei experimentum Bergis in domo Johannis Dellingi, Hanſeaticæ ſocietatis cujusdam mercatoris, Finnus qvidam, cum viro, cui Jacobus Smaaſvend nomen fuit, huc profectus, apertè dedit. Rogatus enim explorare, qvid tunc temporis dicti Johannis Dellingi patronus in Germania ageret, rem aggreſſus eſt: primùm itaqve qvietus conſedit, cæpitqve velut nimiâ ebrietate

 gravatus

gravatus titubare, deinde repente exiliens, hac illac circumcursitavit, & paulo post cecidit, jacuitqve, ut astantibus visum est, haud secus ac si plane fuisset mortuus; tandem verò, velut excusso somnô, surgens, qvid eadem hora dicti Johannis patronus perageret, exposuit, qvod extemplo adversariis inscriptum; postea verum fuisse cognitum est. Ex qvacunqve placet aëris regione ventum pro libitu excitant Finni, eum tamen potissimum, qvi in eorum nativitatis tempore spiravit: qvoties favorabilem vendunt, lorum vel funiculum, tribus constrictum nodis, emptoribus tradunt, qvorum primum cum dissolvant, optato & ad votum spirante ventô fruuntur; si secundum, adeo vehementi, ut vix summo cum labore navis regendæ fiat copia; at si tertius solvatur, impetuosissima oboritur procella, qvæ tam naufragium, qvam nautarum interitum immani violentiâ causatur. Accidit & haud raro, ut inter se diffidentes, unus alterum incantationibus & arte Diabolica ê medio tollat: ut non multos adeò ante annos Finnorum qvidam, nomine Asbiornus, ob magiæ, qvâ inter suos excelluit, peritiam, Gankonge/ qvasi Ganis vel dæmoniaci spiritus Rex, vulgò dictus, maximo suo malô expertus est, qvem infestus inimicus, cum ab omni suo insultu satis tutum probè cognosceret, sub alta rupe forte dormientem, occidendi tandem oportunam nactus occasionem, suum Gan in rupem emisit, cujus illa repentina ruina somno securè indulgentem Asbiornum cooperuit, atqꝫ exanimavit. Qvidam etiam nefandæ hujus artis mystæ inter se pasciscuntur, ut alius suum Gan in miseros homines immittat, alius eundem expellat, illsoqve variis modis divexet, ut at opem ferendam, ingenti pretio conducti, eorum fruantur opibus, nec id aliud qvam jocum reputant; ex qvorum numero qvidam, nomine Hallsteinus Garpus, in Heljelandia habitavit, qvi juvenilibus annis in Daniam profectus, aliqvot rangiferos Serenissimo Daniæ Regi Christiano obtulerat, qvi paucis abhinc annis cum uxore sua, Skaner-Catharina dicta, ob plurima malificia patrata, qvibus multos mortales vita & sanitate privaverant, vivo rogò cremabantur; aliqvot illa homines, qvos tamen una cum marito incantationibus impiè vexaverat, sanitati restituit.

Dicuntur etiam aliqvando certamen iniisse, qvi potentiorem vel fortiorem Ganicam muscam emittere posset, itaqve unus immane saxum fretum qvoddam tranare curavit, cui alter caput adeo retorsit, ut facies prope tergum spectaret, qvod alii Finni, omni arte adhibita, in pristinum statum restituere neqviverunt, effecerunt tamen ut â latere faciem haberet.

Hæc de sceleratis illis hominibus non adeò lubens literis consigno, neqve de his qvicqvam judicare jam animus est. Scimus qvod Sathanas mille technarum sit artifex, & in incredulis hominibus plurimum possit, magnamqve habeat potestatem. Sunt præterea Finni macilenti & strigosi, nihilominus tamen hominum robustissimi, qvod in eorum arcubus experiri licet, qvos Norvegi vix ad dimidium sinuare valent, sunt & nigro fuscoqve cutis colore, ingenioqve iracundo & agresti, tanqvam ursinæ naturæ participes.

De Finnorum tantùm maritimorum statu.

Maritimi hi Finni ad sinuum semper litora habitandi locum eligunt, & præsertim ubi abietinæ vel pineæ abundant sylvæ, qvibus excisis focum alunt, navigiaqve ex hac materia faciunt. Habitant autem in casis & exilibus tuguriolis, dimidia fere ex parte in terram defos-

sis,

ſis, exceptis paucis, qvi ſatis ſplendida pro ſua facultate ædificia habent, exciſisqve circa unum ſinum omnibus ſylvis, ad alium, arboribus undiqve circumſitum, transeunt, ibidemqve, qvoad ſylva ſuppetit, fixas habent ſedes, pro qvibus annuum tributum, & hoc qvidem exiguum, Regi perſolvunt, terræ excolendæ & arandæ operam minimè navantes, ac itaqve ſæpe uſu venit, in auſtralioribus Nordlandiæ ditionibus, ut â Finnis ſucciſis ſylvis, relicta loca Norvegi occupent, qvæ probe exculta frumentum bene ſubminiſtrant, & in optima prædia vertuntur.

Præterea Finni e navigiorum ædificatione haud exiguum capiunt emolumentum, ſunt enim fere omnes fabri lignarii minimè contemnendi, omniaqve Nordlandorum navigia domi propriis ſumptibus faciunt, divenduntqve, haud inconvenienti pretio; carinæ qvippe longitudinis ratione habitâ, qvamcunqve ejus ulnam ad vigeſimam usqve, nummo unciali cum tetradrachmo, â viginti autem ad triginta, tribus uncialibus, qvamvis ulna talis navis centum tonnarum dodecades facile vehit. Faciunt & infinitam cymbarum multitudinem, unde bienniô qvovis decimarum nomine unam, qvam complures communibus ſumptibus ſtruunt, tantæ magnitudinis, ut tres aut qvatuor tonnarum dodecades capiat, nomarchæ offerunt. Hi qvoqve haud ſecus atqve alii Nordlandi piſcatum prodeunt, piſcesqve ſole toſtos, illis, qvi ad eos proficiſcuntur, mercatoribus vendunt, ipſi enim neqve Bergas iter faciunt, neqve freqventiora hominibus loca libenter adeunt, præſertim cum nemini eorum grata ſit præſentia. Multum præterea phocis delphinisqve capiendis ſtudent, ut pingvedine ſeu oleo, ex iis preſſo potiantur, uſu ſane magno, cum ſinguli ad cœnam vel prandium ſesqviſextarium exhauriant, uxores etiam partui vicinæ duplum, eamq; ſaluberrimam potionem ægroto corpori vires ſuppeditare exiſtimant; idcirco Finni ex piſcium, qvos ceperant, jecinore, ut et phocarum & delphinorum recenti pingvedine, qvo dulcior evadat, eam conficiunt. Hydromeli etiam inexplebili ferme deſiderio inhiant, adeò ut ejusdem tres ſextarios lutreâ pelle, vel conſimilis valoris pretio illud adæqvanti labore coemant. Devorant & butyrum avidiſſime, qvoties ejusdem ad Norvegos venientibus copia datur, ac ea propter Finno, cum ad cibum invitatur, plus butyri non apponitur, qvam hoſpes in eum impendere decreverat, nec multum ab ipſis Norvegis, univerſisqve hujus Regni incolis, in eo diſcrepant, qvi ſua edulia maxima ex parte butyro conſtare volunt.

Piſcatum vel venatum euntibus, phoca in undis obvia ut ſiniſtrum omen, nihil omnino ea diè proſperè caſurum perſvadet, domumqve convertit, niſi interficiendi poteſtas fiat, ſi poſt cymbam primùm appareat, optatam fortunam pollicetur, qva etiam ſuperſtitione omnes in hac regione piſcationem exercentes Norvegi tanguntur. Si prodeuntes Tield avem, qvam etiam picam marinam vocant, videant, omnibus illam diris devovent, donec mortua in eodem qvo ſedet loco jaceat, ipſa namqve venantibus ſemper ingrata, cum ubiqve viſo homine garriat, ac ea propter phocæ atqve aves ejusdem voce excitati, venatorem non procul abeſſe intelligant.

In omnes Finnmarchiæ, ut et univerſæ Nordlandiæ, ſinus, ingentes amnes ê montibus devoluti eduntur, ſalmonibus fœcundiſſimi, qvibus tamen piſcandis nemo operam impendit, præter qvod Finni primo qvandoqve vere aliqvot ad qvotidianam ſuſtentationem capiant, & hic ſalmones tantæ magnitudinis reperiri ajunt, ut ingentis corporis vaſtitas obſtet, qvo minus irretiri, vel alio qvovis modo capi qveant. Dicitur tamen in Finnmarchiæ fluviô qvôdam ſalmonum piſcationem, cujus uſus fructus Regi debetur,

betur, exerceri, unde qvotannis complures tonnarum dodecades ſalmonibus refertæ vehuntur, qvod certe in pluribus ejusdem tractus locis, modo labor & induſtria adeſſent, fieri poſſet.

Habent præterea Finni manſvetorum rangiferorum ingentem numerum, ê qvorum lacte butyrum & caſeum conficiunt, illos tempore autumnali Norvegis mactandos venum exponunt, unum qvemqve bene habitum, tribus tetradrachmis divendentes, alunt qvoqve caprarum plurimas greges, ſed oves omninò nullas, venanturqve alces & cervos, ingentemqve rangiferorum copiam, qvorum illis in locis infinita ſuppetit multitudo. Eos interfecturi, inter manſveti cujusdam rangiferi cornua arcum cum jaculo tenent, intenſoqve, unum poſt alterum ſagitta transfixum exanimem proſternunt, ſunt enim ſtolida animalia, qvæ ſibi ab imminenti periculo minimè præcavere ſciunt. Hi etiam, de qvibus jam dicimus, Finni maritimi, ex avium ſylveſtrium, utpote tetraonum & attagenum captura, magnum capiunt emolumentum, majus tamen è ferarum venatu, cum lutræ, caſtores, lynces, martes (& hæ qvidem præſtantiſſimæ) lupi, vulpes, ſciuri & muſtelæ alpinæ, cum reliqvis animalibus, hic proveniant, utet ſumma leporum abundantia, ſed ab eorum eſu tam Finni qvam Norvegi prorſus abſtinent.

His ita breviter commemoratis, huic qvalicunqve Norvegiæ deſcriptioni, ne lectorem nimiâ prolixitate fatigemus, finem imponere viſum eſt.



HIST-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER TERTIUS, DE ORIGINE GENTIS NORVEGICÆ.

SECTIO I. DE GIGANTIBUS.

CAP. I. DE ORBIS LINGVARUMQVE DIVISIONE.



Entem Norvegicam, ſicut ſingula corpora ex qvatuor elementis, nos etiam ex totidem hominum ribus, tempore præſertim, partim etiam origine, diſtinctis, educimus. Omnium antiqviſſimum gigantes memorantur. Iis tempore par, vel ſaltem ſuppar, aliud, a communi ſortis humanæ modo vel indole nihil diſcrepans. Extranei Getas, Gothos, Cimbros, Cimmeriosqve appellant, unamqve & eandem gentem ut plurimum ſtatuunt. Succeſſerunt duæ, altera qvam nos Aſas & Scythas appellamus; altera qvam Gothos Poſteriores licet appellare. Verum utra harum præceſſerit, jamdiu definire neqvivimus, contenti rationes pro utraqve militantes in medium producere, lectorisqve judicio, qvid ſeqvi libeat, permittere. Ex ſacris oraculis conſtat, orbem terrarum ultricibus aqvis, cum omni animante abſorptum, & veteribus incolis, irritatô Numine, orbatum, poſt annum demum diesqve decem, hominum, animaliumqve terreſtrium ac volatilium, &, ut ratio dictitat, piſcium qvoqve, cavernis aut vallibus incluſorum, tetris cadaveribus coopertum, arborum præterea truncis, limoqve & arena ſabuloqve interſperſis, obſeptum, funeſta ubiqve facie emerſiſſe. Sola qvatuor hominum paria, duce Noa, cum delectis ex ſingulis animalium generibus, paucis admodum in ſemen & propagationem ſervatis, ingentis molis arcæ incluſa, Divina providentiâ incolumia evaſiſſe,

fiſſe; qvam inter decumanos fluctus hinc inde pulſam repulſamqve, auctor fabricæ Deus, ſupra montium cacumina longe levatam, ab attritu & colliſione, decreſcentibus undis, ipſe gubernatoris officio functus, ſecuram præſtitit, ſtatuitqve ſuper editiſſimæ terrarum, altiſſima montium juga Caucaſia, proxime Margianam & Bactrianam regionem, vitis omnium feraciſſimam, (alii Armeniæ montes intelligunt, auctoritate, qvam rationum pondere, majore) ibi primam hominum animaliumqve, decedentibus aqvis, ſtationem longo tempore fuiſſe, argumentis haut levibus evincitur.

Tres erant Noæ filii, Sem, Cham & Japhet, totius generis humani traduces. Tradit Epiphanius, Noam velut hæredem mundi â Deo conſtitutum, univerſum mundum ſub ſortem miſiſſe, & unamqvamqve partem ſingulis filiis diſtribuiſſe. Et ipſi qvidem Semo primogenito, cecidiſſe ſortem (qvæ jacta fuerit in confinio Ægypti & Aſiæ (qvi lacus Nahhalah vel Neel, hoc eſt hæreditas, Hebraicè vocetur apud Rhinocorura) â Rhinocoruris ad Perſidem Bactra & Indiam usqve: Chamo terram obveniſſe, a Rhinocoruris usqve ad Gadira ad meridiem: Japheto obtigiſſe ea qvæ ſpectant aqvilonem, â Rhinocoruris usqve ad Gadira & Mediam. Mundo itaqve trifariam diviſo, jusjurandum ab iis per patrem exactum, ne qvis alterius ſortem ipſi inviderat, qvi jurisjurandi religionem violâſſet, vi ejus exterminaretur, & univerſa qvoqve ipſius poſteritas. Hæc qvidem jam naſcente Peleg fieri potuerunt, anno, qvo lingvæ confuſæ fuerunt, ſi, ut computant, Noa ducentos qvadraginta octo annos poſtea vixerit; Anno enim mundi MMV. denatum ſtatuunt, Abrahamô annos qvinqvaginta ſeptem natô. Verum anteqvam in ſorte diviſas terras diſpergerentur, profecti ſimul ab oriente, in convalle Schinearis conſederunt: ibi placuit, in æternum memoriæ ſuæ monumentum, urbem turrimqve immenſæ altitudinis excitari. Verum procedente opere, infenſus tantæ ſuperbiæ veſanoqve propoſito Deus, communem omnibus ad eum usqve diem lingvam ſermonemqve, a nativa formâ, forte etiam ſignificatione, in plures alias inuſitatas & inauditas traduces, aut certe dialectos novas, & inter ſe diſſonas diſcordesqve, diſtraxit. Qvibus cum animi ſenſa exponere ſibi invicem non poſſent, nec qvid imperaretur, aut expeteretur conſtaret, rupto in continuando opere conſensûs vinculo, re infectâ deſtitum eſt. Sublatô hoc modo lingvarum commerciô, etiam convictûs deſiderium mutuaqve ex converſatione voluptas mutata videtur, tractiqve in ſectas pro lingvarum diſſidiis, qvi prius inter ſe erant conjunctiſſimi, factionum ſtudiis diſſidebant, donec ſocietatem turbatam diſcordis communitatis faſtidium dirimeret: ſingulæ itaqve familiæ, qvas ſermonis communio ſociaverat, novas ſibi ſedes, ſoboliqve procreandæ patrias delegerunt, unus qvisqve ſecundum lingvam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis, Gen. 10, v. 5. Sic Cajo Julio Cæſare oculato teſte Lib. 1. de bello Gallico, Galli in ipſa Gallia tribus lingvis juxta totidem diſtinctas gentes uſi ſunt. Multi lingvarum diſcrimina, principum familiarum, in ſacro originum libro recenſitarum, numero metiuntur, duasqve ſupra ſeptuaginta colligunt; alii tres primos patres eximunt, qvod inviſi ædificii ſtructoribus interfuiſſe, giganteosqve conatus haut promoviſſe videantur. Sunt qvi ſolis Chamii poſteris immanem hanc ſtructuram aſcribant, cum conſenſus in tam impio conatu pietati cæterorum repugnet. A Chamidis ergo omnes gentes lingvis diſcretas deſcendiſſe ſtatuendum eſſet, nihil enim in abſentibus novatum legimus. Nos in gentium ſeptentrionalium originem inqvirentes, ſingulis Noæ filiis aliqvid nos debere deprehendimus. A Semo Meſſias deſcendit, in qvo regenerati

nerati sumus. A Chamo gigantes, pars qvoqve generis nostri, ortum trahunt. A Japheto gens utraqve Gothica provenit; nec aliam sibi Scythæ, septentrionis incolæ, originem vendicant. De singulis ordine dicendum est, & primò de gigantibus.

CAP. II.

DE NATURA GIGANTUM



Igantum nomine non intelligo ferum illud & monstrosum genus, qvod in historiis sub Trollorum vocabulo describitur, & vulgi sermonibus, etiam Eddicis odis, decantatum circumfertur. Illud enim aut prorsus confictum, aut malorum geniorum ludibrium existimo, specie qvidem humanâ, sed valde monstrosâ mole corporis, cum tauris sacrificio delectis certans, carbone nigrius, interdum calvastre, interdum comâ in speciem densissimæ jubæ eqvinæ explicatâ deforme, qvale in vita Ketillis Hængi describitur, ubi eorum comitia Rexqve memorantur. Extant etiam in Islandorum monumentis qvædam istius generis exempla, conflictus cædesqve, variæqve etiam in hunc diem & miræ de eo narrationes, vel ideo suspectæ fidei, qvod nulla generis multiplicatio, tot annorum centuriis facta sit; dudum enim insulam illam evastâsset, colonisqve nudâsset, si vel unum par superstes fuisset. Nec constat qvomodo illuc pervenerit, nec unde vitam sustentârit. Istius tamen generis fuisse videtur Surtus ille, de qvo Origines Islandiæ, magnæ authoritatis monumentum, memorant, pag: 103. qvod ei antrum montanum incolenti Thorvaldus Holbarkius Thordi de Höfdio, viri primarii, filius, carmen encomiasticum obtulerit; ut et alter ille monstrosus, qvi Sigmundo de Laugabreckis apparuit, editæ rupi insidens, pedibus in fluctus subjecti maris depressis, cujus carmen, qvod tunc modulatus traditur, idem Originum liber pag. 38 exhibet. Notat & presbyter qvidam Islandus, Jon Eigilis filius in suis Annalibus ad annum MDXX. narrâvisse avum suum, sacerdotem qvoqve, nomine Einarem, relatum sibi fuisse, qvod circa istum annum in deserto Solheimasandensi, gigantea mulier æstu maris expulsa, tantæ proceritatis fuerit, ut viri qvoqve procerissimi eam ne qvidem genu tenus attigerint: Id qvod Johannes Wolfius in sua Norrigia illustrata ad annum MDXXXV refert; ex montibus Grænlandiæ sabuli ruinæ implicatam decidisse existimatum ferunt. Verùm cum hoc in fide dignis annalibus, qvos Biornus de Skardsa collegit, nusqvam inveniatur, mihi valde suspectum est. Nec scio an majorem fidem mereatur, qvod de talibus monstris in historia Gretteris memoratur; nimirum qvod in antro sub præruptâ rupe, altitudine qvinqvaginta orgyarum, qvam terribilis vasti fluvii cataracta præterfluebat, par unum habitaverit, adeo infestum, ut vicinum colonum præcedaneâ Natalitiorum feriâ, de nocte rapuerit, & anno seqventi eadem nocte ejus famulum. Cumqve nemini constiterit, qvid de ipsis factum esset, advenam Gretterem ejus rei explorandæ causa, tertio anno, territis omnibus, cum lamiâ ipsa congressum, post acrem longamqve luctam, januis domûs vestibulisqve dirutis, cùm certamine ad ripam usqve fluminis abreptus esset, complexu ejus se exsolvisse, eamqve, brachiô acinace, qvo accinctus erat, amputatô, ê celsa rupe deturbatam vitâ spoliâsse; Rem de-

inde, parœciæ iſtius paſtori fidem adhibere detrectanti, fidem ſcilicet ſuperante molimine, confirmâſſe, ſe ipſum in ſubjectum flumen reſti demittendo, adverſoqve fluctui obnitendo, donec urinando in ſubjectum antrum perveniſſet. Ibi molis ingentis maritum ipſum improviſum occidiſſe; inteſtina deinde prono amne devoluta, paſtori, qvi reſtis, ſaxo alligatæ, cuſtodiæ relictus erat, jam de Grettere actum eſſe colligenti, tantum metum incuſſiſſe, ut relictâ ſtatione ſubitò domum profugerit. Ipſum deinde, auxiliô catenæ ſe allevando, ægrè licet, tandem arduam rupem ſuperâſſe; qvorum ſingula mihi fabulæ qvàm hiſtoriæ propiora videntur. Ut omittam qvæ Wolfius his ex aliorum relationibus adnectit: nimirum qvod grandem lebetem antro ſimul, ſed majori difficultate, eductum, voverit ſe templo cathedralis Eccleſiæ Holanæ donaturum, ſi emerſerit, idqve præſtiterit; cum tamen conſtet, illo tempore, nimirum anno MXXVII, qvo hæc geſta perhibentur, nullum ibi Epiſcopum aut Epiſcopalem ſedem inſtitutam fuiſſe. De tali qvoqve monſtro, nomine Hrimgerde, Oda in Edda Sæmundi extat; qvæ Helgii Hiorvardi filii Qvida inſcribitur. Ejusdem generis aliud in hiſtoria S: Olafi cap: XXXV infra deſcribitur, in reditu Thoroddi Snorrii filii ê Jamtia ab Arnlioto Gellinô transfixum, & qvidem eodem anno, qvo Gretter in Islandia hæc geſſiſſe traditur. Fløgd/ Skeſſur/ gigir/ gifrur/ brünnnigar appellantur; mihi fas erit vulgi relationes hac deſcriptione comprehendere, nimirum eſſe genus feritate immane, duorum generum; qvorum aliud lucifugum, cum diem viderit, inſtar uxoris Lothi continuo in lapideam ſtatuam transmutetur, monſtranturqve in Norvegiæ mediis rupibus conſiſtentia talia monumenta, imperitorum credulitate celebrata; aliud diei juxta ac noctis patiens, utrumqve tamen ſuapte natura trux & immane, mole etiam corporum im̃enſa turget, & qvaſi cum hominibus divortio facto abdit ſe & ſubducit, ab omni, præterqvam ſui generis, conſortio, ſolitudinibus, tesqvis, & præſertim montibus, iisqve interdum editiſſimis & perpetua glacie rigentibus, ut plurimum delectatur. Piſcibus, lacubus vel fluminibus retium aut hamorum beneficiis irretitis, vel extractis, carnibus etiam armentorum, & in his eqvini generis, gregaliumqve animalium per montana herbida, paſcuisqve virentia loca, oberrantium, etiam humanis veſcitur. Excoriatorum deinde animalium pelles, non qvidem alutæ, ſed crudæ & inconcinnæ, amictum præbent. Lingva, qvæ indigenis, illis etiam propria. Artis magicæ tanta peritia, ut hominum oculos hebetare, ne præſens etiam videatur, poſſe creditum ſit. Fides religioſa eſt. A promiſſis pactisqve recedere, id ſolum flagitium cenſetur. Extat tamen etiam unum vel alterum perfidiæ exemplum. Aliorum etiam promiſſa ex ſua integritate, magis qvam uſu æſtimant. Hinc Trollorum fidelitas in proverbium abiit, Trøll in caſu recto, utriusqve numeri & olim & hodiè, ubi priſca lingva Danica in uſu eſt, voce genus illud ſolum, qvod hic deſcribimus, exprimente, nuncupatur; licet interdum ad monſtroſa, etiam veneficos deſignandos, translatè legatur. Uſus hodiernus ubi vetuſtiſſima illa lingva exolevit, ad ſagas tantum & veneficiis deditos tranſtulit, procul dubio qvòd prodigioſas res patrare, & qvæ vires humanas excedunt, more Trollorum, ſtatuantur. His partim ex vulgi relatione, partim Scriptorum documentorum fide expoſitis, qvemlibet pro arbitrio pretium ſtatuere velim. Genuini autem gigantei generis, de qvo nobis ſermo, prodigioſæ qvidem ſtaturæ, Riſar/ Bergriſar/ Bergbuar/ Jøtnar/ Husſar appellantur: montana loca, ſpecus & antra, invitante naturâ, inhabitâſſe tradun-

tur, cujus veſtigia, diverſæ formæ ſaxa ingentia, ſuper ſtratam lapidibus baſin erecta, paſſim hodie viſuntur, etiam in extremâ Islandia, qvo pars qvædam transfretâſſe proditur, utpote familia (ut Dofrinam prætaream) Brunina, pluresqve aliæ; qvarum, ſi non originem, nomina tamen hiſtorica monumenta exprimunt; licèt gloriam elvatorum ſaxorum fero iſti generi inviſam ad alios tranſtulerint, minore herle veriſimilitudine, cum moles eorum etiam gigantei roboris ſuperbiam excedere videatur. Fortiſſimos Alfheimorum (jam diſtrictus Bahuſenſis) incolas ſoli venuſtate ſuperâſſe perhibentur, teſte Thorſteini Vikingii hiſtoriæ exemplari Regio, editioni Svedicæ hac in parte contrario, qvod Alfheimorum gentem, ſecundum Riſas ſeu gigantes, formâ toto ſeptentrione incomparabili polluiſſe teſtatur. Commiſti noſtri generis hominibus hybridas procreârunt, Halfriſar/ Halftroll/ Huſſablendingar/ id eſt ſemigigantes, vere vocatos. Hi in mores & manſvetudinem humanam, feritate paulatim miteſcente, & proceſſu temporis evaneſcente, tranſierunt. Jam in eorum originem inqviremus.

CAP. III.

DE ORIGINE GIGANTUM, EORUMQVE IN VARIAS TERRAS DISPERSIONE.



DE origine opiniones variant; in diverſis enim orbis partibus, iisqve inter ſe diſſitiſſimis, antiqvitus genus giganteum extitit, proximoqve & præſenti ſeculo iterum repertum eſt. Nota in libris ſacris & profanis terra gigantum, genera Anakim & Rephaim, inter Philiſtæos Goliath, in Græcia Oreſtes, gens qvædam Lybiæ, Eudoxo Cnidio memorata, provincia præterea Patagonum, circa fretum Magellanicum, â Magellano Anno MDXIX detecta, ubi gigantes tantæ magnitudinis, ut Hiſpani vix ad cingulum eorum pertingerent, viſi, & poſtea anno MDXCVIII â Belgis eò navigantibus conſpecti; crebra & in Peruvia gigantum fama monſtroſæ magnitudinis oſſibus freqventer erutis, ſatis ſuperqve confirmata. Taceo multa ad Viennam antiqva monumenta ê terris eruta, & pene vetuſtate exeſa, dum difficili & diuturno opere munitiones urbis pararentur, in qvibus inſolentis magnitudinis oſſa reperta ſunt, nec non illuſtrium virorum epitaphia, Hebræa lingva & Hebræis characteribus, ſine punctorum ſubſidio exarata, inſpectante Lazio, qvi ê multis qvatuor tantum exſcripſit, qvorum præcipuum ita latinè redditum eſt: Mordecaï ex genere gigantum, vir magnus, anno â creatione mundi bis milleſimo, qvingenteſimo & qvadrageſimo. An verò hi omnes per tot terras tantis intervallis diſtantes, etiam per novum orbem ſparſi, ab uno eodem Noæ filio, nepote an pronepote, procreati fuerint, qvis decidat? neqve enim a dæmonibus, cum noſtri generis fœminis congreſſis, cum Athenagora Philoſopho, Tertulliano, Lactantio, Flavio Joſepho, Severo Sulpitio, ſatos putem; nec ê viris, eqvabus aliusve generis magnæ molis brutis, ut nuperus Scriptor argutè colligit, commiſtis, nam ut talis generatio procedat exemplo Ariſtonimi Demoſtrati filii, qvem ex aſina formoſiſſimam puellam, nomine Onoſcelim, ſuſtuliſſe tradit Plutarchus in parallelis, & Fulvii Stelli ex eqvâ aliam puellam pulcherrimam procreantis, nomine Eponam

P 2 ſeu

ſeu Hipponam, minùs crediderim; nullam qvoqve ſpeciem ex iis, qvi ita procreantur, produci conſtat, magis qvam ex Mula aut Pardale. Pro oſtento enim habitum eſt (præterqvam in Cappadocia, ubi id non infreqvens) ſi qvando mula peperit, qvod Darii Hyſtaſpis & Galbæ temporibus contigiſſe notatum eſt. Ut igitur genus giganteum per monſtroſam cum brutis commiſtionem propagari poſſe diffiteor; ita nec mihi probatur, qvoties ex vulgaris ſtaturæ hominibus æmula giganteæ molis proles gignitur, genus inde ſimile propagari, uti nec ex pygmæis, tali ſatu procreatis, pygmæorum ſpeciem produci. Reſtat igitur, ut ad filiorum Noæ aliqvem origo gigantum referatur, & ad qvem potius qvam Chamum, ejusqve filium Canaan? Abrahami enim tempore iſtud genus extitiſſe Lib: Gen: cap. XIV perhibet, easqve terras incoluiſſe, qvæ Chami poſteris obtigerunt. Iſti gigantes a Rege Kedorlaomor, ejusqve ſociis in Aſtaroth, Karnaim, Suſim, Ham & Emim, & planitie Kiriathaim cæſi ſunt. Omnem autem gentem eorum deletam eſſe non conſtat; in alias terras ſparſos credere par eſt. Hi ſunt inter progeniem Noæ generis gigantei primi, qvorum mentionem ſacer codex facit. Memorantur & Saſneſaim, Deuter: II. v. 20. ante Ammoritarum, Lothô ſatorum, tempora, ab illis deinde deleti. De Ogo Rege Baſan, & aliis poſtea â Joſva ſedibus ſuis pulſis, fuſè ſacer codex, qvos Cananæos fuiſſe nemo dubitat. Phœnices autem ſive Cananæos, patriâ profugos, in Græciam, Siciliam, Hiſpaniam, locaqve vicina, præcipuè autem in Ægyptum ad agnatos ſuos veniſſe, atqve inde (cum jam â prima autiqvitate fœcunda populis Ægyptus, tantam multitudinem non caperet) in Numidiam usqve ad oceani oras, ubi Herculis columnæ poſtea poſitæ ſunt, ſedes longius provexiſſe & caſtellum extruxiſſe, in loco qvo urbs Tingis poſtero tempore condita eſt, hodie Tanger appellata, & â Carolo Secundo Sereniſſimo Anglorum Rege illic collocata, totidem verbis docet Robertus Sheringhamus, Libro de origine gentis Anglorum, adducto in majorem fidem Procopii teſtimonio, qvo proditur illius tempore ibi ſtetiſſe duas ê candido lapide columnas, propter magnum fontem inſcriptas Phœniciis literis, qvarum ê ſermone Phœnicio interpretationem talem reddidit: Nos illi ſumus, qvi latronem effugimus Jeſum filium Navæ. In Germaniam qvoqve Cananæos â ſua terra abactos migraſſe ab Hebræis proditum, idem Sheringhamus ex commentariis Aben-Ezræ in Abdiam tradit, cujus verba adducta interpretatur hoc modo: In terra Alemania ſunt Cananæi, qvi fugerunt a facie filiorum Iſrael. Qvæ traditio gigantum ſepulchris ad Viennam, oſſibusqve inde effoſſis, qvam evidentiſſimè firmatur. Cum itaqve pateat, Germaniam eos aut Pannoniam inſediſſe, qvid obſtat, qvominus inde in ſeptentrionem penetraverint, terreſtri in Daniam usqve itinere deinde, ſed multo poſterius, nec niſi multiplicatâ ſobole, trajectu per inſulas, in Scandiam, inde in Norvegiam & Sveciam; vel ſi malis ê Scythiæ parte, Thuſſagetarum patria, cujus Plinius meminit, Boryſtheni fluvio vicinâ, (ſimilitudine nominum ſuffragante; Þuſs enim vel Thuſs gigantem ſignificat,) in Norvegiæ aut Sveciæ Septentrionalia, inde in amœniores illorum partes, tandem etiam in Daniam trajeciſſe. Nec vocum repugnantia obſtat, qvominus Jotunheimi a Jotis, Scythiæ intra Imaum montem populis, Saſonibus & Syebis finitimis, qvos Strabo Aſpurgianorum nomine comprehendit, primos incolas nomenqve ſortiti ſint, qvos gigantes fuiſſe nihil impedit. Certè viri docti magnam lingvæ noſtræ vocumqve haut paucarum cum Hebræa convenientiam deprehenderunt, qvam

â gigan-

â gigantibus Phœnicibus promanâsse, forte haut absurdè statuam ; qvod si historiæ Britannicæ in rebus antiqvissimis fides, gigantes qvoqve eam incoluisse, cum Brutus eò adveheretur, traduntur ; qvos ille omnes oppressisse & insulâ fugâsse perhibetur. Qvod si verum est, ait Sheringhamus, vix dubitari potest, qvin Phœnices fuerint ; qvi periti navigationis ab Hebræis patriâ ejecti, totum pene orbem pervasisse dicuntur. Sunt qvi partem illorum ad Americam delatam, gentes Americanas condidisse arbitrantur, qvorum Septentrionales a L. Herrer: in Louysiana ita describuntur ; nimirum qvod contra famem & frigora a pueris ita obdurati sint, ut media hyeme ipsi pueri nudi per nives inambulent, seqve pervolutare pro ludo habeant ; tam firmis & proceris corporibus, ut rarissime gibbosum reperire liceat. Qvæ eadem plane sunt (verba sunt Cl: Otthonis Sperlingii in Boreæ sui Cap: 4.) qvæ de nostris borealibus tot veteres historiæ deduxerunt. Hujus roboris & agilitatis eximiæ recenset argumentum p. m. 105. ubi fœminas carnis feræ & venaticæ, trecentas libras dorso suò longis itineribus ferre scripsit, etiam prægnantes, & liberis eidem adhuc oneri superpositis, nec magis defatigatas videri aut anhelantes, qvam nos cum gladiis accincti pergimus, proceritatis aliqvos tam immensæ refert p. m. 196. ut, cum Europæi non nisi nando flumina transire potuerint, illi usqve ad scapulas exstiterint, iisqve binos Europæos transportârint, vestes autem suas capite. Atqve hæc de gigantum origine dicta sunto.

CAP. IV.

QVO ADSTRUITUR, GIGANTES SEPTENTRIONEM OMNIUM PRIMOS INCOLUISSE.



Os primos septentrionis Aborigines priscæ memoriæ agnoscunt, eorumqve antiqvissimum Edda fab: VIII. Norvium seu Narfium producit, Noctis patrem Dieiqve avum, qvem primum Jotunheimos incoluisse perhibet, tractum circa sinus Gandvici septentrionalia, teste historia Hervoriana, situm trans mare Album (ex qvo Oddus Monachus Norium primum Norvegiæ Regem exstruxisse videtur, eumqve cum Nore Norvegiæ Rege, regionis eponymo; Rudbeckius etiam cum Niordo Seciæ Dynasta confudisse) ab ejus posteris Finnmarchiam deinceps, Norvegiæqve, utet Sveciæ, extrema ; deiude qvæ magis in austrum protenduntur, accepisse colonos, licet nulla ab eô generis series ad posteros texatur, haut ineptè colligi posset, si ex fabulis historia exstruenda esset. Solidius testimonium Historia Hervoriana in ipso limine nobis suppeditat his verbis: Anteqvam Turcæ & Asiani Septentrionem insederent, incoluêre eum gigantes & semigigantes. Qvam assertionem malus etiam genius, specie Thori Deastri, Norvegiæ Regi Olafo Tryggvino, oras Halogiæ in austrum præternaviganti, oblatus, narratione sua confirmavit; qvam vitæ ejus inserui; hîc paucis referendam. Cum enim humana specie conspicuus, recipi se in navem Regiam obnixè peteret, impetraretqve; mox; si qvid priscæ notitiæ memoriâ teneret, exprimere jubetur : Ordiar igitur, ait, narrationem â primis terræ hujus cultoribus, gigantibus qvibusdam (vita Olafi Tryggvini ab Oddo Monacho conscripta, non hæc de

tota Norvegia dici declarat, ſed tantùm ſeptentrionalibus partibus; ita enim habet. Terra hæc, qvam prætervehimur, a gigantibus qvibusdam qvondam culta eſt; provectus autem eſt per partes Halogiæ, unde prima toto ſeptentrione gigantum memoria Hiſtoriæ Hervorianæ ducitur) qvi repentinâ morte, caſu qvodam, tantum non ſimul ſublati ſunt, duabus duntaxat fœminis ſuperſtitibus. Exinde homines (hos giganteo generi opponit) orientales terras, præſertim hanc, incolere cæperunt. Fœminæ autem iſtæ giganteæ populos illos multis damnis affecerunt, novisqve incolis varias moleſtias creârunt, donec in auxilium rubra hæc barba invocari cæpta eſt; malleô igitur meo utramqve occidi. Exinde invaluit, ut, qvoties magna neceſſitas incolas affligeret, me votis usqve in præſens vocarent. Tu autem, Rex, omnes meos propemodum deleviſti, id qvod ultionem meretur. His dictis obverſus Regi, ridensqve, tanqvam telum nervô emiſſum ê navi ſe concitans in mare, Rege cæterisqve omnibus aſpectantibus exſiluit. Augvaldum, cognomento Rogium, prædii Augvaldzneſiæ, qvod ſedes paſtoralis eſt, cui hæc noſtra parœcia, ubi habito, ſubjacet, eponymum inibi ſitum memorant. Ibi cum Olafus Tryggvinus feſtum, qvod in glorioſiſſimæ Servatoris reſurrectionis memoriam inſtitutum eſt, celebraturus eſſet, malus qvidam genius larvatus ei apparens, inter cetera rogatus de ſtatu & conditione Augvaldi, retulit, fuiſſe illum Regem, vaccam qvondam præ omnibus Numinibus præcipuo cultu proſecutum, qvam etiam moriens ſecum diſcreto tumulô condi præceperit. Rex, poſtqvam ſpectrum evanuit, collem utrumqve effringi fecit, deprehenditqve oſſa, humana aliô, aliô vaccæ condita eſſe. Hujus qvoqve ſpectri relatio ipſorum gigantum confeſſione ſtabilitur, qvi in vita Grimi Hirſutigenæ, de domitis colonis gloriantur. Edda nihil operoſius tradit, qvam qvæ Aſis transmigrantibus cum gigantibus iſtis interceſſerunt. Sed & Hiſtoria Hervoriana cap: I. conceptis verbis exponit iſtorum gigantum nomina, qvi inter primos ſeptentrionem incoluerint, eorumqve primas ſedes ex ſitu deſcribit: Jotunheimos nimirum circa Mare Album, ſeu ſinum Gandvikam, editis præter nomina qvibusdam etiam geſtis, & qvidem adeo accuratè, ut continua ſtemmata ex iis ad hæc usqve tempora texantur. Verùm penitius inſpicienti facilè apparet, eos ne ad Chriſti qvidem tempora aſſurgendo deduci poſſe. In hac opinione alii qvoqve ſcriptores verſantur, licet in tempore, qvando gigantes primò ſeptentrionem inſederint, diſſentiant. Primos Daniæ incolas Saxo Grammaticus gigantes, gigantes Arngrimus primos Norvegiæ agnoſcit: illos autem poſteros fuiſſe & reliqvias Cananæorum agro Palæſtino â Joſua & Calebo divinis auſpiciis in Palæſtinam moventibus, expulſorum; circa annum mundi MMDVI. hancqve orbis plagam ad ea usqve tempora, aut forſitan diutius, prorſus incultam manſiſſe exiſtimat, Genebrardi authoritatem allegans, qvi Joſuam Cananæos partim depuliſſe, partim interfeciſſe tradit, perhibetqve horum reliqvias migrâſſe in Germaniam, Slavoniam, & regiones vicinas; cui, Pontano vel maximè repugnante Hiſt: Danicæ pag: 55 & 56. ſuffragatur Rabbi David Kimki ad finem Abdiæ, qvi Cananæos ex agro Palæſtino ab Hebræis ejectos in Illyricum & Pannoniam migrâſſe tradit, citante Bodino, methodo hiſtoriarum cap: IV. Accedit Meſſenius, qvi Tomo primo Scandiæ illuſtratæ, a Joſua Palæſtinâ ejectos Scandiam intrâſſe exiſtimat, tum minus freqventem, ob recentem Gothorum egreſſionem, qvod ultimum de egreſſu Gothorum ante gigantum adventum, cum noſtrarum antiqvitatum ſententia non conſiſtit, qvæ gigantes primos incolas agnoſcunt. Celeberrimus Antiqvitatum ſeptentrio-

ptentrio-

ptentrionalium Professor Olaus Verelius solos gigantes hunc tractum qvondam incoluisse, creditu arduum judicat, adjecta ratione his verbis, Notis ad cap: I. Historiæ Hervorianæ pag: 11. Neqve enim, inqvit, e terra hic potius qvàm alibi prognati sunt, si vero aliundè advenerunt, aliorum injuriis huc pulsi dicentur. Atqvi hoc truculentorum hominum ingenium esse solet, ut injurias inferant potius qvam patiantur. Deinde si integra eorum hic exstitit natio, qvomodo postea ab aliis supervenientibus, robore illis multo inferioribus, ejici potuerunt? Vero proinde similius est, gigantes hic qvondam fuisse, at non ita magno numero, ut soli illi terram occupaverint, sed pauciores & seorsim in montibus degentes: fuêre enim omnes Bergbuar/ id est monticolæ, qvi cum diu hic perdurâssent, penitus tandem interierunt. Qvando & unde huc accesserint, cum nihil certe adferre possim, qvid aliis verisimile videatur, contentus ero indicasse. Indicabat autem Arngrimi Messeniiqve opiniones. Certè longo tempore genus illud in Norvegia permansisse, nec tamen subito, ut spectri narratio tradit, exstirpatum fuisse, longi temporis historia, gentis præsertim illius, satis declarat. Nam & Regis Olafi Tryggvini tempore circa extrema æræ Christianæ primi millenarii, qvidam illius generis deleti sunt. Anno autem MCCCXXXVIII. Magno Eirici Norvegiæ Seciæq; Rege, gigantem qvindecim cubitorum a qvatuor viris occisum esse, in Annalibus notatum est; id qvod etiam historiæ suæ Johannes Pontanus in tractatu de gigantibus pag: 55. in additamentis, occasione Teuthoboci, inseruit, lectu dignissimus. Inspici & merentur Olai Verelii Notæ ad Historiæ Hervorianæ cap: 1. pag: 12. Consederunt itaqve his in terris gigantes omnium primi, non jure divisionis inter filios Noæ, sed necessitatis, qvâ sedibus suis expulsi, compulsi sunt ad novas sedes tutasqve qværendas, experti qvippe nec robur corporis, qvantumvis magnum, nec ingentes spiritus, nec armorum vim, aut castellorum firmitatem, tanti esse, qvin artibus & consiliis, aut certe Numinis piè culti auxilio superari possit. Hos tales sub Trollorum nomine Boatazaer Babyloniæ Soldanus in epistolâ suâ (modò genuinâ) ad Serenissimum Daniæ & septentrionis Regem Christophorum Bavarum ad annum Christi MCDXLIV. pro gente qvadam septentrionis accepit, qvos inter cæteros Arctoos populos, magna & varia in suis regnis olim triumphaliter fecisse, suisqve Divis prædecessoribus angustias posuisse fatetur. (Variat enim nostrum exemplar ab eo qvod Pontanus ex Messenio exscripsit.) Literæ autem hic coronidis loco subnectendæ tales sunt.

Cui nostri Dii favent, de qvo in Oraculo nostro Deorum nostrorum responsa habuimus, & qvo fortè spiritus Alexandri Magni operatur, Magno Regi Gelidorum, Trollorum & Purgatorii, Norvegiæ, Danorum & Svedorum, Gotorum, Slavorum & Bavariorum, Principi excellenti, collaterali nostro perchari. Boatazaer Soldanus consangvineus Deorum, Babyloniæ imperator, continuus Alexander Macedo, Dominus Dominantium Africæ, Rex Regum, Arabiæ, Chaldeæ, Persiæ, Lybiæ, Barbariæ, Arminiæ, Assyriæ, Mosteniæ, Nubiæ, Alexandriæ, Ægypti, Parthiæ, Mediæ, Mesopotamiæ, Hyrcaniæ, Custos Speluncæ Crucifixi; salutem & amicabilem felicitatem. Nuper per tuum nobis dilectum Johannem de Europa auribus nostris innotuit, te fore Magnum Regem Trollorum, Purgatorii & districtuum Gelidorum Septentrionalis plagæ, scilicet Norvegiæ, Svedorum & Magnæ gentis Danorum & Principem Gothorum, & victorem inexpugnabilem Bavariorum, qvi magna & varia in Nostris Regnis olim triumphalitèr fecerunt, & nostris Divis prædecessoribus angustias posuerunt

„ runt. Igitur de Tua perſona & poteſtate amicitiam volumus, & his au-
„ ditis valde gaviſi ſumus & erimus. Ideo in Baſilicis noſtris Deorum no-
„ ſtrorum offerta obtulimus, qvod de Deo tonante Tibi data ſit talis & tanta
„ poteſtas, laus & gloria hujus mundi in tam juvenili ætate. Et miramur
„ qvod obedias Magno Sacerdoti Romanorum, cum etiam Dii noſtri Maho-
„ metus, Ammon, Eurometһus, Tibi proſperitates faveant. Ea propter ſci-
„ as Nos in brevi Te cum zephyro perſonaliter viſitare decreviſſe, navigio
„ Noſtro magno verſus ſeptentrionalem plagam, verſus Aratheſiam, Veſt-
„ gintem, Medtoniam, tuam regionem tangentem, & ibidem filiam Noſtram
„ Peizatam pulcherrimam conſignare te ei in maritum, & eam tibi in ux-
„ orem. Jocô miſimus tibi Capellanum præſentem Noſtris cum munuſculis,
„ vas aureum puro balſamo plenum, per Tuum dilectum hominem, commen-
„ ſalem noſtrum continuum, qvi tibi ex parte noſtra multa dicet. Datum
„ Babyloniæ per Julium Mahometi & Grometi Deorum noſtrorum, 12. Ameti Amonii Ælgeriſtii. Conveniunt hæ literæ ad annum qvi proxime interceſſit nuptias Chriſtophori Regis cum Brandenburgica, qvæ erant anno MCDXLV. Circa id fere tempus ſcribitur Uſum Caſſanum exuiſſe imperio qvendam Malaonchrem Regem Perſarum, qvi erat ex Geniſæ Magni apud Parthos Sulthani progenie; de qvo Philippus in Chronico Carionis pag: 652.

SECTIO II.
DE GOTHIS SCANZIANIS.

CAP. V.
DE SECUNDO HOMINUM GENERE,
qvod ſeptentrionem, & partem ejus Norvegiam, primo incoluit, cujus apud indigenas ſcriptores memoria reſtat exigua.



ALiud genus ab his diverſum ſeptentrionem incoluiſſe antiqvis rerum ſeptentrionalium memoriis haut obſcurè proditur, qvod Gothos appellant; â qvibus terras ſeptentrionales Gothlandias in univerſum dictas, inqve continentem, qvæ Reidgothlandiæ, ſeu Reidgothiæ, & inſulas, uno Eygotalandiæ vocabulo inſignitas, in univerſum diviſas conſtat: qvâ notâ poſterioribus ſeculis ſola Dania cenſebatur: niſi qvod Gothiæ nomen, ſed ſine hac diſtinctione, notiſſimæ Sveciæ imperio ſubjectæ provinciæ hodieqve retineant. Sinum qvoqve Codanum ab his denominatum multi ſtatuunt. Sed cum hæc nomina ante Odini, (de qvo poſtea dicam) tempora, introductaqve literarum elementa, recepta fuerint, nec ullæ fide dignæ memoriæ veteres literis conſignatæ extent, qvæ de hujus gentis origine aut migratione, migrationisqve occaſione, proceſſu, aut harum terrarum occupatione poſteros erudiverint, ad excutiendos peregrinos ſcriptores, Græcos pariter ac Latinos, poſteri neceſſariò animum adverterunt. Apud qvos cum Getarum Gothorumqve freqvens memoria occurrat, ſitusqve terrarum ſeptentrionalium, cum terris, unde gentes iſtæ in ea loca, qvæ olim in Scythia tenuerant, egreſſæ perhibentur, conveniat; eorum geſta, & qvicqvid de eorum poſteris apud illos auctores invenerunt, ad

ad gentis suæ gloriam (ut par erat) retulerunt, consiliô certe haut illaudabili, si intra moderationis limites se continuissent. Sed decursu temporis, qvidam gentium suarum exornandarum nimis cupidi, integros libros ediderunt, qveîs originem earum, ingressus, egressus, migrationes, stemmata, bella, stupendos successus, variosqve eventus ita notârunt, ut longissimâ licet distantiâ continuô tamen nunciorum intercursu his gentibus notificatum, earumqve prope auspiciis perpetratum videatur, qvicqvid illi eorumqve posteri in remotissimis regionibus singulis tantùm non annis gesserint. Hinc Nobiliss: Jacobus Reenhielm notis in Historiam Thorsteini Vikingii ad Cap: II. concludit, ex similitudine morum nostratium cum Scythis Asiaticis in Justino Trogi Abbreviatore nobis exhibitâ, inductum Johannem Magnum, ut omnia de illis a Trogo relata nostris majoribus adscriberet. Nos in libro, qvem Seriem serenissimorum Daniæ Regum inscripsimus, pluribus de his egimus. Nunc cum de gentium septentrionalium origine sermo sit, cum ex patriis documentis (ut antea dictum est) hanc ejus partem eruere neqveamus, externorum adminiculo id, qvoad fieri possit, aggrediamur.

CAP. VI.

DE GENTIUM, QVÆ ANTE NATUM Christum septentrionem incoluerunt, a peregrinis scriptoribus notatis nominibus.



DE Getis & Gothis acerrimè disputatum est, unane an diversæ gentes fuerint? vicitqve, qvantum asseqvor, sententia affirmans, multis argumentis â Salmasio, Hornio, Boxhornio, Loccenio, absolutissimè demum â Sheringhamo asserta, qvò lectorem remittimus. Idem etiam Gethas de genere Cimbrorum fuisse Cap: III. docet, qvod easdem sedes tenuerit gens eadem, his tantum nominibus discreta; assignat autem iis sinus Codani Insulas omnes, totam Jutiam (qvæ exinde Cimbrica Chersonesus olim nominata est) & reliqvas Germaniæ provincias ad litora maris sitas; Frisiam item & Bataviam in ditione sua tenuisse perhibet; totum enim mare a Cimbrica Chersoneso ad utrumqve Rheni ostium, id est, ad ipsas Flandriæ oras, Cimbricum olim mare appellatum esse, Claudiani testimonio probat, ita canentis:

— — — Te Cimbrica Thetis
Divisum bifido consumit, Rhene, meatu.

Cimbros qvoqve fuisse in mediterraneis, qvi procul â mari degerint, qvi, ut alii fere omnes, ratione sedis & regionis, qvam populus unusqvisqve possederit, sua peculiaria habuerint nomina, sed conjunctim universi, uno communi nomine Cimbri dicti sint. Eos tamen qvi ad partes septentrionales Chersonesi habitabant, soli Ptolemæo Cimbros peculiariter nuncupatos, (sicut etiam soli peculiariter Saxones dicti sunt, qvi ad dorsum Chersonesi habitabant, qvi tamen initio pars tantum Cimbrorum fuerint,) & Romanis Græcisqve sub Cimbrorum qvàm Saxonum nomine notiores, reliqvis autem Cimbris ab ipsis cæsis victisqve, aut factâ deditione in amicitiam susceptis, omnes, mutato nomine, Saxones dici cæpisse. Cimbros

qvoqve Cimmerios vocatos esse ex Strabonis Lib. 7. & Diodori Siculi Lib 5. demonstrant. Locus est prolixior, sed a nobis in Serie Regem Daniæ Lib: II. Cap: 8. adductus. Habuisse autem Cimbros alia qvoqve cum aliis gentibus communia nomina, idem dicto cap: pag: 85. fusè docet his verbis: Qvos aliqvando, inqvit, Celtas, aliqvando Germanos, aliqvando Gallos, aliqvando Galatas veteres appellavêre. Germaniæ olim pars Celtica erat, & Cimbria pars Germaniæ, unde Cimbris Celtarum & Germanorum appellationes datæ sunt. Postqvam vero maximam Galliæ partem ad imperium suum adjecissent, Gallorum etiam ex subacta Gallia, sicut ex subactâ Britanniâ, pars eorum alia Britannorum nomen adepti sunt. Cimbrorum sane in Gallos reportatæ victoriæ, Cæsarem modo testem citavimus. Svidas etiam Germanos illos, qvi sub Brenno militarunt, qvos Cimbros fuisse mox ex Appiano ostendam, Senones Gallicos populos divicisse tradit, his verbis. Celtæ, qvi dicuntur Germani, circa Rhenum fluvium sunt, qvi olim incursaverunt Albanorum regionem, qvos Senones dicunt, Celtæ illi contra Romanos militaverunt. Hinc Cimbri tum Celtæ, tum Galli, & a Græcis Galatæ vocantur. Anteqvam Germanis Gallisqve sua nomina data sunt, utraqve gens Celtarum appellatione Romanis Græcisqve innotuere, postea vero qvam iisdem hæc nomina addita sunt, qvicqvid super Massiliam peculiariter Gallia Celtica, qvicqvid citra ad Ulricynium montem & ulteriora Germaniæ usqve ad Sarmatas & Scythicas gentes, nunc Germania, nunc qvoqve Gallia â veteribus nuncupatur, Romanis vero omnes in universum illæ regiones, Gallia dictæ sunt. Ita Diodorus Siculus gentes illas distinxit. Qvi interiora supra Massiliam tenent, & qvi circum Alpes & cis Pyreneos montes habitant hos Celtas nominant, qvi fero infra hanc ipsam Celticam partes Austrum versus, & ad Oceanum Hercyniumqve montem sitas incolunt, omnesqve ad Scythiam usqve protensos, Gallos vocitant; at Romani gentes hasce universas unâ Gallorum appellatione comprehendunt. Hinc, qvam Plutarchus Germanicam, Festus Gallicam lingvam appellavit. Hinc Florus Cimbros Romanum imperium invasuros, ab extremis Galliæ effusos esse tradit. Hinc Cimbros etiam, qvi Brenno Duce Romam diripuerunt, & in Græciam subinde progressi, templum Apollinis depeculati sunt; Justinus Gallos, Pausanias, Ælianus & Athenæus Galatas, alii Celtas appellant; Germanos eos fuisse, multis iisqve firmissimis iisqve firmissimis testimoniis confirmârunt, qvibus ego addam ipsius Livii testimonium, qvi ipsos sæpe Gallos, sed aliqvando, Germanos appellat, de eorum enim ex Gallia transitu verba faciens; alia, inqvit, Germanorum manus priorum secuta est. Addam insuper Appicanum qvi in Illyricis illos Celtos & nominatim Cimbros nuncupat. Autarios (inqvit) fama est æpollinis indignatione in extremam cladem venisse, qvippe eosdem cum Celtis, qvos Cimbros vocant, ad Delphos posuisse castra. Multa alia hujusmodi testimonia adduci possunt, qvibus Celtarum, Gallorum & Galatarum nominibus Cimbri intelliguntur, & proinde nisi hoc lector animadvertat, in legendis historiis non facile errores effugiet, qvibus hæc nomina sæpissimè confunduntur. Video enim viros doctos aberrare atqve hallucinari, & antiqvos Gallos sive Gallicæ aborigines pro Cimbris Gallis sumere.

Olaus autem Rudbeckius, Danis omnem Cimbrici nominis gloriam detracturus, in Sveciam, vel potius Norvegiam, nomen illud inter plura transtulit; derivatqve a voce Svedica Kim/ qvâ qvicqvid tenebricosum est significetur, Inde Cimbriam ad promontorium Finnmarchiæ Nord-

Kim/

tinn / qvod Kimmernes appellat, traducit ad gradum lat: 71, totumqve tractum qvi inde ad portum Scaniæ Kimmersgasnen ad gradum lat: 56. long: 36 extenditur, sedibus hujus gentis tribuit, adducto ex Orphei poëmate loco, qvi Cimeriorum patriam tenebris obfuscatam, lumineqve perpetuò cassam scribit, sitam prope Mare Mortuum, montosamqve perhibet, qvorum neutrum in Jutiam competat, confirmatqve Strabonis authoritate, qvi Cimmerios Homero notos adstruit. Esto; cecinerit hæc Orpheus de iis, qvi extrema Scandinaviæ incoluerunt, eosqve Cimmerios ac hyeme tanqvam χειμέριος vel etiam proprio gentis nomine appellaverit; non tamen inde conficitur, Jutiam Cimbriam non esse, maximè si Cimbri aliunde nomen acceperint, puta a voce Kemper / vel si hic tractus pars fuerit Cimbriæ latè sumptæ, non statim evertitur. Jutiam, ut caput gentis, Cimbriam propriè dictam fuisse; qvod si Juti ex Cimeria ad Bosphorum, vel ex Cimbria illuc sedes transtulerint, ibiqve Cimmerii â Græcis appellati sint, an ideo in Jutia Cimmeriæ proprietates reqvirendæ, montes Tauro similes, aut eadem cœli soliqve constitutio? Locum vero Homeri citatum, ad Cimmerios Italos, qvi in Campania ad sinum Bajanum juxta Puteolos sedebant, multi referunt, qvem veteres ob tenebras tetrosqve odores inferni limen esse putabant. Silius qvoqve Italicus Homerum secutus his eum versibus describit.

Juxta caligante situ longumqve per ævum
Infernis pressas nebulis pallente sub umbra
Cimmerias jacuisse domos, noctemqve profundam
Tartariæ narrant urbis. — — — — —

Eqvidem non nego, Cimbrorum nomine tam Svecos & Norvegos qvam Danos gentesqve Flandriam usqve protensas, antiqvis Scriptoribus exoticis comprehensas, nec solam Jutiam tot myriadibus pugnatorum emittendis imparem fuisse. Jutiam tamen Cimbriam peculiariter dictam, Cimbricæ Chersonesi nomen, tot deinceps seculis, atq; etiam hodie, proprium facilè persvaserit; nec aliter universus Septentrio nostris Scriptoribus Gothia antiqvitus ab indigenis appellatus perhibetur, qvod tamen nomen Gothia Svedica peculiariter sibi vendicabat, hodieqve tenet. Fusè de his differentem consule, si placet, Johannem Lyschandrum Antiqq: Danicarum Serm: II. & III. ubi super hæc Aventini verba commentatur. „Cimbrorum partes sunt Dania, Scandia, Sellandia, Scandinavia, ubi Nordovici & „Normanni, Sviones, qvi & Svesii & Svedi, Fenni, Gothi, ab his sinus Gôdanus nomen habet, Græci Getas, Latini Dacos vocare solent.„ Certe Ptolemæus ex proprio cerebro Cimbricam Chersonesum situ Jutiæ proprio non collocavit, nec Taciti locus commodius ad alias terrarum partes applicabitur.

CAP. VII.

DE GENTIBUS IISDEM NOMINIBUS

insignitis, ad lacum Mæotidem & in Sarmatia Asiatica olim habitantibus, deinde per regiones Ponto Euxino vicinas, Thraciam qvoqve, Mæsiam & Daciam dispersis.


Etas sive Gothos Cimmerios esse Sheringhamus his argumentis probat, qvod Justinus ex Trogo Tanaum cum Vesose, qvi & Vesostris, Rege Ægypti congressum Scytharum Regem vocet, Valerius autem Flaccus Argonaut Lib: V. eundem Getarum Regem, & Auchum ejusdem gentis Regem Cimmeriorum Regem appellet his versibus:

Ut prima Sesostris
Intulerat Rex bella Getis, & clade suorum,
Territus hos Thebas patriumqve reducit ad amnem;
Phasidis hos imponat agris Colchosqve vocari
Imperat. (De Aucho autem)
Tertius unanimis veniens sub millibus Auchus.
Cimmerias ostentat opes.

Getas autem sive Gothos Scythicas gentes fuisse vel inde compertum est, qvod Strabo, Plinius, Ptolemæus, Getas, Alanos & Massagetas inter Scythicos populos numerant. Diodorus Siculus & plures historici idem testantur. Postea verò qvam Getæ Gothorum nomen sumpserunt, Scytharum qvoqve appellatio iisdem passim ab authoribus tributa est. Anastasius in Historia Chronographica ita scribit: « Cum plurimi, Scythæ, « qvi Gothi dicuntur, Histrum fluvium sub Decio transmisissent, Roma- « num imperium devastabant Theophanes ad annum incarnationis CCCLXX. « Scythas patrio sermone Gothos appellatos Trajanus Patricius narrat. Idem Georgius Syncellus his verbis confirmat: Scythæ, inqvit, patrio sermone etiam Gothi dicti. Trebellii Pollionis Gallilones. Pugnatum est in Achaja Macrino Duce, contra eosdem Gothos, unde victi per Achæos « recesserunt, Scythæ autem, id est pars Gothorum, Asiam vastabant. Tre- « bellii Pollionis Div. Claud: Scytharum diversi populi, Pevcini, Tru- « tingi, Austrogothi, prædæ cupiditate in Romanum solum & rempublicam « venerunt. Procopius ipsam, inqvit, Mæotidem & os ejus, qvod dixi ultra « ipsum statim litus Gothi, qvos Trapezitos dictos memoravi, antiqvitus « obtinebant, longius Gothorum gens, qvæ propriè sic dicitur, Visigothi & « Vandali, & ceteri Gothicæ originis populi habitabant, qvos vetustiora « secula Scythas appellabant. Nam qvicunqve homines illa mundi extima « tenent, universè qvidem Scythæ appellantur. Getas in hisce locis sedes fixisse notius est, qvam ut probatione egeat, in Asia Massagetas Sacarum partem, una cum reliqvis Sacis, Geticâ qvoqve gente, â Caucasiis montibus usqve ad Araxim Armeniæ flumen, in oriente rerum potitos esse, atqve Thomyrim Massagetarum Reginam explicata acie Cyrum Regem prælio superasse atqve occidisse, ex Herodoto & Diodoro Siculo liqvet. Dionysius qvoqve Massagetas in illis Scythiæ partibus collocat his verbis: Hos vero post orientem versus trans resonantem Araxim Massagetæ degunt velocium emissores sagittarum.

Versus Septentrionem vero â Caucasiis usqve ad Hyperboreos & Riphæos montes Massageticum imperium expansum est. Alani siqvidem, qvi plagas illas Scandiæ & Sarmatiæ adjacentes tenebant, Massagetarum populus erat. Getas porro circa Tanaim amnem, qvi ex Riphæis montibus in Mæotida præceps ruit, degisse Valerius Flaccus his innuit:

Atqve ubi Riphæâ stupuerunt flumina bruma,
Jam pavidi cum prole Getæ jam pervigil illum,
Medus, & oppositis exspectat Iberiâ claustris.

In Asia deniqve ad Mæotida paludem inter Tanaim & Cimmerium Bosphorum, Thyrsagetas vastas silvas occupasse Mela Pliniusqve authores sunt. Plinius autem Thussagetas vocat. In Europa vero ex altera parte Cimmerii Bosphori Getas in Thraciam, Daciam, Mæsiam & loca adjacentia cum valido exercitu irruentes, gentes istas omnes vel abegisse vel subegisse, scriptores plurimi testantur. Herodotus Getas Thracum fortissimos & justissimos vocat, Herodoto autem Getæ populus Thraciæ, non gens tota fuit, qvi soli hoc nomine peculiariter forte notati sunt, qvia primi fundos agrosqve Thraciæ possidendi copiam habuerunt, sicut iisdem rationibus soli veteres, Saxones Ptolemæo peculiariter Saxones vocantur. Sic etiam Plinio, Melæ, Solino, Getæ populus Thraciæ perhibentur, omnes tamen Thraces unam fuisse, id est Geticam, gentem Mela testatur. Jotarum Ptolemœus sedes ad mare Rhymmiorum refert, qvibus vicini Sasones & Syebi ab eodem memorantur, nomina cum Jotnis, gigantibus vel etiam Jotis, nobis Jutis, Saxonibus & Svevis convenientia.

CAP. VIII.
DE LINGVA AC MORIBUS MEMORATIS JAM POPULIS COMMUNIBUS.



IN hoc demonstrando sæpe laudatus Sheringhamus Discept: de Anglorum gentis origine cap: XI. prolixus est, adducitqve primò authoritatem Hugonis Grotii, qvi ex paucis Scythicis nominibus id evincere conatur, nimirum a Scytharum nomine, qvod *sagittarium* denotat, & paludis Mæotidis accolis Temerinda dictæ, qvasi maris finis, & montis Caucasi, a candore Graucasi vocati. Improbat tamen ejus sententiam, qvod Scythicam lingvam matricem Germanicæ statuat, de qvo alio Cap: plura. An Scythæ â sagittando dicantur, dubitat, cum id â Græcis impositum malit, âqve iracundia derivatum, qvòd Græcis Σκύζεσθαι sit irasci. Legibus Islandorum titulo Refabalk / Skyti sagittator appellatur & passim alibi; tametsi Svipiod / qvæ ab Odini patria, qvæ Scythia erat, denominationem sortita, illud non usqveqvaqve admittat. Temerinda â Mar / qvod mare, & enda: finis, præposito articulo, cum significatione finis maris magis venit, qvàm cum illa, qvam affert ex Plinio desumptam, & matrem maris interpretatur. Mæotim autem Gothici nominis esse vere conjecit; Moat enim lingva Gothica stagnum significare, cum lingva Islandica ex parte consentit, cui id Mooda est. Graucasum a verbô Grar qvod colorem cineraceum & Aas / qvod montem denotat, Grá Aas Islandi adhuc dixerint. Recitat deinde qvosdam Scythiæ populos, qvorum etyma ex Gothica lingva derivat. Sacas, Massagetas, Svevos, Cattos. Transit deinde ad Cimerios, Getas, Sigunnos, Graucenios, Syndos, Mosynæos; qvæ cum omnia ex Gothica lingva explicasset, duobus testimoniis omnia confirmat, Luciani nimirum & Busbeqvii; qvorum ille lingvam Gothicam per totam Scythiam invaluisse testatur. Alanos enim gentem fuisse Gothicam notissimum est. Scythas

vero omnes eandem lingvam, eundemqve corporis cultum cum Alanis habuisse, nisi qvod illis qvàm Alanis promissiores capilli fuerint. Busbeqvius autem Friderici Imperatoris ad Turcos Legatus testis auritus, perhibet inter Procopienses, qvi hodie in Taurica Chersoneso ad Cimerium Bosphorum sedent, Gothicam lingvam superstitem adhuc permanere, aliqvantulum licet immutatam, qvia Procopienses Turcico jam imperio subditi cum Turcis permiscantur. Is enim duos homines nactus est; alterum gentis ejusdem indigenam, alterum ortu & sermone Græcum, sed qvi freqventi commercio non contemnendum ejus lingvæ usum habebat, exqve multis verbis pauca exprimebat, qvæ Germanicam lingvam sapiebant, âqve antiqva Danica parum abludunt, qvorum indicem pag: 214 exhibet. Hæc Josaphatis Barbari nobilis Veneti, Petri Baptistæ Burgi, Procopii deniqve testimoniis uberius confirmat; qvorum ultimus Vandalorum historiæ Lib: 1., nationes omnes Gothicas invicem multiplices, unâ tamen lingvâ, qvæ Gothica dicitur, suo tempore usos testatur. Jam vero & olim hæc eadem lingva, Septentrionalibus populis Germanisqve communis fuisse traditur. Caroli enim Magni tempore omnes barbaræ fere nationes, qvæ inter Rhenum & Vistulam fluvios, oceanumqve & Danubium positæ erant, lingvâ qvidem pene similes fuisse Eginhardo memorantur, morum tamen inter utrasqve similitudinem Sheringhamus Cap: X. multis probat. Index qvoqve vocum, qvi tam propria qvam appellativa nomina exhibet, â Grotio congestus, idem probat; qvæ singula monstrant generis & sangvinis communionem, nec inde tamen concluditur, qvænam alteri originem debuerit.

CAP. IX.

AN GOTHI AD MÆOTIDEM PONTIcasqve provincias inhabitantes, Gothis Scandianis, utet Germanis, originem lingvamqve suam dederint, an ab iis acceperint.



LAudatus Sheringhamus Hugonis Grotii judicium improbat, qvi Scythicam lingvam matricem esse Germanicæ (cujus pars Svedica & Norvegica) in præfatione ad Procopium scripserat; eo tantum argumento, qvod Gothi, postqvam has terras occupaverunt, longoqve tempore insederunt, prima migratione sub Bericone in occupatas devictasqve ad Vistulam terras, deinde in Mæoticas Rege Philimiro transgressi, lingvam moresqve suos secum transfuderint: nec propterea Scythicam lingvam Germanicæ matricem appellare oporteat, cum Scythia Germanicam seu Gothicam non pepererit, sed â se ipsis inductam Gothi in Scythia usurparint; id qvod concedendum esset, si probari possit, primas illas familias, qvæ ex Asia in Scandiam migrârunt, nullis suorum reliqviis in prioribus sedibus, vel interjectis regionibus repositis, totas se huc transfudisse, sic enim lingvam sibi soli propriam, unà secum transportâssent. Deinde an etiam, postqvam hinc egressi provincias Germaniæ invaserunt, etiam lingvam gentibus illis genuinam plane exstirpaverint, suamqve vicissim induxerint, ut, qvæ postea in usu fuerit, Germanica ab iis defluxerit, per totam deinde Scythiam una cum victricibus armis propagata. Prius

certe

certe consisteret, si, ut Rudbeckius ratiocinatur, qvatuor aut qvinqve paria, statim â turris Babylonicæ ædificatione rectà in Scandinaviam migrantia, ibi sedes sibi posterisqve delegissent. Jam verò constat, qvantumcunqve hominum terra sustinuit, in campos Babylonicos, illo qvoqve suffragante, concessisse, prius qvàm lingvæ confusæ sunt, familiæqve, jam lingvis distinctæ, dispersæ. Certè a campis istis remotior fuit Scandia, qvàm ut magnis itineribus statim adiri possit; nec scio an situ & indole & invitamentis ullis ita nota, ut vel reqvirenda vel expetenda videretur, illô præsertim tempore, cum proxima qvæqve vacua cultoribus alimentorum affatim præbuerunt; nec ab eorum usu ulla vel vicinorum vel externorum vi prohiberentur. Ut itinerum difficultatem, alibi satis monstratam, omittam, si fluminum cursus, ut statuit Rudbeckius, secuti sunt, qvot qvantiqve anfractus, hinc inde in devia eos abripuerunt? qvi alibi lenius, alibi rapidius fluentes, nec scaphas nec piscationes admittunt; alibi cataractæ ingentes, ex editioribus devolutæ, qvàm vel ab esocibus transiliri possint, pisces procul arcentes, id genus alimenti spem omnem absciderunt, facultatemqve subtraxerunt. Non igitur consentaneum videtur, paucas familias statim â lingvarum dispersione continuô itinere in septentrionem profectas, sed intermediis, forte Sarmatiæ Asiaticæ, terris prius habitasse, ibiqve postqvam suboluerant, parte suorum relictâ viciniores pedetentìm insedisse, donec & iis repletis, vel incolis â superveniente magna aliqva vi vacuatis, orbem Scanzianum occupârunt; qvod si admiserimus, planum est, lingvam illam, qvam primi Scandianorum traduces in Babelicâ confusione acceperunt, per interjectas provincias sparsam, illis nostratibusqve communem in Scandinaviam traductam fuisse, inde postea cum Scandianorum migrationibus in Germaniam pervenisse, seqve per illius provincias latè diffudisse, vel eorum, qvi illas incoluerunt, labio se permiscuisse. Qvo posito, facile seqvitur, Scythicam lingvam Germanicæ matricem esse, non vice versa. Gothones citra mare Balthicum inter Albim & Wistulam Tacitus posuit; qvos cum Gothos statuat Cluverius, negat Gothos unqvam in Scanzia fuisse. Cui Grotius respondet; qvod sicut alii Gothi, qvi amplissima constituerunt regna, nomen ê Scanzia delatum retinuere, ita & istos relictos iis in locis, multò ante Taciti tempora, cum primum ad Mæotidem paludem transirent, idem nomen retinuisse; id qvod perinde valebit de iis, qvi a primis Asiaticorum familiis in Septentrionem concedentibus, in intermediis terris relicti sunt, qvos & nomen & lingvam conservâsse, tantùm non dubiô caret. Qvod si etiam illos, Germaniâ primò peragratâ, huc tandem devenisse posuerimus, certè prius in Germaniam lingvam suam introduxerunt, nec ab illa diversâ posteros eorum sub Bericone aut Filimire usos credendum est. Sed hæc ita distinctè â veteribus Scriptoribus tradita non sunt, ut dilucidè decidi possit, utra gens alteri originem debeat. Ipse Sheringhamus notis ad cap: XVII. pag. 477 verisimile putat, Getas primos fuisse Sarmatiæ incolas, partemqve illorum Scandiam partemqve alteram Sarmatici maris litora occupâsse. Samogetas enim, qvi istam Sarmatiæ partem ab antiqvo tenuerant, Gothicam fuisse gentem semper Gothica lingvâ usam hodieqve uti; non igitur illi a Gothis Scandianis lingvam acceperunt, sed iis dederunt. Recentiores autem, ut nihil viderentur ignorare, hæc, qvamvis a seculo suo remotissima, qvàm enucleatissimè tradiderunt; nimirum â qvo filiorum Noæ Gothi genus duxerint, qvas post diluvium universales sedes occupaverint, qvamdiu iis immorati, qva via in Septentrionem migrave-

rint,

rint, qvas terras ibi primò insederint, & qvo tempore, qvando colonias inde in alias terras miserint, & qvid illæ postea gesserint. Nos de primis gentis traducibus primaqve statione minus solliciti, ab oriente cum iis in septentrionem properabimus.

CAP. X.

DE GETARUM PROFECTIONE VIAQVE a campis Babylonicis in septentrionem.



Erodotus Lib: IV. Scythas pecuarios, qvi Asiam incolebant, Araxe transmisso in Cimmeriam abiisse tradit, Massagetas autem eorum sedes occupasse. Postqvam vèro inde digressi essent, in iis Asiæ terris sedes fixisse, qvæ inter Paropamisum Imaumqve montes interqve Oxi confluentem & Carambucis seu Obii fluminis magnum lacum sitæ sunt, Cluverius explicat. Inde vero non per Germaniam sed per Scythiam in Scanziam transiisse, strenue urget Sheringhamus Cap: VII. cum Scanzia Scythiæ Asiaticæ, qvæ hodie Tartaria dicitur, contermina sit, à Germania longe disjuncta. „ Utrum igitur, inqvit, verisimilius est, populos istos septentrionales, qvi in confiniis Scanziæ sedebant, in Scandiam rectâ perrexisse, an per Sarmatiam, longo suscepto itinere, per occultos tramites, viasqve transversas in Germaniam abiisse? Si una sane & altera, aut etiam plures turmæ id præstiterint, dum inter Germaniam & populos istos liber adhuc, nullisqve difficultatibus impeditus transitus esset, omnibus tamen, qvi deinceps Scanziæ confinia per vices subierunt, id præstare difficile fuit, postqvam via ab aliis populis obsessa liberum transitum impedivit, tum qvidem sedes relaxare cupientibus, Scandiam ingredi necesse erat. Sed ex vicinitatè, ut facilius, ità qvoqve citius ad Gothlandiam pervenire poterant, qvò Getas iter maturasse, nec diutius uspiam constitisse, qvàm ut clausas & obseratas vias superarent, fas est existimare. Id enim usu venire solebat, ut qvi novas & vacuas regiones inhabitare vellent, terram undiqve explorarent, ut in locis pingvibus maximeqve opulentis sedes figerent, Gothlandiæ totius Scandiæ regio amænissima est, & aspectu situqve jucundissima, qvam propterea olim Gutegutland, id est bonam bonam terram appellabant, ibi Getæ initium sui imperii statuerunt. Id qvod Cap: XVII. impensius urget his verbis. „ Gothicas gentes per Scythiam ad Scandiam & Sarmatiam commeâsse mihi adeo constare videtur, ut nesciam qvâ ratione iter secus in primordiis mundi instaurati, in illas aut alias Europæ regiones expediri poterat, sola enim Scandia & Sarmatia per isthmum Asiæ conjunctæ sunt, atqve illic tantùm ante artem nauticam inventam in cæteras Europæ partes, janua aditusqve apertus est. Mare enim Bosphoricum & Mæotius lacus, qvo Asia ab Europa ex parte separatur, nunqvam ita gelu constringeretur, ut homines per glaciem & mare congelatum transirent, aut si in illis aqvæ coiissent, ut hominibus per glaciem iter impervium non fuisset, ne hac qvidem in alias regiones nisi per Sarmatiam transiri potuit, qvæ per totum mare Bosphoricum & Mæotium lacum usqve ad montes Riphæos protensa est. Ubi notandum in primordiis instaurati mundi migrationes has eum referre, alias tamen posteriores innuere; dum subjicit: Postqvam via ab aliis populis obsessa liberum transitum im-

impedivit, sedes relaxare cupientibus Gothis, Scandiam necessariò ingrediendam fuisse, idqve adeo constanter asseverat, ut nescire se qvidem fateatur, qvâ aliâ ratione iter in illas Europæ regiones expediri potuerit. Cap: autem IV. varias Europæ gentes in Germaniam migrâsse, & ex Asiâ colonias Phœnicum seu Cananæorum, Cholcorum & Trojanorum; ex Africa Ægyptiorum. Qvid itaqve vetat, qvominus Gothi per mare Euxinum, & Istrica Danubii ostia in Germaniam transiverint, indeqve in Daniam. Johannes Magnus Historiæ Gothicæ Lib: I. Cap: IV. tradit Magogum, Noæ ex filio Japheto nepotem, primò in Finnlandia imperâsse inde in Gothiam, transmisso Venedici maris sinu, in Scandianæ peninsulæ partem navibus vectum, magnâqve populi multitudine sociatum, pervenisse ad eas gentes, ex suo nomine Magogos nominâsse, qvibus postea Græci Scytharum nomen imposuerint, qvæ Getæ Gothiqve deinde dictæ sunt. His concessis seqvitur, Svecos Finnis originem debere: sed qvomodo ergo commercium lingvæ Danicæ a progenitoribus diversum ad Svecos pervenit? â gente nempe recentiore: nam si esset antiqvior, & Svedicæ mater, qvomodo Sveci Finnicè & Russicè loqvi obliti, novam cum Danis communem, & a Germanis sola dialecto discrepantem, lingvam didicerunt, alias itaqve ejusdem lingvæ nationes, sive per Finnos vel alios circumjacentes, sed diversæ lingvæ populos perrupisse oportet, qvæ Svecos procreaverint, sive etiam ex Hyperboreis terris Biarmia & Lappia, vel Riphæis montibus: atqvi nec hîc lingvæ societas cum illis communis, qvare ex lingvarum diversitate gentium diversitas arguitur, nisi forte aliis gentibus una gens ita mixta fuerit, ut in ejus lingvam & mores concesserit, qvod hic locum non habet. Per Finnos gentem aliam viam sibi in Sveciam aperuisse nuspiam extat, nec ullum argumentum qvidem, qvod conjecturæ ansam præbeat. Itaqve illud, qvod ipsimet negant, confiteri opus habent, se Finnis esse antiqviores. Nullum enim est dubium, qvin Finni vel Russi, si Svecis originis auctores, iidem & lingvæ fuissent; lingvarum autem collatio, ne vestigium qvidem unitatis exhibet. Classibus profectos abnuit Sheringhamus Cap: XV. pag: 340. „Omnes enim ante dispersionem gentium, in- «
qvit, in Mediterraneis degebant, nec adeo classibus instructi fuerint, ut fa- «
miliarum principis poterant e vestigio cum tota gente, suppellectile, re pe- «
cuaria cæterisqve impedimentis in Europam transfretare. Nemo adhuc «
navigandi peritus erat, non ipse Noha, cujus navis non suo sed Dei nutu «
ductuqve ferebatur: huic sane Deus vela, remi, anchora & nauclerus fuit. «
Loca igitur Babyloni undiqve vicina primum ab hominibus obsessa sunt, «
qvi multitudine aucti, limites suos in circuitu Babylonis latiùs tendebant, «
nec prius gens ulla â continente in insulas, aut transmarinas regiones tra- «
jicere poterat, qvam ars nautica (qvod pluribus a confusione lingvarum «
seculis contigit) inventa est. Johannes Lyschander Serm: VI. ex Syria & «
Mesopotamia conterminis oris in australes Europæi tractûs regiones, & præsertim in Italiam, profectos statuit, eòqve duodecimo migrationis anno pervenisse, indeqve in Daniam extremumqve in Balthico Aqvilonem occupasse. Sunt & plures rationes, qvæ transitum terrestrem potius per Germaniam qvàm Russiam directum persvadent. Sic regressus Gothorum ê Scandia in Scythiam Asiaticam apud Jornandem Cap: IV. duce Baricone, navali primùm itinere, per mare Balthicum in Rugiam vel Vandaliam Germaniæ regionem processit. Pariter Odinus Upsalensis ê Scythia Asiatica Russiam Poloniamqve transgressus, in Holsatiam & inde in Cimbriam pervenit, conseditqve in Fionia, donec in Svecia sedem fixit. Eqvidem fau-

tores hujus ſententiæ vel iter ex Aſia in Europam deinde per Germaniam in has terras directum, vel Germaniam prius incolis auctam ſtatuit, haut pauci proſtant. Grotius ex Armenia & Syria trans illas, qvas nunc dicimus Sarmatarum terras, in Germaniæ ſeptentrionalia proceſſum autumat. Idem Hunnos iter ex iisdem locis multis poſt ſeculis in Germaniam capesſiviſſe eadem viâ, perhibet. In Germaniam, Slavoniam & regiones vicinas Cananæorum reliqvias Genebradus migrâſſe tradit. In Illyricum & Pannoniam Bodinus locis antea citatis. Omnium Clarisſimè Micrælius deſcriptione Pomeraniæ pag: m: 34. & ſeq: teſtatur, Gothos Pomeraniam & Borusſiam olim inhabitantes, & â vicinis Teutonibus adjutos nomen ſuum in Jutiam, Jutlandiam vel Gutlandiam non tantum, verum etiam in inſulas duas Regias Zelandiam & Gothlandiam, Godanoniæ, utet Gothaniæ nominibus olim notas, qvin & in Guthos in Scandia Ptolemæi qvi alias Gothi in Gothlandia nominari ſolent, imò per totum mare Balthicum ab ipſis Godanium vel Codanium denominatum propagâſſe. Inſtitutâqve qvæſtione, qvonam pacto Sveci, Gothi & Dani in regiones ſuas pervenerint? „ num terreſtri profectione? inqvit, ſed tota illa regio, qvæ ipſis tranſeunda „ fuiſſet, qvam â Riphæis & Sarmatis populis occupata erat, imò qvovis „ tempore latus Boddici ſinus orientale Finnorum fuit ſedes, qvi jam Taciti „ tempore â Germanorum moribus & natura alieni, etiam hac noſtra ætate „ lingvâ utuntur â Svecorum idiomate penitus abhorrente, Svecorum & Go- „ thorum & Danorum ſermo ab antiqvâ Celtarum dialecto parum abludit. „ Num igitur meridianos Sarmatarum & Finnorum populos penetrârunt, & „ cum uxoribus & libris in ejusmodi peregrinationibus unà ducendis Boddi- „ co ſinu trajecto Lappiam pervaſerunt, & in loca ipſis habitata ſe contule- „ runt? An veriſimilius eſt, ipſos cum ceteris Germanis Viſtulâ ſecundâ de- „ ſcendiſſe, ubiqve populares ſuos â tergo reliqviſſe, & navibus conſcenſis, „ pro ſe & ſuis ſine intermisſione regiones novas inveſtigâſſe. Tradit autem „ ſuperius eodem loco, Vandalos, Cimbros, Sveones vel Svecos, antiqvos „ Ingevanes appellatos, in Holſatiam, Megapolitanum ducatum, Pomeraniam „ & Prusſiam venientes, Balthici maris litoribus cohiberi non potuiſſe, ſed „ navibus conſcenſis Scandiam peninſulam maximam explorâſſe, & non ſo- „ lùm maximis montibus inter Norvegiam & Sveciam longa ſerie ſe multo „ ſeqventibus â Svevo, generis ſui auctore, ut Plinius nominat, ſed etiam Sve- „ ciæ regiones in occaſum vergentes, ac ſinum Boddicum (Botnicum) tan- „ gentes Svionibus, & Norvegiæ regnum Sithonibus vel Sithoniis repleviſſe. Hactenus Micrælius, qvi in multis, ſibi aſſentientem habet Cluverium, ſed qvantum ad Svecos adverſantem Pontanum. Verùm cum Holſatiam cultam velit, omnino colonos inde in Jutiam derivare debuit, indeqve in inſulas, tandem etiam, ubi brevisſimus trajectus eſt, in Scandinaviam; rudes enim navigationis illos populos ratio dictitat, qvi terreſtri itinere per Mediterranea in inferiora Germaniæ pervenerint: nec ſtatim iis mare tentatum videtur, cum iſtis temporibus flumina feræqve & pecora alimenta iis præbuerint, piſcatorias ſcaphas; pontones, qvibus flumina trajecta ſunt, fabricari forte docuerunt, non item naves, qvæ alto committerentur; iſtis autem inſulæ Danicæ mutuo proſpectu incolas invitantes facile peti poterant, Scaniamqve adiri.

CAP. XI.

DE OCCUPATIONE TERRARUM SEptentrionalium, deqve ejus falsâ epochâ. Rudbeckii error notatur, qvi ex fabula Eddæ de Dellingo Neptunum & Odinum fabricat, utet alter, qvo Trojanos Gothis Scanzianis prognatos persvadere conatur.



QVæstionem hanc nemo confidentiùs explicat, qvàm author Chronici Gothlandiæ, qvi Gomerum Juniorem primum Cimbriæ Regem nobis exhibet, ad annum mundi MDCCCL. ejusqve progeniem recensuit, & qvot annis singuli regnaverint accuratè, exposuit, usqve ad annum mundi MMCC. Gutiumqve Oſtrethi filium, qvem Scandiam vicinasqve terras, qvas Getæ incoluerant, subegisse tradit, nomenqve iis de suo indidisse, ut Gothi postea vocarentur. Singula Claudius Lyschander, Serenissimorum Daniæ Regum genealogiæ Lib: III. explicavit, Gomerum nempe Japheti filium; non nepotem, Cimmeriorum, Italorum, Gomoritarum & Galatarum patrem, ad paludem Mæotidem primò consedisse, suamqve progeniem ad Taurum & Imaum montes dispersisse, deinde in Italiam concesſisse, ibiqve sedes fixisse, anno mundi MDCCXCVIII. in Asia autem filios tres reliqvisse, Riphat, Thogormam & Aschenazem, Aschenazem autem ad aliud latus Phrygiæ Bithiniam occupâsse, â cujus nomine terra Aschania, Lacus Aschanius, & mare Aschanium, denominationem sortita sint. Ibi Cimmeros propagâsse, terminosqve ad Bosphorum Cimmerium extendisse, inde cum suis Cimmeriis Caycisqve, flumine Tanai superatô, in terram, qvæ postea Germania dicta est, circa Hircianiam silvam trajecisse, ibiqve Aschanezæos & Rhegios proseminâsse, unde postea gens Aschania, qvæ principatum Anhaltinum condidit, profluxerit. Cimmerios autem seu Cimbros in Aqvilonem profectos mare usqve, inde in Nordalbingam, ubi nunc Holsatia, pervenisse, totumqve illum tractum incoluisse, partem autem istius gentis, Vittas dictam, australem tractum ad marginem maris occidentalis insedisse, in provincia, qvæ postea Tynder dicta est, ubi nunc Vitte & Vidingeherrid / unde totius regionis nomen, qvæ Vittersland / jam vero Jutland nuncupatur, emanaverit. Boream versus Varinorum terram Vare & Varsyssel / nec procul Salios & Sabalingos sitos, qvi Saling incolunt. Trans sinum in Aqvilonem Vandalos & Vinnulos habitare, qvorum Provincia Vendsyssel. Ad austrum vero in Orientali latere circa sinum amnemqve, anteqvam terram excolere cæpissent, casas fixisse, ad instrumenta piscatoria remosqve conservandos, qvas exinde Aarershus / ɔ: *remorum domum*, appellaverint, ubi nunc civitas Aarhusensis, Ptolemeo peregrinisqve scriptoribus Charudes dicta. Præcipuos autem proceres in meditullio terræ principale domicilium condidisse, qvod â se, Vittis nimirum, vel ut alii volunt, ab idolo eorum Vige Viburgum appellaverint; processu autem temporis provinciam illam ab Haraldo Cæruldente, & in hunc usqve diem Himmersyssel / seu Cimmeriorum vel Cimbrorum provinciam, appellatam, exinde Cimmerios insulam de suo nomine Cimmeriam dictam, qvæ nunc Fimbriæ vel Fimmeriæ, qvasi parvæ Cimbriæ, nomen obtinet, occupâsse, in cujus rei memoriam auream coronam insu-

insulanos illos in insignibus suis usurpare. Accessum Cimbrorum in Jutiam ad annum mundi MDCCCL. ipse qvoqve refert: Johannes autem Lyschander ad MDCCCXLVIII. Qvæ de Aschania gente tradit, ex Archivis Anhaltinis confirmat, qvæ hîc, ipso teste, his verbis describuntur.

„ Aschania gens nobilissima & vetustissima, originem suam deducit ab „ Ascano filio Gomeri, nepote Japheti, pronepote Nohæ Patriarchæ, custo- „ de sacri ignis, hoc est, religionis & doctrinæ (unde nomen ipsi inditum est „ consentaneum) qvi cultuum profanorum fugiens Idolomanniam, qvæ orien- „ tem cum Tyrannica qvadam sævitiâ invaserat, ex solo natali, qvod est su- „ pra Phrygiam in Bithinia versus Cimmerium Bosphorum ad Aschaniam „ Paludem fuit; sociis Caycis & Cimbris in septentrionis plagis migravit. „ Et Caycis qvidem Mediterranea, & Cimmericis occupantibus, ipse sedem „ ac dominium suum ad nemus Heroynium transtulit, ubi inter tot rerum „ humanarum vicissitudines, imperiorum ruinas multiplicesqve Regnorum „ conversiones, posteri ejus Aschanii, a primo ipsorum adventu, in hunc us- „ qve diem, soli & nomen & sedes retinuerunt primas. Johannes Magnus Lib: I. Cap: IV. ut antea dictum est, Geticarum terrarum occupationem Magogo adscribit, anno a diluvio LXXXVIII. mundi MDCCXLV. duodecimo ante confusionem lingvarum & dispersionem gentium, ejusqve filios ejusdem Lib: Cap: V. qvinqve recenset, qvorum primus Sveno, Sveonicæ gentis propagator & rector, eô, me judice, nomine infelix, qvòd tot postea seculis nemo filiis suis aut posteris nomen ejus aptaverit: secundus tar (aliis Gogus) qvi nomen suum Getis, qvibus præerat, applicandum curavit. Reliqvi tres Thor, German & Ubbo. Ab Ubbone ante tempora Abrahæ Upsaliam ædificatam perhibet. Sunt qvidem complures in Islandia villæ, Upsali appellatæ, omnes ab edito situ, superna palatia reddideris: Salr enim palatium est, in plurali Salir / hinc Upsalir / qvod ego non Upsalium, sed Upsalos verto: at illarum nullam Ubboni nomen debere existimem. Rudbeckius ipsum Japhetum Sveciam incoluisse statuit, multisqve rationibus stabilire conatur. Eum vero aut filios ejus ex Asia discessisse, cum a ratione dissentire, tum etiam neqviviſſe judicat Sheringha- „ mus. Illos in primis, inqvit, vires deficiebant, qvi si ante dispersionem „ gentium mortui non fuerint, id tum ætatis erant, ut inde ducendis coloniis „ in longiqvas terras impares omnino & inhabiles redderentur, cum â dilu- „ vio ad illa usqve tempora anni qvadringenti, aut non multo pauciores, ef- „ fluxerant. Hallucinantur, ut mollissime loqvar, qvi Noachum ab arcâ e- „ gressum statim per mediterranea, qvo vellet, tolutim incessisse, & classe „ instructum, prius navibus mare, qvàm terram aratrô sulcâsse affirmant. „ Noachus certè maximam, ut verisimile est, ætatis partem super Imaos „ montes transegit; illic nos arcam constitisse supra diximus, idqve Gorio- „ nidis testimonio confirmavimus. Qvod ad epocham hujus occupationis attinet, satis credo in Serie Regum Daniæ Lib: II. monstratum est, antiqvitatem harum gentium ad Japhetica tempora exaltari non posse. Nec veritati litat, gentem Sveonum, septentrionalesqve populos, qvibus communis lingva, primigeniam illam antediluvianam, confusionis exsortem, solos tenuisse, & in hunc usqve diem conservare, qvod tamen necessariò seqvitur, si Magogus cum familia suâ duodecim annis ante lingvarum confusionem huc concesserat, ut Johannes Magnus ratiocinatur: Nec majori dexteritate Olaus Rudbeckius Atlanticæ Cap: VII. ex Dellingo, qvem Nottis (seu Noctis) Norvii vel Narfii gigantis, primi Jotunheimorum insessoris, filiæ tertium maritum, sed ex Asarum stirpe prognatum, fabula Eddæ VIII. exhi-

exhibet, Neptunum exſtruere conatur, Atini ſeu Odini nomine inſignitum, cui uxor Jord, Platoni Clyto, & ex collatione Eddæ cum Platone inſtitutâ utriusqve parentes eruere nititur. Burium ſive Cœlum avum, Borium ſeu Saturnum patrem, ſocerum vero Anarem, Platoni Evenorem, ſocrum Nottem, Platoni Levcippen, cujus currum præfixus eqvus Hrimfaxius ducit. In filiorum tamen numero Edda cum Platone non conſentit; decem enim ille Neptuni filios, illa ſex tantum recenſet, Scalda autem 25. alii ei viginti tribuunt, alii præterea qvatuor, poſſuntqve in univerſum ad triginta tres usqve colligi. Haud igitur ê Sveciæ in decem partes, ſecundum filiorum illius numerum, diviſione, argumentum procedit ad Platonis Neptunum ex Odino fabricandum, territoriiqve Atlantici diviſionem vindicandam; id qvod dicto Cap: Rudbeckius pluribus demonſtrare laborat, dum Odinum Neptunum facit, Auniiqve Annoſi Sveciæ Regis hiſtoriam ei applicat. Nam licet ab ejusdem Cap: §. 55. ad pag: 238. horum filiorum nomina (adduxit enim decem) ê Niordorum diſtinctione elicienda indicet, numerum tamen adæqvatum Platonis traditioni, ita ut nec redundet, vel deficiat, haut probat; qvantumvis ex nominum hinc inde petitâ ſignificatione, utriqve eosdem intellectos monſtrare ſatagat, a Sect.55. ad Sect.96. eodem Cap: Niordos autem tres facit, primum Dellingi ſocerum, ſecundum Odini filium, tertium gente Vanium, qvi Odino obſesdatus eſt; qvorum primum Norvium ſeu Narfium, gentis Norvegicæ conditorem, apud ſolum Oddum Monachum Norium, ſed neſcio an Dellingi ſocerum, uſitatius apud alios Norem, etiam ſine relatione ad Dellingum; Niordum nusqvam lego. Hæc ego non magis hiſtorica fide niti exiſtimo, qvàm qvod ibidem legitur de prole illius, qvam pater omnium Deus Cœlo impoſuiſſe traditur, dediſſeqve eqvos duos & currus, ut circumirent terram. Noctem priorem decurrere cum eqvis albis & pruinoſis, qvi rigent terram ſpumâ morſu fræni decidente. Diem inſidere eqvo fulgenti, qvi juba ſua æthera terrasqve illuſtret. Nos in Serie Regum Daniæ lib: II. Cap. III. per Dellingum Solem, vel qvi omnium primus in Aſia ſub Odini nomine cultum ejus ibidem fundavit, intelligendum ſtatuimus. Non tamen diſſimulabo, valde dubium videri, an hæc fabula aliud intendat, qvam ut demonſtret, ex diverſis principiis, calido & frigido, exqve materia prima indigeſtoqve chao lucis beneficio omnia proveniſſe; qvod ſi veram hiſtoriam ſub his involucris contexi largiamur, nullum tamen inde certum tempus elicitur, ſive de acceſſu Norvii, ſive Dellingi in ſeptentrionem, ſed hi tanqvam antiqviſſimi introducuntur, & proinde iis, qvæ in rerum natura antiqvisſima, poëtico more tribuuntur, qvæ tamen Odino poſteriori Noriqve cum illis communicantur, id qvod ex genealogia a Nore deſcendente apparet, ubi Finnalfus Noris ex Raumo nepos ê Svanhilde Auripenna, Dellingi ex Dago nepte, filium genuiſſe, nomine Svanum Rufum, traditur, qvorum tamen tempora ſupra Odinum Upſalenſem elevari non poſſunt; operam igitur luſuros credo eos, qvi ex Eddicis fabulis hiſtoriam ſibi contexendam proponunt. Sed nec idem *Rudbeckius*, antiqvitatem gentis ſuæ omnibus nervis adſtructurus, majori ſucceſſu Atlanticæ Cap: XXXVI. ex Herodoti cum Edda Islandorum conſenſu perſvadendam ſuscepit, Trojanos â Gothis Scanzianis ortos eſſe; id vero adſtruit primò authoritate *Mathiæ Monaſterienſis*, cujus verba ex Chronicis pag: 113. adducit, qvod nempe Gothi jactentur Trojanos ex ſuâ ſtirpe procesſiſſe; utet Claudiani verſu ex lib: 2. in Eutropium:

— — *Oſtrogothis colitur, miſtisqve Gothunis*
Phryx ager. — — — —

Verum inde male concluditur, ſiqvidem de Gothis ſeptentrionalibus magis qvam Mæoticis hæc intelligantur; nec ſi plures gentes unam regionem aut urbem incolunt, ſtatim earum unam aut alteram reliqvas progenerâſſe ſtatuendum. His præmiſſis, fundamenti loco arripit ſeriem generis, qvæ Langfedgatal inſcribitur, qvamcum *Diodoro Siculo,* Apollodoro & Homero confert, nihil tamen minus hæc collatio evincit, qvàm ut Trojanorum originem â Gothis repetat, ſed ordine potius inverſo, horum ab illis. Hæc confirmaturus Thorigautum qvendam, nobis incognitum, excogitat, qvem pro Thorgitao Jovis filio, Herodoto Lib: IV. celebrato, nobis obtrudit, qvi Thraciam ad Boryſthenem antea deſertam occupavit; mox ex eodem Thorem exſtruit, cui illa applicat, qvæ prologus Eddæ de eo prædicat. Nos utriusqve teſtimonia adducemus primùm, „ deinde excutiemus. *Scythæ*, inqvit, *gentem ſuam omnium novisſimam eſſe ajunt, idqve hoc modo extitiſſe. Virum qvendam in hac* „ *terra, qvum deſerta eſſet, primum fuiſſe, nomine Targitaum, &* „ *ejus parentes* (qvod tamen mihi non probatur) *Jovèm Boryſthenisqve fluvii filiam. Tali genere ortum ajunt Targitaum, ejusqve tres* „ *liberos fuiſſe, Lepoxain, Arpoxain, novisſimum Coalxain.* Et pluribus interjectis: *Hunc in modum ſe extitiſſe Scythæ memorant, &* „ *ex qvo extiterunt a primo Rege Targitao, usqve ad Darii adverſus* „ *ipſos tranſitum annos omnino mille non amplius fuiſſe.* Darii autem expeditionem in Scythas ad annum MMMCDXXXIX. refert *Calviſius,* Targitaum itaqve anno mundi MMCDXXXIX Thraciam occupaſſe neceſſe eſt. Locus autem prologi Eddæ, qvem huc refert *Rudbeckius*, ita „ translatus eſt a *Stephano.* Rex qvidam Trojanus, nomine Memnon, Archiregis Priami filiam Troan uxorem habuit, cum qva filium Tror dictum „ (noſtra lingva Thor) ſuſcepit. Hic in Thracia apud Ducem qvendam, „ nomine Loricum, educatus, decimo ætatis anno armis paternis donabatur. „ Ita cæteros anteibat pulchritudine, ut ebur fagum ſplendore, cum eidem „ inſculpitur; ſiqvidem capillus ſupra aurum nitebat. Annum habens duodecimum in tam perfectum viri robur adoleverat, ut decem pelles urſinas „ uno impetu â terra facilè allevaret. Ducem præterea Loricum, proprium „ nutritium, una cum uxore Lora (vel Glora) interemit, ſibiqve regnum „ Thraciæ (nobis Trudheim) ſubjecit, multas deniqve regiones peragrans, „ mundiqve plagas perluſtrans, centauros omnes & gigantes ſolus proſtravit; adhæc draconem immanem, multasqve feras trucidavit. In Septentrionali mundi plagâ fatidicam mulierem inveſtigavit, nomine Sif, eandemqve in uxorem accepit. Nemo eſt, qvi hujus Sif, ſive Sibyllæ generationem noverit. Capillo erat auro ſimili, ſuperavitqve formâ omnes, „ qvæ tunc erant, mulieres, cum hac filium habuit Loridum, patri ſimilem, „ cujus filius erat Henredo, pater Vingethori, patris Vingineri, patris Modæ, patris Magonis, patris Ceſpheti, patris Liedingi, patris Athræ (nos vocamus Annarem) patris Urmanni, patris Hermodi, patris Schioldunni „ (nobis Schioldur) patris Biaferi (nobis Biar) patris Jatonis, patris Gudolphi, patris Finni, patris Trialafi (nos Fridleif dicimus) qvi filium ſuſcepit, nomine Voden, qvem nos Odinum vocamus. Is erat vir ob ſapienti-

am & multa alia dona celeberrimus, uxorem habens Frigidam, nobis Frigdictam. Hæc qvanto intervallo inter se distent, cuivis obvium est, nam Thor (de qvo hic agitur) post excidium Trojanum tribus ante captam incensamqve Trojam seculis vixit. Consensus igitur Eddæ & Herodoti hac in parte merus videtur dissensus. Monstratô itaqve Thorem hunc â Targitao tantô annorum intervallo diversum esse, tollitur omne fundamentum de Trojanorum origine â Gothis Scanzianis repetenda; neqve enim in ejus genealogia Dardanus & Erichthonius Thore seu Troë Memnonis filio, qvem ille Minnur appellat, adqve annum mundi MMDCC. collocat, prognati conspiciuntur, sed inter parentes ejus Dardanus semper octavos in tribus istis genealogiis apparet, qvas historia Regis Sverreris, Langfedgatal & Origines Norvegiæ exhibent. Qvod si Eiricus ejus nominis primus, qvi primam navalem expeditionem ê Scandia in Gothlandiam suscepit, Erichthonius erit, idemqve Jornandi Berig seu Bericon, certe intra hunc Thorem Memnonis filium collocandus erit, & per conseqvens etiam Trojæ excidium, eoqve multo inferior Filimer, qvi Gothos ê Germania ad Mæoticas terras deduxit, qvorum pars dimidia, qvæ confracto ponte a reliqvis separata, ulterius pervenire neqvibat, tandem principatum omnium earum terrarum, qvæ post terga usqve ad sinum Veneticum, seu Sarmaticum vel Esthonicum, longo & læto tractu porriguntur, assecuta est: an vero inde processu temporis magnus ille Forniotus ortus fuerit, qvi Gothiæ, Finningiæ, & Qvæniæ Rex fuisse perhibetur, de qvo postea nobis agendum, tutius dubitabimus qvàm adstruemus. Et hæc de secundo Septentrionis & partis ejus Norvegiæ, qvæ una cum Svecia, Gothoscanzia dictâ perhibetur, genere sufficerint; ad tertium transeamus.

SECTIO III.
DE SCYTHIS SEU ASIS.
CAP. XII.
DE TERTIO HOMINUM GENERE, QVOD SEPTENTRIONEM ET PARTEM EJUS NORVEGIAM INCOLUIT, SCYTHIS SIVE ASIS DICTO, UTET DESCRIPTIONE SCYTHIÆ.



Clariss. *Sheringhamus Tractatu de Origine gentis Anglicanæ*, Scythiam a filio Semi Aramo Arameam „ denominatam tradit, incolasqve ejus primos Scythas „ Arameos dictos, deinde Massagetas. Hos ad flumen „ Armeniæ Araxim habitantes, Scythas Magogo satos, „ atqve exinde Magogæos appellatos, ê Cælo Syria „ progressos trans Araxim pepulisse ad vastas illas soli- „ tudines, qvæ â Græcis Scythia & Cimmeria dicta est. Massagetas exinde „ relictis ad Araxim primis sedibus (Nomades enim fuisse, nec diu in uno lo- „ co constitisse) Scandiam per varia itinera, donec ab iis redeuntibus, sub „ Filimero iterum cæsi, ultra Caucasios montes (ubi nunc ex parte habitent) „ & in alias Asiæ regiones fugere coacti fuerint, inde totius Scythiæ deno- „ minationem & imperium penes Getas permansisse, unde ipsos postea, „ qvod Scythiam & Cimmeriam inhabitarent, a Romanis Græcisqve Scri- „ ptori-

„ ptoribus Scythas & Cimmerios ab iis, in qvorum ſedes ſucceſſerant, appel-
„ latos, alteram Scytharum nationem conſtituiſſe. Ab utrâ vero harum gente genus hoc hominum deſcenderit, definire ego neſcio.

Scythiam Snorrius Sturlæus his verbis deſcribit:

„ Orbis, inqvit, terrarum; qvem homines incolunt, aqvis pasſim inter-
„ ſectus, profluentes a vaſto illo Oceano, qvi terras omnes ambitu ſuo
„ complectitur, ingentes ſinus, freta internaqve maria gremio ſuo recipit.
„ Conſtat enim qvòd a freto Gaditano (Normannis Niorvaſund) usqve ad
„ Palæſtinam, mare Mediterraneum diffuſum, in longum, boream verſus,
„ ſinum ſe extendat, qvi Mare Nigrum appellatur: ibi trientum orbis li-
„ mes. Ad Orientem qvi jacet Aſia, ad Occidentem Europa, (aliis Enea)
„ appellatur; ad Aqvilonem autem Scythia Magna vel Frigida, multorum
„ judicio Perſia & Aſſyria (Normannis Magna Serklandia) haut minor; alii
„ eam Æthiopiam (Normannis Magnam Blalandiam) eſſe ſtatuunt. Ejus
„ pars ſeptentrionalis continuo frigore aduſta, ſicut Æthiopia auſtralior ni-
„ mio Solis ardore inculta jacet. Scythia multas magnasqve continet pro-
„ vincias, multas item diverſasqve gentes, variis lingvis diſtinctas, al't, gi-
„ gantes puta & nanos, hominesqve Æthiopes colore referentes, pluresqve
„ alias gentes miri habitûs, animalia præterea & dracones molis ingentis.
„ Ab Aqvilone ê montibus, qvi extra omnia, qvæ ab hominibus culta ſunt, ja-
„ cent, per univerſam Scythiam funditur amnis, qvi vero nomine Tanais
„ appellatur, antiqvis Tanaqviſl ſeu Vanaqviſl dictus, influitqve Mare Nig-
„ rum: tractus intra eum, Vanaheimr/ɔ: Vanorum terra, vel Vanorum domi-
„ cilium, illo tempore nuncupabatur. Qvæ iſte fluvius orbis trientes dividit ad
„ Orientem eſt, Aſia, ad Occidentem Europa, appellatur. Tractus Tanaï flumini
„ ab ortu in Aſia adjacens, Aſaland ſeu Aſaheimur/ ɔ: Aſorum terra, nun-
„ cupatus, metropolim habuit Aſgardum, qvam Princeps, nomine Odinus, regebat. Hæc verbis Snorrii ideo præmittere libuit, ut nemini dubium eſſet, unde ille Odinus, qvi in ſeptentrione celeberrimus habitus eſt, huc profectus fuerit, cujus patria hic utcunqve deſcribitur: nam licet de montibus Scythiæ & Tanaïs fontibus haut ritè ſcripſerit, communem eorum temporum errorem ſecutus, veram tamen nobis Odini accolarumqve Vanorum patriam monſtravit, inter enim Volgam & Tanaim, pars ditionis ejus ſita, in auſtrum, deinde ad Boſphorum usqve Cimmerium extenſa videtur, ubi Strabo Aſpurgum, Stephanus Byzantinus gentem Aſpurgianam, hic circa Mæotida paludem, ille verò Geograph: Lib: XII. circa Syndicam collocat, Aſiamqve ad mare Boſphoranum Lib: II. appellat, non Aſiam Majorem aut Minorem, ſed peculiariter ita dictam, docente Sheringhamo, qvi præeunte Matthia a Micovio ipſorum Ptolemæum adducit, qvi hanc ipſam terram Aſcardum, eodem nomine qvo Snorrius Sturlæus, appellat, adducitqve locum ex Mela, qvi Gothos, in Aſpurgianis trans Tanaim prope Mæotim conſidentes, Turcas vocatos teſtatur, Lib: I. Cap: XXI. qvos contracto vocabulo a monte Taurô, qvaſi Tauricos Turcos dictos exiſtimat, & hæc *de Origine gentis Anglicanæ Cap: XIII. & XVII.*
„ habet: Vani Forte Tartariam Crimeam vel partem ejus ad Occidentalem Tanais ripam inſederunt. Confirmantur hæc qvoqve authoritate *Procopii*,
„ qvi *Hiſtoriæ Goth: Lib: IV.* hæc nobis reliqvit: Tanaim accolæ vocant
„ os ipſum fluminis, qvà Mæotidi illabitur, & continentes aqvas ad ipſum
„ usqve pontum, qvod intervallum iter dierum viginti
„ efficere ajunt.

CAP.

CAP. XIII.

DE GENEALOGIA ET POSTERIS ODINI.



Mplisſimum illud territorium princeps Odinus, non titulo, ſed poteſtate Regia tenuit, a Trojanis longâ patrum ſerie genus ducens, qvod hoc Ordine antiqvitas recenſet: Odinus ſatus Frialafo (nobis Bore,) Bor Burrio (nobis Finno) Finnus Gudolfo, Gudolfus Bear, (nobis Biar,) Biar Skiallden (nobis Skiolld) Skiolld Heremoth (nobis Hermodo) Hermodus Trinan, Trinan Atra, Atra Bedvig, Bedvig Seſeph, Seſeph Mage (nobis Magne) Magne Mode, Mode Vingener, Vingener Vingethor, Vingethor Eredei, (nobis Endride,) Endride Lorich (nobis Hloride,) Hloride Tros, qvi & Thor, Thor Trojana, Trojana Priamo. Priami etiam genus ad Noam usqve pertexitur. Fuit itaqve Pater Priami Laomedon, Laomedontis Ilus, Ili Tros, Trois Erichthonius, Erichthonii Dardanus, Dardani Jupiter, Jovis Saturnus Cretenſis, Saturni Cretus, Creti Celius, Celii Cyprus, Cypri Zechem, Zechem Javan, Javan Japhet, Japhet Noa. Eſt igitur Odinus trigeſimus ſecundus a Noa. Verùm ex ſerie poſteritatis ab Odino ad noſtra usqve tempora, planum eſt, plures generationes inter Odinum & Noam, imo inter Odinum & Priamum, interceſſiſſe, cum novemdecim generationum interſtitium, annis plus centum ſupra mille, conſpiciatur. Apparet etiam ingens lacuna inter Noam & Priamum, annorum MCIX. ſpatio, nam in linea deſcendente decimus tertius conſpicitur. Hîc qvoqve Odinorum confuſio conſpicua eſt, nam Odinus hic Frialafi filius cum altero illo antiqviſſimo Boris filio, pro univerſi opifice, *Eddæ mythol:* VI. celebrato, confunditur, ut et utriusqve geſta; hujus qvoqve avus Finnus cum antiqviſſimi illius patre Bure, non alia ratione, qvàm qvod hic poſterior in Majeſtatem ſuperioris cultumqve ſucceſſit. Nos reliqvarum genealogiarum contextum ex aliis authoribus his ſubnectimus; & primò eum, qvem Edda nobis ſuppeditat, qvi hoc ordine ab Odino ad Priamum contexitur. Odinus patrem habuit Frialaf (nobis Fridleifum,) Fridliſus Finnum, Finnus Godalfum, Godalfus Jat, Jat Biaf (nobis Biar) Biar Skiallden (nobis Skiolldum,) Skiolldus Modarem, Modar Urmannum, Urmannus Atram (nobis Annarem,) Atra Lieding, Lieding Ceſphet, Ceſphet Mage, Mage Mode, Mode Vingener, Vingener Vingithor, Vingethor Henedi, Henede Loridem, Loride Troem (qvem nos vocamus Thorem) hic Troana matre natus Priami nepos fuit. Seqvuntur Jam ex Anglicis Scriptoribus deprompta genealogiæ, qvarum hanc *Simon Dunelmenſis in hiſtoria de geſtis Regum Anglorum*, majores Regis Anglo-Saxonum Elfredi enumerans, recenſet. Elfredus, inqvit, Rex erat, Regis oc- „ cidentalium Saxonũ, filius Athelvulfi, qvi fuit Ecgberti, qvi fuit Eathmundi, qvi „ fuit Eaphæ, qvi fuit Eoppa, qvi fuit Ingles, qvi fuit Coenred, qvi fuit Ceolvald, „ qvi fuit Cutha, qvi fuit Cuthvine, qvi fuit Ceaulin, qvi fuit Cinrich, qvi „ fuit Creoda, qvi fuit Cerdic, qvi fuit Eleſa, qvi fuit Esla, qvi fuit Gewis, qvi „ fuit Wig, qvi fuit Freavine, qvi fuit Freothegar, qvi fuit Brand, qvi fuit Bealdeag, „ qvi fuit Voden (ſive Oden) qvi fuit Frithevald, qvi fuit Frealaf, qvi „ fuit Fridevulf, qvi fuit Fingoldvulf, qvi fuit Geta, qvi fuit Ceatuna, qvi „

„ fuit Beau, qvi fuit Sceldva, qvi fuit Heremod, qvi fuit Itermod, qvi fuit Hatra, „ qvi fuit Vala, qvi fuit Beadving, qvi fuit Sem, qvi fuit Noe. Ailredus Abbas Rievallensis de genealogia Regum Anglorum, Davidis Scotorum Regis ge-„nus his verbis enumerat. Tu igitur, Vir optime, (Davidem Regem intelligit) „ filius es gloriosissimæ Imperatricis Matildis, cujus fuit mater Regina Anglorũ „ Mathildis, filia Reginæ Scotorũ Margaretæ. Hujus pater Edvard⁹, qvi fuit filius „ Edmundi, Regis invictissimi, cujus Pater Edelred, cujus Pater Aedgarus Pacifi-„ cus, cujus Pater Eadmundus, cujus Pater Edvardus Senior, cujus Pater Alfre-„ dus, qvi fuit filius Adelwlfi Regis, qvi fuit Regis Egbrichti, cujus Pater Aleh-„ mundus, cujus Pater Effa, cujus Eppa, cujus Pater Ingles, cujus Pater Ceon-„ red, qvi fuit filius Ceolvald, qvi fuit Cutha, qvi fuit Cuthvine, qvi fuit „ Cheulni, qvi Cheuric, qvi fuit Creoda, qvi fuit Ceordic, qvi fuit Elesa, „ qvi fuit Eda, qvi fuit Gewis, hujus Pater fuit Vig, cujus Pater fuit Frevi-„ ne, cujus Pater Freodgar, cujus Pater Brand, cujus Pater Bealdag, cujus „ Pater Woden, qvi fuit filius Fredevald, qvi fuit Freolof, qvi fuit Frede-„ reulf, qvi fuit Fingendulf, qvi fuit Geta, qvi fuit Gearva, qvi fuit Beu, „ qvi fuit Celdva, qvi fuit Heremod, qvi fuit Itermod, qvi fuit Hathra, „ qvi fuit Vala, qvi fuit Beadvig, qvi fuit Sem, cujus Pater Noe. Radulfus de Diceto de majoribus Offæ, Regis Merciæ, qvi vixit circa annum Ch. „ DCCXCIII. hæc habet. Offa juvenis nobilissimus fuit filius qvidam Ving-„ ferd, filii Canulf, filii Osmod, filii Epa, filii Wibba, filii Creada, filii „ Cynevald, filii Cnibba, filii Ycil, filii Cam, filii Angelreu, filii Offa, „ filii Vermund, filii Vitlat, filii Voden.

CAP. XIV.

DE HARUM GENERATIONUM EXPLICATIONE ET DE RUDBECKII CALCULO.



LUce meridianâ clarius est, unum eundemq; Odinum tot diversis gradibus à Noa removeri non posse, nec tamen ideo tot exstruendos existimandum, qvot genealogiarum varietas persvadet. Hiatus & lacunas immensas agnoscimus. Auctor prologi Eddæ, a Thore, Priami Regis nepote, septemdecim generationes numerat ad Odinum, Upsalensem vulgò appellatum, multò laxiore annorum spatio, qvàm hac generationum serie expleri posfit. Inqvirendum igitur, an ullius Odini synchronismus in finem illarum incidat. Biorni de Skardza testimonium in *Serie Regum Daniæ Lib: II. Cap: III.* adduxi, qvi in Annalibus Oddensibus, qvos Sæmundus conscripsit, legisse se profitetur, Odinum anno DCLXVII. post excidium Trojanum, alibi anno mundi MMMCDXLIX. (qvod idem est) regnâsse in Dania. Qvod si singulis generationibus qvadraginta demus annos, in hos certè desinent. Verùm nulla hujus Odini circa hæc tempora in nostris Annalibus memoria usqvam occurrit. Si conjecturis locus esset, suspicari liceret, cum Thraces Dario Hystaspi circa hæc tempora se dediderunt, Regem eorum aliqvem ab hoc Thore Memnonis filio Oriundum (ibi enim filiorum aliqvem reliqvisse videtur, cum in septentrionem migravit) metu servitutis in Scandinaviam concessisse, Daniamqve, vel armis vel indigenarum suffragiô, obtinuisse, Odiniqve nomen usurpasse; qvod si ita esset, nulla

nulla tamen generis series ab illo descendens ullibi invenitur. Nec scio unde Sæmundo qvicqvam de eô constiterit, cum supra Odinum Upsalensem nullæ fide dignæ memoriæ, literis consignatæ, ascendant, vel illius tempore extiterint. Rudbeckius ex Godolfo, qvi qvinqve generationibus Odinum præcesserit, primò Gothilam exstruit, Dario Hystaspi synchronum, moxqve (pag: nimirum 826.) ex eo Odinum; hoc fundamentô nixus, qvòd Odinus ille celebratissimus Philippo Macedoni, Alexandri Magni patri, æqvalis vixerit, Atheæ nomine scriptoribus insignitus, cujus filiam Medopam Philippus duxerit (cum tamen Jornandes eam Gothilæ filiam fuisse tradat) illum itaqve, post infelicem cum Philippo pugnam, Scandiam ingressum existimat, exqve illo metu tractum, qvòd Odinus, successum Romanorum adversus Mithridatem expavescens, huc migraverit, qvod hic uberius excutiemus. Certe nec Godolfus ille, qvi in Rudbeckii tabulâ in Majorum Odini numero qvintus est, nec ille Odinus, qvi hujus Godolfi atnepos ei est, habeturqve pro illo, qvem Strabo, Justinus & Plutarchus Atheam appellant, in tempora Philippi aut Alexandri incidit, qvorum ætas Odino Upsalensi applicari neqvit, sive per majorum ejus, sive posterorum seriem ducatur. Et de majoribus qvidem monstratum est, cum in Darii Hystaspis ætate desinant, Nepotum numerum interdum Rudbeckius, unô aut alterô, qvi in antiqvissimis libris non habetur, insertô, auget, idqve vel turbatô ordine, vel locô vice nominis vacuô relictô, ut in Eigile Aunii filio conspiuum fecimus: sub Getæ nomine Odinum etiam ad annum mundi MMMDCC. collocat. Marmor autem Arundelianum in annum mundi MMMDCVII. ipso teste, retulit Philippum Macedonem, cum qvo ipsi res erat. Inter Ottarem & Adilsem Hunmundum collocat, ad annum Christi CDLXX. nostris Annalibus ignotum. Olafum præterea Geirstada-Alfum ad annum Christi DCCC. inter parentes Haraldi Pulchricomi numerat, cum patruus fuerit; his tribuuntur anni CXX, qvibus si addas XCIII. annos, qvibus juxta marmor Arundelianum Philippi ætatem Odinus, secundum Rudbeckii Chronologiam, in annum mundi MMMDCC. relatus excedit, annis CCXIII. infra Philippum deprimitur. Verùm res facilis est. A Niordo Sveciæ Dynasta ad Haraldum Pulchricomum viginti octo generationes numerantur; ejus annus natalis incidit in annum Christi DCCCLIII. singulis generationibus ex Rudbeckii methodo XXX. anni si dentur, universæ DCCCXL. reqvirunt; addamus his annos CXX. qvos vixisse supponimus Aunium, anteqvam successorem procreavit, fiunt CMLX. nam reliqvos triginta annos, qvi ei præter hos ascribuntur, in reliqvis gradibus computavi, ita ut CL. annorum fuerit, cum illum filium generaret. Ab his CMLX. annis si annos a navitate Christi ad DCCCLIV. Pulchricomi natalem auferamus, in annum ante Christum decimum supra centesimum incidet Niordus, qvò tamen ipse Odinus, generationibus XXVI. ab Haraldo remotus, non assurget, nisi in singulos gradus XXXVII. anni fere distribuantur, vel uni alicui Danorum Regum tanta ætas assignetur, qvanta Aunio, vel etiam genealogiarum â Saxone petitarum adjectione defectus suppleatur. Verùm cum Alexander Magnus secundum Calvisium mortuus sit anno ante Christum CCCXXI. mundi MMMDCXXVII. qvi Phrygioni & Sæmundo est MMMDCXXXIX. annis plus CCXI. Odini hujus æram, qvantumvis exaltatam, antecedit; nullum ergo Synchronismum inter nostrum Odinum & Alexandrum Magnum, aut Philippum ejus patrem, agnosco, nec ullum alium Odinum, â qvo linea ad Sveciæ, Norvegiæ, aut Daniæ Reges per ordinem successionis ducatur, qvàm illum, qvi posterius

in Svecia sedem fixerat, Sigtunasqve condidit. Unde autem Gudmundus Andreæ habuerit, qvod tradit, notis in Voluspa, titulo *de genere & Ortu Volæ*, nimirum, Asas ante centesimum post Alexandri tempora annum huc venisse, mihi planè non constat; parum tamen inde discedit Langhornius Antiqq: Albionensium indicis pag: 19. qvi adventum Odini in Scipionum & Antiochi Magni tempora, circiter annum ante Christum natum centesimum nonagesimum, refert. Eo enim tempore Romanos per Asiam victricia arma circumtulisse nemini ignotum. Sed cum idem Ariovistum, qvi cum Julio Cæsare bellavit, Odini qvoqve filium agnoscat, suam ipse sententiam evertit; nec mihi, ut illi, mirum videtur, si Odinus, Julio Cæsari & Pompeio Magno coævus, Saxonibus, Polonis, Russis, pluribusqve aliis imperâsset, eaqve facinora perpetrâsset, qvorum magnitudine tot populi in admirationem rapti, ipsi Divinos honores exhibuerunt, id universos Scriptores Latinos latere potuisse. Nam scriptores Cis-Rhenanas regiones maximè cognitas habuisse, de septentrione autem nostro nihil fere scivisse, monumenta eorum docent. L. enim Domitius, Tiberio imperante, flumen Albim exercitu transcendisse Tacito memoratur, longius penetratâ Germaniâ qvàm qvisqvam priorum, easqve ob res insignia triumphi adeptus. Certe ab Antiochi temporibus nullus generis ordo texitur, sed Pompeji Magni expeditio, Christiqve nativitas, qvæ in pronepotem ejus, Daniæ Principem Frodium, Sveciæqve Freyrem, incidit, termini sunt intra qvos famosa illa Asiaticorum migratio, horumqve Principum periodus vertitur.

CAP. XV.

DE STATU REIPUBLICÆ ASGARDIANÆ ET GESTIS ODINI IN SCYTHIA, EJUSQVE MIGRATIONE IN SEPTENTRIONEM, SNORRII STURLÆI DESCRIPTIO.



Eleberrima illa totius imperii metropolis Asgardus duodecim proceres habuit, qvi inter omnes eminebant, qvorum officia circa sacrificia ritè & ordine admistranda, litesqve judiciis dirimendas versabantur, Diar/(Dii) sive Drotnar/ (Domini) dicti. His universus populus inservire, obedientiam & honorem exhibere tenebatur. Fuit Odinus Princeps rei militaris peritissimus, longoqve usu exercitatissimus, qvippe qvi latè diversos terrarum tractus cum exercitu pervagatus, multa regna in suam ditionem redegit, ad admirationem usqve felix, adeo ut cum Victoria commercium illi intercessisse videretur, bellis qvippe omnibus & ubiqve superior, religionem injecit, victoriam se in potestate habere; qvam is opinionem animis suorum ingeneratam fovere peritus, qvotiès eos ad bella gerenda, sive alia negotia expediunda, aliqvò ablegâsset, manibus capitibus eorum impositis, faustâ cum apprecatione eos negotiis suis felicitèr expediundis consecrâsse credebatur. Crevit inde fiducia rerum benè gerendarum, eòqve processit, ut qvoties pericula imminerent, nuncupato nomine ejus liberari viderentur. Spes igitur omnis in ejus Majestate sita putabatur. Sæpius peregrè profectus, in multos annos reditum distulit, Odino duo erant fratres, qvorum alter Ve, alter Vilius nuncupatus est, qvi vicem ejus absentis in regni administratione sustinuerunt. Contigit forte,

cum

cum longo, præter omnem ſpem, tempore abfuiſſet, nec ulla de ejus conditione notitia conſtaret, jamqve de reditu ejus omnes deſperarent, ut fratres bona ejus, velut hæreditate relicta, inter ſe dividerent, uxorem autem ejus Fryggam communem uterqve conjugem duceret. Verùm poſt exiguum tempus redux Odinus eam recepit. Exinde expeditionem in Vanos ſuſcepit, qvi fortitèr illum exceperunt, patriamq; , repreſſo illius impetu, acerrimè defendentes, dubiam ipſi palmam fecerunt, cum per vices victoriam reportarent, mutuisqve cladibus ſe invicem attererent, donec pertæſi utriqve ad pacis conſilia inclinarent. Loco igitur & tempore conventui deſignatis, pace facta obſides invicem dederunt, & Vani qvidem procerum ſuorum præſtantiſſimos, nimirum Niordum Divitem cum filio ejus Freyre. Aſiani contra virum, Hænerem nomine, ſtatura corporis formæqve decore valde conſpicuum, qvem Imperatoriis artibus inſtructum, principatu dignum prædicârunt, cui adjunxerunt alium qvendam, Mimerem dictum, prudentia & ſapientia valdè inſignem. Vani tantum officium penſaturi, cæteris adjecerunt virum, nomine Qvaſerem, collegii ſui prudentiſſimum ſapientiſſimumqve. Hænir, cum ad Vanos perveniſſet, princeps creatur, dignusqve tanta Majeſtate viſus, qvoad Mimeris conſiliis ſuffultus, ad ipſius nutum imperabat. Cum verò lites eſſent dirimendæ, aliæqve magni momenti res decidendæ, nec præſto eſſet Mimer, ſemper ex ore ipſius idem reſponſum exceptum, qvô aliorum arbitrio cauſam omnem committebat, Vanis certò perſvaſit, in permutatione obſidum deceptos ſe ab Aſianis eſſe. Ideo Mimeri amputatum caput Aſianis miſerunt; qvod Odinus ambabus ulnis acceptum, herbis â putredine conſervantibus ſeu balſamo conditum, magicisqve carminibus faſcinatum, vocale reddidit, ut articulata voce multa ſcitu neceſſaria, antea qvidem ignota, commemoraret. Niordum vero & Freyrem flamines ſacrificiis obeundis conſtituit, qvi titulo Diarum inter Aſianos inſigniebantur, Freyam autem filiam Niordi fœmineo ſacerdotio hoſtiis litandis ornavit. Hæc Aſianos, Vanis uſu crebram magiæ ſpeciem, Seid dictam, prima docuit; qvam Gudmundus Andreas ritum Necromanticum interpretatur, qvô cacabus veneficiis refertus foco appendebatur, oſſibus humanis, lignorum, ad focum alendum uſurpari ſolitorum, vicem ſuſtinentibus; hinc talis coctura Seid/ pro ipſis maleficiis ex hypotheſi poſita & uſurpata reperitur, ipſo teſte. Cum inter Vanos degeret, Niordus propriam ſibi ſororem matrimonio ſociavit, eo qvod tales nuptiæ legibus ibi receptæ eſſent; nati inde Frevr filius & filia Frena: Aſiani autem tam arctam ſangvinis copulam, ut illicitam nefasqve abhorruerunt. Majorem Scythiam prærupti montes continuam aggeris formam referentes, tanqvam terminus naturalis, ab Aqvilone libonotum verſus producti, â vicinis regionibus dirimunt. Non longe ab his montibus meridiem verſus Turcia ſita eſt, ubi Odinus ditiones multas ſuo imperio ſubjectas tenuit. (Caucaſum Snorrius hic videtur intelligere; Ubi vero illa Turcia ultra illum auſtrum verſus ſita ſit, definitu arduum eſt, Snorrii tamen narrationem perſeqvar.) Eodem tempore Romani orbem terrarum victricibus armis latè pervagati, omnes gentes ſuo imperio parere compulerunt; qvare multi principes, regnis & ditionibus cedere coacti, fugâ ſibi conſuluerunt. Verum Odinus, qvôd magus eſſet inſignis, rerumqve futurarum ordinem calleret, progeniem ſuam Septentrionalem orbis partem inhabitaturam, imperioqve recturam, præſcivit, ideo fratribus ſuis imperium Aſgardiæ demandavit. Ipſe cum Diis omnibus ingentiqve hominum multitudine ſeptentrionem petiturus, primo,

mo in Russiam pervenit, (ibiqve filium Svafrlamium principem constituit) inde in Saxoniam, qvam passim imperio suo subjugatam filiis regendam commisit. Orientalem Saxoniam Vegdeg, potentissimus postea dynasta, â qvo Heingestus Anglo-Saxonum princeps & primus Cantiæ Rex originem trahit, inter qvos Vitrgils avus, & Pitta seu Fitta pater, intercedere memorantur. Verum cùm ille cum fratre Horso, accitu Vorsingerii Regis, in Britanniam venerit, anno post Christum natum CDLXIX. planum est, plures generationes reqviri, qvamvis Petrus Albinus Niveomontanus in Novæ Saxoniæ progymnasmatibus, metricè conscriptis, cum nostris antiqvitatibus maximam partem consentiat. In promptu est ratio, nam & hic, sicuti alibi, idqve freqventius, homonymia scriptores decepit. Successores enim de nominibus majorum nuncupati, primi ejusdem nominis fuisse existimati sunt, in qvibus negligens in temporum cum personarum serie conferendâ posteritas, cum acqvieverit, avorum inter primum generis authorem, & hunc idem nomen referentem, intercedentium nomina prætermissa sunt. Alter Vegdegis filius, Vitrgilsis frater, fuit Sigar Svepdegi pater, cujus nomen in Svipdagi usus, qvi postea invaluit, trunstulit. Beldegem, aliis Baldum, Saxoni Balderum, Vestphaliæ præposuit; hic filium habuit Brandum, Brando natus Frodigar (aliis Frodius, Saxoni Frotho) Frodio Yvig, Yvig Purg, Purg Gevis, aliis Gave. Tertio filio, nomine Yggio, aliis Siggio, territorium illud assignavit, qvod seqvioribus seculis Francia usurpatur. Illius filius fuit Rerir, Volsungi pater: Inde præpotens & numerosa familia Volsungorum descendit, qvæ summos totâ Europâ Monarchas, atqve in his utrosqve totius Septentrionis Reges potentissimos, qvi hodie imperant, felicissimè produxit. Pacatâ Saxoniâ, rebus ad arbitrium ordinatis, in Cimbriam movit, qvæ id temporis pars Reidgothiæ præcipua fuit, & sibi soli nomen illud postea adscripsit; primò namqve universa continens, qvam Gothi prisci insederunt, Gothia dicta est, qvæ in Reidgothiam & Eygothiam distincta, insulas a continente hac notâ secrevit; verum postqvam Dania nomen illud sibi reservavit, Cimbria ab insulis tantum Danicis, unico Eygothiæ nomine comprehensis, distingvebatur. Universum illud territorium Odinus in suam potestatem facile & ad votum redegit, sedemqve in Fionia fixit. ubi in hunc usqve diem oppidum celebre, Odense ab illo dictum, memoriam ejus conservat. Posteà totam Daniam potestati filii Skioldi submisit, principis qvidem eximii, & tantâ moderatione regnantis, ut ad civium suorum utilitatem omnia converteret, qvem ob tanta merita in Deorum numerum relatum constat; nam Skioldum in Scania pro Deo cultum invenio; nescio an illum filium Sceaf, qvi novem (aliis decem) generationibus hunc præcessit. Ab illo, tanqvam radice, Illustrissima Daniæ Regum stemmata in hunc usqve diem promanârunt, ut ex contextu historiæ patet. In Norvegiam qvando infesta signa protulerit Odinus, proditum non est, subegisse tamen universam constat, & filio suo Semingo jure hæreditario dedisse, â qvo tamen nulla progenies præter Haleyensem retexitur, fide dignis monumentis prodita. Qvando vero in Angliam concesserit, filiosqve suos magnis ibi provinciis præfecerit, explicare neqveo. Vildegium (soli Malmesburiensi memoratum) Regum Cantianorum, Caseram Anglorum Orientalium, Exanetam Saxonum Orientalium, Vilelgetam Merciorum (Malmesburiensi Vittegium, ni forsan ille ejus ex filio nepotem Vitlegium intelligat) Vegdegum Deirorum, Beldegum Saxonum occidentalium Regum, & Vintam Regulorum Lincolniensium progenitores ex Anglicis Scriptoribus colligitur.

CAP.

CAP. XVI.

FABULA DE GEFIONA, ET NARRATIO DE PROFECTIONE ODINI IN SVECIAM, IBIQVE IMPETRATO TERRITORIO, ET INTER PROCERES DIVISO.



EX Fionia Odinus virginem raræ prudentiæ & perſpicacis ingenii, blandiqve eloqvii, nomine Gefionam,ad inſpiciendas circumjacentes regiones, earũqve indolem & habitum cognoſcendum, ablegavit. Regnabat illo tempore in ea Scandinaviæ parte, qvæ poſtea Svecia dicta eſt, princeps Regia auctoritate, nomine Gylfius; qvem accedens virgo, verborum ſvavitate, morumqve comitate, & facetiarum ſale, adeo demulſit, ut petitis Odini annueret. Qvam conducibilis fuerit hæc Gefionæ legatio, facile concludi poteſt ex fabulis, qvibus involuta eſt; nam narrant eam cantando Gylfium exhilarâſſe, atqve mercedis loco impetrâſſe arvum in regno ejus, qvantum viginti qvatuor horis qvatuor tauri arare poſſent. Eam vero in Jotunheimos profectam, qvatuor filios ex gigante qvodam ſuſcepiſſe, eosqve in tauros converſos aratro præfixiſſe, vomerem autem adeo latum & profundum feciſſe ſulcum,ut regio haut contemnenda exſolveretur, qvam tauri africum verſus per æqvor traxerint, conſtiterintqve in ponto qvodam contra Odinſeyam, ubi hanc terram Gefiona collocaverit, & nomen indiderit Sælund; verum ubi eruta fuerat regio, lacum remanſiſſe: indicio eſſe lacum Melerum in Svecia, magnitudinis cum Sælandia ejusdem, promontoriorum hic & Sinuum ibidem ſimilem ſitum, qvæ relationi fidem faciant. Qvâ mythologiâ nihil aliud adumbratur, qvam ſolertia ejus in Dania adaugenda & ornanda, cum Sveciæ detrimento. Svada autem verborum, cantu exprimitur, ob qvod meritum Odinus eam filio ſuo Skioldo matrimonio junxit, conſtituitqve Reginam vel Dominam Daniæ, qvi communi conſilio arcem Leidranam, Regiam totius regni metropolim,multis ſeculis celeberrimam,exſtrui curârunt. Hac induſtriâ in Dearum collegium aſcita, Divinosqve honores aſſecuta, immortali memoriæ â gratâ poſteritate conſecrari meruit. Ut verò Odinus deprehendit,pluribus naturæ dotibus Sveciam exornatam, eò profectus fædus cum Gylfio inivit, neqve enim Gylfius virium ſibi ſatis adverſus eum animadvertit, licet artibus & præſtigiis ſæpe cum eo certare non dubitaret, eo tamen eventu, ut ſemper inferior recederet. Odinus juxta lacum Laugum ſedem fixit, qvæ poſtea vetus Sigtuna dicta eſt. Ibi magnificam baſilicam exſtruxit, ſacrificiaqve ad Aſianorum conſvetudinem inſtituit, territoriumqve in circuitu adeptus eſt, omne id qvod Sigtunarum nomine comprehendi voluit, interqve flamines partitus, ſingulis ſuas ſedes aſſignavit, Niordo Noatunas, Freyri Upſalos, Heimdallo Himinbiorgas, Thori Thrudvangas, Baldo Breidablik, omnibusq; cõmodas habitationes providit.

CAP. XVII.

DE INDOLE, HABITU, ARTIBUSQVE ODINI.

Cum



Um Odinus in Septentrionalem partem orbis, Diis comitantibus, perveniſſet, pro certo refertur, eos primò calluiſſe, deinde alios docuiſſe, eas artes, qvæ exinde longo tempore in uſu fuerunt; namqve Odinus omnium ſpectatiſſimus eminentiſſimusqve fuiſſe perhibetur, qvòd omnium magicarum artium notitiam profeſſus, reliqvis aperiret, qvarum omnium peritiam ipſe calluit, qvædam tamen ſibi reſervavit, qvæ cum aliis non communicavit; plura etiam ipſum mortalibus commendabant; primò formæ venuſtas, cum inter amicos aſſideret, prorſus auguſta, ut omnium amorem ad ſe alliceret, inter hoſtes verò truculentus & terribilis conſpiciebatur, novit enim varias formas & colores aſſumere, nedum vultum ad temporum locorumqve oportunitatem componere: Secundo, eloqventiæSvada admirabilis,qva omnes,qvi audirent, adeo demulſit, ut ſtatim in ſuam ſententiam traheret, dictorumqꝫ fidem, jam vera eſſe perſvaſis, exprimeret, ornavitqve præterea ſermonem intermixtis crebrô rhythmis, interdum ſingulis voculis & tota oratione in illam formam redactis, id qvod ſummam venuſtatem & ornamentum conciliavit. Hinc tam is, qvam ſocii ējus,Skaldorum ſeu poëtarum titulo inſigniti ſunt, qvòd hanc artem primi in Septentrione prodiderint. Tertiò, terror, qvem hoſtibus prælio decertantibus injicere conſvevit, qvos etiam occæcatos aut ſurdos reddidit, gladiisqve & telis eorum hebetatis, ne magis qvam virgæ feriendo hoſti, utiles eſſe poſſent, in qvos milites ipſius, more rabidorum canum aut luporum, admorſis clypeis, furore perciti, loricis haudqvaqvam tecti, robore adeo monſtroſo, ut urſos aut tauros æmulari viderentur, irruerunt, dilaniāruntqve obvios, cædibus omnia complentes, nudi ipſi, tam ab ignis qvam ferri vi liberi atqve immunes. Illud ferociæ genus poſtea Berſerkiaganar / ſeu *Berſerkorum inceſſus* dictum eſt. Præterea ſe in diverſas ſpecies transformare àb hominibus, qvorum oculos præſtigiis illuſerat, credebatur, nam corpus qvaſi exanime ſolo jacuiſſe viſum eſt, dum ſpiritum,formam avis, vel qvadrupedis, ſerpentis vel piſcis indutum, remotiſſima loca exiguo temporis momento peragrâſſe, propriis vel alienis negotiis expediundis, perſvaderet. Incendia deniqve nudis verbis reſtingvere, maris æſtum ſiſtere, ventos ad voluntatem vertere, callebat. Vaſtiſſima maria nave ſua Skidbladnere transfretare conſvevit, qvam lini aut panni inſtar complicare poterat, qvotiescunqve libuit. Mimeris caput tantæ apud illum exiſtimationis fuit, ut qvocunqve iter ſuſciperet, ſecum deportandum curaret, qvod tanqvam oraculum de futuris rebus, aliisqve incognitis, conſulebat. Interdum manes incantamentis ſepulchris exciebat, aut ſub iis, qvi in crucibus pendebant, conſidebat, unde *ſupenſorum* ſeu *lemurum dominus* audivit. Et ne qvid ad rerum cognitionem comparandam deſideraretur, corvos duos,humani eloqvii uſum ab ipſo edoctos, poſſidebat, qvi multas regiones pervolantes, rumores, qvos perceperunt, ad ipſum detulerunt. His artibus incomparabilem ſcientiam conſecuto, ut nihil improviſum obveniret, effectum eſt. Omnes has artes per runicas literas & metra, qvibus Galdrar nomen, tanqvam iſtius ſcientiæ prima & propria elementa, docuit. Inde magicarum artium inventores Aſæ vulgo perhibentur. His acceſſit artium omnium efficaciſſima, qvam etiam exercuit, Seidr appellata, fatis hominum & futuris eventibus cognoſcendis, mortalibus enecandis, morbis aut infortuniis inferendis, rationis uſu vel corporis robo-

re

re aliis privandis, aliis eadem, qvæ his erant ablata, augendo inventa & apta; cui tanta ſpurcities (ergi habetur) conjuncta erat cum exerceretur, ut viri eam abominarentur, ne tamen illius tam præclaræ ſcientiæ notitia & uſus interiret, Deabus eam edoctis demandata fuit. Theſauros terra abſconditos eorumqve loca probè cognovit, qvos ablaturus, carmina magica adhibuit, qvorum tanta erat vis, ut terra, rupes, montes & colles ſponte aperirentur, nudis tantum verbis inſeſſoribus eorum conſtrictis, deniqve ad arbitrium ſuum qvantum libuit abſtulit. His mirabilibus artibus fama ejus latè per ſeptentrionem ſparſa, omnibus eum celebrem mirabilemqve reddidit, hoſtibus qvidem adeo formidoloſum, ut tantis veneficiis territi, vim ei nullam opponere auderent, amicis verò & ſociis tantam ſui fiduciam inſtillavit, ut ipſius artibus tutos ſe ubiqve degere arbitrarentur, ipſumqve Numen eſſe crederent, & pro Deo venerarentur. Plurimis his artibus Deos ſacrificiis præfectos ſeu Pontifices imbuit, qvi eò profecerunt, ut maximam præ omnibus earum peritiam, ſi Odinum exceperis, aſſeqverentur; tantarum deinde artium officinam multi freqventârunt, magnosqve profectus fecerunt, licet ad conſummationem earum cum Diis comparandam non pervenerint; Deinde ex iis diſperſæ ſcientiæ iſtæ, latè per multarum terrarum ſpatia gnavitèr & longo tempore excultæ, & ad poſteritatem propagatæ ſunt. Odinus vero, cum collegis duodecim ſacrificiis, religioſè, diviniſqve honoribus coli cæperat, Deusqve vocari, diu in hiſce oris hoc cultu freqventato. Eorum qvoqve nomina liberis ſuis adoptabant, factis ex Odini nomine Audun, ex Thoris Thorer vel Thorarinus, aut aliis appellationibus admixtis, ut Steinthor, Haſthor, & qvæ his ſunt ſimilia.

CAP. XIIX.

DE LEGIBUS AB ODINO LATIS, EXACTIONE TRIBUTORUM, EJUS EXCESSU, EXEQVIARUM SOLENNIBUS, FILIIS, PONTIFICIBUS, ET SACERDOTIBUS FÆMINIS, SAXONIS TRADITIO COMPENDIO EXPONITUR.



Egibus etiam ſanciendis curam intendit Odinus, easqve introduxit, qvæ apud Aſos antea in uſu fuerant, univerſæ poſteritati ſanctè ſervandas. Primò ne qvis mortuus alio ſepulturæ genere efferretur, qvam ut igne cremaretur, pretioſiſſimis rebus unà in rogum conjectis; nam qvantas qvisqve opes eò conjiceret, aut in terra defoderet, tantas ipſum poſſeſſurum, propriisqve uſibus reſervaturum, cum aulam Valicam ingrederetur, perſvaſit: cineres autem in mare abjici aut in terrâ defodi voluit: memoriæ Principum procerumqve tumulos erigi, lapides autem ſepulchrales iis, qvorum vita qvovis modo commendabilis & honorata fuiſſe viſa eſſet, decrevit, qvi mos longo tempore poſteris obſervatus duravit. Terna qvotannis ſacrificia ſolenniter celebranda inſtituit: exitu autumni pro anni felicitate; media hyeme pro fertilitate terræ & annonæ proventu; circa finem hyemis pro victoria. Per univerſam Sveciam genus monetæ, qvod patria lingva Penning uſurpatur, (denarium vertit Stephanius) in ſingula capita (pro qvovis naſo) Odino tributi loco ſolvebatur, qvi viciſſim obligabatur, terram eorum ab hoſtium incurſu & irruptionibus defendere, & Deos

ſacrificiis pro publico propitiare. Hanc Sveciam ſeu Scythiam Mannheimum hominum habitaculum) appellarunt, illam vero majorem Aſiaticam Godheimum (Deorum habitaculum) unde varios rerum mirabilium rumores referebant. Demum Odinus in Svecia ex morbo deceſſit, cumqve mors immineret, frameæ vel veruti mucrone notas ſibi imprimi mandavit, ſibiqve hoc facto omnes, qvi in bello occumberent, vendicavit, in Deorum orbem Scythiam magnam ſe migraturum profeſſus, ibiqve amicos qvam lautiſſimè excepturum. Hac profeſſione & his pollicitis perſvaſi Sveci, certò credebant, eum Aſgardum veterem conceſsiſſe, ibi æternâ & beatisſimâ vitâ fruiturum. Inde denuo orta eſt religio, qvâ is pro Deo colebatur, votaqve ipſi, tanqvam propitio & potentisſimo Numini, nuncupabantur, viſusqve ſæpe Svecis, qvoties horrenda bella ingruerent, conſpectum ſui præbere, aliis victoriam pollicendo, alios ad ſe invitando, qvarum utraqve conditio felicisſima cenſebatur. Poſt mortem Odinus rogo, ſicut præceperat, impoſitus, magna ſolennitate & pompâ crematur. Creditum eſt, qvo altius fumus in aëra aſcenderet, eo nobiliorem qvi cremaretur, cæloqve acceptiorem eſſe, & hoc locupletiorem, qvo plus ſecum rogo intuliſſet. Verſio Danica, Odinum carni ſuæ incidi novem vulnera, veluti totidem cuſpides in orbem diſpoſitas paſſum, habet: qvemadmodum *Rudbeckius Atlant: cap: VII. §. 5. pag: 205.* id latinè reddit, verùm interpretis Danici explicatio ſaltem, parentheſi incluſa, non authoris verba, hic apparent, cum in neutro exemplari Pergameneo extent. Ritum hinc Hunnis etiam longo tempore poſtea in uſu fuiſſe ex Jornande obſervare licet, ubi de funere Attilæ agit. Cæterum de familia & poſteritate Odini hæc a ſcriptoribus memorantur: Niordus uxorem duxerat, cui Skade nomen, qvæ illius matrimonii pertæſa Odino nupſit, ex qva multos filios ſuſcepit. Inter illos numeratur Semingus, de qvo Eyvindus Skaldaſpillir (poëtarum crux vel corruptor) licet in patre diſſentiens, ut Partis hujus Lib: IX. fine Cap: II. notavimus, carmen pepegit. Hunc Semingum Odinus Norvegiæ præfecit, ad qvem Reges Norvegici, Hacon etiam Comes ille potens Hladenſis, genus ſuum referebant, & hic qvidem iſtâ ſerie: Semingo natus Godhialtus, Godhialto Sverdhialtus, Sverdhialto Hodbroddus, Hodbroddo Himinleigus, Himinleigo Vedrhallus, Vedrhallo Havar Manufortis, Havare Manuf: Godgeſtus, Godgeſto Heimgeſtus Huldæ frater, Heimgeſto Gylaugus, Gylaugo Gudlaugus, Gudlaugo Mundill Senex, Mundile Herſer, Herſere Brandus Comes, Brando Brynjolfus, Brynjolfo Bardus, Bardo Hergils, Hergilſe Havar, Havare Haraldus Trygill, Haraldo Throndus, Throndo Haraldus, Haraldo Herlaugus, Herlaugo Herlaugus, Herlaugo Griotgardus, Griotgardo Hacon Hladarum Comes, Hacone Sigurdus, qvi pater erat Haconis Potentis. Nomina filiorum Odini, præter ea qvæ Anglicis ſcriptoribus memorantur, hæc referuntur: I. Baldus. II. Meilius. III. Vidar. IV. Nefus (Gevarum vocant) V. Valius Rindâ natus. VI. Alius VII. Thor. VIII. Hildulfus. IX: Hermodus. X. Siggius. XI. Skioldus. XII: Aſabragus. XIII. Oldner. XIV. Itreksjod. XV. Heimdallus. XVI. Semingus Skade natus, XVII. Haudus. XVIII. Bragius. XIX. Ermilangus. XX. Endridus. XXI. Bior. XXII. Hloridius. XXIII. Hardveor. XXIV. Sonnungus. XXV. Vingethor. XXVI. Rymus. XXVII. Sigrlamius. XXVIII. Vegdeg. Herraudi & Boſii vita his Gautium, Saxo Frögerum Norvegiæ Regem, & Boum Rindâ natum, Langfedgatal & Verelii notæ in hiſtoriam Hervorianam pag: 44. Hrugnerem, Svipdagum, Torvium,

vium, addunt. Filiarum nullam mentionem invenio: conſentaneum tamen eſt, non ſolos mares genuiſſe. Subjungam & nomina Pontificum, & Antiſtitum fœminarum, Divini collegii membra, qvæ ſingula Edda exhibet hoc ordine. I. Odinus. II. Thor. III. Baldus. IV. Niordus. V. Freyr. VI. Tyr. VII. Bragius. VIII. Heimdallus. IX. Haudus. X. Vidar. XI. Ullius. XII. Forſetius. XIII. Lokius. XIV. Hænir. Illarum autem ita recenſet. I. Frygga. II. Saga. III. Eyr. IV. Gefiona. V. Iduna. VI. Fua. VII. Freya. VIII. Siofn. IX. Lofn. X. Var. XI. Vaur. XII. Syn. XIII. Hlyn. XIV. Snotra. XV. Gna. XVI. Fulla. His adjicit Solem & Bilem. De miniſtrantibus virginibus in Valhalla, ad Eddam lectorem ablego. Hæc ſunt qvæ Snorrius de Odino ſcripta reliqvit. Saxo plura Libris I. & III. addit; nimirum, ſtatuam â ſeptentrionis Regibus in ejus honorem Byzantium miſſam, ab uxore ejus Frigga aurô per fabros ſpoliatam, ab ipſo deinde, iis ſuſpendio conſumptis, in crepidine collocatam, miraqve artis induſtria ad humanos tactus vocalem redditam, iterum â Frigga, operâ famuli, cui ſe ſtuprandam ſubjecerat, auro nudatam, inqve privati luxus inſtrumenta ornatus ejus converſos; qvorum ſingula arguunt, Odinum & Friggam iſto tempore Byzantii habitâſſe, qvod alibi nusqvam invenio. Hac gemina uxoris injuriâ affectum, ingenui pudoris exilium carpſiſſe, ſuffectumqve in ſui locum alium, Mithothini nomine celebrem, qvi redeunte ab exilio poſt mortem uxoris Odino, in inſulam Pheoniam latendi gratia migraverit, ibi tandem concurſu incolarum occiſus, cujus poſt mortem immanitas ibidem deſcribitur. Lib: autem III. ingens ejus ſollicitudo in progenerando filio, aliqvando vindice cædis Baldi futuro, variiqve doli arteſqve in allicienda Rinda Ruthenorum Regis filia ad concubitum ſuum, exponit, ex qva tandem filium Boum ſuſceperit (Edda illum Valum appellat, Rinda natum) Hac turpitudine offenſos Byzantinos Deos, eum collegio ſuo ſummoviſſe, deinde exilio multâſſe, ſubſtituiſſe autem in ejus locum Ullerum qvendam, Odini qvoqve nomine cohoneſtatum, qvi decem annos Divini collegii principatum tenuerit, ſed Odino tandem in integrum reſtituto, Byzantio pulſus in Sveciam conceſſerit, ibiqve tandem â Danis interfectus ſit; ſingula eò collineant, Byzantii utrumqve, tum Odinum tum Ollerum, habitâſſe. Saxonem hîc qvoqve Johannes Magnus ſecutus eſt, Islandorum monumenta ignorans. Hinc manifeſtum eſt, Saxoni per Byzantium Asgardum intelligi. Prolixè itaqve ſatis hiſce Annalium priſcorum narrationibus vel figmentis de Odino immorati ſubſiſtimus. Qvæ etſi abſurdiora videantur, & veteris ævi tenebras, nimio plus qvam dignum hiſtoriâ eſt, referre, vix tamen impetrare â nobis potuimus, ut de Originibus gentis noſtræ diſſerentes, Odini, qvi potiorem earum partem conſtituit, geſta pleraqve & facinora omitteremus. Ideo tamen ſcriptores noſtros tanta onerare calumnia non licet, qvòd ex ſcriptis nonnunqvam Poëticis, qvibus mos ſemper fuit facta Heroum auguſtiora reddere, qvædam in hiſtorias ſuas transferant; hæc verò ſi non omnia fidem mereantur, tutari tamen ſe poſſunt exemplis omnis, ætatis & gentis hiſtoricorum, magis interdum incredibilia referentium. In dicti fidem vel ſexcenta adducere loca poſſemus, niſi & notiora orbi, meliori jam luce colluſtrato, eſſent, & â contextu hiſtoriæ nimium qvantum aliena.

SECTIO IV.

DE GOTHIS POSTERIORIBUS.

CAP. XIX.

DE FORNIOTO EJUSQUE POSTERIS, AD NOREM USQUE.



Iversum ab his mortalium genus, Norvegiæ in primis incolis augendæ natum, Origines Norvegiæ *Codici Flat: pag: 8.* contentæ, ut & locus alter ejusdem libri pag: 110. cujus qvoqve partem continent vetusta qvædam fragmenta, longe prius scripta, nobis exhibent. Nos Originum descriptionem, verbis nihil immutatis, ita sistimus.

„ Qvomodo Norvegia primitus inhabitari cæperit, familiæqve Regum, „ tum ibi, tum in aliis terris, exortæ sint, & cur (sic verba sonant, vult autem „ dicere, cur familiæ Regiæ) Skioldungi, Budlungi, Bragningi, Audlingi „ Volsungi, Niflungi, appellentur, a qvibus Regum familiæ processerint, „ in præsens exponam. Vir qvidam, nomine Forniotus, trium filiorum pa- „ ter memoratur, qvorum primus Hler, secundus Logius, tertius Karius; „ ventorum hic, ignis ille, iste maris imperator fuit. Karius Jokulis pater „ erat, Jokull Regis Snæris, Rex autem Snær filium habuit Thorrium, filias „ Faunnam, Drifam & Miollem, Fuit Thorrius Rex celebris, imperabatq; „ Gothiæ, Qveniæ, sive Qvenlandiæ, & Finnlandiæ, ei Qveni sacrificabant, „ pro impetranda nive xylosoleis proficiscentibus vehendis idoneâ. Hæ illo- „ rum deliciæ. Media hyeme id sacrificium celebrari debebat, inde men- „ si nomen Thorrii enatum. Tres erant Thorrio liberi, filii Nor & Gor, filia „ Goe, qvâ furtim surreptâ, Thorrius mense qvi seqvebatur eum, qvi solen- „ nibus sacrificiorum ritibus consecratus erat, Diis suis litabat; inditum in- „ de mensi, qvi tum cæpit, Goës nomen. Nor & Gor ad investigandam „ sororem se contulerunt. Nor ad occidentale montis Kioli latus magna „ prælia gessit, occisis Regibus, qvorum hæc sunt nomina, Vee & Vei, Hun- „ dingus & Hemingus, universo tractu mare usqve sibi subjecto. Conve- „ nerunt deinde fratres (Nor & Gor) in sinu illo, qvi nunc Norafiordr/: No- „ ris sinus, appellatur. Inde Nor ascenso monte ad locum, Ulfamoas dictum, „ pervenit, transgressusqve Eystridalos (Østerdalen) orientales valles ad Ver- „ malandiam delatus, ductum lacus, qvi Vænir dicitur, secutus, inde ad ma- „ re processit. Qvicqvid terrarum his limitibus distinctum in occidentem „ patet, id universum Nor sibi subjecit, qvod nunc Norvegia appellatur. „ Media hyeme ad Heidmarchiam pervenerunt, ibi Rex residebat, nomine „ Hrolfus de Bergis, filius Svadii gigantis de Dofris septentrionem versus, „ cui mater Ashildis, filia Regis Eysteini, qvi longo tempore in Heidmar- „ chia regnavit. Hrolfus de Bergio rapuit Goen, conjugioqve sibi sociavit. „ Hæc de Noris fratris sui adventu certior facta, comitante marito, ad eum „ profecta est: Hrolfus deditione factâ Noris imperio se submisit, deinde Nor „ â sororio convivio exceptus, sororem ejus Höddam, Svadii gigantis filiam, „ uxorem duxit. Inde occidentem versus ad mare profectus, obvium habuit „ fratrem Gorem, a septentrionali oceano (Mari Mortuo glaciali) eò delatum, „ qvi in ea expeditione omnes insulas cultas & incultas suæ ditioni subje-

cerat;

cerat; diviſione deinde factâ, Noris ditioni continens omnis a Jotunhei- ,,
mo verſus ſeptentrionem in meridiem usqve Alfheimum ceſſit, qvæ nunc ,,
Norvegia appellatur. Goris vero omnes inſulæ, ſiniſtrum navis Ellidii ,,
a ſeptentrione navigantis latus ſpectantes. Hæc verbis libri Originum, Co- ,,
dice Flateyenſi contenti, a principio expoſui: qvæ de filiis eorumqve po-
ſteris habentur, deinceps referam. Hic tamen obiter notanda *Jonæ Rami*
opinio, qvæ inſulam Raumsdali Gorſöen, hodie vulgò Goſſen, multis tu-
mulis gigantumqve mole conſpicuam, a Goris nomine deducit.

CAP. XX.

CODICIS FLATEYENSIS DE IIS-DEM RELATIO.



Odex Flat: pag: 110 *in hiſtoria Regis Olafi Tryg-
gvini*, hæc paulo aliter, ſed diſtinctius, tradit, his ver-
bis. Fuit Rex qvidam, nomine Forniotus, qvi Jot- ,,
landiam (qvæ & Finnlandia & Qvenlandia appella- ,,
tur) imperio tenuit, ſpectat illa ab oriente iſtum ſinũ, ,,
qvi Gandvichæ opponitur, nobis Helſingiabotn ſeu ,,
Helſingorum finis, appellatur. Tres erant Fornioto ,,
filii; primus Hler, nobis Ægir, ſecundus Logius, tertius Karius, is pater ,,
fuit Froſtii, patris Snæris Antiqvi, cujus filius Thorrius. Duo illi filii, ,,
Nor alter, alter Gor dictus, filia autem Goë vocabatur. Fuit Thorrius ,,
ingens ſacrificulus, utpote qvi qvotannis media hyeme immolaret, id ſa- ,,
crificium Thorrinum appellabant, menſisqve inde denominatus eſt. Qva- ,,
dam hyeme dum Thorrius ſacrificaret, Goë rapta eſt, mox etiam qvæſi- ,,
ta, ſed in caſſum. Evoluto itaqve menſe, Thorrius novum ſacrificium ad ,,
hoc inſtituit, ut certior fieri poſſit, ubi eſſet, id Goes ſacrificium appella- ,,
bant, nec tamen ullam ejus notitiam aſſeqvebatur. Exacto trium hyemũ ,,
ſpatio, fratres ſe eam inqviſituros voverunt, partitiqve inter ſe regiones ,,
ſingulis luſtrandas, Nori continens, Gori inſulæ majores ac minores, ſco- ,,
puliqve claſſe petendi, obtigerunt, uterqve magnis copiis inſtructus eſt. ,,
Gor, claſſe ad oſtia ſinus directâ, mare Alanum invectus, ſcopulosqve Sve- ,,
ciæ objacentes percurrit. Omnibus deinde orientalis maris (Eyſtra ſalt) ,,
inſulis, mox Gautorum ſcopulis, perluſtratis, in Daniam navigavit, ubi ſin- ,,
gulis inſulis perveſtigatis, cognatos ſuos â Hlere Antiqvo, qvi in Hlesſeya ,,
habitavit, ortos, ſalutavit, nihilo de ſorore Goe certior, inceptum iter per- ,,
ſeqvebatur. Nor domi exſpectabat, donec nix tesqvis illapſa, iter xyloſo- ,,
leis aptum redderet. Deinde ê Qvenia profectus, ſupra limitem, qvo ,,
ſinus clauditur, itinere facto, eò pervenit, ubi habitabant viri, qvi Lappi ſi- ,,
ve Lappones vocantur, nimirum pone Finnmarchiam; qvibus tranſitum ,,
prohibentibus, bellum exortum eſt. Nor ejusqve milites incantationibus ,,
adeo pollebant, ut hoſtes eorum, audito militari clamore, viſisqve ſtrictis ,,
gladiis, in ſilvas atqve ſolitudines metu perculſi properarent, ferinumqve ,,
ingenium induentes, in illarum habitum proceſſu temporis degenera- ,,
rent, tandemqve omnino obbruteſcerent. Lappi itaqve in fugam verſi ſunt. ,,
Inde Nor in occidentem converſus, in monte Kiolo longo tempore deten- ,,
tus, ne hominis qvidem veſtigium agnovit, feris tantum & avibus arcu ,,
confixis vita ſuſtentata eſt. Itum deinde, qvoad aqvæ præcipitio mon- ,,

„ tium in occidentem delapſæ, ad mare decurrunt. Ibi ſinus ingens, maris „ limiti ſimilis, habitationibus in circuitu freqvens, vallibus profundis ab u- „ troqve latere cinctus, qvò indigenæ confluentes Norem ad pugnam elicie- „ bant. Eodem eventu, qvo prius cum Lappis, certatum. Nor cum ſuis in „ modum flammæ ſata depaſcentis, univerſum ſinui vicinum territorium „ peragrans, latè ſubegit, provinciarumqve, qvas ſinus circuit, Regem ſe di- „ xit; ibi per æſtatem moratus, donec ſolitudines nix obtegeret, tunc in val- „ lem, qvæ in auſtrum è ſinu procedit, profectus eſt, ſinus is jam Thrandia „ appellatur. Partem autem exercitûs inferius trans Mæriam ablegavit, „ inqve tranſitu qvæcunque calcaret ſibi ſubjecit, Tranſmiſſo deinde mon- „ te, qvi vallem ab auſtro claudit, amnis ductum ſecutus, in auſtrum ten- „ debat, donec ad ingentem lacum perveniret, qvem Miors appellabant. „ Ibi cognitâ clade ſuorum, â Rege, qvi Soknius vocabatur, illatâ, in occi- „ dentem converſus, montem iterum conſcendit. Deſcendentes provincia, „ qvæ Valdreſia nuncupatur, excepit. Inde ad mare deventum, ubi ſinus „ longus & anguſtus occurrebat, hodie Sogn dictus. Ibi Soknius cum exer- „ citu præſto erat. Ingens prælium exortum eſt, neqve Soknium præſti- „ giæ eorum terruerunt. Nor cominus cum Soknio congreſſus, acerrimè „ pugnabat, tandemqve eum cum magna exercitûs parte occidit. Deinde „ Nor in ſinum, Sogniæ ad Boream vicinum, procinctum movit, Soknius autem „ imperabat, ubi nunc Soknadalus appellatur. Longum ibi Nor tempus „ trivit, hodie Noreſiordus ſeu Noris ſinus vocitatur. Ibi Gor ad eum per- „ venit, neutro de Goë ad id tempus certiore facto, Gor dum ab auſtro pro- „ cederet, terram omnem exteriorem ſibi ſubjugavit. Tum demum re- „ gionem inter ſe diviſerunt: univerſam continentem Nor, Gor autem inſu- „ las omnes, qvas inter & continentem navis gubernaculo directa tranſire „ poterat, ſortitus eſt. Deinde Nor ad Uplandas itinere directo devenit eò, „ ubi nunc Heidmarchia. Regnabat illic Hrolfus de Bergio dictus, qvi filius „ fuit Svadii gigantis de Dofris verſus ſeptentrionem. Is ê Qvenia, ſive „ Qvenlandia, rapuerat Goën Thorrii filiam, ſtatimqve Nori obviam pro- „ ceſſit, eumqve ad Monomachiam provocavit. Certatum diu neutrô vul- „ nerato, tandem autem reconciliati ſunt, Nore ſororem Hrolfi, Hrolfo „ Noris, conjugio ſibi ſociantibus. Inde Nor in Septentrionem ad regnum, „ qvod ſuæ poteſtatis fecerat, converſus, illud Norvegiam appellavit, qvod „ is qvamdiu vixit, deinde rexit, filiiqve ejus poſt eum, qvi etiam regionem „ inter ſe diviſerunt, tantumqve regna minuebantur, qvantum Reges mul- „ tiplicabantur, atqve ita in provincias diviſa ſunt. Gor maris Rex appel- „ latus eſt, cujus filii Heitius & Beitius. Reliqva hic non perſeqvar, cum aliò pertineant. Hæc Codicis Flat: verbis & formulis, ex utroqve loco depromptis, nihil omnino immutatis, in curioſi lectoris gratiam (neqve enim horum copia omnibus promiſcua eſt) tranſcripta, ſimpliciter vertere, qvam exornare ſtilo malui, qvo facilius lector ſuum de ſingulis judicium, absqve obſtaculo ferre, inqve primos incolarum Norvegiæ ortus liberius inqvirere poſſit. Interea qvæ mea de his ſententia ſit, candidè exponam; notandus tamen eſt diſſenſus Originum in itinere Goris, qvi ibi a mari ſeptentrionali ad fratrem Norem delatus, hic vero ab auſtro perhibetur.

CAP. XXI.

DE HORVM EXPLICATIONE SEQVENTIBUS CAPITIBUS AGITUR, ET QVIDEM PRÆSENTI DE EXISTENTIA FORNIOTI, EX AUTHORITATE THIODOLFI DE HVINE.



GEnus Noris ab atavo an fabulosè texeretur, an historica fide notatum esset, jamdiu dubitavi; in ipso enim Fornioti nomine fabulam latere existimabam; denotat enim eorum, qvæ prius extiterant, participem. Ipsum Noam hoc involucro tectum putabam, utpote qvi orbem antediluvianum, & hunc, qvi cessantibus undis iterum emersit, & vidit, & incoluit, utrumqve etiam civibus auxit. Accedit utriusqve filiorum triga. Semus orientem forte tenuit; Camus austrum. Japheto occidens cum septentrione obtigit. Fornioti filii, Hler, Karius & Logius, ignis hic, ventorum ille, maris iste, imperium tenuisse perhibentur. Per ignis imperium orientis regna, qvippe solis æstu ferventia, intelligi; ventosâ Africæ plagâ Æoli ditionem denotar, mihi persvadebam. Hler alio nomine Ægir usurpatur, qvod ipsum oceanum significat; qvod autem principum septentrionalium genus â Logio non repetatur, nec auctoris scopus fuerit ultra septentrionem narrationem extendere, omissâ ipsius progenie, solam eum, qvæ a Kario descendit, familiam sibi enarrandam proposuisse divinabam, qvod tamen sine confusione assecutus non est. Nam cum Hleri, sive Ægeri (qvi, teste Skalda, tertiô nomine Gymir appellatur) utpote aqvatili Numini, sedem in celebri Cimbrici maris insula, de ejus nomine Hleseya (Læssø) dicta, teste fabula Eddæ qvinqvagesimâ, assignaverit, nihil ultra de Logio seu flamma sollicitus, qvòd vires istius elementi in septentrione longè minus, qvam in regionibus qvæ perpetuo Solis æstu torrentur, se exerant; hunc Karii imperio subjiciendum forte existimabat, utpote ventorum præsidis, Neptuno longe potentioris, ad cujus afflatum hic vel intumescit vel detumescit. Ab eo igitur omnia Septentrionalium heroum genera derivari forte placuit. Karii symbolo aërem intelligi, filii neptumqve nomina persvaserint, qvi sub Zona boreali frigidus, frigida producit, ideo ei filius tribuitur Jokull, aliis Frostius, id est congelata & lubrica glacies, vel intensum gelu, Jokuli Snær seu nix, Snæri seu Nivi filius unus, nomine Thorrius; filiæ Faunn, id est nix coacervata; Drifa, ɔ: nix stillans; Mioll, ɔ: nix candida, mollis. Hæc nomina, ex frigida cœli constitutione petita, progenitoribus Noris aptata videntur: verum â Christianis, qvibus in septentrione solis de Noa ejusqve filiis constitit, hæc minime conficta esse, vel inde liqvet, qvòd ante introductum Christianismum, hic in usu fuerint; nam Thioldofus de Hvine, qvi Haraldi Puchricomi poëta erat, in epicedio Olafi Lignarii, primi Vermiæ Regis, ignem, seu flammam, cujus incendio absumptus est, Fornioti filium poëtice appellat, evidenti argumento, Forniotum olim extitisse, filiumqve nomine Logium procreâsse. Idem etiam nexus synchronismorum inter posteros ejus, cum iis, qvi â Niordo & Odino descendunt, perspicuum facit, præsertim ubi pari gradu, aut haut magnâ distantia, inter se conjungitur, cujus exempla capite proximè seqventi exponam.

CAP.

CAP. XXII.

DE SECULO, QVO FORNIOTUS ET NOR VIXERUNT, ET RATIONIBUS, QUÆ NOREM SUPRA CHRISTI IN CARNE MANIFESTATI TEMPORA EXALTANT, ODINOQVE ÆQVALEM, FORNIOTUM UTROQVE ANTIQVIOREM, CONSTITUUNT.



FOrniotum extitiſſe, argumentis, ut ſpero, ſatis probabilibus evicimus, reſtat ut qvo tempore, tum ipſe, tum etiam atnepos ejus Nor, vixerint, diſpiciamus. Et cum geminæ opiniones de hac qvæſtione inter ſe diſſentiant, una qvæ Norem ſupra æram Chriſtianam Forniotum longe ultra extollat, altera qvæ Norem infra hæc tempora deprimat: nos rationes pro utraqve parte pugnantes in medium proferemus. Primum & palmarium argumentum duo prima hiſtoriæ Hervorianæ capita ſuppeditant, qvæ Odini & Aſarum adventum in Septentrionem, in Alfi Priſci, Alfheimorum Regis, tempora referunt, qvæ, licet nullam Noris mentionem faciant, conſtat tamen ex libro Originum Norvegiæ, eum Noris nepotem, Raumi filium, aliàs Finnalfum dictum fuiſſe, qvo antiqviorem nullum invenire licet. Confirmat hæc æra Starkadi Aludreingi, â Thore Deo poſtea occiſi, qvi proneptem Noris, Alfi filiam, Alfhildem rapuit. Antiqvior itaqve Odino Nor Alfhildis proavus ſine dubio fuit tribus generationibus, ſeu nonaginta annis; inciditqve ejus æra, ſi Odini acceſſum in annum ſeculi iſtius ſexageſimum referamus, in annum circiter CL. ante caput æræ Chriſtianæ. Nec minus antiqvitatem Noris provehit faſtuoſus ille titulus, qvi Originibus Norvegiæ præfigitur. Pollicetur enim ſe expoſiturum qvomodo Norvegia primitus inhabitari cæperit, familiæqve Regum, tum ibi, tum aliis in terris, exortæ ſint, fidemqve liberaturus, non modo Norem Regionis eponymum, ſed etiam ejus patrem, amitas avosqve ad atavum usqve Forniotum repetit, provinciarumqve antiqviſſima nomina â filiis ejus deducit.

Tertia ratio pro vetuſtate hac tantâ Noris ex Halfdani Priſci ætate ſumitur. Is Noris pronepos, oraculi fide certior factus eſt, poſt trecentos demum annos â ſacrificio, qvod in auſpicio regni perpetraverat, primam fæminam in poſteris ejus naſcituram; neptem autem ejus Dageidem, Dagi Doglingorum conditoris filiam primam, non Origines Norvegiæ, ſed *Snorrius Sturlæus* in ſtemmate Haraldi Pulchricomi, a Sveciæ Regibus repetito, in Alreco & Eirico nobis exhibet, ipſius Alreci uxorem. Natalem illius nos in Serie Regum Daniæ Lib: III. pag: 232. ad annum Chriſti CLXXII. retulimus: illam autem marito octennio juniorem ſine abſurditate conſtituemus, ita ut nata ſit anno CLXXX. Verùm cum hanc Chronologiam, ex ſynchroniſmis & proportione graduum, tum inter ipſos Daniæ Reges invicem, tum etiam inter eos & Reges Sveciæ, maximam partem ex Hypotheſibus Snorrii, præcipue illâ, qvæ Aunio Sveciæ Regi tam monſtroſam ætatem conciliat, collegerimus, non habito reſpectu ad utriusqve gentis Principum nexum cum Principibus Norvegiæ, duobus & ſexaginta annis Aunium multavimus, qvos in novem progenitores ejus diſtribuimus, ad conſervandam trium horum regnorum Principum ſynchroniſmos,

chronismos, eo tutius qvod ex iis aliisqve facile traditio illa Snorrii vanitatis convincatur, ut suo loco monstrabitur. Alreci itaqve nativitas in LXVIII annos deprimatur, ita ut natus fuerit anno Christi CCXL. Dageidis ejus uxor CCXLVIII. Nos ex utroqve fundamento rationes subducamus.

Inter sacrificium Halfdani & nativitatem Dageidis CCCXX annos interfluxisse ponimus, cum viginti fuisse annorum videatur, cum sacrificaret, si ab illis CLXXX annos, natalem Dageidis, secundum Seriei calculum, subduxeris, emergit natalis Halfdani CXL ante natum Christum. Si vero secundum reformationem nostram annos CCXLVIII. natus erit Halfdanus anno LXXII ante caput æræ Christianæ. Hinc progrediendum ad natalem Noris investigandum, qvi tribus generationibus ab Halfdano disterminatur: dati in singulas XX anni, faciunt annos CXX, qvi additi natali Halfdani CXL, faciunt natalem Noris annum CCLX, ante æram Christianam. Sin vero LXX annos iis adjeceris, occupat natalis ejus annum ante Christum CXCII. Duobus gradibus Snær, utpote avus, Nore superior est, hi autem LXXX annos reqvirunt, qvi additi ad natalem Noris sive CCLX sive CXCII, natalem Snæris sive in annũ CCCXL, sive CCXXXII referunt. Hunc tribus gradibus Forniotus præcedit, qvi & CXX annos reqvirunt, & ad natalem Snæris accedentes, aut CCCXL sive CCLXXII natalem annum Fornioti producunt, sive CDLX sive CCCXCII ante Christum. His rationibus adstruitur Nori Forniotoqve tam eximia & remota antiqvitas.

CAP. XXIII.

DE RATIONIBUS, QVÆ ALLATAS OBJECTIONES CONFUTANT, GENEALOGIARUM VANITATE, VERAQVE, VEL VERO PROXIMA, FORNIOTI NORISQVE EPOCHA EX SYNCHRONISMIS ERUTA.



PRæcedenti capite exposui rationes pro stabilienda ingenti Fornioti Norisqve antiqvitate, nunc ad singulas respondebo; & primò ad raptum Alfhildis Alfi Prisci filiæ a Starkado Aludreingo Asiaticorum Deorum tempore. Fateor qvidem Alfhildem illam Finnalfi filiam fuisse, Noris proneptem. Nor autem multum affuit, ut ad Asarum tempus assurgeret, cum is & Visbur, â Niordo qvintus, amitini essent; fallitur itaqve auctor historiæ Hervorianæ, dum migrationem Asiaticam in Alfi & Starkadi Aludreingi tempora refert, tantum ob lacunam graduum inter Eyvorem & Svafrlamium, ubi septem generationes desiderantur, ut â nobis in Serie Regum Daniæ Lib: II. Cap: IV. pag: 126 monstratum est. Nec magis cohæret, nepotem Starkadi Aludreingi, Starkadum qvoqve vocatum, æqvalem fuisse Alreco & Eirico Sveciæ Regibus, iisqve a Niordo undecim gradibus remotis militâsse, si avus ejus Aludreingus aut Odino & Asis æqvalis aut antiqvior fuisset, præsertim in juventute, cum septem supra viginti annos natus eos accesserit. Invocâsse Thorem pro recuperandâ filiâ Alfus ibi traditur, impetrâsseqve, ut & Starkadum occideret & filiam ei restitueret; qvod de numine Thoris, jam mortalibus exempti, supplicibus pre-

cibus exorati subjecta tabula intelligendum docet. Unde locus qvoqve in limine historiæ Sturlaugi Laboriosi occurrens, de Haraldi Thrandiæ Regis Gullmudi seu Chrysostomi, juvenis synchronismo cum Asis huc migrantibus; senis, ut & Sturlaugi, cum Freyre Sveciæ dynastâ, vanitatis arguitur.

Schema tale est:

	Forniotus			Niordus	Odinus
α Hler	Logius	Karius		α Freyr	
		Frostius		Fiolnir	
		β Snær		Svegdir	
		Thorrius		β Vanlandius	
		Nor		Visbur	
		Raumus		Domaldus.	
Arngrimus	Alfus	Alvor	Hringus	Domar	
Starcadus Aludreingus	Alfhildis *Halogius*	Glod	Haldanus	Dyggvius	
Storvircus	Bauggerdis	Eymiria	Dagus	Dagus	
γ Starcadus	Arngrimus	Vikingus		Agnius	
Aurvaroddus	Angantyr	*Sturlaugus Laboriosus*	Thorstein⁹	Dageidus —	Alrecus γ
		Fridthiofus		Yngvius	
		Gunnthiofus			
		γ Herthiofus natus 228.	*Haraldus (Agdensis Vikar R.*	*Nerius (Comes*	*Gautius Gautrecus*

Nota lector, nomina in hac tabulâ literis cursoriis notata aliorum Principum Synchronismos denotare.

Decepit harum historiarum scriptores, qvod constaret ante Odini adventum septentrionem a gigantibus fuisse insessum; hos autem cum priscæ memoriæ antiqvissimos producerent, ad eos statim recurrebant.

Nec magis antiqvitati Noris fastuosus ille titulus, Originibus Norvegiæ præfixus, velificatur. Ipse enim author sui immemor, alios indigenas his longè antiqviores, cum qvibus his fratribus res fuit, simul producit, belliqve non occupationis jure vel injuria insessam ei posterisqve Norvegiam monstrat, id temporis latè longoqve tempore habitatam. Ashildis enim, Noris socrus, filia dicitur Eysteini Heidmarchiæ Regis, qvi longo tempore Heidmarchiam rexerit, qvam hæreditario jure nepos Hrolfus de Bergio, Regio titulo tum possidebat. Noris qvoqve filius Raumus uxorem dicitur habuisse Hildem, Gudbrandi Prisci filiam, neptem Sölvii ejus, qvi primus tractum Soleyensem excoluit, teste hoc ipso Originum libro, de qvo postea alibi. Gudbrandus itaqve Priscus Nori erit synchronus, Sölvius utroqve prior: unde luce meridiana clarius evadit, non magis primorum Norvegiæ Regum stemmata â Nore ejusqve sociis, qvam

primos incolas promanâsse, nec lingvam aliam ab ea,qvæ prius in usu erat, a Nore importatam, nomina virorum hic conspicua evidenter monstrant. Addo etiam qvòd prologus Eddæ tradat Odinum filium suum præfecisse regno, qvod nunc dicitur Norvegia, argumento, illo tempore id nomen non fuisse adeptam.

Tertium argumentum, ab Oraculo desumptum, se ipsum evertit; nam Halfdanus Priscus pro conseqvenda trecentorum annorum ætate Diis sacrificâsse traditur, exemplo Snæris Antiqvi, qvi tam insigni pietate tantum regnandi spatium impetrâsse traditur. Id qvod Halfdanus tanqvam ex antiqva relatione accepisse videtur. Jam vero constat, sive Snær ille, anno ante caput æræ Christianæ CCCXL, sive CCLXXII natus fuerit, aut regnare cæperit, eum aut Halfdani tempore vixisse, aut etiam ei supervixisse, siqvidem vel CC, vel XCVIII annis ante Halfdanum natus est, centumqve aut duobus annis minus ei coævus vixit. Nec constat, an Halfdanus ætatem eousqve extraxerit; inde conspicuum, hæc historica fide non niti, sed meras esse fabulas. Et qvis historiæ leges â fabulis reqvirit? Atqve sic argumenta pro Noris epocha nimium exaltatâ confudimus. Sunt & alia qvæ eam plus justo deprimunt; numerus scil: generationum, ab eo ad posterorum qvosdam, qvos certo tempore vixisse constat. Tanta in eo diversitas est, ut si qvis æqvali annorum spatio eas metiri aggrediatur, retroqve summam computet, nullum certum principium sit inventurus.

Qvinqve genealogias a Nore ad Haraldum Pulchricomum Origines Norvegiæ exhibent, sextam ad uxorem ejus Gidam, duodecim tantum gradibus constantem. Qvina ista stemmata his nominibus insigniuntur. Hildingi, Bragningi, Döglingi, Budlungi & Lofdungi, undecimum primô, secundô & tertiô duodecimum, qvartô decimum qvartum, qvintô decimum sextum ramum Haraldus â Nore ducit, nec ultra removetur. In horum singulos gradus XXX anni expensi faciunt annos CDLXXX, qvi ab anno Pulchricomo natali DCCCLIII subducti, Noris epocham in annum CCLXXIII exaltant, reliqvæ generationes ne eo usqve ascendunt, nam duodecim in anno CDLX consistunt, undecim in seculum sextum Norem referunt, annum scil. DXX.

Series genealogicas â Nore ad Pulchricomum descendentes vidimus, qvarum nulla a tempore nativitatis Servatoris, nedum Odini Upsalensis, incipit; reliqvas, qvæ ad incolas primos Islandiæ ducuntur, excutiam. Sunt autem duæ, â Nore per Gardum Agdium, & Raumum filios ejus demissæ: Primam Gardus orditur Agdius, inqve duos ramos distendit, primum Rugalfus, alterum Griotgardus producit. Hic ad Kolgrimum, Ketilbiornum & Liotum Sapientem, & cum his pari gradu Haconem Hladarum Comitem, tempore licet posteriorem, qvippe Pulchricomi pronepotem. Ille ad Geirmundum & Hamundum Heliarskinnos, Ulfum Skialgium, Eiricum & Ketillem Gufam. Inter hos & Norem decem, illos novem generationes intercedunt. Alteram Raumus triplici ramorum serie explicat, orditurqve â filio primo Alfbiörno, aliis Jotunbiörno, adqve Bessium, celebris viri Tungu-Oddi seu Oddi de Tunga (id prædio cuidam nomen) proavum, & Ingimundum curionem Vatzdælensem, decem gradibus â Nore remotos, procedit. Secundus ramus per filium qvintum Haudum, ad Ingolfum, qvi omnium primus Islandiam incoluisse fertur, & Hiörleifum gradibus a Nore duodecim ducitur. Tertium filius Hringus ad Audurem Prædivitem & Hrolleifum dirigit, qvorum qvilibet sedecim gradibus a Nore disterminatur. A Gore Hrollaugus Raugnvaldi Mæriarum Comitis filius

lius ſeptimus eſt, Bodvar Hvitius â Goë decimus, Thordus Hreda, Ulfliotus Legifer & Flokius, tertius Islandiæ repertor, ſinguli in undecimum gradum rejecti. Omnia ex tabulis ſeqventi libro inſertis conſpectiora fiunt. In ſingulis complures gradus deſiderari manifeſtius eſt, qvàm ut probatione egeat. Prolixiſſima ſeries ad Hrolleifum â Nore decimum ſextum extenditur. Qvid dicam de decem tantùm generationibus â Nore ad Comitem Haconem Hladenſem, aut ſextam a Gore ad Rognvaldum, & ſeptimam ad filios ejus Einarem Orcadum Comitem, & Hrolfum ſeu Robertum primum Normanniæ Ducem, qvo nihil abſurdius fingi poterit, ſic enim Nor in ſeptimum ſeculum deprimeretur.

Evicimus ex graduum paucitate, qva pene omnes genealogiæ laborant, Forniotum Noremqve plus nimio deprimi, nec qvid certi de eorum epocha ſtatui poſſe. Reſtat ut ſynchroniſmos inter eorum poſteros, qvi Daniæ Sveciæqve Principes intercedunt, excutiemus; nam ubi ex ſingulis lateribus pari gradu aut non nimia diſtantia concurrunt, facile monſtrant qvo ſeculo ii, â qvibus deſcendunt, vixerint, ſimul & graduum lacunam, ubi nimium ab invicem ſeparantur. Occurrunt autem inter eos & Sveciæ Principes novem, Daniæ vero qvatuor. Nexum cum Svecis primum exponam.

I. Inter Hleris, Hlesſeyæ (qvæ hodie Leſſö appellatur) domini (qvi & Ægir & Gymir appellatur) filiam Geridem, & ejus maritum Yngifreyrem, teſte Snorrio. Idem fabula Eddæ X. confirmat, qvæ illum Aſas convivio excepiſſe tradit, cujus magnificentia ibidem fabuloſè deſcribitur.

Forniotus	Niordus
Hler	Yngifreyr.
1 Gerdis	

II. Inter Snæris Priſci filiam Drifam, â Fornioto qvartam, & Vanlandium, â Niordo qvartum, hoc ſcemate.

Forniotus	Niordus
1 Karius	1 Yngifreyr
2 Froſtius	2 Fiolnir
3 Snær	3 Svegdir
4 Drifa	4 Vanlandius.

III. Inter Starcadum II. â Fornioto decimum
IV. Inter Dageidem qvoq; ab eodem decimam
V. Inter Herthioſum, ab eodem decimum qvartum.
} & Alrecum & Eiricum a Niordo undemos.

Thorrius Snæris filius

	5 Nor	- -	5 Visbur.
	6 Raumus		6 Domaldus
7 Finnalfus	7 Hringus	7 Alvor	7 Domar
8 Alfhildis	8 Halfdanus	8 Glod	8 Dyggvius
9 Storvircus	9 Dagus	9 Eymiria	9 Dagus
10 Starcadus	10 Dageidus	10 Vikingus	10 Agnius Skiolfæ maritus
		11 Thorſteinus	11 Alrecus
		12 Fridthiofus	
		13 Gunnthiofus	
		14 Herthiofus	

Nota. Starcadus Alreco militavit, Dageidis ejus uxor fuit; & hæc qvidem amicè concordant; Herthiofus autem ad Alrechum exaltari, vel hic ad eum

eum deprimi neqvit, nisi de Aunii Annosi ætate anni sexaginta duo detracti in superiores tribuantur, convellaturqve qvod Snorrius de filiorum victimis, provinciisqve ab eorum numero denominatis, tradit, de qvo fusius ubi de Herthioso, ut & Aunio, nobis tractandum est.

VI. Synchronismus in Angantyrem ejus nominis primum â Fornioto undecimum, & Yngvium hujus Alreci filium, â Niordo duodecimum, Cujus schema tale est.

Storvirchi Alfhilde nati a Fornioto noni
Soror erat
9 Bauggerdis
10 Arngrimus — Alrechi Seciæ Regis filius
11 Angantyr — 12 Yngvius

Hæc mirè conveniunt: Starkadus enim Junior, & Arngrimus, Angantyris Pater, fratres amitini erant, Starkadi Aludrengi nepotes, gradus æqvales, Starkadus autem Alrecho Yngvii patri militavit, Angantyri, Arngrimi filio, gradu tantum remotiore, cum Yngvio Alrechi filio res erat.

VII. Inter Starkadum secundum prædictum, â Fornioto decimum, & Hugleikum, Yngvii ex fratre filium, a Niordo decimum tertium.

9 Storvirkus — 12 Yngvius Alfus
10 Starkadus — 13 Hugleikus

VIII. Inter Starkadum eundem & Aunium, â Niordo decimum qvartum, nam Olium Danum, dum ille in Vestrogothia exularet, Starkadus occidit.

10 Starkadus — 12 Alfus Yngvi frater
13 Hugleikus
14 Aunius

IX. Isqve omnium abruptissimus inter Sölvium de Niardeya, â Fornioto undecimum, & Eysteinum â Niordo decimum octavum intercedit, cujus evidentia ex Snorrio, cum Halfi Herois vitâ collato, facile potest monstrari.

5 Nor
6 Griotgardus — 14 Aunius
7 Salgardus — 15 Eigill Tunnicida
8 Griotgardus — 16 Ottar Vendilkraka
9 Sölvius — 17 Adils
10 Hognius de Niardeya — 18 Eysteinus
11 Sölvius S. R.

Genealogiæ itaqve, qvæ tanta tam absurda graduum paucitate, in longa annorum serie, ad certum aliqvem terminum referuntur, eatenus admittendæ sunt, qvà traduces primos, celebresqve in lineis personas ostendunt, non tamen ut tempora inde dimetiamur, sed synchronismi, qvi veris fundamentis innituntur, probandi sunt & seqvendi. Atqve hæc de Synchronismorum nexu, inter Fornioti progeniem & Seciæ Reges. Jam qvomodo cum Daniæ Principibus cohæreant, dispiciemus.

I. Inter Starkadum II. & Frodium IV. cujus ille fratrem Olium in Svecia occidit, teste Snorrio. Prodit qvidem Saxo, nostris suffragantibus, ternis eum ætatis humanæ curriculis ab Odino donatum, subqve hoc Frodio ætate marcidum, cum Saxonum pugile Hama singulari certamine conflixisse, nobis anno qvo Frodius cæsus est: calculo Snorrii CLXIV. annorum putatur, qvod qvamvis fabulosum videatur, id tamen Macrobiorum exemplis sustinetur, sed nec graduum numero in absurdum disterminantur. Starkadus â

 Fornioto

Fornioto decimus, Frodius ab Odino decimus tertius in tabula graduum conſpicitur. Alter calculus longè clarior eſt, interqve omnes triumphat, nimirum inter Hildem Heidrici Ulfhami filiam & Haraldum Grandævum, ejus maritum, paribus â Fornioto & Odino gradibus diremptos; qvorum nepos Ivar Vidfadmius Daniæ Sveciæqve Regum, qvi poſtea & in hunc usqve diem feliciter regnant, communis parens & tradux, omnibus Islandorum memoriis, qvæ illud argumentum tractant, celebratur.

Ordinem præſens tabula monſtrat.

Odinus	Forniotus		
1 Skiöldus	Karius		
2 Fridleifus I.	Froſtius		
3 Frodius I.	Snær		
4 Fridleifus II.	Thorrius		
5 Havar Manuſortis	Nor		
6 Frodius II.	Raumus		
7 Vermundus Sapiens	Finnalfus	Odinus	Gylfius
8 Olafus Manſvetus	Alfhildis	Sigrlamius —	Heidis
9 Danus Magnificus	Bauggerdis	Svafrlamius	
10 Frodius III.	Arngrimus	Eyvor vel Eyfura	
11 Fridleifus III.	Angantyr I.		
12 Frodius IV.	Hervor I.		
13 Halfdanus II.	Angantyr II.	Heidricus I.	
14 Hroar		Angantyr III.	
15 Valdar		Heidricus II. ---	Ulfhamus
16 Haraldus Grandævus ————		Hildis	

Reliqvi duo ad Ragnarem Lodbrochem relati, alter per familiam Lofdungorum, alter Budlungorum, uterq; ad uxorem ejus poſteriorem extenditur; prior eam decimam ſextam, poſterior decimam qvintam nobis exhibet.

Halfdanus Priſcus octavus â Fornioto

	9 Lofdius	Budlius	9
10 Odinus	Skylius	Atli	10
11 Siggius	Egdir	Virkir	11
12 Rerir	Hialmtherus	Leefna	12
13 Volſungus	Eylimius	Budlius	13
14 Sigmundus —	Hiördis		
15 Sigurdus Faſnericida		Brynhildis	14
	Aslaug Ragnaris uxor		15

Utraqve hæc Lofdungorum & Budlungorum ſeries, aut duos Sigurdos Faſnericidas, totidemqve Ragnares Lodbroches & Aslauges indicant, aut ſex, aliàs ſeptem graduum lacunam, cum Ragnar in generum ſcala, tum ab ipſo Fornioto, tum etiam Odino viceſimus ſecundus deſcendat. Appoſita tabella decem graduum hiatum ad Odinum oſtendit, ſi alium Ragnarem inferiore priorem admittimus. Sin autem illum Hringi filium ſolum approbaverimus, ſedecim deſiderantur. Idem de illo Odino ſtatuendum, qvi Gothrici Munifici Regis Veſtrogothiæ avus celebratur; nam inter illum & Gautium, Gothrici patrem, lacuna duodecim graduum intercedit. Idem de reliqvis genealogiis Anglicis Saxonicisqve ſtatuendum, qvæ graduum paucitate conſpicuæ, Odinum tamen primum traducem profitentur.

Ex his manifeſtum eſt, Forniotum Aſiaticæ migrationis tempora ſibi

ſibi vindicare, idqve ætate ſuâ provectiore, ita ut ſatis ſpatii intermediis progenitoribus ad atnepotem Norem ſuppetat, qvem nos circa triceſimum annum Chriſti natum ſtatuimus, Visburis æra perſvaſi, cum fratres amitini fuerint, ſimulqve vixerint; nec hic par annorum ſpatium in ſingulas generationes reqviritur. Suffecerit ſi eodem modo, qvo inter Daniæ Sveciæqve Principes, hic qvoqve diſtribuatur.

CAP. XXIV.

DE SITU DITIONIS FORNIOTIANÆ.



OCcurrunt hic in Libro Originum primò Gotlandia, qvam Codex Flateyenſis Jotlandiam nominat, G litera in J conſonam, ſecundum obſervationem Grotii ſuperius memoratam, inflexâ, qvi locus e profundo antiqvitatis penu depromptus, qvin ſatisfeciſſet candidiſſimo Verelio (qvi hæc notis ad cap: X. hiſt: Hervorianæ pag: 142 improbat) ſi illum legiſſet, nullus dubito. Non tamen per hanc Jotlandiam vel Gotlandiam Jutiam vel Sveciam ſtatuo intelligendam; qvarum alia â Finnlandia vel Finnonia & Kvenia nimis remota eſt, alia certè vaſtior, moleqve longe gravior, qvam ut ultra ſinum Botnicum transferri, & ad ejus orientale latus collocari qveat. Unde Nor ê patrio regno profectionem orſus perhibetur. Neqve enim Jotlandiam hanc eandem cum Kvenlandia & Finnlandia, vel has inter ſe confundendas cenſeo: errorem codicis liber Originum corrigit, qvi ſingulas diſtinctius exponit. Vaſtiſſimum Fornioti imperium fuiſſe, Noris Gorisqve expeditio, apparatu pariter ac ſucceſſu inclyta, perſvaſerit, qvâ tantum terrarum ſpatium ſubjugatum, perpetuaqve poſſeſſione firmatum eſt, haut ſubactu facile, & ne facile qvidem, â gente licet populoſiore, qva tamen longe diffuſiorem fuiſſe oportet eam, unde iſti ferociſſimæ gentis domitores profecti ſunt; Ampliſſimum territorium Pytheas Maſſilienſis Guttonibus æſtuarii, ſub Mentonomi nomine aſſignavit, ſpatio ſtadiorum ſex millium. Gothos orientale ſinûs Bothnici latus incoluiſſe, non, ut explicat Rudbeckius, occidentale, Codex Flat: hoc loco perhibet. Pomerilliæ nimis arctis finibus Cluverius ſuam Gothiam incluſit, id ſi minus rectè, partem tamen Gothiæ ibidem agnovit, extenſæ forte a ſinu Finnico (cui hic tanqvam contermina introducitur) auſtrum verſus, neſcio an in eam longitudinem, qvam Pytheas deſcripſit, cujus terminis Ruſſiæ qvoq; interjectus ampliſſimus tractus continetur. Gothiæ enim Finnlandiam, ſeu Finningiam, hic auctor noſter confinem innuere videtur, diverſamqve ab utraqve Kvenlandiam, (qvam Verelius notis ad cap: I. hiſt: Hervorianæ pag: 5 in confinio Ruſſiæ & Lapponiæ ſtatuit,) Conogardiamqve antiqvitus vocitatam exiſtimat, ab Adamo Bremenſi terram fœminarum vocatam, qvod vocabulum Meſſenium jam in Karanland detortum putâſſe perhibet. Certe nihil verius qvam Adamum Bremenſem hoc nomine Kvenlandiam, vocis etymologiam ſecutum, cum qven fœminã denotet, intellexiſſe Cap: CCXXII & CCXXVIII, nec Meſſenium in ſitûs conjectura â vero aberraſſe, cum conſentientem ſibi habeat Codicem Flat: hoc loco. Adami verba ita ſonant. A parte aqvilonari revertentibus ad Oſtium Balthici freti, primi " occurrunt Normanni, deinde Sconia prominet, regio Danorum, & ſupra eam "

tenſo

„ tenſo limite Gothi habitant, usqve ad Bircham, poſtea longis terrarum „ ſpatiis regnant Sveones ad terram fœminarum, ſupra illos Vilſii, Mirrii, „ Lamii, Scutii & Turci habitare feruntur, usqve ad Ruſſiam. Ei Arngrimus Crymog: Lib: II. fol: 214. his verbis conſentit. Eſt autem Qven„ landia, ut ex pervetuſta mappa didici, ex latere ſinus oceani (Botnicum in„ telligit) modò commemorati, qvod Norvegiæ limites ſpectat, Finnmar„ chiam verſus ditio ſita. Hiſtoria Eigilis Skallagrimii, aliàs Eigla, haut diverſo ſitu Qveniam commemorare videtur, his verbis: Naumudalos, „ Halogiæ in Norvegia provinciam, verſus orientem excipit Jamtia, & il„ lam Helſingia, ſeqvitur Qvenia, tum Finnia, qvam excipit Karelia. Cod: Flat: Eiglæ ſuffragatur. Qveniam ſc: ſitam eſſe ad orientem, juxta ſinum, qvi ſinui Gandvikenſi oppoſitus eſt; hic ſinus Botnicus deſcribitur. Oſtbotnia itaqve, forte etiam, ſecundum Arngrimi Obſervationes & Mercatoris mappas, Veſtbotniæ pars, imo & tota Nordbotnia, ubi urbs Totnia (hodieqve iis qvi in Finnmarchia habitant eodem nomine nota) Qvenlandia olim dicta fuit, id qvod ex itinere Thorolfi præfecti Halogiæ conſtat, qvi Qvenorum Regi ſuppetias adverſus Kirialos (Karelos) tulit. Sunt autem Kiriali, vel Kareli, gentes ſedibus diſtinctæ, ſed cognomines, & hi qvidem, de qvibus nobis ſermo, litus Carelſtrandas, viciñumqve tractum circa maris Albi ſeptentrionalia incolentes, uti id ex deſcriptione Petri Claudii Undalini Cap: II. noſtræ verſionis I. in flexu litoris â caſtro Vardhuſenſi ad Carelſtrandam, & Cap. IV, nobis II, ex Finnorum diviſione, in Siofinnos Fiallfinños, Lappfinnos, Carelos (rectius Kyrialos) & Gandfinnos, aliisqve locis manifeſtum eſt. Reliqvi Kareliam Finnlandiæ auſtrali lateri adſitam inhabitant: cum prioribus Qvenis res fuiſſe videtur. Iter Thorolfi, congreſſusqve Qvenorum cum Kyrialis eo auxiliante, in vita Haraldi Pulchricomi cap. XVII. deſcriptus eſt. Meminit & hiſtoria Regis Haconis Senioris, legationis Alexandri Gardarikiæ ſeu Holmgardiæ Regis, de mutuis Finnmarchiæ civium, Norvegiæ ſubjectorum, & Kyrialorum, qvi Ruſſis parebant, cædibus injuriisqve componendis. Obſervandus itaqve error calami in Cod: Flateyenſi & eum ſecuto editore Hiſtoriæ Olai Triggvini part: 2dæ Cap. 32. pag. 140. ubi ſcribitur qvod Kuri & Qveni oppugnantes ditionem Sigurdi Hringi, Sveciæ Regis, eum ad defenſionem compulerint; pro Kuris enim Kyrios ſubſtituo, nam Kareli Kyriali idiomate Normannico ſcribuntur, per apocopen Kyri. Confirmant hæc Annales Islandici, qvi ad annum MCCLXXI. imperante in Norvegia Magno Haconis Senioris filio, notant Kyrialos & Qvenos in Halogiam infuſos, crudeliter ſæviiſſe, id qvod Karelis in limite ſinus Finnici conſtitutis applicari non poteſt. Notant qvoqve laudati Annales, ad annum MCCCI, incurſum Karelorum â Septentrione in Norvegiam, contra qvos Rex Hacon Augmundum, cognomento Jungadans, cum magniscopiis miſerit.

Obſervationem qvoqve merentur limites, qvibus Noris ditio includitur (Alfheimus nempe & Jötunheimus.) Per poſteriorem univerſa Lapponia, & qvicqvid a ſinûs Botnici fine in Boream extenditur, intelligi ideò videtur, qvòd Nor horum nihil luſtrâſſe, nedum ſubjugâſſe, legatur; favetqve locus hic opinioni Rudbeckii, qvi Jötunheimum hoc ſitu deſcribit, verum, ut mihi qvidem videtur, apparenter tantùm. Qveniæ, paternæ ditioni, totus iſte tractus paruiſſe, hereditatisqve jure, vel donatione paterna, filiis ejus ceſſiſſe poterat; vel

ſi for-

si fortè non paruit, a Nore Goreqve processu temporis expugnari, licet id, ut & plurima eorum gesta, in literas non sit relatum. Non itaqve unicus hic locus ad evertendam nostram sententiam, tot tantisqve argumentis antea stabilitam, sufficere videtur.

CAP. XXV.

DE TERMINIS TERRITORII A NORE OCCUPATI, UBI GANDVICHÆ, HUNDINGIÆ, BIARMIÆ, AMNIUM ELEVOGARUM, JOTUNHEIMORUM, MARIS QVOQVE DUMBICI ET RISALANDIÆ SITUS EXPENDITUR.



TErminos territorii, qvod de suo nomine Norvegiam Nor appellavit, Origines definiunt, continentem omnem à Jotunheimis versus Septentrionem, Alfheimos usqve, scilicet ad australem Alfheimorum terminum; nam hic inclusivè sumuntur. Ad Vermalandiam enim delatus Nor, ductum lacûs Væneris secutus, inde ad mare processisse secundum amnem Gotalbiam dicitur, Finnalfo qvoqve nepoti suo, totos Alfheimos hæreditarios reliqvisse, sibiqve subjecisse, qvicqvid terrarum his limitibus distinctum in occidentem patet, lacu nimirum Vænere, montibusqve, qvi Norvegiam Sveciamqve disterminant, qvos Kiolum seu Carinam appellant. Terminus septentrionalis hic non exprimitur. Tantum ad Occidentale montis Kioli latus magna prælia gessisse, occisisqve qvibusdam Regibus, universum tractum ad mare usqve sibi subjecisse dicitur. Sed nec vel locus certaminis, vel Regum ditiones referuntur, nec historia Regis Olafi Tryggvini hæc satis explicat, cum iter ejus ex Qvenia supra limitem, qvo sinus (Bothnicus) clauditur, ad Lappones, qvi pone Finnmarchiam habitant, directum, iisqve superatis montis Kiöli desertis longo tempore peragratis, nec ultra sinum Thrandensem continuatum describit. Hinc non liqvet, an Reges, qvos ad occiduum montis Kiöli latus devicit, sinum Thrandensem incoluerint, an (ut ita dicam) septentrionaliora. Nam si post cæsos Lappones nulla humana vestigia prius invenerunt, qvàm eò delati sunt, planum est, hunc alterum regni Norici limitem statuendum. Nec ea qvæ longius in Septentrionem porriguntur, Norvegiæ nomine censenda, & per conseqvens, qvæ ultra sunt, Jotunheimos appellata fuisse, Halogiam nempe, Nordlandas & Finnmarchiam. Petrus Claudius Undalinus in descriptione Finnmarchiæ, Norvegiam non ultra insulam Loppen, Nordlandiæ ultimam, Haraldi Pulchricomi tempore nomen suum extendisse: Reenhielm notis ad cap: 1. historiæ Vikingi & Thorsteini primis temporibus Halogiam ista nota cognitam, arbitrantur, eo qvòd Halogium illius eponymum Nore antiqviorem, utpote illius patruum maximum, Arngrimum secutus, putavit, historiâ Eigilis Skallagrimii reclamante, qvæ præfectos Halogiæ, Regum beneficio præfecturam Finnmarchiæ, etiam ante illius tempora, obtinuisse perspicuè tradit, uti id in Pulchricomi historia â nobis declaratur. Halogium autem Noris majoribus accensendum non esse ex tabula capitis XXIV. libri hujus perspicuum est, & libro qvinto hujus partis, ubi de Halogia agendum est, uberius monstrabimus.

Inde suspicari licet, Norem Finnmarchiam primò hac ipsa expeditione domuisse, vel postea, cum ab austro ad oras Septentrionales rediit. Si enim Thrandiâ regnum Noris conclusum fuisset, malè cohæreret, qvod Beiter Goris filius patris hæreditatem (nam ei omnes insulæ in divisione obtigerunt) asserturus, isthmum Ellidaeid navigio transvectus, omnem exteriorem districtum circa Naumudalos, Noris filiis detractum, ista stropha sibi vindicaverit. Certe Noris filiis illam paternæ hæreditatis portionem eripere neqvivit, qvæ patris illorum nunqvam fuit; sed nec insulas istis oris conterminas, si patrium imperium illuc non extendebatur. Hinc patet, minus accuratè Noris Gorisqve expeditiones descriptas ad nos pervenisse. Certè tantum abest, ut historia Hervoriana Halogiam, nedum Thrandiam, Jotunheimis accenseat, ut inter istam & illos Ymislandiam (exemplari Svedico malè Lunslandiam) inferat, Cap: I. in ipso limine, his verbis, exemplari Bryniolfi Svenonii excerptis, qvæ latinè ita sonant: Invenitur in libris antiqvis, qvod Jotunheimi appellabantur circa Gandvicham septentrionem versus, ad austrum autem Ymislandia Halogiam inter. Jam vero Origines, Jotunheimos Septentrionalem ditionis Noris, id est Norvegiæ, terminum constituunt, ergo etiam Halogiam & Ymislandiam, interjacentesqꝫ provincias; situm qvoqve Jotunheimorum per Gandvicham explicat. Snorrius Sturlæus, carmine qvod in honorem Regis Haconis Senioris, qvi anno MCCLXIII vivis excesserat, fecit, limites Norvegiæ ad Gandvicham usqve a Gotalbia extendit, citante Verelio, notis ad eundem locum, voce Gandvich/ qvem & ultimum Norvegiæ terminum ex Snorrii mente interpretatur. Atqve hæc latissima est Norvegiæ significatio, qvam presbyter *Styrmer Polyhistor in vita S. Olafi*, â se composita, etiam adstruit, citante *Codice Flat:* ubi qvæ inde excerpta sunt a col: 750 ad 754 leguntur, & de præsenti argumento hæc verba: Is (Sanctus Olafus) inqvit, fuit Monarcha Norvegiæ, ea latitudine, qva Haraldus Pulchricomus, propinqvus ejus, (hac voce qvaliscunqve sangvinis nexus latissimè describitur) imperavit, terminis â Septentrione Gandvicha, ab austro Gotalbia, ab oriente nemore Eidensi, ab occidente freto Aungulseyensi. Idem Fagurskinna in vita S. Olai tradit, titulo: Her gengr Olafr af skipum synum i orkadale/ his verbis, qvæ ita explico: Olafus rex ille Crassus subjecit sibi totam Norvegiam, ab australi termino Albi (Gotalbia) boream versus Gandvicham usqve. Qvò vero ad Jotunheimos perveniamus, sinus Gandvici situs primò excutiendus, si tamen in antecessum monuero, eadem non semper appellatione constitisse, sed nomen cum incolarum sedibus variatum, interdum latius explicatum, interdum arctioribus limitibus comprehensum, ita ut totum qvoqve sinus Gandvici circuitum complexum fuerit, Kyrialos usqve, qvorum sedes, extremi ejus ab austro in occidentem, inde ad Septentrionem, procedentes flexus indicare videntur. Latissimam hanc Jotunheimorum significationem historia Herraudi cap: IX. tuetur, ubi tradit Jotunheimorum Regem Gudmundum, cum Biarmiæ Regis filii, sororem ejus raptam ex Ostrogothia reduxissent, ejusqve nuptias illâ invitâ postulâssent, respondisse: ejus elocandæ jus sibi competere, nec permissurum ut Principibus extraneis jungeretur. Biarmenses itaqve inter cives & indigenas accepit. Sed nec aliter constat Norvegiam Jotunheimis claudi, cum inter illos propriè dictos plures, nec angustis terminis conclusæ, terræ intercedant, sinus nempe Gandvichensis, Hundingialandia, Biarmia, & qvicqvid

qvid inde ad amnes Elivogas extenditur. Hæc enim diſtinctio in hiſtoriis præcipuè obſervanda eſt, qvarum concinnatores alii eos non ſemper deſcribunt, prout habebantur tempore perſonarum, qvas celebrant, ſed ex poſteriorum ſeculorum uſu, id qvod ſcriptor Originum facit; Thorſteini autem & Vikingi hiſtoria ſitum eorum proprium, qvalis Halogii tempore, imo & Noris, fuerat, exponit; Herraudi autem & Boſii, ut & Hervoriana Hiſtoria, ſicut illo ſeculo, qvo vixerant, cenſebatur. Reliqva excutiemus. In ſitu ſinus Gandvici mirum qvam hallucinatus fuerit Clar: Schefferus, qvi Lapponiæ ſuæ Cap: II. eundem eſſe, qvi jam Bothnicus appelletur, Helſingiæ vicinus, ſtatuit. In qva etiam opinione Verelius aliqvando fuit. Nam notis ad hiſtoriam Herraudi, in voce *Biarmia*, flumen Vimt / cui ſilva cognominis vicina eſt, in ſinum Bothnicum ſe exonerare tradidit. Notis autem ad hiſtoriam Hervorianam Cap: I. in voce *Gandvich* melius edoctus, per Gandvich ſinum Gandvichum, ſed rectius Cranvicum, ut Plinio Lib: IV. Cap: XVI. mare Cronium & Lib: VI. Cap: XIII. Carambicum, vel, ut ad noſtrum idioma propius ſcribit Stephanius, Carambycam, Mare Album interpretatur. Id qvod Grimi Hirſutigenæ hiſtoria perſpicue oſtendit his verbis, qvæ ideo huc transferenda duxi, qvod ſine ullo reſpectu ad transmarinas terras ſitum ejus ob oculos ponant. Accidit, inqvit, qvod aliàs non erat infreqvens, ut annonæ penuria Halogiam affligeret, navem igitur ſuam piſcatoriam, tribus tantum remigibus inſtructus, Grimus (habitabat autem in inſula Hrafniſta propter Naumudalum) domo expedivit, prætervectusqve ſeptentrionalia Finnmarchiæ, ortum verſus deflectens, Gandvicham ingreſſus eſt. Ibi piſcatus abundè eſt. Hæc certe via in ſinum Bothnicum minime ducit. Poſſunt uberius eadem ex terrarum transmarinarum ſitu monſtrari, ad qvas hic ſinus transmittendus erat. Prima illarum verſus occidentem Hundingia occurrit, qvam ex Naumudalo acceſſurus Sturlaugus Laborioſus, Halogia Finnmarchiaqve, & promontorio Vatzneſia (fors Carlogenes) transmiſſis, in ſinu Auſtrvicha (aliàs Gandvica) anchoris jactis noctem exegit: Inde poſtero die ſolventi, ferente vento, terra ſilvis obſita in conſpectum venit; meridiano tempore Hundingiæ allapſus eſt. Inde digreſſus in Biarmiam pervenit. Clarum hinc, ultra ſinum Gandvichum, non citra Hundingiam, jacere. Forte tractum circa promontorium Orlevones antiqvitas hoc nomine deſignavit, qvi ad orientem d' Winam fluvium, & cognominem provinciam habet, ſitu Biarmiæ proprio. Biarmiam dico, regni qvoqve titulo olim celebrem. Illam Johannes Schefferus Cap: citato, ſedulò qvidem inqviſivit, ſed nusqvam invenit. In citeriorem & ulteriorem Saxo & Johannes Magnus eam diſpeſcunt: poſteriorem, eamqve ſolam, vetuſta, qvotqvot legi, documenta fide digna tuentur, de priore altum ubiqve ſilentium, utramqve intra Lapponiæ limites Schefferus collocat, amisſoqve veteri nomine in ejus tranſiiſſe ſtatuit, eam ob cauſam potiſſimum, qvod eâ admiſsâ ſpatium Lapponiæ non detur. Nam ſi Scritfinnia & Biarmia extendant ſe ab una parte verſus Helſingiam Jamtiamqve, ab altera verſus Finnoniam, habueritqve hinc Eſtiam, illinc Jamtiam, vicinas provincias, ſi ad ſinum Bothnicum etiam procedant, nihil ſuperſit ad Lapponiam. Si deniqve diſtrictus, qvi hodie Srennes Svecis vocatur, ſola veterum (ut qvidam putant) Biarmia fuerit, qvomodo in ea fluvii, qvi in ſinum Bothnicum decurrunt? qvomodo

Finnlandiæ vicina? Hæc qvidem vera ſunt, ſed ex haut conceſſis hypotheſibus concluſa, & fruſtra ſe hic vir Clar: torqvet, nam neqve Biarmia ſe verſus Helſingiam & Jamtiam, aut ab altera parte Finnoniam extendit, nec ad ſinum Bothnicum procedit, itaqve hoc ſitu in caſſum qværitur, ſed ultra Mare Album commodiſſimè, cui licet certos terminos, tacentibus veterum ſcriptis, Verelius vix poſſe aſſignari credat, ſed nec ego, qvà longitudinem latitudinemqve, exiſtimem, fluvium tamen d' Winam, antiqvitus Winam vel Vinu/ circa urbem Michaelis Archangeli in Biarmia decurrere, priſcorum hominum itineraria abunde monſtrant, qvæ ſecundum temporum ordinem exponam. De Sturlaugo Laborioſo jam diximus. Eadem via Aurvaroddus, æræ Chriſtianæ ſeculo tertio, ê Hrafniſta, Naumudali qvoq; inſulâ, in idem flumen pervenit; ita & Hiorleifus Mulieroſus ſeculo ſexto, Alrechſtadis, adjacente Bergis, celebri deinde Norvegiæ oppido, villa, qvæ tunc Regia ſedes erat, in Naumudalum profectus, inde ex inſulâ Niardeya Halogiam orasqve Finnmarchiæ prætervectus, transmiſſo ſinu Gandvicha, in Biarmiam amnemqve Vinam pervenit. Nec alio itinere Herraudus & Boſius ex Oſtrogothia in Biarmiam ſeculo ſeptimo profecti videntur. Id qvod ex cap: hiſt: illius XII colligi poteſt: nam digreſſi Glæſisvellis, qvi tractus Biarmiâ orientalior eſt, a recto in Oſtrogothiam curſu in Biarmiam deflexerunt, aliàs iis, ſinu Gandvicho transmiſſo, recta ad oras Finnmarchiæ navigandum fuiſſet. Satellites qvoqve Haraldi Pulchricomi, Haukus Habroch, & Vighardus, ſeculo nono in Biarmiam a Rege miſſi, ad Gandvicham prius pervenerunt. Eodem ſeculo Eiricus Blodoxius, Pulchricomi filius, ab expeditione in Biarmiam facta in Finnmarchiam rediiſſe traditur, & filius ejus Haraldus Grafeldus in ripis fluvii Vinæ, Snorrio teſte, bellaſſe perhibetur. Thorer Hundus cum Karle & Gunnſteino extrema Halogiæ ſeptentrionali provincia anno MXXVII. in Biarmiam profecti amnem Vinam ingreſſi ſunt, inde in reditu ſinum Gandvicum transmiſiſſe traduntur. Regis Haconis Senioris tempore anno MCCXXII. ſatrapæ duo, Andreas Skialdarband, & Ivar Utvik in Biarmiam profecti, magnam Biarmis cladem intuliſſe dicuntur. Sed cum nihil de eorum navigatione notatum ſit, trita eos via inceſſiſſe ſtatuo, ſecus id omiſſum non fuiſſet. In hiſtoriæ Haconis Senioris Cap: ultimo, ſub initium, inter ejus opera primò numeratur eccleſia in inſula Trumbſa ædificata in uſum Biarmorum a Tartaris expulſorum, qvos Chriſtianis ſacris imbuendos curaverit, eorumqve habitationi ſuum Melangrum aſſignaverit. Tartaros autem tum in Finnmarchiæ citerioribus maris Albi provinciis habitâſſe nusqvam legimus, ideoqve illinc Biarmos ut vicinos expellere neqvibant. Tot teſtimoniis conſpicuum credo eſſe, Biarmiam in ſinûs Bothnici circuitu non qværendam, nec in ulla Lapponiæ parte. Non igitur mirandum, cur flumina ex diſtrictu ſeu provincia Trennes in ſinum Bothnicum non defluant, cum nulla Biarmiæ flumina iſtuc devolvantur: nec Trennes antiqvitus Biarmiæ nomen obtinuerit. Idem Rudbeckio viſum fuiſſe Tab: ejus II. monſtrat, ubi ſitum Biarmiæ prope fluvium Vinam ſtatuit, qvam tamen Tab: VI. in extrema Scandinaviæ ſeu Lapponiæ ora cis ſinum Gandvichum poſuit. Jam vero Jotunheimi Biarmiâ Orientaliores erant; ad ſpatium igitur, qvod illi occupârant, cognoſcendum, amnium qvoqve Elivogarum poſitus inveſtigandus. Elivogas in frigidiſſima Septentrionis parte, perpetua glacie conſtrictos, tanqvam principii frigidi

ſymbolum,

ſymbolum, polo arctico tantum non ſubjacentes Fab: Eddæ IV. nobis exhibet. Verelius notis ad Hiſt: Hervor: Cap: I. pag. 26. in ultima Lapponiæ vel ſeptentrionalis Ruſſiæ parte labentibus amnibus hoc nomen inditum, vel etiam mare glaciale ſic appellatum, exiſtimat. Illic tamen ad ſeptentrionem Jotunheimos, aut certe eorum partem, Fab: Eddæ LVI. collocat; qvippe qvæ tradit Thorem Orvandilem, ferreo incluſum calatho, ex Jotunheimis redeuntem humeris ſuis trans Elevogas portâſſe. Verelius loco citato eos fluminibus Elevogis utrinqve claudi arbitratur. Nec alium amnem Saxo intelligere videtur, loco prius citato, per eum, qvem aureo ponte permeabilem, cujus alveo, humana â monſtroſis naturam ſecreviſſe, nec mortalibus ultra fas eſſe veſtigiis, Thorkillus narrat. Non igitur ſatis cohæret, fluvios hos & in Lapponia, & ſimul in terra ultra Gandvicham & Mare Album exiſtere; nec magis qvod Jotunheimi in Dalacarlia ideo conſiſtant, qvod lacus cognominis Elivogi; ibi qvoq; detur, ut Reenhielm notis ad hiſtoriam Vikingi & Thorſteini Cap: I. pag. 11. ad titulum: Hann var riſafnus; monet, conſentiente Rudbeckio, qvi ob eandem cauſam eis omnem agrum a grad: lat: 65. ad 72. aſſignavit. Mihi per Elevogas ſi flumen Petzora intelligatur, â veterum ſcopo minus aberrare videar; provincia enim ejusdem nominis magis etiam in Boream (Nordoſt) extenſa deſcriptioni eorum convenit. His præmiſſis, ad Jotunheimos redeundum. Hiſtoria Vikingi & Thorſteini Cap: I. Gymisgardos, Ex: Sved: Grimsgardos, Jotunheimorum ſive Regiam ſive provinciam, memorat. Illos autem tum temporis, Halogio ſcil: regionis illius eponymo regnante, in Elevogis Boream verſus ita vocatos teſtatur: inde concluditur, nomen terræ cum incolis ſedes transferentibus, deinceps qvoqve translatum fuiſſe. Antiqviſſimum certe ſitum; nec tamen Noris temporibus antiqviorem, ſcriptor iſte deſcribit. Finnalfus enim & Alvor, cujus filiam Halogius duxerat, patrem habuerunt Raumum Noris filium, qvo tempore Jotunheimorum nomen in Elevogis manſit. Locum qvem iſtis fluviis aſſignavi, Hrolfi Pedeſtris vita, in locorum qvàm rerum geſtarum expoſitione minus ſuſpecta, confirmat his verbis: Hrolfus ê Dania in regnum Holmgardenſe decem navibus profectus eſt, totiusqve Gardarichiæ Rex conſtitutus. Triens Gardarichiæ Kænugardus appellatur, adjacetqve iſti montano aggeri, qvi Jotunheimos ab Holmgardarichia ſeparat, ibi multa regna ſed parva. Urbem Holmgardiæ, Gardorum Reges maximè incolunt. Hic Gardarichia & Holmgardia eodem ſignificatu totam Ruſſiam denotant, qvorum metropolis Holmgardus, Regium illis temporibus domicilium celeberrimum, concurſu qvoqve advenarum freqventabatur. Hinc Reges Holmgardi pro Gardarichiæ ſeu Ruſſiæ Regibus intelliguntur, qvi & Gardorum Reges appellantur, Gardi enim in plurali Gardarichia vocatur. Eſt qvoqve Holmgardus magna Gardarichiæ provincia, forte ab urbe Holmgardo, qvæ ibi ſita eſt, ita dicta, docente hiſtoria Eymundi, fratris Hrærechi Cæci, â Sancto Olafo oculis orbati, qvæ Gardarichiam inter Regis Valdemaris tres filios, Jariſlaum, Buriſlaum & Vartiſlaum ita diviſam tradit, ut Jariſlao ceſſerit Holmgardia ſeu Holmgardus, Buriſlao Kænugardia ſeu Kænugardus, Vartiſlao Palteſcia cum ſubjectis provinciis (forte Pleſcovia) qvarum Kænugardiam cæteris majorem refert, qvæ ſcriptoribus Helmoldo & incerto authori Chronicorum Sclavonicorum Chunegard, qvòd Hunnorum ſedes prima fuerit, pro tota Ruſſia accipitur, non ſecus ac ſcriptori vitæ Hrolfi Pedeſtris hoc loco Holmgar-

dia & Holmgardus passim. His igitur montibus, qvos alii Hyperboreos, alii Riphæos, alii cingulum mundi appellant, cum Jotunheimi à Gardarichia seu Russia, parteqve ejus Kænugardia, disterminentur, perspicue situs illorum, nempe ad Septentrionale dorsum, indicatur ad fluenta Petzoræ, & nescio an tractus omnis flumen Obium usqve. Certè commentator in „ Eddæ Resenii Fab: XII. ita de iis sentit: Jotunheimar/ seu Kempeland/ „ sunt juxta fabularum harum documenta extremæ oræ terrarum extra „ orbem habitabilem, gigantibus tamen non inhabitabilem. Sigurdus Stephanius, doctus Islandus, Scholæ Schalholtinæ qvondam Rector, in delineatione terrarum Septentrionalium, qvam anno MDLXX. confecerat, in extremis Gronlandiæ desertis eos collacat, sub grad: lat: 72. inter meridianos 350. & 360., ubi Regiam Gudmundi & Geruthi statuit: qvicqvid sit, Biarmiâ illuc profecturis in apelioten (Nordost) iter dirigendum Eddæ Mythol: LVII. monstrat, dum iter Thoris ad Geirraudargardos describit, amnem enim Vimr/ dum illuc pergeret, vado transiisse perhibet. Saxo qvoqve Lib: VIII. pag: 161., ex ulteriore Biarmia brevem ad Geruthum transitum affirmat; id qvod Herraudi historia pluribus locis stabilit. Cap: enim VII. Biarmensis qvædam unius noctis amica Bosio exponit, qvod fani Biarmensis sacerdos Hleidem Gudmundi sororem ex orientis tractu Glæsisvallis rapuerit. Eundem qvoqve situm Cap: XII, in reditu Herraudi & Bosii ex Glæsisvallis, & Cap: XIII in profectione filiorum Biarmiæ Regis Harechi inde in Biarmiam, & Cap: XII in profectione Bosii ex Biarmia Glæsisvallos usqve monstrat. Sunt autem Glæsisvellir/ teste historia Hervoriana Cap: I. Jotunheimorum provincia dicta, forsitan à glacie vitrea, qvod vitri instar perpetuo splendeat. Vitrum enim Gler/ sive Glas/ hinc Glæsa splendere, & Glæsi splendor; non tamen hunc tractum Romanis ita cognitum existimem, ut inde Glessariarum nomen emanaverit; nec illinc succinum ad eos translatum. Cum itaqve tam â peninsula Scandinavia remoti, antiqvissimis temporibus Jotunheimi propriè dicti fuerint, facile colligitur, sedes eorum imperiumqve postea latius diffusum, Biarmiam cæterasqve circa sinum Gandvichum provincias ad Kyrialos usqve ambitu suo complexuqve tenuisse, licet non illo tempore, qvo Nor Norvegiam subegit, qvamvis scriptor Originum id non observaverit, sed ex posteriorum seculorum usu ditionem ejus censuerit; postea vero nomen illud, universis commune, â singulis provinciis, sua propria retinentibus, plane exhaustum est; donec & illæ sua perdiderunt. An vero Risalandiæ qvoqve nomine appellati sint, svadente id synonymia (Risi enim & Jotun pariter gigantem denotant) affirmare nescio. Bardi Snæfellzas dicti, id est, nivei montis Dei, historia, vel potius fabula, situm trans mare Dumbicum collocat; qvod licet Arngrimus in Crymog: & Verelius notis ad Cap: I. hist: Hervorianæ pag: 27 pro sinu Bothnico accipiant, mihi tamen illud hucusqve non persvaserunt. Vidit qvidem Verelius mare Cronium qvondam Dumbshaf appellatum, ideo vastissimum illum intermarinum tractum Dumbum ditione tenuisse, sinuiqve tam Bothnico qvam mari Cronio, nomina de suo indidisse existimabat; cui opinioni fulciendæ locum historiæ Bardi, haut ad authoris mentem vel verba explicatum, applicuit, his eum verbis interpretatus. Gestus, inqvit, Bardi filius septentrionalia litora legit, & supra Halogiam & Finnmarchiam mare Bothnicum sulcavit, superatoqve Dumbshafe, cum in

boreali

boreali litore esset, advenit qvispiam ê continente, & itineris societatem cum eo iniit, tandem, senescente jam anno, ad deserta Gronlandiæ pervenerunt. Qva interpretatione Risalandiam nobis inter mare Cronium & sinum Botnicum obtrudit. Verum qvàm absona hæc sint, ostendunt ipsa autographi verba, qvæ tam exemplari Regio, qvàm eo qvod secutus est Verelius, adscribam. **Gestr Bardarson sigldi Nordr med Landi/ oc alt (ex.R: Nordr) fyri Halogaland oc (ex.R. i) Finnmork/oc so til Hafsbotna/ oc er þeir komo Nordur Yfer (ex. R. fyrir) Dumbs Haf þa kom madr af Landi.** Hæc ad verbum fere ita sonant. Gestus Bardi filius, litora versus septentrionem legens, Halogiam & Finnmarchiam prætervectus ad fines maris pervenit (seu, secundum exemplar Regium, Halogiam prætervectus) in Finnmarchiam, & inde ad fines maris pervenit. Hos autem maris fines Dumbi ditionem fuisse, eadem historia his verbis in limine profitetur. **Dumbur hefur Kongur heited/ hann ried fyri Hafsbotnum þeim er ganga af Risalandi i Landsudur/ enn Fyri sunnan geingr þat haf sem nu er kallad Dumbshaf / og kient var vid Dumb Konung/ og liggia þar Morg Lond sma/ og svo eyar/** id est, Dumbus Rex præfuit finibus maris, qvi â Risalandia in ortum brumalem protenduntur; ad meridiem autem mare est, qvod Dumbicum appellatur, a Rege Dumbo sic denominatum, ibi multæ parvæqve insulæ. Eqvidem qvicqvid a nova Zembla ad Spitzbergam Gronlandiæqve desertæ orientales oras interjacet, nobis qvidem incognitum, veteribus longè notius fuit, qvorum manuductiones secuti qvidam Islandorum docti viri, inter eas spatium qvoddam angustum, freti tamen latioris capax, in tabulis suis reliqverunt; adqve illius occidentale latus Risalandiam Dumbiq; regnum statuerunt. Mare autem, qvod inter Gronlandiam & Septentrionales has Russiæ extremitates ad Finnmarchiam usqve protenditur, **Dumbshaf** appellârunt, qvod qvidem â meridie illas terras alluit, sinus autem, qvi ab illa Risalandia, ibi locorum sita, in brumalem ortum protendi dicuntur, nobis sunt incogniti, & (ut credo) omnibus, qvi hucusqve scripta sua publicârunt, geographis. Creditum est, terristri via a sinu Gandvicho in illas oras iter patere, profectumqve unum tantum virum, nomine Hallum, per congelata freta memorant, comite caprâ, cujus lacte vitam toleraverit, id qvod me certè magis credulus Doctiss: Verelius annotare non est dedignatus, loco citato. Si ergo Dumbus filium suum in Norvegiam ex his locis ad Dofrium, Dofrinosqve montes educandum adduxit, itinere, terrestri amnes Elevogæ transmittendi erant. Qvod si per Risalandiam nova Zembla intelligatur, sinusqve, qvi inde in ortum brumalem porrigitur fretum Veygatz, ibi Dumbi regnum habemus, habet enim ex parte ad meridiem mare qvod ad Finnmarchiam extenditur. Atqve ita singula, qvæ Bardi Historia descripsit, ipsa situs ratio probat. Proximi huic tractui sunt Jotunheimi, ubi & flumina Elivogæ proficiscentibus ad meridionalia trajicienda. Hoc tractu terrarum Hellulandia, sinus Skugganus, qvem vita Ketillis Hængi nobis exhibet, ut & Aurvaroddi, fabulis respersa, qvi ê mari Gronlandico austrum versus, mox in occidentem navigavit; forte a nova Zembla versus oppidum Archangel, nam ex Dumbicis rupibus & his omnibus locis ad comitia gigantes coire solebant. Hunc Dumbici maris situm Liber Originum Islandiæ confirmat, dum refert Helgium Macrum Islandiæ allapsum,

ſum, oraculum conſuluiſſe, de loco ſibi occupando, Thorem autem ſinum ſeptentrionalis Islandiæ Eyafiordum ei monſtrâſſe, nec permiſiſſe ut curſum a monſtrata ſibi via aliorſum deflecteret; tandem filium ejus Hrolſum, longioris navigationis, anteqvam ſinus aperiretur, pertæſum, qvæſiviſſe â patre; ſi Thor eum in mare Dumbicum ad hyemandum mitteret, num & eò profecturus eſſet? Id autem de ſinu Bothnico intelligi neqvit, ſed de eo mari tractuqve, qvi in ſeptentrionales Islandiæ provincias proficiſcenti ulteriusqve navigaturo patet. *Olaus Rudbeckius* Tab: II. in Atlanticam, ad lacum Lapponiæ Enachazæ, ſub grad: lat: 70. long: 52. Dumbshaf retulit, qvi Scheffero Enare Troſk appellatur, qvod cum citatis documentis, & ab iis indicato Riſalandiæ ſitu conciliare ſuperſedeo, contentus meam opinionem indicâſſe, rectioraqve afferentibus, etiam non ſine gratiarum actione, acqvieſcere. Atqve hæc ſunt, qvæ de origine gentis Norvegicæ, tum ex patriis, tum etiam alienigenis ſcriptoribus in præſens colligere potui. Cætera, qvæ huc pertinere nonnullis forſitan videbuntur, ut & mores ingeniumqve gentis, ipſa hiſtoria enucleatius pandet.



HIST-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ

LIBER QVARTUS, DE DIVISIONE NORVEGIÆ ET PRIMA PROGENIE, USQVE AD HALFI HEROIS EXITUM.

CAP. I.

DE DIVISIONE NORVEGIÆ INTER TRES NORIS FILIOS.



EXpoſitis, præter nominis rationem, utcunqve ſitu regionis, gentisqve Origine, proximum eſt, ut qvæ ante Monarchiam, in qvibusdam, ſi non omnibus, Norvegiæ partibus geſta ſunt, qvantum Scriptores qvidem prodiderunt, nec ſiniſtra fata nobis inviderunt, ſtylo complectamur; eâ methodô, ut primò ſeriem â Thorrio ejusqve filiis Nore & Gore, filiâqve Goë, ex libro Originum Norvegiæ præmittamus, mox ex aliis qvoqve documentis erutam progeniem eorum enarremus; inde tranſitu ad eos factô, qvi aliunde ortum trahunt, qvicqvid de illis ſcitu dignum priſcæ memoriæ reliqverunt, in hos libros congeramus.

Norem duas uxores duxiſſe veriſimile eſt, prima fuit Haudda Svadii gigantis filia, Rolfi de Rupe ſoror, Thrandum & Gardum, cognomento Agdium, ex illa procreâſſe memoratur; Thrandô autem territorium, de nomine ejus poſtea Thrandiam ſeu Thrandheimum dictum, reliqviſſe. Vita tamen Halfdani Eyſteini filii, Thrandum, â qvo tractus ille nomen contraxit, Semingi ejus, qvi Odini filiorum unus fuit, filium agnoſcit, Naumamqve ei uxorem tribuit, qvæ Naumudalo confini provinciæ nomen de ſuo communicaverit. Snorrius in prologo hiſtoriæ Norvegicæ Semingum non Odini, ſed Ingifreyris fuiſſe filium perhibet, â qvo genus Haleyingorum longa ſerie ad Haconem Potentem Hladarum Comitem Eyvindus Skaldaſpiller texuit, haut exili argumento, non ſolùm genus,

ſed etiam imperium inter poſteros pedetentim in minutiores partes diviſum promanâſſe. Mihi diverſas authorum traditiones indicâſſe ſuffecerit. Cum autem â Semingorum altero deſcendentia ſtemmata, ſub titulo Halenjugatal/ priſcis monumentis ſatis decantata, continuâ ſerie tradita ſint, ſed in librum Originum Norvegiæ non item relata, ea qvæ de Noris poſteritate ſuperſunt, in medium proferam. Eqvidem â Thrando nulla generis ſeries ſupereſt (Eyſteinum enim & Eiricum illum Peregrinatorem ſeu multivagum, qvem immortalium agrum, ſeu Paradyſum, ſtolido voto inqvirendum ſibi injunxiſſe fabulantur, Semingi qvidem nepotes, Thrando tamen, ab hoc diverſo, natos nugantur; hos verò duos Halfdani Eyſteinii vita fratres facit) Gardus autem Agdius prole felicior, patrimoniiqve parte longe auctior, Haurdum, Rugalfum, Thrymum, Vegardum, Freygardum, Thorgardum & Griotgardum genuit. Haurdus Haurdiæ Rex & eponymus dicitur, cujus poſteritatis ſeries qvædam, ſed perperàm tradita, in libro Originum Norvegiæ conſpicitur, qvam meliora documenta ſecuti rejicimus. Ne tamen lateat error, etiam eum bona fide producemus. Ejus enim filius Joſur ſeu Joſur Hioris pater, Hiorleifi Mulieroſi avus, illic nobis obtruditur, ipſius Hiorleifi Mulieroſi vitâ, antiqviori membranæ inſcriptâ, repugnante. Rugalfus Rogiæ ſeu Rogalandiæ (qvæ tractu nomarchiæ Stafangrienſis continetur) Rex conſtitutus, Rognvaldum genuit, Augvaldi patrem, cognomento Rogii: Ab ejus cognomine Rogia ſeu Rogalandia, nomine verò Augvaldzneſia, celebre prius Regum prædium & ſedes, nunc paſtoralis villa, nomina ſortita ſunt. Eorum progeniem in alium locum reſervabimus, ubi de iis pluribus agendum erit. Tertius filiorum Thrymus, in Agdiam Regio titulo ſucceſſit, filii ei Agdius & Agnar. Agnare natus Ketill Thrymus, qvi in inſula Agdiæ Thryma, (hodie Tromſø) habitavit, vir celebris. Qvartus Vegardus Sogniæ Rex, filius ejus Vedrormus pater Vemundi Senis, Signatroſti, id eſt, Sognenſium fiduciæ, dicti. Hæc nomina pluribus ex poſteris ejus com̃unia ſunt. Qvintus Freygardus, Fiordorum & Fialarum Regulus; filii ejus Freyſteinus Senex dictus, qvi in Gaulis habitavit, & Freybiornus (forte qvem Preben hodie vocamus) filius ejus Audbiornus, pater Arnbiorni Fiordorum Comitis perperàm qvidem, nam alter Audbiornus Fiordorum Rex ſeqvioribus temporibus vixerat, ut ex vita Pulchricomi patet; facilior autem â Regali faſtigio ad Comitum ſortem deſcenſus erat, qvam â comitatu ad Regiam aſcenſus. Sextus filiorum fuit Thorgardus Sudmæriæ Rex, filius ejus Thorvidus, pater Arnvidi Treſerkiabanii, ſeu Treſerkiacidæ: Arnvido nati Slævidus & Bravidus. Ultimus Griotgardus Nordmæriæ Rex; hujus filii Salgardus & Siggar, Salgardi genus prius exponendum; ejus filius Griotgardus Secundus, filia ei Hildis, qvæ nupſit Sigmundo illius Sigaris filio, cui pater erat Halfdanus Priſcus, Hringarichiæ & Valdreſiæ Rex. Sigmundi ex Hilde filius fuit Siggar, avi nomen gerens, qvi filiam habuit Signyam Hagbardi amaſiam. Sigmundi frater fuiſſe dicitur Siggeir, is qvi duxit Sygnyam Volſungi filiam, Filius Griotgardi Secundi, Hildis frater fuit Solvius, pater Hognii, Domini de Niardeya, inſulæ Naumdalo, qvi â plaga Septentrionali Thrandiam reſpicit, adjacentis. Hognii liberi Solvius, qvi, deturbato de Sveciæ Regum ſolio Eyſteino Adilſis filio, Rex Sveciæ poſtea factus eſt; & ſoror ejus, Hognii nimirum de Niardeya filia, Hildis Gracilis dicta, Hiorleifi Mulieroſi uxor, eorum filii Hiörolfus, & Halfus Heros, de qvibus alio loco pluribus agendum. Siggare Griotgardi Primi filio nata Signya, Haraldi Comitis Naumudalenſis uxor, eorum

rum filius Herlaugus Griotgardi pater. Griotgardi filius Hacon Comes, Sigurdi Comitis pater, qvi Haconem illum Potentem creavit, Hladarum Comitem, cui Olafus Tryggvinus successit. Addunt Origines Islandiæ Haconis Griotgardi filii sororem Ranveigem, cujus filius fuerit Thorgrimus, Lioti Sapientis pater, inter primos Islandiæ incolas numerandi, additqve conceptis verbis Ranveigem illam Griotgardi Hladarum Comitis filiam exstitisse; Haconi autem Comiti duas tribuunt filias: Asam, matrem Ketilbiorni, celeberrimi illius inter primos Islandiæ incolas viri, qvi trabibus argenteis exstructum delubrum ornare gestiebat, inter Islandiæ primos habitatores nobis porrò memorandus. Altera Haconis filia fuit Unnur, mater Kollgrimi Senis, qvi tractum Hvalfiardarstrandarum, ad septentrionem magis vergentem, in Islandia occupavit; qvod si ab eodem Hacone Comite orti sunt, certè Haconis Potentis Comitis consobrini videntur. Verum omnes hæ genealogiæ intermediorum avorum defectu plus nimium scatent. Tertius Noris filius, incertum qvâ matre natus, Raumus memoratur, ei Alfheimi & tractus universus inter amnes, qvi inibi fluunt, cessêre (hodie districtus Bahusensis) & qvicqvid inter Gothalbiam & fluvium Raumelfam interjectum est, ditione illius continebatur.

CAP. II.

DE SOBOLE RAUMI, NORIS FILII.



AD convivium Jolense invitatus Raumus à Bergfinno, Thrymi gigantis filio de Verma, sororem ejus Bergdisem stupravit. Nati ex hoc congressu filii tres, Alfbiornus, Brandus & Alfus; hunc Bergfinnus educavit, à posteriore nominis sui parte Finnalfum appellans. Biornum nutrivit mater, Jotunbiornumqve vocavit; Brandum ad patrem misit: verum ille Diis puerum consecravit, de nomine etiam Deorum Gudbrandum appellatum, datis ei vallibus, hanc ipsam ob causam Gudbrandzdalis (non, ut corrupte, Guldbrandzdalis) postea dictis. Jotunbiorno autem Raumsdalum; Alfo sive Finnalfo Eystridalos sive orientales valles, & omnem tractum à septentrione Væneri obversum, qviqve Gautelfam & Raumelfam interjacet, is Alfheimorum nomine insigniebatur. A Jotunbiorno Ingimundus, Curio Vatzdalensis, inter primos Islandiæ incolas magni nominis vir, gradu decimo descendit, cujus genus in primis Islandiæ incolis recensetur, haut sine magna intermediorum lacuna. Eô etiam vir præcipuus, Tungu-Oddus dictus, decimo tertio gradu remotior est. Brandus Audleifum creat, Audleifus Gudmundum, Gudmundus Gudbrandum, qvi angustos regnorum limites Regio nomine inferiores existimans, ultrò tanti fastigii titulô resignatô, Comitis nomen assumpsit, præfatus, malle se potestate Regibus parem, Majestatis nomine abstinere, qvò Comitibus omnibus toto septentrione major non haberetur modò, sed etiam esset. Inde filius ejus Geirmundus, neposqve Rodgeir, nec non pronepos Gudbrandus, Comitum nomina usurpârunt. Verum hic proavi factum imitatus, etiam Comitis titulum Herseris, seu Baronis, permutavit, amplitudine ditionis, & liberâ in cives suos potestate, sui temporis Regibus nullâ parte inferior: ejus exinde successores Baronum titulo usi sunt. Jotunbiornus Priscus pater erat Raumi Regis, avus Hroggbiorni, proavus Ormi Skeliamolii, abavus Knatti, atavus Thorolfi Halmii, & Ketilis Raumi. Thorolfus pater erat Helgii, cujus

jus filius Bersius, nepos Thormodus, proneptis Thorlaug, abnepos Tungu-Oddus, Islandiæ celebris incola. Finnalfus Priscus uxorem accepit Svanhildem, cognomento Gullfiedur/ ɔ: Auripennam, cui parentes erant Dagus Dellingi filius, & Sola Mundilfarii filia. Finnalfi filius Svanus Rufus, nepos Sæfarius, pronepos Ulfus, abnepos Alfus, pater Ingimundi & Eysteini. Raumus Noris filius uxorem postea duxit Hildem, Gudbrandi Prisci filiam, cujus pater, idemqve Hildis avus, fuit Solvius, is qvi primus tractum Soleyensem excoluit. Illius filii fuerunt Gudraudus Raumarichiæ Rex, Haudus, Haddingus & Hringus. Gudraudi filius Eysteinus Astutus, idemqve Raumarichiæ Rex, alias Dives seu Potens dictus. Is bello Thrandenses adortus, satrapias Eynensium (hodie Dyefylcke) & Sparbyggensium (hodie Sparrebolen) subegit, iisqve filium, qvem Codex Flateyensis Aunundum, Petrus Undalinus Sorqverem, appellat, præposuit. Qvem cum occidissent, infesto exercitu iterum in Thrandiam movit; latè eam populatus cùm domuisset, optionem civibus fecit, vel servum suum, nomine Thordum, seu, ut aliud exemplar MS. habet, Thorerem, cognomento Faxium, in Regem eligendi, vel canem, qvem Saur vocabat. Qvi servile jugum dedignati canem prætulerunt, libertatis qvalicunqve specie ignominiam ex parte solari sese existimantes, si â bellua, nomine tenus, non revera, regi se paterentur. Electo siqvidem servo inevitabilis necessitas incubuit, & re ipsa serviendi, & qvod durius erat, abjectæ sortis homini: qvo vero haberent, qvod vicinis forte exprobrarent, etiam belluas, si Thrandenses regere viderentur, Regibus illorum sapientiores esse, incantationibus & magicâ vi tantum sapientiæ ipsi infuderunt, qvantum tribus sufficeret hominibus; duo semper verba latrando edebat, tertium qvodqve articulata voce: aureo & argenteo nullo decoratus incedebat: qvoties lutulenta viâ gradiendum esset, humeris eum satellites gestabant: solium ei in publicò monumento in superficie collis exstructum: insula Yrdre (hodie Yndrec) Regia erat sedes, locus tamen palatii, de nomine ejus Saurshaugus hodieqve appellatur. Vitæ ejus exitum dederunt lupi, ovium enim gregem ab iis infestatum, incitatus â satellitibus, dum defendere satagit, dilaniatus est. His qvidem ita ex vetustis memoriis narratis, fidem qvi velit habeat. Multa præterea monstrosæ crudelitatis genera in interioris Thrandiæ incolas exercuit Eysteinus, unde compulsi sunt qvovis modô tyrannidem ipsius subterfugere. Multi igitur proceres, plebisqve magnus numerus, necessarium sibi exilium indixerunt, relictaqve patria, cum omni pecorum ac suppellectilis genere, solum vertere coacti sunt. Inter hos fuit Ketill Jamtius, Comitis Sparreboënsis Aunundi filius, qvi transmisso monte Kiolo civium oppressorum multitudini ducem se præbuit, ibi exustis silvis, planicies agrorum cultui & habitationibus accommodatas ad sementes & ædes ibi faciendas applicavit, deductisqve magnis coloniis, primus eum tractum dè nomine suo Jamtalandiam, seu Jamtiam, dictam incolere cæpit, cujus nepos Thorer Helsingus, homicidii postea in Jamtia perpetrati reus, vitæ suæ metuens, trans solitudinem orientem versus secessit, novisqve ibi collocatis coloniis, plures secum adduxit socios, provinciæ latius excolendæ causâ, qvam de suo nomine Helsingiam appellavit. Situs autem Helsingiæ antiqvissimis monumentis ad sinum usqve Bothnicum in orientem protendi traditur, cujus orientale latus sinui adjacens Sveci inhabitabant, nec primis temporibus in austrum æqvè ac postea extendebatur. Hinc conspicuum est, Reges, qvi in Helsingia Saxoni bella gessisse memorantur, anteqvam Helsingia culta esset, vel nunqvam extitisse,

vel

vel poſt hæc tempora illam oppugnâſſe. Patet etiam, Eyſteinum, qvem index poëtarum, ſive Skaltatal, Belium appellat, & memorat qvoqve Hervoris hiſtoria, ubi Haraldi Hilditanni Daniæ Regis filius ſtatuitur, Aſtutusqve audit, longe poſt hunc Eyſteinum vixiſſe, nec Halfdanum Albipedem generum habuiſſe. Eyſteinus etiam Dives & Imperioſus dictus hanc æram ſibi vendicat, licet ab hoc deſcendiſſe videatur, multo a minus Eyſteinus Hognii avus, de qvo in vita Olafi Geirſtada Alfi. Haudus Hadalandiam, de ſuo nomine dictam, titulo imperioqve Regio poſſidebat. Hujus filius Hoddbroddus, nepos Hrolfus, pronepos Hromundus Berſerkus, abnepotes Hamundus & Hakius, abneptis Gunnlaud. Hamundus Comes in Hordia fuit, filii illius duo cognomines Hrochi, colore diſtincti, Albus alter, alter Niger vocati. Hrochi Nigri filia fuit Gunnlaud, Hromundi Greipii celebris athlethæ mater, Gunnlaud Hromundi filia Steinos progeneravit, Utſteinus alter, Innſteinus alter vocabatur, de qvibus infra plura. Hakii filius Hrodgeir, nepos Hrodmar, pronepos Hakius Berſerchus. Haddingus Raumi filius Haddingiadalum & Thelemarchiam ſortitus eſt, inde valles Haddingiadali nomen traxerunt, qvas hodierna lingva corruptè Hallingdal appellat; filius ejus & nepos Haddingorum nomen retinererunt, pronepos Hognius Rufus dictus, qvem tres Haddingi, ordine ſucceſſionis ſe excipientes, ſeqvebantur, uni ex his Helgius Haddingia-Skatius, ſeu Haddingorum athleta militavit. Qvartus filiorum Raumi fuit Hringus, Hringarichiæ, â ſe denominatæ, & Valdreſiæ Rex: uxor ei filia Viſilis nautici Regis fuit, ex qva Halfdanus poſtea, qvem Grandævum vel Priſcum ſalutamus, natus eſt.

CAP. III.

DE HALFDANO PRISCO, EJUSQVE PROGENIE.



IS cum primum ad paterna ſceptra promotus eſſet, magnificum ſacrificium Diis inſtituit, pro obtinenda trecentorum annorum ætate, exemplô Snæris Antiqvi, qvem totidem annos vixiſſe fama (vel potius fabula) tradidit. Reſpondit autem oraculum, modum humanæ ætatis haut exceſſurum ipſum, proximô tamen trecentorum annorum intervallô, nec fæminam, nec ignobilem in familia naſciturum eſſe, (id qvod parem cum Snæris ætate fidem meretur.) Hic deinde vir bello ſtrenuus, celeberrimusqve evaſit, orientales terras, Ruſſiam puta & Livoniam, cum adjacentibus finibus, Bothnico & Finnico, cum exercitu peragravit, ſingulari certamine cum Sigtryggo, magni nominis Rege, pugnavit, eoqve occiſo Almveigem (Codici Flateyenſi Alfniam) Eymundi Holmgardiæ Regis filiam, uxorem duxit; novem ex eâ filios progeneravit, horum nomina Theingill, aliàs Mannatheingill, Ræſir, Gramus, Gylvius, Hilmir, Jöfur, Tiggius, Skilius & Harrius. Omnes hi ætate pares, ſimul uno prælio mortui perhibentur, adeoqve famâ celebres, ut horum nominibus poëtarum natio, & ſeqvens ætas ad epitheta Regum Principumqve uſa fuerit. Simul natos qvis credat? mortuos ſimul eſſe qvid prohibet? Duces militiæ Halfdani fuiſſe ad diverſas provincias debellandas, ſpoliaqve colligenda haut

haut abſonum eſt. Novem præterea filios habuiſſe dicuntur; nomina horum: Næfill, Audius, Skelfir, Dagus, Bragius, Budlius, Lofdius, Siggar & Hildir. Hildir, Siggar, & Lofdius, exercituum Duces, Regio tamen titulô, fuerunt. Audius, Budlius & Næfill claſſium præfecti, Regesqve maris dicebantur: Dagus, Skelfir & Bragius ditiones tenebant. Dagi uxor fuit Thora, Drengia modir/ id eſt, athletarum mater, dicta. Olius, Amus, Joſur, Arngrimus, nec plures filii eorum recenſentur. Ab Olio Sigurdus Hiortus, Haraldi Pulchricomi avus, deſcendit, hac ſerie. Olii filius erat Dagus, Dagi Oleifus, Oleifi Hringus, Hringi Olafus, Olafi Helgius, qvi erat pater Sigurdi Hiorti, & avus Ranghildis, matris Haraldi Pulchricomi; appellabaturqve hæc genealogia Doglingorum familia, qvam tamen in Halfdanis, Albipede & Nigro, refellimus. Arngrimum hunc cum illo Eyvoris marito, Angantyris patre, Origines confundunt, forte qvod Dagus matrem ejus poſt parentis fata uxorem duxerit, neqve enim gradus hic cum iis, qvæ hiſtoria Hervoriana exponit, pugnat. Bragius Antiqvus Valdreſiæ Rex filium habuit Agnarem, Alfi patrem, Eirici avum, Hildis proavum, Halfdani Munifici abavum, Gudriodi atavum, Halfdani Nigri tritavum, Haraldi Pulchricomi tritavi patrem, Bragningorumqve familia illa cluet, inqve Eyſteino Haldani Albipedis filio enumeratur. Ab Hildere Dagi filio Hildingorum familia promanavit, hac ſerie: Hilderis filius erat Hildebrandus, Vigbrandi pater, Hildis & Herbrandi avus, Haraldi Grænſkii proavus, Aſæ imperioſæ abavus, Halfdani Nigri, Haraldi Pulchricomi patris, atavus, ut in Gudriodi Venatoris vita demonſtratur. Siggar pater fuit Siggeiris mariti Signyæ Volſungi filiæ, ut & Sigmundi, mariti Hildis Griotgardi Nordmæriæ Regis filiæ, Griotgardi filius Sigar Signyæ pater, qvi Hagbardum juſſit ſuſpendiô necari; appellaturqve hæc Siklingorum familia, de qva in Griotgardo agitur. Illud hic notandum eſt, Siggaris Halfdani filii ex Sigmundo neptem Signyam Hagbardi amaſiam primam (fide Originum Norvegiæ, qvippe cæteris monumentis Halfdano gradu propiorem) fœminam fuiſſe in familia Halfdani, natam poſt trecentorum annorum excurſum, â ſacrificio inuſitati ſenii conſeqvendi cauſa facto. Verum Halfdani abneptem fuiſſe Signyam, haut qvisqvam perſvaſerit, niſi in decrepita ſenectute proavus avum, avus patrem ejus, & ille iterum eam progeneravit. Sed cum hæc ex fabulis deſumpta ſint, lectoris arbitrio permittimus, qvicqvid ipſi ſtatuere libeat; qvod ſi vera eſſent, ſtatuerem hæc incidiſſe in temporâ patrum Davidis, Iſraelitarum Regis. Snorrius autem Sturlæus, Dageidem, Dagi Daglingorum authoris filiam, Halfdani neptem, Signyâ priorem nobis oſtendit, unde vanitatis convincitur, qvod de trecentis illis annis hucusqve ex Originibus expoſuimus. Skelfir Vaurſiæ Rex fuit, filius ei Skioldus, nepos Eiricus, pronepos Alrechus, prædii Alrechſtadi, ut videtur, fundator & eponymus, abnepos Eiricus Diſertus, atnepos Alrechus Vegetus, trinepos Vikar-, cujus filius Vatnar Hialli pater & Snialli (Codex Flat: corruptè Imaldum appellat) item Eirici, cujus filia Gida Generoſa virgo, qvæ Haraldum Pulchricomum, monitu de invadenda Norvegia, jam abſolutum univerſi regni Monarcham factum, maritum meruit. Verum haut exiguum hiatum produnt duo coævi primi Islandiæ incolæ, Audur nimirum Prædives, & Hrolleifus, qvorum qvilibet a communi ſtipite Vatnare qvinto gradu diſtant, illâ ſecundum tenente, utpote nepte; Hiallo enim natus Grimus Ventoſus; ejus filius Biornus Buna (Arngrimo vertente, pedo; mihi cataracta)

taracta,) filius ejus Ketill Flatnefus, Auduris pater. Sniallio natus Einar, cui filius Aulver, Infantum Vetulus dictus, qvod more piratis usitato abstineret ab infantibus crudelitatem, hastarum aliàs cuspidibus in sublime levari solitis, ibiqve immiti cruciatûs genere enecari. Ejus filius Einar Hrolleifi pater, qvi inter primos Islandiæ incolas recensetur. Næfill Rex Niflungorum familiam condidit, erat enim pater Heimaris, cui filius Egnefus, nepos Ratin, pronepos Giukius, abnepotes Gunnari & Hognius; abneptes Gudruna, Gudnya & Gullraund. Tres residui Halfdani filii intra patriæ limites consenescere dedignati, peregrinas terras armis occupârunt; Lofdius qvidem Reidgothiam, seu Jutiam, ubi etiam Rex factus est, ejus milites Lofdar seu Lofdii denominabantur. Filii erant ipsi SKECKILL maris Rex, & Skylius, cui filius Egdir, nepos Hialmther, pronepos Eylimius, abneptis Hiordys, atnepos Sigurdus Fafnericida, trineptis Aslaug mater Sigurdi Angvioculi, patris Aslaugis, qvæ suscepit Sigurdum Cervum, Ragnhildis, Haraldi Pulchricomi matris, patrem. Familia illa Lofdungorum titulo insignitur. Budlius & Audius Saxoniam vastàrunt, magnamqve partem domitam suo imperio subjecerunt. Budlius in Saxonia remansit, genusqve ibi reliqvit, qvod Budlungorum familiam appellant; hoc modo autem recensetur in Norvegiæ Originibus, Budlius erat pater Attilsis, Attils Virferis, Virfir Leenfnii, Leenfnius Budlii, Budlius Saurlii, seuSerlii, Atlii, & Brynhildis matris Aslaugis. Hinc forte fama emanavit, Vittikindo Monacho in fronte libri primi Historiæ Gestorum Saxonicorum notata, de Saxonum a Danis Normannisqve origine derivata. Audius longiùs in Vallandiam, forte Galliæ septentrionalis partem, processit, subjectamqve magnam pattem posteris suis reliqvit, inde Audlingorum familia. Filius ejus Frodius, nepos Kiar, proneptis Aulruna, artis magicæ peritiâ in Odis nota. An ab horum altero profluxerint Comitum Zimbrensium in Palatinatu stemmata, qvi pro signo militari habent leonem, gestantem pedibus suis bipennem, Regum scil: Norvegicorum insigne, alii viderint. Adjicit adhuc author Originum Norvegiæ unam hujusmodi genealogiam: Rex Alfus Priscus præfuit Alfheimis, is pater fuit Alfgeiris, patris Gandalfi, patris Alfhildis, Alfhildis mater fuit Ragnaris Lodbrochis, patris Sigurdi Angvioculi, patris Aslaugis, matris Sigurdi Cervi, patris Ragnhildis, qvæ mater fuit Haraldi Pulchricomi. An vero hic Alfus, â qvo hanc genealogiam orditur, sit ipse Finnalfus, an verò ejus abnepos, Alfus qvoqve Priscus dictus, definire neqveo, qvicqvid sit, justô tamen brevior hic ordo proponitur.

CAP. IV.

DE PROGENIE A GORE, NORIS FRATRE, ET GOE EORUM SORORE DESCENDENTE.



HActenus familias a Nore descendentes, secundum Originum fidem, nullâ excepta, sed ne una qvidem personâ omissâ, & exscripsi, & ex aliis authoribus supplevi, compleri enim eas posse valde dubito. Duæ tamen restant, in libro Originum omissæ, una ad Ivarem Vidfadmium ab Alfo, in Serie Regum Daniæ dudum exposita, altera ad Herthiofum Thelamarchiæ

chiæ Regem, per Raumum, Alvorem, Glodem, Eymiriâm, Vikingum, Thorſteinum, Fridthiofum & Hunnthiofum, qvorum vitas infra recenſebimus. Goris, qvi Noris frater erat, genealogiæ, ſororisqve eorum Goës ſuperſunt, prior qvidem ex libro Originum Norvegiæ, poſterior ex Originibus Islandiæ petita. Goris filii fuerunt Heitius, Beitius, Meitir & Geitir, omnes maris Reges & injuriis infames, qvi Noris filios, patrueles ſuos, multis injuriis affectos crebris bellis fatigârunt, parteſqve imperii eorum ſæpius invadentes variâ cum iis victoriâ pugnarunt. Beitius maris Rex, navi, Ellidio dictâ, Thrandiam ingreſſus, in mare Beitinum penetravit, ibiqve ſtativa habuit, ubi poſtea Beitiſſær & Beitisſtod, Jonæ Ramo Beitſtadir/ nomen remanſit; navem autem trahæ impoſitam, ipſe celſa in puppi ſedens, clavumqve tenens, per tectam nivibus terram, expanſis velis, ttrans iſthmum Askureid (Originibus Ellida eid/ fragmentis vetuſtiſſimis Ellduеid/ hodie, teſte Jona Ramo, villam Eilden ſitam in eodem peninſulæ colle, qvi hodie Numedals eid appellatur) in Naumdalos ſeptentrionales nautis ſuis ducendam curavit. Atqve ita vi pacti, qvod inter patres ipſorum interceſſit, qvô inſulæ omnes, tractusqve maritimus navigio Ellidio inter continentem pervius, Goris familiæqve ejus ditioni debebatur, Beitius ſibi hoc vaframento provinciam â læva iſthmo adjacentem vendicavit. Illius filius fuit Heitius (â cujus nomine Jonas Ramus Hiterøen derivat) Svadii nautici Regis pater. Geiteris filii erant Glammius & Gylvius, Meitir autem Goris filius, filios habuit Mævillem & Mindilem, Mindilis filii Eckill & Skeckill. Heitius, qvartus Goris filius, filium habuit Svadium, ejus filius Halfdanus Grandævus, diverſus a cognomine Noris pronepote. Illo natus Ivar Uplandarum Comes, cui filius Eyſteinus Glumra, & ejus Rognvaldus Mæriarum & Raumsdali Comes, qvi & Potentis & Sapientis cognomina vivus reportavit. Hujus filii fuere Thorer Tacitus, paternæ ditionis dignitatiſqve hæres; alter Ivar, qvi in prælio, Hæbudibus ab Haraldo Pulchricomo illatô, occubuit; tertius Einar Orcadum Comes; qvartus Halladus, etiam Orcadum Comes, qvintus Hrollaugus, qvi in Islandiam conceſſit; ſextus, qvi omnium maximus, Hrolfus (qvem exotici Scriptores Rollonem appellant) qvi poſtea cum puriore religione Roberti nomen aſſumpſit, primus Normanniæ Dux. Verum qvanto defectu hæc genealogia laboret, qvis non videt? Certe Halfdani Eyſteinini vita plures Eyſteini Glumræ majores recenſet, verum locum, ubi huic catalogo inſerantur, non indicat, nec tamen eorum numero compleri poterit.

Agmen claudit proſapia â Goe deducta, cujus maritus Rolfus de Rupe, Svadii filius de Dofris, matre Ashilde natus, Eyſteini Regis filiâ, ejus nempe, qvi in Heidmarchia longo tempore regnavit, filius Goes Solvius Rex, Solvio natus Kaun Rex, Kaune Bodvar Porcus, Bodvare Thorer Rex, Thorere Aurn Hyrna, Aurne An vel Unnar. Unnare duo filii, Thorleifus Hvalaskufus & Bifrukarius, Thorleifo Bodvar Snæthruma, Bodvare Thorleifus Midlungus, Thorleifo Bodvar Albus, qvi ex Voſſia in Islandiam tempore Pulchricomi trajecit, filius ei Thorſteinus pater Halli de Sida, viri in Islandia primarii. Bifru-Karii Ane vel Unnare nati filius Aslacus, Aslaco Ketill Haurdakarius, Ketille filia Thora, cujus filius Ulfliotus, primus in Islandia nomotheta.

CAP.

CAP. V.

DE AUGVALDO ROGIÆ PROVINCIÆ REGE, ET PRÆDII AUGVALDZNESIÆ EPONYMO.



Xpositâ Noris ex libro Originum Norvegiæ desumptâ progenie, eam qvæ de Gardi Agdii prosapia a Rugalfo descendit, latiusq; describere statui, his subnectam. Rugalfo Rogiæ Rege Rognvaldus paternæ ditionis hæres satus est, ejus filius Augvaldus, in prædio Roga resedit, qvod territorio Josurheide continetur, sito inter Rogiam & Thelemarchiam, & postea Vide & Vidcsokn/ sive Vides paræcia, nuncupatô; dehinc in prædium Augvaldznesiam concessit, qvod hîc in insulâ Kormte situm est. Coluit inter alios Deastros vaccam admodum religiosè, cujus lacte pro remedio morborum semper usus est, qvàm etiam itinerum comitem, sive mari sive terra proficisceretur, ducebat, secumqve moriturus discretis tumulis condi curavit; testes sepulchrorum duæ columnæ lapideæ, qvæ inibi nuper visebantur, qvarum alia a terra longitudinem triginta pedes, alia viginti sex erecta prominuit; prior etiamnum perstat, posterior anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, fortuitô incendio simul cum universis ædibus conflagravit: de sepulcris hisce Codex Flat: pag: 139. etiam testatur. Venatum fortè, satellitio aulico comitatus, profectus erat Augvaldus, cum Regina partu levata Josurem ei peperit, cui Gunnvaldus Stordiæ) Stolen hodie vocant) Comes educationis officia præstitit. Bello cecidisse omnes Scriptores profitentur, qvo vero inferente, variant. Varino hoc omnia Chronica Norvegica, tam illud qvod typis vulgatum est, qvàm MSS. tribuunt, qvem Oddus Monachus Skorustrandiæ Regem, jam parœciæ freto tantum distinctæ, fuisse tradit. Codex Flat: pag: cit. Dixium nominat. Halfi vero Herois vita cum Hæklingo congressum vitaqve spoliatum profitetur, firmatqve relationem, sive umbræ Augvaldi, sive alicujus genii ipsum repræsentantis, testimonio. Nam circiter septingentos annos ab obitu ejus (nam circa annum Christi ducentesimum decessisse colligo) cum Finnus Locuples Stafangriâ ad Islandiæ provinciam Akranesiam occupandam nave vectus in portu juxta tumulum Augvaldi ad anchoram navem ligâsset, & inter alia â sociis nauticis jocô qværeret, qvantum temporis effluxisset, ex qvo ibi Augvaldus prædii eponymus habitâsset, vocem intra tumuli penetralia rhythmum modulantem hoc sensu excepit. Longum qvidem tempus elapsum est, postqvam Hæklingum secutus ferocium canum manipulus, salsam præternavigans salmonum viam, cursum huc direxerat, tunc hujus villæ (tumulum intellexit) dominus evasi. Per salmonum viam mare intellexit. Colles propinqvi hodieqve ab Hæklingo, qvem propria dialecto Köklingum incolæ pronunciant, nomen sortiti fidem huic traditioni faciunt. Plures sive Duces, sive Reges conjunctim eum impugnâsse videntur, nec omnium nomina singuli scriptores, sed tantum unius qvilibet expressisse. Anno post natum Christum nongentesimo nonagesimo octavo, apertus est jussu Olafi Tryggvini tumulus uterqve, ossaqve bovina in alio reperta. Occasionem in vita illius lector cognoscet.

CAP. VI.

DE ALRECHO VEGETO HORDIÆ REGE, EJUS UXORIBUS, ET BELLO CUM JOSURE AUGVALDI FILIO, ET UTRIUSQVE EXITU.


Ugvaldi tempore in Hordalandia regnavit Alrechus, â militarium artium peritia, animiqve & corporis robore, nec non rerum gerendarum dexteritate Frœkin dictus, qvod Vegetum Saxo vertit; mihi latina vox non occurrit, qvæ hæc omnia simul unico symbolo complectatur; placet tamen Saxonem seqvi, & Vegeti vocabulo hæc omnia intellecta exprimere. Pater hujus Alrechi fuit Eiricus Disertus, avus Alrecus, prædii Alrechstadi ad oppidum Bergas siti (hodie Orstad) fortè conditor, proavus Eiricus, abavus Skioldus, â qvo posterior Skioldungorum familia, â Danorum Regum diversa, promanavit, Atavus Skilfir, inde Skilfingorum familia, qvæ & Skioldungorum, nam ab utraqve denominatur, tritavus Halfdanus Priscus, Raumi nepos, Noris pronepos. Alrechus Vegetus Alrechstadi resedit, uxor illi Signia, Regis Vorsiæ filia; magister aulæ Kollus fuit, qvi Regem in Sogniam proficiscentem comitatus venustatem Geirhildis Drifi filiæ, visæ sibi dum in coqvenda cerevisia occupata esset, identidem commendabat, qvam postea ad summæ dignitatis gradum Dii propitii, licet neutiqvam gratis, promoverunt; nam dum linum tractaret, ultro ipsi Odinus, Hötti, nescio cujus, personâ assumptâ, se exhibuit, matrimonium Regis perpetuâ invocatione nominis sui utenti pollicitus. In reditu visa Regi, legitima uxor toriqve socia solenni nuptiarum festivitate efficitur: Kollus prœmium fidelis operæ Comitatum & habitandi locum in Kollseya (Kolli insula) qvæ Hardsøe ab aqvilone respicit, reportavit, populô abundantem provinciam, (nescio an Kollsey in Halsnoe posteritas commutaverit) ubi celebre monasterium. Non tulit Regina Signya æmulam Geirhildem, injuriam sibi novis nuptiis factam interpretata, itaqve inter ipsas jurgia & continuæ rixæ ortæ, perpulerunt Regem ad alterutram repudiandam. Certamine igitur coqvendæ cerevisiæ institutô, eam se ducturum pollicetur, qvæ sibi ab expeditione nautica redeunti pretiosiorem propinaret cerevisiam. Magno studio & sollicitudine utrinqve coqvitur, conjugium Regium vel confirmatura vel diremptura. Signya Deæ Freyæ, amorum conciliatrici, Geirhildis Hötto veteri & expertæ fidei amico vota vovit. Is sputum fecis loco præbuit, hoc anteà stipulatus, qvod intercederet inter illam & vas, dum cerevisiam vasi infunderet; uterum autem ferebat. Alrechus redux Geirhildem vicisse judicavit, se tamen vidisse filium ejus in alta cruce pendentem, Odino immolatum, modulatus est, significans zythi nobilitatem carè emptam. Ex Geirhilde postea Vikarem filium suscepit. Eqvidem fallor, si historia de Vikare Haraldi Agdensis filio, præcipue exitu vitæ, in hunc Vikarem non qvadrat, nam & hic Odino in utero materno devotus est, paterqve hunc illi finem ominatus est.

Post obitum Augvaldi Regis Jösur filius successit, paucosqve regnavit annos, cum simultates inter nutritium ejus Gunnvaldum Stordiæ Comitem

tem & Kollum, ejusdem fœminæ rivales, exarderent, tandem etiam æmulatio in apertum bellum evaderet. Interjecto tempore ex improviso cum agmine militum Kollus in insulam Stordam deveniens, domum Gunnvaldi Rogii incendit, qvi per medias flammas erumpens non tamen evasit, sed protinus occisus est. Josur nutritii vindictam sitiens, milites anxiè conqvisitos classi imponit, Kollumqve perseqvitur; qvem is conspicatus, naves conscendit, boream versus vela daturus, cum Hardsee prætervectus esset, sinum Grafdalensem intravit, ubi ei Alrechus Hordiæ Rex cum exiguo comitatu (neqve enim hostile qvicqvam metuebat) occurrit. Josur utrumqve adortus magno certamine cum maximâ exercitûs parte occidit, universumqve Kolli comitatum in suam potestatem redegit, tanta celeritate, ut compositis rebus prius inde recesserit, qvam Vikar Alrechi filius cum exercitu, qvem interea undiqve collegerat, suppetias veniret. Postea â Vikare, dum fortè eo profectus esset, & præter spem diutius moraretur, de improviso cum classe, â copiis instructissima, superveniente impetitus est. Adeò cruentè bellum illud gestũ est, ut Josure cum exercitu ad internecionem deleto, omnes virilis sexûs, & qvicqvid colonorum esset, unà occumberet, solis viduis & virginibus relictis, unde provincia nomen Qvinheried nacta, hodieqve obtinet. An in impuberes & infantes mares sævitum sit, silente historiâ haut dixero. Comitatus Kolli præmium victoriæ fuit, dono qvondam ab Alrecho Vikaris patre datus.

CAP. VII.

DE HIORE JOSURIS FILIO, ET VIKARE ALRECHI FILIO, EJUSQVE FILIO VATNARE, ET NEPOTIBUS HIALDO ET SNIALLO.



Uccessit Josuri filius Hiör, ditionis paternæ & vindictæ simul hæres; illam jactura Comitatûs Kollsöensis minuerat, hæc omissa famam hæredis omnino imminutura videbatur. His accensus Hiör, Vikari bellum intulit, qvod longo tempore vario Marte gestum, tandem conditionibus, nobis incertis, pace tamen finitum est. Vikaris filius fuit Vatnar, cujus gesta præclara qvidem fuisse constat, verùm qvæ ad nostram notitiam non pervenêre. Origines Islandiæ Vatnarem Vikaris filium tradunt conditum esse in tumulo, petram Hachonianam ab austro spectante, duobus milliaribus ab oppido Bergis. Verùm cum Vikarem illius patrem filium Haraldi Agdarum Regis fuisse volunt, vereor ne nomina eadem hîc, ut sæpius, personas confundant. Credibilius nobis est, hunc Vatnarem, utpote provinciæ hujus Regulum, ibi situm esse, qvàm Vatnarem eum qvem inter liberos prioris Vikaris nunqvam reperimus. Nec minor nobis suspicio oboritur de defectu qvarundam personarum inter Augvaldum & Josurem, ob graduum inæqvalitatem inter Josurem & Hiorem, & Alrechum & Vikarem, qvorum isti decem & undecem, hi qvatuordecem & qvindecem â communi stipite Fornioto removentur, nominum fortè communione gestorum ordinem confundente. Post mortem Vatnaris tradit laudatus liber, mercatorem qvendam, dum navi prope bustum illius veheretur, vitam & gesta Vatnaris exposuisse, magnanimum Regem eum memorando; cumqve

ſub tumulo in navi, ad anchoram commorante, ſomnum caperet, viſum ei per qvietem Vatnarem, adſtantemqve dicere: Expoſuiſti hiſtoriam meam, accipies & præmium, qvære in tumulo meo pecuniam & invenies; qvod etiam expergefactus fecit, reportatâ vi æris haut exiguâ. Duos filios (tertium Eiricum Origines Islandiæ, qvàm rectè neſcio, adjiciunt) Vatnar reliqvit, nomina illis Hialdus & Sniallus, qvorum geſta præclara fuiſſe, qvidam genius, poſt annos ab obitu eorum ultra ſeptingentos, ſecundum noſtrum calculum, prodidit. Etenim cum Haraldus Imperioſus Norvegiæ Rex, S. Olafi frater, in Hallandia ad Glumſteinum (prædium ne an parœcia ſit, compertum non habeo) cum exercitu excubaret, vidit ibi duos colles eximiæ magnitudinis, alium ſuper petram ad marginem maris, alterum paulò ſuperius erectos, qvæſivitqve, qvinam illic ſiti eſſent? nec erat, qvi illius rei notitiam haberet. Nocte proximè ſecuta, vidit vir qvidam, nomine Sigurdus Hvitius, per qvietem, virum ſibi adſtantem & cantilenam modulantem, qva prodidit tumulum, qvem petra ſuſtineret, ſibi, alium fratri Hialdo excitatum eſſe, memoratisqve fortibus ſuis factis, monuit, poſtridie cruentum certamen inſtare, victoriamqve illis protendi. Credo contigiſſe hæc, cum bellum ad Niſſam geſtum eſſet. Eadem nocte dormienti Biorno Buckio, ejusdem Regis militi, exhibuit ſe vir qvidam habitu (ut poſtea compertum eſt) haut diſſimili ab eo, qvi Sigurdo conſpectus eſt, rhythmumqve canens, qvô ſe Hialdum nuncupavit, indicavit ſe unà cum fratre adverſus hoſtes fortiter præliantem, hoc in campo cecidiſſe, inſtans certamen victoriamqve ominatus, ſtrageqve futurâ gaviſus, qvam raro nimis contingere qveſtus eſt. Confecto bello, cum Haraldus Rex in regnum rediiſſet, retulit illi Karius Niger, cognatus Thiodolfi de Hvine, qvod illi fratres Sniallus & Hialdus fuerint filii Vatnaris, Regis bellicoſiſſimi. Hialdi uxor fuit Hervor, filia Thorgerdis, cujus pater fuit Helgius Halogiæ Rex. Numeroſa proſapia ab utroqve fratre prognata eſt.

CAP. VIII.
DE HIORLEIFO MULIEROSO ET EJUS UXORIBUS.



Hiör Rogiæ Regulus per incrementa fortunæ, induſtriam domi forisqvè ſuſtentantis, cum potens admodum evaſiſſet, morbo exſtinctus, in Rogia magnificè tumulatur, relicto filio Hiorleifo, non magis imperii, qvam virtutum paternarum hærede. Hic etiam Hordiæ Rex fuit, an verò pater illam acqviſiverit, an Hiorleifus, nusqvam invenio. Crediderim Vikarem conditionibus pacis, cum patre Hiore initis, inferiorem fuiſſe, exinde filiorum ejus res acciſas incrementum Hiori attuliſſe. Uxor Hiorleifi prima fuit Æſa Candida, Eyſteini Comitis Valdrenſis filia. Tantum ipſi libertatis & benevolentiæ comparandæ ſtudium fuit, ut cum magnam mobilium bonorum partem in amicos & benè meritos erogâſſet, ipſemet indigeret. Navem igitur magnam exſtrui curavit, qvâ Biarmiam peteret, rei familiaris lacunam inde ſuppleturus. Inſula Naumudalenſi oſtio adjacet, nomine Niardeya (Nerdøe hodie nuncupatur:) incoluit eam magni nominis vir, Regia proſapia oriundus, nomine Hognius, ab inſula Hognius de Niardeya dictus, cujus genus in Gardi Agdii progenie prolixè explica-

tum

tum eſt. Hic Hognius opulentiæ famâ celebris, Hiorleifum magnificô per triduum excepit convivio. Duo illi liberi erant, filius Solvius, avi; filia Hildis Gracilis, amitæ magnæ, nomina referentes. Hiorleifus visâ filiâ, licet uxorem domi haberet, hujus tamen amore captus totus exarſit, qvippe virgo Venerem ipſam formæ decore vel ſuperare, vel certe exprimere videbatur, virtutibus etiam magnis prædita; qvarum ſpecimen poſtea exhibuit. Illam igitur, conſentiente patre, uxorem denuò ducit, convivio in feſtivitatem nuptiarum converſo. Potitus virgine Hiorleifus ſuſceptum iter perſeqvitur, nova nupta & fratre Solvio comitantibus. Cum ad oſtium fluvii Vinæ (Dvina eſt, Biarmiæ fluvius) perventum eſſet, claſſiariis numero nonaginta in tres partes diviſis, ſua cuiqve munia obeunda commiſit; una eum ad indigenarum impetum repellendum ſecuta, alia navium cuſtodiæ ſub imperio gubernatoris relicta, reliqva, duce proreta, tumulis & buſtis mortuorum eſtringendis, opibusqve tollendis adhibita. In auſtrali Finnmarchiæ parte Gardeyargeimis (ſive Gardeyæ portûs, vel ſinûs) dum ſtationem haberet, viſus eſt gigas qvidam, ejus generis, qvos Brunnmigas appellârunt, dum famulorum pars ſuccenſo igne focum aleret, alia aqvarum profecta prope rivulum monte delapſum conſiſteret; qvod ut cognovit Hiorleifus (nam aqvâ famulos prohibebat) haſtam aculeatam igne excandefactam in eum conjecit, cecinitqve cantilenam, qvâ ipſum cæpto deſiſtere hortatur. Fontem, inqvit, dimitte, monſtrum, neqve intuere, mancipium deteſtabile: in tuam domum haſtam ardentem ſum conjecturus, uſturam ora tua. Gigante ergò recedente tutò aqvabantur. Cum vero Rex foco aſſideret, monticola ex rupe hæc modulatus eſt: Uxorem tuam, ô Rex, probè novi, etiam id qvod ipſius felicitatem ſubvertet. Præſagire viſus eſt ea, qvæ mox narrabimus. Rex arreptum idem telum per oculos monticolæ trajecit. Nec alia memoratu digna in itinere illo acciderunt, usqvedum in Niardeyam delatus, âqve ſocero ſummâ lætitiâ & mutuâ gratulatione exceptus, invitabatur ad tempus aliqvod ibi terendum, filiæqve in paternâ domo exhilarandæ concedendum. Verum propriæ domûs occupationes, moræ longioris impatientes, cum excuſaret, dimittitur. Hildis duabus tantum pediſſeqvis comitata eſt, Solvius etiam frater viginti famulantium ſatellitio ſtipatus. Reditum Regis univerſa domus effuſiſſimo gaudio proſecuta eſt. Æſa ſola æmulam moleſtè ferebat, ſibi decedere rata, qvicqvid amoris conjugalis alteri daretur. Conceptam igitur iram in occaſionem vindictæ ſuppreſſit. Contigit autem, ut eâdem, qva in Biarmiam nave vectus erat, ad Konghellam navigaret, non id temporis oppidum, ſed â petra, qvæ Reges eò ad comitia univerſalia convenientes, de communi regnorum utilitate deliberaturos exceperat, ſic dictam. Ibi inter alios Hreidar Sialandiæ (Sellandiæ) Rex tentoria ſua tabernis Hiorleifi contigua fixerat, unde ex vicinitate inter Hiorleifum & Herium Hreidaris filium colloqvii, mox viſitationis, mutuæqve invitationis & conviviorum commercium exortum, ad amicitiæ nexum proceſſit, qvo vero ſtudium ſuum Hiorleifo teſtatius eſſet, patrem Herius hortatur, ut eum inde ſecum domum ad convivium invitet. Ægrè pater petitis filii acqvievit, ſuſpectum ſibi rei ejus eventum teſtatus, ſe tamen exorari paſſus ad ultimum annuit. Navigant ſimul in Sialandiam, celebratur convivium, magno ſane apparatu. Ibi Hringia Regis filia, eximiæ formæ virgo, Hiörleifum, virum â natura moribusqve Mulieroſi cognomen exinde ſortitum, amore ſui adeo accendit, ut interceſſione Herii fratris illam ſibi uxorem â patre, ſed conſentientem, impetraret. Nuptiis igitur cele-

bratis,

bratis, dictâqve dote, navi remigibus instructâ, pretiosisqve mercibus onustâ, cum novâ nupta domum repetit. Medio inter Cimbriam & Norvegiam pelago, sudo tranqvilloqve cœlo, prodigiosæ magnitudinis mons sub ortum Solis, humanâ formâ, mediis undis exsurgere visus est, rhythmum hoc sensu modulatus: Video Hringiam tumulo coopertam, Herium etiam hastâ transfixum, Hiorleifum perplexis impeditum vinculis, sed Hreidari crucem paratam. Inde navis qvasi immobilis nusqvam impellebatur; expediuntur itaqve remi, sed mox inhibentur, eo qvòd Hringia gravi morbo repente affecta concussionem sustinere neqviret. Horâ seqventis diei eâdem, qva in morbum incidit, decessit, feretroqve imposita in mare projicitur, loculus autem tanta celeritate retrogressus est, ut sex remiges scapham agentes asseqvi neqvirent. Herius frater omnium primus loculum prope navalia patris appulsum conspexit; inde suspicio sublatæ a Hiorleifo conjugis, illo persvasore, patrem subiens, eum, tanqvam sceleris atrocissimi manifestè convictum, infamem Danis & execrabilem reddidit.

CAP: IX.

DE EXTRACTO A PISCATORIBUS TRITONE, EJUS PRÆDICTIONE, IMPRESSIONE HREIDARIS IN DITIONEM HIORLEIFI, HERII CÆDE, ET VINDICTA IN HREIDAREM.



Ander & Hinder, alter parens, filius alter, piscatores in Hordia erant, hi eodem autumno, qvo hæc contigerant, homunculum marinum, ejus generis, qvod Tritones vocant, hamo mari extraxerunt, eumqve Hiorleifo exhibuerunt. Is fidelis fæminæ custodiæ traditum benignè haberi mandavit, nullis tamen blandimentorum illecebris, nullo obseqvii studio, vox ei ulla elici poterat. Accidit forte ut qvi a candelis erant, luctâ ludoqve se exercentes, lumina inter strepitus extingverent, Hildisqve liqvore lucernæ, tenebris derepente obortis, langvente manu, Asæ Regiæ conjugis togam aspergeret, qva re offensus Hiorleifus alapam ei impegit. Asâ vero causam in recumbentem in pavimento canem transferente, etiam eum verberavit, id qvod Tritoni risum movit. Regi causam risûs inqvirenti, respondit: Qvia stultè fecisti, uxorem & canem verberando, futuros vitæ tuæ conservatores. Plura qværentem responso dignari noluit. Rex libertatis conditione proposita, mari se redditurum pollicitus est, si id, qvod sua interesset, ederet. Rhythmum ergo cecinit, qvo imminens â Hreidare bellum ut præcaveret monuit. Sensus hic erat: Austrum versus ardere pelagus visum mihi, Danusq; Rex in vindictam filiæ, navibus innumeris instructus, ad Martis aleam Hiorleifum provocans: præcave providus, modò velis. Ego mare desidero. Rex demitti eum eodem loco, qvo extraxerunt, jussit; cumqve eo perventum esset, versus tres, ejusdem cum priore sensûs, modulatus est, verbis tamen periculum exaggerantibus. Satis suppetit, qvod Halogensium filiis (Norvegos intelligit) referam, haut qvidem acceptum, si tamen audire libet. Ruit ex austro procella, sangvinolenta qvidem, acta vento ex Dania, caput galeata, tegmen Martis ferreum gestans. Brevi, pueri (ventura namqve prospicio)

Bel-

Bellona hic graſſabitur, intonans arcuum ſonitus increbreſcet, namqve has provincias oculis luſtravi. Qvilibet domeſticus gladiô & haſtâ inſtructus eſto, priusqvam procella belli excitabitur; qvod ſi verum ſit, certe nimium malum, anteqvam ver appetet, omnes carè emiſſe conſtabit.

Reidaris victoriã innuiſſe videtur. His finitis in mare demergitur. Rex meritis gratiam rependere ſvetus, Handero & Hindero uſum villæ liberũ unà cum ſervo & ancilla donavit. Inde militẽ ex omni ditioni ſubjecto territorio conſcriptũ, in ipſa regia præſtituto die convenire juſſit. Eadẽ nocte canis ejus Flokius latratum edidit, nunqvam aliàs niſi im̃inente periculo latrare ſolitus. Præſagivit is & præmonuit, Hreidarem numeroſa cum claſſe & ingenti exercitu appropinqvantem. Qvi ſimul ut litori improviſus appulit, regiam militibus cinxit, ardentesqve faces ſubjecit, qvi undiqve domum circumſiſtentes, ne qvis elaberetur, anniſi ſunt. Hiorleifus, ut ſe ab altera parte ardenti tecto urgeri, ab altera armatorum inevitabili manu, tantæ agilitatis exemplum edidit, ut libratô per auras corpore, agmen militum ſaltu transmitteret, ſimulqve haſta magno niſu retrò conjectâ Herium transfixum exanimaret, qvod tamen magis ex hoſtium vociferatione, qvàm cæco ictu cognovit. In ſaltu deinde cum deliteſceret, Regiam univerſam concepta flamma in rogum converſam, Hreidaremqve ſpoliis onuſtum, cum utraqve conjuge ſua captiva, victoriâ ovantem & recedentem conſpexit. Angebat ingentis ſpiritûs virum tam atrox injuria, nullo ſuo merito ab homine, non ſolum amico, ſed etiam ſocero, illata, tum domus opesqve Regiæ in favillas redactæ, ſpoliaqve hoſtium etiam uxorum ſuarum acceſſione nobilitata. Itaqve qvam primum ante autumni exitum poterat, navem unam lecto potiſſimum milite inſtructam adornat, ventisqve ad votum ſpirantibus, ad Regiam Hreidaris, nemine ſentiente, veſpere qvodam pervenit, militibusqve ad navem relictis, ſolus ad Gynæceum proceſſit. Omnes præter Æſam uxorem ſuam lectis exceſſiſſe deprehendit. Hac igitur occaſionis oportunitate uſurus, oravit illam, ut ſe ad Hreidarem, jam ſecurum & nihil mali metuentem, duceret. Illa tempus locumqve exeqvendæ vindictæ aptum, curæ ſibi futurum præfata, qvo minus obviorum obſervationi pateret, arcæ (vad= ker habetur) ſe ut includi pateretur, hortata eſt. Libenter Rex conſiliis, qvæ conjugalis ſolicitudo & charitas ſuggeſſiſſe videbantur, paruit. Sed illa injuriis connubiorum jam ſatis diu patienter diſſimulatis, nec ultra ejus ſe arbitrio permittere, nec vindictam intermittere ſuſtinuit, ſtimulabat etiam novi domini promerendi, tantoqve ſibi officio devinciendi cupido & opportunitas; maritum igitur arcæ tanqvam naſſæ incluſum, Hreidari, inſidiatorem vitæ ſuæ & propemodum interfectorem, prodidit. Qvi ſe non hoſtis ſolum potentiſſimi potitum, ſed etiam ipſius opera conjugis, ejusdemqve communium liberorum, eorumqve ſuperſtitum & tenellorum parentis, gratiam ſuam, mariti tam celebris & opulenti præferentis, præſentiſſimum vitæ periculum evaſiſſe valde gaviſus eſt, ipſius igitur arbitrio qvid de illo fieri vellet permiſit. Illa fortitudinis ejus felicitatisqve conſcia, vindictam forte, ſi elaberetur, verita, feralem ſententiam edixit, ſuppliciiqve modum, ut inter duos ardentes focos in aula regia, propriis corrigiis in cruce ſuſpenſus necaretur, judicavit. Ad nutum ergo edictumqve Regis, & arbitrium Aſæ, periturus ſublevatur Hiorleifus. Qvo ad hunc modum de cruce pendente, lætitia exultantes aulici miniſtri omnes dilapſi ſunt, perfunctos ſe ſupplicii ſpectaculo

culo rati: qvod ut Hildis, qvæ sola mariti vicem ægerrimè, sed suppresso dolore, ferens remanebat, observavit, vitamqve adhuc in pectore residuam palpitare, ardore primùm ignis infusâ cerevisiâ extincto, corrigias ense resecavit. Ereptus ad tempus, magis qvam periculo liberatus sibi visus est Hiorleifus, igitur absqve mora se in Regis triclinium conculit; ibi dormitantis Regis gremio insidentem Æsam deprehendit, qvem infesto cuspide petens, per pectus transfossum exanimem reliqvit. Inde ad navem celeri cursu se proripiens, collectis classiariis, qvam citissime in Regiam domum cum infesto agmine rediit. Omnes Hreidaris domestici in vincula conjecti vita deinde donantur. Hreidar mortuus cruci, qvam evasit Hiorleifus, propriis corrigiis suspensus affigitur. Ferunt eadem nocte, qva Hiorleifus venerat, auditum Hreidari carmen, qvo & Herii filii mors in memoriam revocabatur, & Hiorleifus venturus nunciabatur, verum, ut dici solet, surdis narratur fabula, qvoties iis salubria consilia dantur, qvos extrema fata urgent. Ditionem deinde universam, imperio Hreidaris antea subjectam, suæ potestatis fecit, civibus ad sacramentum fidelitatis adactis, præposuitqve Solvium uxoris suæ fratrem, Comitatuqve donavit. Eum deniqve partem Jutiæ sibi subjecisse tenuisseqve, ex Chronicorum Norvegicorum loco, qvi de Eysteino Adilsis filio agit, colligitur.

CAP. X.

DE SEVERA POPULI SENTENTIA IN ÆSAM, HIORLEIFIQVE CLEMENTIA, EORUM LIBERIS ET PROGENIE, ET HIOROLFI HILDE NATI IMPRUDENTIA ET VILITATE.



Iörleifus ancipiti primùm, deinde obseqventissima fortuna sublatus, auctus peregrino imperio, præda ingenti & opimis spoliis onustus, victor in patriam rediit, ambabus uxoribus receptis atqve reductis. Redux comitia valde freqventia indixit, ibi Æsæ causa cognitioni populi subjicitur, ipsâ reâ & Hilde, qvò utriusqve merita conspectiora essent, præsentibus. Vivam paludi immergendam populus pronunciavit. Rex clementiam severitati præferens, ad suos eam una cum dote remisit, motus forte causâ muliebris iræ, licet neqvaqvam justæ, tamen in causa zelotypiæ infrenis, & sexûs vitiô insuperabilis, suâ qvoqve culpa provocatæ, tum etiam cōmunium liberorum respectu. Primi Islandiæ incolæ ad Hiorleifum & Æsam genus retulerunt. Filius eorum fuit Oblaudus, pater Otryggi, Otryggo nati filius Hognius Candidus & filia Signya, qvæ nupsit Orligo, eorum filius Ketill Gufa, inter primos insulæ illius incolas vir celebris. Högnii Candidi filii fuêre Ulfus Skialgius (â qvo incolæ provinciæ Reikianesiæ in occidentali Islandia se ortos profitentur, verum profectò longiore serie qvam hic traditur) & Eiricus, filius illius Geirleifus, Bardastrandæ primus incola; eô genitus Oddleifus Gesti Sapientis pater, cujus in historiis nomen præclarum, hodieqve per universam insulam memorabile viget. Qvomodo Solvius deinde potitus sit Svecia, alio libro latius exponam, qvò etiam lectorem remitto.

Hor-

Hiorleifus totâ vitâ rerum præclarè gestarum famâ nominatissimus, ad ultimum piraticam strenuè sectando, medio pugnæ ardore occiditur, relictis ex Hilde duobus filiis, Hiörolfo & Halfo, fratre septennio minore. Fuit Regulus nomine Asmundus, cui Hildis postea nupsit, hic tutoris nomine regnum pupillorum administravit, eosqve, pro temporum illorum conditione regiè qvidem educavit. Octavum supra decimum annum ætatis Hiorolfus agebat, cum classem, milites, armaturam, commeatum, & qvicqvid ad nauticam militiam vel utile vel necessarium videretur, comparavit. Cura ei maxima illius pompæ, qvam numerus, non item virtus, speciosam redderet. Coiverunt in eam classem navigia magna parvis, vetustate trita novis commista, militiam partim servi, partim liberi, utraqve turba maximam partem imbellis & imperita, constituebat. Arma erant sudes, clavæ, baculi & unci. Contentus erat speciem justi exercitus, vel potius umbram, præbere. Itaqve in proverbium, etiamnum in Islandia usitatum, abiit, ut vilissima qvæqve Hiorolfi instrumenta nuncupentur. Verum brevi didicit, fortes homines neqvaqvam vano terrore duci, nec peritos ac veteranos ab imperitis & tyronibus impunè lacessi. Nam cum ad manus ventum esset, una eademqve æstate qvater fusus fugatusqve, militibus qvoqvoversum dilapsis, ut qvibus omnis salutis spes in pernicitate pedum latebrisqve sita esset, sub exitum autumni, amissâ classe, domum reversus contemptui fuit.

CAP. XI.

DE GESTIS HALFI REGIS SEU HEROIS.



HAlfus detrimento fratris cautior, ingenio viribusqve melior, licet admodum adolescens (duodecimum namqve annum agebat, inqve ea ætate nemo illi, vel animi vel corporis fortitudine etiam justæ ætatis, æqvari poterat) subseqvente vere, qvod in annum Salvatoris, calculo meo, circiter qvingentesimum vicesimum septimum incidit, unicum tantum myoparonem, novitèr ex materia exqvisitissimâ firmiter ædificatum, expedivit, qvem delecto milite, virium fortitudinisqve experimentis probato, instruxit. Stabat in areâ saxum, singulis roboris specimini edendo collocatum, cui qvi levando impar esset, inhabilis judicatus in collegium admitti neqvibat. Duodecim virorum robur in singulis reqvirebatur. Verbum qvi meticulosum ediderat, aut in faciem vulnere uno sauciatus vultum mutaverat, pariter repulsus est, justi etiam roboris ætas reqvisita, senibus qvidem annum sexagesimum transgressis, adolescentibus infra decimum octavum exclusis. Fuit in Hordia satrapa, nomine Hamundus, Hromundi Berserchii filius, Hrolfi nepos, Hoddbroddi pronepos, Haudi Hadalandiæ eponymi abnepos, Raumi atnepos, Noris trinepos. Frater illi Hakius, soror Gunnlaud, Codici Flat: (Halfi tamen Vita ex sorore genitum memorat) filii duo Hrochi dicti, sed colore discreti, unde Albus alter, alter Niger nuncupabantur. Gunnlaud nupsit Comiti in Hordia Alfo, illis etiam duo ejusdem nominis filii, Steini dicti, fuerunt, provectior alter annorum octodecim Halfo Regi â consi-

liis fuit, minori ætas, qvo minus admitteretur, obstitit, nam duodecimum annum non excesserat. Cæteri omnes in expeditionis societatem recepti sunt. His accesserunt Eigill & Erlingus, insignes viri, rustici cujusdam opulenti, nomine Aslachi, filii. Vermundo erat signifero nomen. Qvatuor tantum intra aulam inventi sunt idonei, inde per undecim provincias delectus habitus, nec ultra duodecim admissi. Viginti & duo fuerunt, cum primum portu solverent. Præter jam commemoratos hi etiam numerantur: fratres duo Haukus & Valus, Stir Robustus, Dagus Generosus, Borchus, Bryniolfus, Bölverchus, Hachius Hringus, Halfdanus, Starius, Steingrimus, Stufus, Gautius, Bardus & Biornus, omnes invicti animi, prodigiosiqve roboris pugiles. Piratica certis etiam legibus constabat, variæ erant constitutiones, nimio ardori ostentando excogitatæ. Nemini fas gladium ulnâ longiorem gerere; cominus cum hoste congredi oportuit; gladii unica tantum acie superius crassi, tubo lato, ictibus aggravandis idonei; fœminæ & imbecillis ætas captivitati exemptæ; vulnera post viginti horas primum obliganda; navis nec velis integenda, nec vela in medium malum demittenda, qvantumvis horrendâ tempestate sæviente. Primo vespere, cum portum peterent, plueretqve admodum, qvæsivit Steinus, navis ne velis esset integenda? Cui Rex: An & hic triclinia, perinde ac domi, obvelanda duceret? inde illi Innsteini nomen inditum. Postero die adverso vento acriter spirante, cum promontorium aliqvod superare anniterentur, vir qvidam ê rupe clamans navi se recipi postulavit. Annuit Rex, modò ad ansam gubernaculi usqve ad vesperam iisdem vestigiis stationem perageret, qvi acceptâ conditione, hôc se Regi propiorem futurum respondit. Hîc fuit Steinus junior, Alfi & Gunnlaudis filius, exinde Utsteinus dictus, contra legis verba, non item mentem, receptus, cum is duodecim annorum, robustissimos vel æqvaret, vel superaret, & hic erat militum decimus tertius, qvorum numerus ultra sexagenarium nunqvam excrescere permittebatur. Communiter Halfsrectar (Halfi heroës) dicti sunt. Ante promontoria excubare mos erat. Octodecim anni hoc vitæ genere evoluti sunt; multæ interea gentes & populi tam parvâ manu lacessiti, rapinæ & spolia undiqve congesta victorias eorum præclaras reddiderunt; qvarum fama ingens, historia nulla, præter fragmenta qvædam, ad nos pervenit. Illud tamen extremæ temeritatis magis qvam fortitudinis exemplum nulla ætas obliterari passa est, qvod gestorum etiam eorum penultimum fuit. Nam cum in Hordiam tendentes subitâ tempestate obortâ periclitarentur, maluerunt sortiri ad levandam onere navem, qvi se in mare vivos præcipites darent, qvam demissis ultra dimidium malum velis, leges nauticas violare; qvasi hominum salus legibus servandis, non leges ei conservandæ, inventæ essent. Sed supervacuum erat sortis experimentum, singulis vices damnatorum sibi vindicantibus, certatimqve præripientibus. Itaqve cum latera navis summa cum alacritate transilirent, pari clamore se invicem exhortantes: Extra latera navis nullum esse stramen, vociferati sunt. Qvæ jactura universis fati omen & tanqvam nuncius extitit. Nam Halfus cum residuâ militum manu in Hordiam ad vitricum cum pervenisset, summâ benivolentiæ simulatione, exhibitis singulis ad officia deferenda pertinentibus honorum generibus, exceptus est; nam & vitricus ei venienti ad naves usqve obviam processit, paternum regnum restituit, juramento firmavit, se fiduciario in posterum jure tributariôqve illud administraturum. Cumqve redi-

tuum rationes reddendæ essent, abunde se ei satisfacturum, statimqve soluturum pollicitus, inqve eum finem instructo convivio, cum dimidia comitum manu eum invitavit. Credidit Halfus phaleratis versutissimi Reguli verbis, inqve posterum diem edixit, ut dimidiâ parte ad naves remanente, residua eum ad convivium seqveretur. Fuit Innsteinus vir sagax & solerti ingenio, cui Asmundi humanitas & pronus in privignum animus valde suspectus erat, qvem imperio tutelari pro arbitrio frui, qvàm restitutô ad obseqvendi necessitatem devolvi malle facilè perspexit. Igitur exqvisitis verbis metricè conabatur Regem â convivio avertere. Svasit ergo, ut facinus, qvod is animo volveret, ipse occuparet, dolumqve malum, fraudes, & fallacias in ipsum retunderet, qvod si simul omnes navibus egressi eum obruerent, facilè sceleris machinati technas eludi, & vindictam de ipso authore sumi, postea spreti consilii seram fore pœnitentiam, occasionem exseqvendi nullam, propositum namqve Asmundo omnes simul, unà cum ipso Rege, sub specie fœderum & benivolentiæ per insidias tollere, nec aliud apparere vel ipsi Regi, si amicorum consiliis qvam proprio impetu moveretur. Rex Juramentum intercessisse, indignum ipsi Asmundo visurum alium Regem fidem suam secutum, nedum privignum, decipere, gazam & opes apud eum reservatas se recepturum, interqve milites distributurum affirmavit. Institit Innsteinus regerere, Regem Odini iram sibi consciviſſe, eo qvòd insidiosis Asmundi promissis illectus mentem sanam exuisset. Eô Rex increpatô, qvòd qvæ ad metum inclinarent, sæpe loqveretur, opes, aurum, & cætera, qvæ in villis Asmundi essent, sua esse identidem repetivit. Innsteinus, ubi Regem adeò obstinato animo vidit, ut nulla qvantumvis salubria consilia admitteret, ad somnia repetenda se convertit, visamqve sibi flammam socios depascentem, adeo ut difficile se inde explicare possent, commemorat. Rex loricas eximias humeros eorum ornaturas, claritate materiæ præfulgidas, ardentium carbonum speciem præbituras, conjectavit. Innsteinus etiam per qvietem visum sibi in humeris eorum ignem ardere. Nihil aliud denotare ait Rex, qvàm galeas auratas, & loricas splendidas, qvæ procul ê montibus conspectæ flammam imitari viderentur. Tertium deinde somnium Innsteinus exposuit; qvod sub aqvas demersi viderentur, nec emergendi spes ulla. Rex satis eum insanivisse, tales qvisqvilias nullius esse momenti; vetuitqve, ne ex illo tempore somnia se præsente referret. Cum autem se nihil bene monendo profecisse animadvertit, Hrochos ambos & Utsteinum fratrem hortatur, ut magis salutis Regis, qvam imperii rationem habeant, omnesqve simul classiarii ad convivium Regem comitentur, Rege qvantumvis repugnante. Utsteinus imperia Regis ante omnia observanda esse monuit, sibi cum sociis obseqvendi gloriam relictam, ejus prudentiæ vitam & fortunas omnium commissas, petit ut frater optimo Regi debitum obseqvium non retrectet. Tandem Innsteinus, qvamvis eventum feralis convivii & animo facile præsagiret, & ex certis indiciis prævideret, cessit tamen, qvantumvis ægrè, imperio & voluntati Regis, urgentis fati inclementiâ, tanqvam mente moti, utilitati honestum præferens, admodum qvestus, consilia sua, qvorum, qvoties magnum qvid gerendum esset, neqve se unqvam, neqve Regem, neqve socios pœnituerit, jam postqvam ad Asmundum ventum sit, tanqvam vesana contemni.

CAP: XII.

DE HALFI REGIS EXITU, UTSTEINO ET HROCHO NIGRO, PERICULO EREPTIS.



Um in domum vitrici convenisſent, magna alacritate excepti ſunt; multa ibi hoſpitum invitatorum turba, ſpecie honoris privigno deferendi, domum deducendi, convivium vel conſeſſu vel adminiſtratione exornandi, undiqve convenerat. Potus in primis generoſus de induſtria apponitur; qvo liberius hauſto, omnes periculi immemores ſecuriqve obruuntur; tandem omnes & ſingulos gravis ſomnus oppreſſit. Aſmundus interea armatorum militum ſtationes, ruſticorumqve turbam triclinium circumſiſtere jubet, qvi exitu ſingulos prohibeant, egreſſosqve trucident, ipſe faces ſubdi curat. Primus pugilum Halfi ſomno excitus, ut univerſam domum fumantem animadvertit; ſudant, inqvit, accipitres noſtri, nec plura locutus qvieti ſe iterum reddidit. Qvi proximus evigilavit, ut ardere triclinium vidit, cera ex gladiis noſtris ſtillat, ait; nec exſurgere ipſe vel alios excitare ſuſtinens, iterum acqvievit. Ipſe Halfus noviſſimè expergefactus, ut domum, tecta, parietes, & laqvearia concepto igne flagrantia ab armato inſuper milite obſideri vidit, omnibus excitatis author fuit, ut arreptis armis exitum, ruptis angularibus triclinii commiſſuris, molirentur. Facto igitur in parietes impetu, compage domûs ab ea parte ſolutâ, omnes eruperunt. Verum tantus erat obſidentium numerus, ut elabi ſomno vinoqve ſepulti, fumo etiam & flamma prope oppreſſi, neqvirent, in confertiſſimos igitur hoſtes invecti, multis cæſis, a pluribus pauci, verum hautqvaqvam inulti, trucidantur. Ferunt Innſteinum cum excitatus vidiſſet, qvas prædixit, inſidias ad exitum perductas, hortatum ſocios, ut eruptione per parietes factâ, in hoſtium globum ſe inferrent, dolumqve & technas ipſorum ſangvine vindicarent. Deinde Regia munera donaqve qvæ vitricus pollicitus eſt, ad qvæ etiam perſolvenda ex fœdere tenebatur, comiter perſtrinxit, noviſſimè ſe ipſum ſolatus, neminem eſſe dictitans, qvi in perpetuum vitam prorogaret. Tanta ejus in Regem fides, cùm antea ſemper, tùm præcipue hoc conflictu enituit, ut nusqvam â latere ejus diſcederet, ſua pro ejus defenſione ubiqve objiciendo, cujus incendio elapſi, fortiſſimeqve & ad admirationem omnium prælium cientis, cum cædendo defatigatus occumberet, virtutem metrico elogio ad mediam noctem ſuperſtes celebravit, incredibilis ſibi voluptatis loco fuiſſe profeſſus, qvod ridens Rex occubuerit, in mortem perinde ut omnia pericula invictus. Deinde ſingulorum laudes carmine in medio dimicationis ardore proſecutus extulit, qvodqve ſinguli & univerſi Regem usqve ad mortem conſtantiſſimè ſecuti, fortium & fidelium militum munia expleverint, optabat ut ſalvi omnes iterum convenirent, vitamqve morte faciliorem eſſe negabat. Cumqve claſſiarii ad navem relicti ſupervenirent, pugnam redintegrarent, omnesqve tandem ab undiqve collectis Aſmundi copiis occiderentur, rhythmum ultimæ fortitudinis & invictæ conſtantiæ & fi-

dei

dei teſtimonium edidit, qvo Odinum incuſavit; qvod victoriam fortisſimo Regi inviderit, eripueritqve, Hrochos etiam amitinos ſuos laudabat, qvod intrepidè cum Rege ſuo mortem oppetiverint, (ambos namqve Jacentes conſpexit, mortuosqve credidit) ſe duodeviginti annos militiam auſpiciaqve Regis ſecutum teſtatus; tandem in morte comitem ad caput ejus ſe jam moribundum collocaturum. Atqve hac ultimâ in Regem pietate & obſervantiæ ſtudio animam efflavit, præclarum ſeculi ſui decus, ut qvi militaris fortitudinis fideiqve ſingulare ad perpetuam imitationem exemplum reliqverit. Hunc exitum habuit Halfus, Rogiæ Hördiæqve Regulus, annos tantum triginta agens, ab invictâ animoſitate magis qvàm prudentia commendabilis, iſto tamen ſeculo & ſeqvioribus celeberrimum nomen, qvousqve audacia & temeritas virtutis titulum raptu vindicatum posſidebant. Fuerunt tamen iisdem temporibus, qvi temeritatem ejus improbarent, tanqvam inconſultam & ſtultitiæ plenam, ut ex næniâ Hrochi Nigri, injuriam manibus ejus hac calumniâ fieri qverentis, manifeſtum eſt. Mortem Halfi in annum Chriſti circiter DXLV referendam, avunculi Solvii, qvi eum ultus eſt, ſynchroniſmus perſvadet. Gunnlaud Steinorum mater ad locum certaminis intempeſtâ nocte profecta, inter ſtrages cadaverum filios reqviſivit, & Innſteinum qvidem exanimem, Utſteinum verò vulneribus valde confosſum, palpitante tamen intra præcordia ſpiritu. Biornum etiam & Bardum graviter vulneratos reperit: omnibus domum deductis vulnera obligavit. Sanatos deinde Bardum & Biornum in Sveciam ad Regem Solvium Halfi avunculum ablegavit. Utſteinus in Daniam ad Regulum qvendam Eyſteinum cognatum ſuum conceſſit. Hrochus Niger multis vulneribus ſaucius, ad pauperem qvendam villicum, nomine Skogkall, pervenit, ibi vulnera ejus obligata, manſitqve donec eum in Sogniam navicula deportaret, ad patruum ſuum Geirmundum, eundemqve provinciæ præfectum, ubi clam omnibus ſanabatur. Præcipite autumno ad Uplandas profectus, inde in Gothiam conceſſit, nec prius qvievit, qvàm ad Hakium Skaniæ Regulum perveniret, ubi etiam hyemem tranſegit.

CAP. XIII.

DE UTSTEINI GESTIS IN AULA EYSTEINI DÆNIÆ REGULI.



IN aulâ Eyſteini Reguli, ubi Utſteinus morabatur, fuit vir qvidam valde potens, aulæ Regiæ magiſter, nomine Ulfus, octo filiorum, omnium inter ſuos exqviſitisſimorum pugilum, parens; nomina illis Oddus, Aurnulfus, Atlius Niger, Börchus, Bryniulfus, Bujus, Hardskufius & Raudus Robuſtus. Hi cum patre & gloriam Halfi, heroumqve ejus laudes, & honores Utſteini iniqvo animo tulerunt, gliſcebatqve in dies invidia, qvæ inter potandum dum Halfi Regis geſta Utſteinus mortisq; contemptæ gloriam magnificè prædicaret, in aperta jurgia erumpebat. Nam cum Eyſteinus pro more modularetur carmina, qvibus Aſmundo proditori mala imprecatus eſt; Ulfusqve ſe Halfo Regi, heroibusqve filios ſuos com-

componeret; vanitatem hominis, solâ arrogantiâ inflati, repressurus, cum omnibus se congressurum pollicitus est, adjecitqve, fortunam Halfi arma sua in Daniam secutam. Cui Ulfus ligatè eadem metri forma regessit, Qvî seqvi possit, cum universa cum iis occumbentibus interierit? Ostensum sibi per qvietem filios suos palmam reportaturos. Ad hæc Utsteinus; qvamvis certus sit propitiam sibi fortunam futuram, animetqve Halfus, certò sibi per somnum victoriam pollicitus, qvoties per qvietem qvicqvam promittere, toties etiam præstare solitus, tamen haut multum se fortunæ auxilio ad filios ejus superandos, neciqve omnes tradendos indigere, neqve enim fratrem suum vel Starium sodalem, dum vixerant, congressum cum talibus, aliud qvam ludum existimaturos. Ut Hrochos Halfdanumqve sileat, qvi se comite qvatuor tantum capita, ad promontorium Annisnesiam octo comites trucidâssent. Accingerent se protinus ad pugnam octo viri adversus unum, nihil se numerum eorum morari. Utrum cum singulis, an omnibus simul congressus fuerit, non exprimitur, omnes occidisse constat, peractâqve strage ad Eysteinum Regem ingressum carmineqve professum, jam nuncium cladis filiorum Ulfi adesse, necem ipsorum manu sua & gladio peractam patri indicaturum, qvod si Regi virtutem suam pluribus experiri libuerit, paratum ad morem illi gerendum. Eysteinus respondit, ulterioris experimenti desiderium si qvem tenuerit, profecto sibimetipsi frænum injecturum, satis jam constare, qvod fortitudinem heroum Halfi nemo possit asseqvi. Te, inqvit, novi virum longe maximum, acerrimum, cum octo fuderis. Ad hæc Utsteinus, si necessitas urgeret, aut inimicitiæ intervenissent, satellites Eststeini omnes eodem tenore trucidare se posse dictitabat, neminem enim esse, qvi secum contendere velit; sibi enim infanti Odinum ætatis metam terminumqve constituisse, ad qvem pertingeret, durumqve intra pectus cor condidisse.

CAP. XIV.

DE HROCHO NIGRO.



HRochus Niger ad Hakium Scaniæ Regulum pervenit, neqve nomen, nec conditionem sortemve prodidit, interqve inqvisitores ignobili loco collocatus hyemem transegit. Erat Hakio Regi filia, eximiæ formæ virgo, Brynhildis dicta; illius nuptias ambiebat Regulus Svenus qvidam, cui propitia in bellis fortuna, eaqve diuturna, Victoriosi nomen indidit, qvam cum impetrare neqviret, adeo excanduit, ut tum patrem illjus, tum futurum aliqvando maritum occisurum se minaretur, repulsæ ignominiam tum soceri, tum generi sangvine vindicaturus. Fuit qvidam Comitis dignitate clarus in regno vir, nomine Hedinus, cujus filius Vifill Regius gener destinabatur, si tamen regnum ab impetu & persecutione Sveni intrepidè tutaretur. Contigit forte, ut Rex cum aulico satellitiâ venatum, sed gynæceum in silvas avellanarum feraces, proficisceretur, eò se etiam Hrochus occulto tramite conferret, nec prius deprehensus, qvàm Brynhildis vidit virum vasto corpore ad arborem stantem, carmenqve, cujus hic est sensus, modulantem. Tandem tempus esse

ait,

ait, ut qvo qvis genere, qvove parente ortus esset, indicaret, & parente qvidem heroë animosissimo insigniq; viro, ipsi Regi Hakio longè præferendo, se satum commemorat. Procum autem virginis Visilem, ne opilioni patris sui, Visili & ipsi dicto, comparandum esse, imo nullum se in do mo paternâ porcorum custodem timidiorem illo vidisse unqvam. Deinde gestorum suorum seriem, ut militiam Halfi Regis secutus fuerit; exponit, novemqve nationes bello lacessitas gloriatur. Traduci Halfum a multis, tanqvam audacior qvàm prudentior fuerit, qveritur; verum ignorare Regis mores, qvi temeritatem ei objicerent, multitudini hostium nunqvam cessisse, nec singulos adversus undecim pugnam detrectâsse, unum scivisse æqvè gloriosum; Sigurdum Regem ad palatia Giukii. Ad singulorum sociorum laudes celebrandas inde digreditur, inter qvos Hringum & Alfum memorat, Danicæ gentis judices, vel ut Saxo in Haraldo Hildetanno, eandem forte vocem interpretatus, forenses athletas. Operæ pretium esset, singulos rhythmos exscribere, qvo facilius cum versione conferri possent; nos scopum hic tantum exprimimus, ne idiotismus tædium pareat. Se etiam inter præcipuos æstimatum refert, causam tamen moderatè subjungit eam, qvòd certatim alter alteri honorem detulerit.

Fratris deinde excidium lamentatus, spe tamen ultionis de Asmundo qvandoqve sumendæ, æqvitate causæ erectus, se consolatur. Adjicit deinde, qvamvis in aula Hakii ad infima subsellia detrusus videatur, tamen si contingat Svenum Victoriosum bello Regem lacessere, facile suæ fortitudinis & ministrorum Regiorum discrimen eventum declaraturum. Multis deniqve Regiam virginem laudibus extollit, ejusqve se conjugium petiturum refert, modo id permissu ejus & voluntate liceat, qvod si impetraverit, confluxurum ad se magnum præstantissimorum pugilum & athletarum numerum, qvorum ministerio invictus postea futurus sit. Brynhildis ad patrem hæc omnia detulit; qvo cognito, Hakius eum in intimum amicitiæ gradum receptum â latere suo collocavit, filiamqve in matrimonium elocavit. Appetente vere minas Sveni Victoriosi præventurus, ad perseqvendum eum proficiscitur; verùm neqve eum parti cognominis decus, nec constans ad id tempus victoriarum cursus, nec invictus bello animus, vel militaris artis peritia corporisqve robur adversus virtutem Hrochi tutari potuerunt, qvin vitâ simul & victoriâ orbatus occumberet. Hrochus victoriâ ovans, ad socerum cum opimis spoliis rediit, unicæ expeditionis gloriâ ostendens, qvantum instar in novo genero prædestinato prius sponso esset. Ex Brynhilde suscepit Hrochus Niger Gunnlaudem Hromundi Greipii, viri celeberrimi, matrem.

Æstate proximâ conveniunt Hior, Halfi Regis filius, Sölvius Sveciæ Rex, Halfi avunculus, Hakius Skaniæ Regulus, Hrocho genero comitatus, Eysteinus in Daniæ parte aliqvâ Regulus, Utsteino comitatus, conjunctisqve viribus classe ingenti in Hordiam movent, cædem Halfi Regis ulturi. Facile apparet, admodum potentem fuisse Asmundum, cum tot tantiqve Reges, inter qvos Sölvius eminebat, ad eum debellandum conspiraverint; nec is imparatus aut demisso animo fuit, nam justo prælio cum iis & magnâ alacritate congressus est, sustinuitqve longo tempore fortissimorum Regum impetum; sociorum auxilio fultum credere

par

par est, ad ultimum victoria causæ patrocinium suscepisse visa, numero & viribus potiores secuta est. Asmundus prælio cæsus occubuit. Exitum vitæ Sölvii in fine vitæ Eysteini in Sveciæ Regis, Yngvaris patris, exponam. Hrochus & Utsteinus ad intermissum piratici vitæ generis exercitium redeuntes, longò id tempore seqvebantur, Hiör vero Halfi filius, paternæ ditionis hæres, idemqve vindex, duxit Hagniam Hakii Regis Hamundi filii filiam, qvæ qvidem fuisse videtur Brynhildis Hrochi Nigri uxoris soror, eo qvod hunc Hakium (licet cujus filius fuerit non exprimatur) tamen tanqvam notum Regem historia nobis venditat. Accedit etiam societas in vindicatâ patris nece, & arctus cæteroqvin amicitiæ nexus inter eum & Hrochum Nigrum, qvi vel solus ad affinitatem conciliandam sufficiens fuisse videtur. Accidit verò, cum Hiör forte regno absens unà cùm cæteris Regibus de rerum summâ deliberaret, ut Regina interim partu levata duos eniteretur filios, formæ perqvam inamænæ, furvæq; cutis; Hamundum unum, Geirmundum alterum nuncupavit. Eodem tempore ancilla etiam filium peperit, Leifumq; nominavit. Hic cum formâ egregiâ membrorumq spectabili concinnitate præditus esset, incessit Reginam filios cum ancillâ permutandi cupido; qvod postqvam factum esset, Leifum hunc Regi reduci ostendens pro suo venditavit filio. Cæterum suo se indicio sorex prodidit, apparuitq; intra breve, suppostitium hunc Regis filium non regiô sangvine, sed servili, natum; animos enim non Regios, sed abjectos gerens, qvôq; plus accessit annorum, eô magis in pejus ruens, generis sui satis manifesta documenta dedit; cum e contrariô genuini Regis filii virtutis & magnanimitatis incrementa qvotidie caperent, Cum itaq; dolo tegendo res ipsa obstaret, mater puerorum, jam tres circiter annos agentium, marito Regi eos adsportavit, ipsius esse filios professa. Tum Rex; aufer, inqvit, Heliarskinnos istos (Lethæas cutes dixeris: innuebat autem furvas, & moribundorum similes) non enim pro meis agnosco. Atq; hinc Heliarskinnorum cognomen utriq; postea adhæsit. Cæterum de his plura peculiari libro inter primos Islandiæ incolas post vitam Haraldi Pulchricomi referam.



HIST:

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ

LIBER QVINTUS,

DE VIKINGI, THORSTEINI, FRIDTGIOFI ET GAUTRECI GESTIS.


CAP. I.

DE REGE HALOGIO EJUSQVE FILIARUM RAPTU, RAPTARUM EXILIO, NOVISQVE SEDIBUS.



HActenus progeniem ex libro Originum Norvegiæ, & Halfi Herois historiâ, a Thorrio exposuimus: proximum est, ut aliorum qvoqve Principum, qvos historia Vikingi, Thorsteini & Fridthiofi nobis exhibent, ab eadem origine descendentes, eorumqve gesta, licet non omninò, tamen in qvantum fieri potest, â fabularum vanitate liberata explicemus, inqve præsentem librum congeramus. In Halogiâ, Norvegiæ provinciâ, Naumudalo, qvæ Thrandheimo seu Thrandiæ adjacet, conterminâ, Logius, ob raram proceritatem roburqve eo tractu inusitatum Halogius, tanqvam cella flamma, dictus, Regio titulo jureqve imperavit, deqve nomine suo provinciæ, cui præfuit, nomen Halogalandiæ seu Halogiæ communicavit, ex gigantum stemmate prognatus, majores suos, qvoad robur & proceritatem, referebat. Uxor ei Glod, Gymeris, aliis Grimi de Gymisgardis seu Grîmsgardis, (qvorum situs in Jotunheimis, qvi id temporis boream versus in Elivogis ita vocabantur, ponitur) insignis Berserki, & Alvoris, Alfi Prisci sororis, filia. Hallucinatus videtur Arngrimus, & eum secutus Reenhielmus, dum hunc Logium Noris patruum maximum statuit; nihil enim certi ex his nominibus de isto nexu concludi poterit; nec veritati consonum est, eum fratris sui Karii trineptem Glodem uxorem duxisse.

Schema tale est.



Nec uspiam traditur, illum Logium Halogium appellatum, aut in Norvegiam unqvam concessisse. Alfum autem Priscum Finnalfo Raumi filio Noris nepote antiqviorem neminem invenio. Hic etiam illius ditio discribitur, Gautelfâ enim & Raumelfâ terminabatur, ab illius nomine fluvii communiter Elfar appellati: differentia autem â vicinis singulis Regibus profluxit, â Gautio qvippe Gautorum Gautelfa austrum versus, a Raumo Raumarichiæ Rege Raumelfa ad boream, nomina traxerunt; nam ita inter eos convenisse videtur, ut fluminibus istis finitimorum Regum nomina celebrarentur. Ditiones etiam singulorum ab ipsis qvoqve denominatæ sunt. Alfus Bryngerdem Raumi, non illius antiqvissimi, qvippe patris sui, sed forte filii fratris sui Jotunbiorni, qvi etiam Raumus dictus est, filiam matrimonio sibi junxit, virginem staturæ proceræ & roboris gigantei, nec formæ venustate commendabilem, retulit enim paternum genus; nam *Raumi* vastâ corporis mole turgentes turpesqve dicuntur. Alfo vero geniti formosi erant omnes, istiqve gigantum generi, qvod antiqvâ lingvâ Risar usurpatur, venustate proximi. Versio Svedica Alfo ortos, Alfi generis omnes, aliis hominibus post gigantes deformiores tradit; verum ex seqventibus versionis error manifeste apparet; nam Halogius ex Glode duas filias progenuisse perhibetur, Eysam & Eymiriam, generis parentumqve more formâ incomparabili, unde splendidissimæ res flamma, pruna, carbones, & cineres corruscantes, nomina in hunc usqve diem mutuata referuntur (qvod tamen invertendum opinor, cum virginum forma his assimulata, nomen qvoqve conciliaverit) qvod si generis qvodam privilegio tales erant, patet deformes non fuisse. Testantur idem Historiæ Haraldi Hildetanni fragmenta, â nobis in vita Ragnaris Lodbrochis Cap: XXXI. adducta, ut & Bardi Nivosi montis Dei fabula, sub initium dum Risas aliis hominibus majores formâ etiam præstare tradit. Erant duo fratres Comitum dignitate conspicui, qvi militiæ regniqve custodiæ præfecti erant. Nomina illis Visill & Vesetius, animi corporisqve robore pariter insignes, multum in piraticâ â teneris exercitati, qvi virtutum suarum fiducia & gloriâ, fideli administratione militiæqve laboribus longo tempore partâ, sublati, filias Regis, Vesetius Eysam, Visill Eymiriam, uxores postulârunt. Verum impar conjugium aspernantibus parentibus, Re-

Regum copiâ ſuppetente, denegatum fuit. Illi repulſa ſimul & amoris ſtimulis exacerbati, qvas precibus impetrare neqviverunt, vi rapuerunt. Eos igitur Rex extra ditionis ſuæ pomeria proſcripſit, adhibitis inſuper diris Seidicis, ne unqvam redirent, effecit, neceſſitatemqve poſteris eorum omnibus patriis agris exulandi, poſſeſſionibusqve allodialibus in æternum carendi, veneficiorum vi impoſuit. Proſcripti in Borgundarholmum (Bornholmiam) conceſſerunt, qvæ cum eſſet inſula familiæ amborum minus capax, convenit ut Veſetius ibi remaneret. Viſill autem in inſulam propter Kalmariam (conjectante Reenhielmo) ſitam receſſit, qvam poſtea de nomine ſuo Viſilseyam dixit. Veſetii nomen in Borgundarholmo poſtea inolevit, ab hoc Veſetio primò deductum. Mendum autem â ſciolo qvodam in editionem Svedicam irrepſit, de Bujo & Sigurdo Kapa ab eo victis, nec in editione Regia habetur, nihil enim præter inſaniam ſpirat.

CAP. II.

DE HARECHO JARNHAUSE, SEU FERREO CAPITE, NUPTIAS FILIÆ REGIS EXPETENTIS, PROVOCATIONEQVE REGIS AD SINGULAREM CONGRESSUM, SOLLICITATOQVE VIKINGO AD LIBERANDAM E PERICULO VIRGINEM.



Viſili ex uxore filius erat, Vikingus nomine, ingentis â teneris ſpei; pollebat enim ingenii viriumqve ſupra ætatem admirandis dotibus, formæqve elegantiâ ſingulos æqvales præſtabat. Eodem tempore inter provinciales Sveciæ Reges Hringus qvidam floruit, cui ex legitimo conjugio filia, eaqve unica, formâ, moribus, artiumqve muliebrium præſtantia eximia, nomine Hunvor, qvæ gynæceo, paulùm ab aula diſcretô, magnum virginum matronarumqve numerum aluit. Proxima ei fuit Ingibiorgis, Principis de Ullarakro filia, ſola prudentia generisqve nobilitate ei inferior, his enim virgines alias Hunvor toto regno antecelluit, id tantum vitio vertebatur, qvod ſibi nimium tribuens, Regum Regiorumqve juvenum, ſæpius ſeſe ambientium, nuptias aſpernaretur; tantum faſtum aliqvo incommodo fortunam qvandoqve presſuram jam tum multi augurabantur. Interjecto tempore qvinqvertio qvidam, gigantibus qvàm hominibus ſimilior, Harechus nomine, cognomento Jarnhaus, illius nuptias à patre poſtulavit, abnuentem patrem ad ſingulare certamen provocans, vel alium qvi vicem ejus ſuppleret, idqve intra ſeqvens triduum. Rex convocato ſatellitio nuptias filiæ præmium duelli victoriæqve ſingulis propoſuit; nemo autem ſpem incertam certisſima vitæ jactura emere ſuſtinebat. Erant etiam complures, qvi hæc indignè haut accidere inter ſe musſitabant, inſolentiæ mercedem conjugiô Harechi uberrimam relaturæ.

Eyvindus erat inter famulos Hunvoris, fidus, & ad exeqvenda imperata promtus; ei tabulas, notis runicis inſcriptas, Regia virgo tradit, cum mandatis ut navicula ad inſulam Ullarakro adjacentem, Viſilseyam dictam, protinus petat, omninoqve diei ſeqventis veſpere eò perveniat, ſolumqve villam per occidentales fores ingredi jubet, ibi ſenem patremfa-

 milias,

milias, viribus vegetum, ſeneſcentem etiam mulierem, nec plures conſpecturum: eſſe iis filium, nomine Vikingum, qvindecim annos natum; ſolum eum, aut etiam neminem, præſenti ſe periculo exemturum. Clanculum domum ingredi jubet, conſpectumqve parentum declinare, in filii autem ingredientis gremium tabulas conjicere, ſubitoqve ad navem regredi, domumqve ſine ulteriore reſponſo reverti. Eyvindus qvæ præcepta erant executurus, naviculâ cum duodecim remigibus in inſulam trajecit, ingreſſusqve domum ex angulo qvodam ſenem cum uxore conſpexit, qvi ad focum combuſtis nutrimentis, inqve prunas redactis, ſedentes, hæc inter ſe colloqvebantur. Materfamilias ita: neminem videri cum Harecho congreſſurum; præſtare ut ad definitum duello tempus filius eorum adeſſet, nuptias Regiæ virginis hoc conflictu promeriturus. Maritus autem ætatem & vires, audaciam, uſum & prudentiam eum ad tantas res aggrediendas deſtituere; præſentisſimam mortem haut qvaqvam evaſurum, ſi ullius illecebris ad hoc ſe induci permittat, futurum tamen in poteſtate matris, qvicqvid ei conſuleret. Paulo poſt filius ingreſſus, ingenti ſtatura juvenis, apud matrem conſedit; mox Eyvindus tabulis in ſinum ejus conjectis, qvàm citisſime navem, indeqve domum repetit. Hunvoriqve tabulas accepiſſe Vikingum nunciat; iis continebatur petitio virginis, nuptiis ſuis cum Harecho certamen paciſcentis. Qvibus viſis, ut vultum filii ſubitò mutatum pater obſervabat, ſcopum earum qvæſivit, qvo cognito, ſimul & matris ad gloriam, ſine periculi reſpectu conciliandam, impetu, conſilium ſuum præferendum dictitans; nihilominus filii voluntatem explorabat. Ubi ad liberandam virginem propenſum animadvertit, metu periculi, certisſimo vitæ ejus interitu, nullo ad virginis libertatem profectu conſtituri, dehortari conatus eſt. Id cum fruſtra eſſet, nec ſe amplius moraturum reſpondit; genus tamen indolemqve adverſarii paucis expoſiturum.

CAP. III.

DE FAMILIA KOLI, DUELLIQVE EXITU.



Ater, inqvit, ei Kolus, cognomento Gibboſus, gigas immanis, corpore monſtroſo, tanta artis magicæ peritiâ, ut intra terræ viſcera ſe, cum liberet, conderet, dæmoniacoqve itinere per aëra provectus, eqvos ſtellis jungere videretur. Hic occiſo magno prælio Thyro (Forte Tyre) Rege Indiæ valde celebri (provinciam aliqvam Sveciæ, Gothiæ aut Norvegiæ hoc nomine intelligi exiſtimo, forte Inderöen Thrandiæ inſulam, oppido Steinkeris olim celebrem) filiam ejus Thronam, virginem ſpecioſam, una cum ejus regno in ſuam poteſtatem redactam uxorem duxit, ex qvà multos liberos, ſibi qvam ei ſimiliores, ſuſcepit; qvorum veterrimus Biornus, Cærulidens dictus, qvem filia Dys ætate proxima ſecuta eſt, tertius Harechus, a capite ferro inviolabili Jarnhaus ſev ferreum caput dictus, is cum qvo congredi exoptas. Qvartus Ingialdus, qvòd bronchus eſſet, Tranæ cognomine inſignitus. Seidicis incantationibus adverſus omne ferrum, præter unum gladium Angrvadilem, familiæ depoſitum, ſingulos filios ſuos Kolus obdurabat. Tandem mente motus infami

morte

morte obiit. Filium deinde posthumum Throna genuit, de patris nomine Kolum qvoqve dictum, patri ut genere, ita qvoqve indole similem, qvi â moribus Krappii cognomen reportabat. Dys berſercho Jokuli, Ferrea Spina cognominato, nupſit. In hæreditatis diviſione gladius Angrvadill, qvo celebriorem illo ſeculo nullus geſtavit, Biorno Cærulidenti obtigit. Dyſi autem cornu magico genio imbutum, cujus liqvor ab inferiori loculo hauſtus, potionato cum omnium rerum oblivione derepente etiam lepram induceret, remedium ſuperiori contineretur (haut ſecus atqve de Achillis gladio poëtæ fabulantur, & de Hrolfi Krakii Skofnungo Laxdælenſium hiſtoria) adeo præſens, ut inveteratum etiam morbum ocyus depelleret. Armilla pretii inæſtimabilis, â ſplendore Glæſir dicta, Harecho tuo adverſario, regnum Ingialdo, reliqva mobilia Kolo ceſſerunt. Tribus annis â morte Koli elapſis, ad ſecundas nuptias Throna pervenit, maritum nacta Herfinnum Comitem, Regis Hrodmaris de Marſia filium (ut habet editio Svedica: Regium exemplar Jarnberiæ Comitem tradit, unde etiam error de India facile refellitur, eſt enim Jarnberia Sveciæ provincia) ſuſcepitqve ex ea filium, nomine Framarem, indolis melioris, fratribusqve ſuis valde diſſimilem. Genus Harechi expoſui; itaqve te dehortor a congreſſu cum talibus, qvibus nulla arma nocere posſunt. Vikingus negabat ſe propoſitô terrore periculi deſtiturum. Plura itaqve exponam, reſpondit Viſill. Contigit, inqvit, dum Regi Halogio ego & frater Veſetius militaremus, ut in portu Græningio (inter Mænam & Falſterbuam ſitus videtur, teſte Reenhielmo) in Biornum Cærulidentem incideremus, eiqve inter confligendum Veſetius ictu clavæ brachio impacto, gladium Angrvadilem excuteret, qvem ego ſtatim arreptum, per præcordia ejus transegi, præmiumqve victoriæ, qvod tibi donabo, reportavi. Tradito enſe gaviſus Vikingus, eodem die ad Regiam ſe contulit, nec prius eo devenit, qvam ad definitum monomachiæ diem, omnesqve in aula mæſtos deprehendit, ingresſusqve Regiam, asſidentem patri filiam rogavit, an ſe ad duellum depoſceret? qvâ affirmante, qvo præmio ſibi certandum eſſet? ulterius qvæſivit: nuptiis filiæ magnaqve dote; â Rege reſponſum. Hac lege Vikingus certamen ſe ſubiturum promiſit, virgoqve ei ſtatim deſponſata eſt, multis præſentisſimam mortem conjugium præventuram augurantibus. Magno deinde comitatu in campum ductus, adverſarium ſibi obvium habuit, interrogantem cum qvo ſibi eſſet certandum. Vikingo ſe offerente, indignum qvidem ſe ſuisqve viribus certamen cum illo, levi tantum ictu exanimando, teſtatus, reſponſum retulit; majoris molis qvam pro viribus ſuis congreſſum hunc eum jam formidine correptum reputaturum videri. Tum Harechus falli eum reſpondit, nec tamen ſibi ſalutem ejus, in præcipitem perniciem ruituri, ulterius curæ futuram: tantum monuit, ut qvandoqvidem leges duelli provocato primum ictum præſcriberent, ſuo uteretur jure, ſe interea immotum conſtiturum, utpote damni ab eo periculiqve omninò ſecurum. His dictis Vikingus gladium Angrvadilem protinus eduxit, qvi flammantes aciei ſcintillas latè vibrabat. Qvo viſo intrepidus antea hoſtis, & hactenus invictus, tanqvam ſibi fatali, valdè trepidans, mortem actutum ominatus eſt, præſagium patris animo recolligens, brevem filiorum ætatem futuram vaticinantis. Nec mens eum mali præſaga fefellit: ſiqvidem primo ictu capite corporisqve universâ compage diſſectâ, Vikingus in ingens ſpatium ruentem porrexit. Regii ab ſtatione magno clamore triumphantes obviam progreſſi, laudantes gratulantesqve ad

Regem ducunt, qvi magno eum cum honore excepit, copiamqve nuptiarum cum filiâ protinus obtulit. Is triennii morâ reqvisitâ, edendis pluribus facinoribus, qvibus dignitatis discrimen justè se pensaturum credidit, nec imbellem diutius ætatem agere sustinens, piraticam statim qvinqve navibus aggreditur, nec sine fructu, nam victoriis ubiqve inclaruit.

CAP. IV.

DE CÆDE DYSIS, ET MARITI EJUS JOKULIS JARNHRYGGI, INVASIONE INGIALDI TRANÆ IN DITIONEM REGIS HRINGI, EJUS CÆDE ET FILIÆ CAPTIVITATE, CONFLICTU VIKINGI ET HALFDANI CUM INGIALDO, ET VIRGINIBUS RECEPTIS.



EVolutis duabus æstatibus, cum astu Dysis in ultionem fratris prædictô cornu potionatus Vikingus per integrum annum periculosissimo morbo oppressus decubuisset, â superveniente viro insigni, nomine Halsdano, ex provincia Svaviâ oriundo (qvam cis Rugiam Reenhielmus sitam existimat, cum tamen Svafstadium Holsatiæ nomen indicet) septem piraticarum navium præfecto, sortem ejus tanti viri miserto, qvantumvis desperatæ valetudinis & duodecim mensium clinicus, in societatem adsciscitur, ejusqve industria (astu, ut fabulantur, nani cujusdam, qvi Dysi cornu eripuerat) sanitati restituitur. Ambo deinde simul a provincia Svavia in aqvilonem classem direxerunt: præternavigantes Balagardsidam, sive latus Balagardense (qvod in Finnlandia, secus ac putat Reenhielm, magis qvam ad paludem Mæotim qværendum historia Sancti Olafi monstrat) ad Svinasundam (cujus situm Holmveriensium historia non procul inde ostendit) pervenerunt. Ibi Jokull Jarnhryggus, veneficæ Dysis maritus, cum instructis tredecim navibus deprehensus, navali prælio cum iis longo tempore certavit, tandem lethali vulnere, gladio Angrvadile, toti familiæ fatali, sauciatus interiit. Mox cum in terram conscendissent, inventam uxorem Dysem, jam seminecem lectoqve affixam, diutius superesse non passi, capite culeo involuto lapidum jactu coopertam ad orcum miserunt. Secundum illam victoriam domum reduces, cognoverunt Ingialdum Tranam, dum peregrinarentur, Regis Hringi ditionem invasisse, expugnato belloqve cæso Rege filiam ejus Hunvorem, sponsam Vikingi, una cum Ingibiorge Comitis filiâ captam secum duxisse. Igitur ad perseqvendum Ingialdum classem viginti duarum navium adornant, ipsiusqve ditionem invadunt, vastant, villas agrosqve incendunt, homines occidunt, prædasqve & manubias undiqve congerunt. Ille, instantis damni præscius, castellis provincias omnes munivit, diruta aut vetustate detrita aut exstruxit, aut reparavit, milites ferocissimos ex omni angulo conscripsit, hostibusqve intrepidè occurrit. Magnis animis & longo tempore ancipti eventu per septem dies integras pugnatum est; tandem Ingialdus objectu clypeorum solus suis superstes, nullo accepto vulnere, capitur. Verum cum Sol occidisset, piaculum visum est per noctem supplicium de eo sumere: nervô igitur arcui detractô manus ejus vinciuntur, pedesqve compedibus ligantur: hoc habitu supra foros navis duodecim custodibus observandus traditur. Hunvor

vor cum Ingibiorge recuperatæ ad naves deducuntur. Luce proximâ deprehenduntur custodes omnes sine ullo vulnere mortui, Ingialdusqve vinculis neqvaqvam ruptis elapsus. Omnes novitate rei perculsi obstupuêre. Inde Sveciam petunt. Halfdanus Ingibiorgem Comitis Herfinni filiam uxorem expetivit. Re ad patrem delata, promeruisse nuptias ejus visus est; festivitasqve simul cum Vikingi nuptiis celebrata. Hyems deinde domi, non sine ingenti ad bellum gerendum apparatu, acta. Proximo vere qvindecim navibus ad piraticam se conferunt. Feliciter per triennium magno opum auctu exercitium illud cessit: hyemes domi transactæ, gloria ingens comparata, adeo ut sui temporis æqvalibus pene omnem gloriam præripuisse visi sint.

CAP. V.

DE SOCIORUM CONFLICTU CUM NIORFIO UPLANDARUM NORVEGICARUM REGE, ET CONTRACTA INTER EOS SOCIETATE.



INterea, dum litora Danica perlegunt, in sinu Limico in naves novem, & decimam draconis formâ insignem, inciderunt, videruntqve præfectum celsâ in puppi stantem, virum vasto corpore & compacto, qvi se Niorfium nuncupabat, Regem Uplandarum in Norvegia, & jam pridem paternam hæreditatem crevisse referebat. Halfdanus conditiones ei sicut cæteris piratis offerendas retulit; aut enim certamen ineundum, aut si magis placeat, navibus opibusqve cedendum, depositisqve armis excedendum. Ille se ignominiosam conditionem subiturum negabat, pugnaturum potius, qvantumvis viribus iis & numero navium inferior esset. Vikingus haut impari manu conflicturos respondet, tot namqve naves extra belli aleam futuras, qvot ejus classem numero superarent, eam domum victoriam reportaturum, cujus se nunqvam pudeat. Niorfius ejus magnanimitate laudatâ, ad bellum se sine morâ præparavit, naves invicem proris ligatis junguntur. Mox utrinqve summis viribus & magnâ contentione certatur, dubio qvidem Marte, adeo ut qvò victoria inclinaret, nulli constaret. Triduum hoc tenore extractum. Tum Vikingus clarâ voce qværit, qvantas opes navibus vehat. Niorfius exiguas, qvocunqve enim per totam æstatem exscenderit, semper incolas abditis opibus aufugisse respondebat. Qvî igitur, ait Vikingus, pugnamus, manifesta damna nullis præmiis pensaturi? nostri & commilitonum sangvine abusuri? qvin potius societatem & fœdera inimus. Niorfius adhæc: placere sibi cum illo pacisci, paria illis jura fratrum instar futura, dignitatis tantùm, tituliqve hæreditate parti privilegiô sibi reservatô, futurum se tam domi qvam peregrè Regem. Illum familiæ decus, Comitis titulum, conservaturum. Halfdanus illis loqventibus siluit. Vikingo causam inqvirenti; haut eqvidem, inqvit, qvo minus amicitias fraternaqve fœdera jungatis, impediam, præsagit tamen animus, haut exigua damna molestiasqve tibi qvandoqve ab illius propinqvis exspectanda. Id qvod Vikingus nihil moratus, fœdera cum Niorfio sanciebat. Conjunctis inde viribus totâ æstate spolia prædæqve collectæ.

ctæ. Imminente hyeme Niorfius in Norvegiam, illi in Sveciam tendunt. Haut longum tempus domi tritum, cum Hunvor uxor Vikingi ex morbo deceſſit, relicto filio, nominis aviti & ditionis hærede, ſed minus longævo, â qvo tamen magna progenies profluxit. Hæc deinde ſociorum triga ſingulis æſtatibus communi conſilio impenſa, lucrô piratica exercitia continuabat, claſſisqve ad ſexaginta naves excrevit.

CAP: VI.

DE CERTAMINE CUM INGIALDO TRANA, EJUSQVE CÆDE, NOVISQVE VIKINGI NUPTIIS.



Nterea Ingialdus Trana, qvem prius occulta adjuratorum dæmonum vis integris vinculis, necatis cuſtodibus, eripuit, claſſe qvinqvaginta navium adornatâ Vikingum cum ſociis ubiqve per maria reqvirit. Conveniunt in mari Balthico, pugnaqve navalis exorta ancipiti fortunâ longo tempore extrahitur. Vikingus in navem Ingialdi primò inſiliens, reliqvis ſociis comitatus eſt; magna ibi ſtrages edita. Ingialdus cum maximam diei partem omnes hoſtium ictus eluſisſet, ad ultimum gladio Angrvadile, familiæ fatali, ictu Vikingi bipartitò diſſectus corruit. Curſu deinde in Norvegiam flexo, pervenerunt ad inſulam Thrumam: ei præfuit Princeps qvidam, nomine Refill; pater illi Mæfill vel Mifill, filia Finna vel Feima; eam ſibi in conjugem Vikingus, prævio patris conſenſu, Niorfio annitente, & propria virtute commendante, aſcivit. Domum deinde Niorfius, eumqve ſecutus Vikingus, Comitatu cum adjecto titulo ab eo donatus, conceſſit. Halfdanus ſatrapa magni uominis factus eſt, inhabitavitqve prædium, Vogas dictum, inter qvod & Vikingi habitationem longa per montana via magnumqve iter interceſſit. Inter Regem Niorfium & Vikingum conſtans amicitia ad finem vitæ incorrupta permanſit; inter Halfdanum vero & Niorfium non pari ſtudio culta eſt.

CAP. VII.

KOLI KRAPPII, KROPPINBACHII POSTHUMI FILII, GESTA ET EXITUS DESRIBUNTUR, QVA OCCASIONE STURLAUGI LABORIOSI VITA, QVI ILLUM OCCIDIT, SUMMATIM EXPONITUR, UTET FRAMARIS, KRAPPII FRATRIS UTERINI, MAGNA FELICITAS.



Lurimorum Koli Gibboſi liberorum geſta exitusqve expoſui. Reſtant tamen Kolus Krappius, & uxoris ejus ex alio marito filius, nomine Framar, qvibus deſcribendis dum immoror, interrumpendæ ſunt res, qvæ inter Vikingum & Niorfium, utet utriusqve filios, intervenerunt, introducendusqve in ſcenam Sturlaugus, cognomento Labrioſus, iisdem tempore æqvalis.

Hic juvenis egregius, regnante in Thrandia Haraldo Gullmudo ſeu Chryſoſtomo, tum qvoqve ſene, in villa provinciæ Naumudalenſis Skartaſtadis, patre Ingolfo, viro opulento & totius provinciæ ſatrapa natus; non, ut ſcriptor hujus hiſtoriæ, temporum minus peritus, computat, tempore qvo generis humani Redemptor ſe in carne manifeſtavit, ſed ſecundi ſeculi circiter medio, uti hæc aliàs ex ordine liberorum Koli clariſſimè demonſtrata ſunt. Fidem geſtis ſi non ex ordiminaqve ne modoqve, qvo conſcripta ſunt, ſummatim tamen conciliant ſitus novillarum hominumqve, qvorum hic fit mentio, uti ſunt villa patris ejus in proximâ Naumudali litori adjacente inſula Niardeya, juvenesqve, qvi ê viciniâ ſocietatem ejus ſeqvebantur, Jökull & Guttormus, patre Aſgauto, matre Grima in prædio Tunglheimo nati, Sotius & Hrolfus, cognomento Nefia, ſev Naſutus (â qvo ego illud & nomen & cognomen, qvod maternus Hrolfi ſev Roberti primi Normanniæ Ducis avus geſſit, in ſeptimum deinde ſeculum dimanâſſe exiſtimo) parentibus Thorgauto & Helga, inſulæ Lokæ incolis. Sigvatus patre Hrafno, matre Helga de inſula Urga progenerati, ut & Akius, matre Jarngerde natus, de villâ Borg, haut procul ab Ingolfi prædio ſitâ. His ſociis comitatus Sturlaugus cum ludis & ſpectaculis, non item neceſſariis, animum intenderet, increpatus â patre, nuptias virginis eximiæ Aſæ â rarâ formæ gratiâ Formoſæ appellatæ, Comitis Hringi, qvi in ditione Regis Haraldi erat, filiæ, expetivit, nec ſine contemptu repulſus, ad ignominiam demendam latrociniis navibus exercendis ſe dedidit, eadem hybernis otiis interpungere ſolitus. Evenit autem ut Rex Haraldus jam ſenex in mortuæ uxoris locum eandem virginem in matrimonium poſtulaturus, patris conſenſum comiter expetere dedignatus, ê Majeſtate ſua duceret illam vi exprimere; improviſus itaqve magno comitatu accedens, ne virgine qvidem conſultâ, invito patri ſuffragium extorqvet, atqve ita domum regreditur. Nec multo poſt Kolus Krappius Regem ad ſingulare certamen de nuptiis puellæ provocat, factâ poteſtate, ut ſi ipſe id recuſaret, ſupponeret vicarium. Cumqve iis, qvi a conſiliis erant, vecordiæ proximum videretur, ſenile Regis corpus tanto periculo objicere, magni nominis pugilem Hemingum, civem Naumudalenſem, ſed obſitum annis, nec ſatis Regi conciliatum, ad id deſtinant, qvi id tandem in ſe recepit, qvòd ſenum morte nihil perire exiſtimaret, arbores enim vetuſtas caducas eſſe. Hunc cum Kolus eodem congreſſu interemiſſet, ſive qvod indignum ſorte ſua duellum cum obtrito annis viro, magisqve minuendæ qvam augendæ exiſtimationi duceret, ſive ut contemptum Regis pluribus qvoqve cædibus cumularet, ſive deniqve, ut victoriam illuſtriorem cauſamqve ſuam ex eventu juſtiorem oſtenderet, ſeqve hoc magis virgini commendaret, iterum Regem aut alium ejus loco athletam depoſcit; qvi aſcito Sturlaugo, id temporis juvene, aut eum, aut neminem tanti gigantis immanitati opponi poſſe credidit: ſed nec ille periculum a Rege in ſe avertere ſuſtinuit, ni præmium certamine, qvod exſudandum erat, & diſcrimine majus oſtentaretur, ipſa nimirum virgo, de qva tantis contentionibus & aleâ vitæ certaretur. Verum cum id ipſum pomum eſſet, de qvo lis erat, parum referre viſum eſt cui cederet, ſi id ſibi Rex eripi pateretur, honeſtius tamen in civem â Rege raræ gratiæ & ſpontaneæ voluntatis ſpecie tranſcribi, qvam ignaviæ & ſocordiæ confeſſione cumulatâ ignominiâ permitti, ut ab extraneo abriperetur. His nodis implicatus remiſſâ ſponſione, qvam patri per vim expreſſerat, renunciatoqve omni jure,

inqve Sturlaugum translato, qvod in ſponſam conſecutus erat, vicem ſuam ad rem cum provocatore gerendam deligit. His ita compoſitis, Sturlaugus ad Comitem Hringum, virginis patrem, qvi urbem (neſcio qvam) ripis maris adſitam, forte Steinkeras inſulæ Idriæ, incoluit, ſe confert, nuptias filiæ, qvæ eum prius faſtidiverat, facilè paciſcitur, & ne caſtitatem ejus hoſtibus delibandam ſervaret, approperat, cujus commendatione inſtructus, mox inde ad nutricem ejus Freyam, qvæ â villâ, qvam incoluit, Ve, Vefreya dicta eſt, accedit, exactæ ætatis anum, ſed veneficarum artium peritiſſimam, qvarum cognitione alumnam ſuam jamdudum imbuerat. Hæc cum arcani genii fomentis corpus ejus inunxiſſet, inqve ſocietatem lecti per unam noctem, enſe ſeqveſtro â ſuo diremptum, admiſiſſet, inuſitatas vires magnumqve robur ei impreſſit, donatumqve lacernâ, & invicti acuminis gladio, jam adverſario haut imparem præſagiens dimiſit: qvi deinde cum Kolo decertans viribus eum & vitâ ſpoliavit. Talis erat Koli Gibboſi qvarti filii, ejusdemqve poſthumi, exitus; reſtabat illius frater, non patre ſed matre eadem natus, Framar, vir melior, melioreqve patre progeneratus. Hîc jure ſangvinis proximus vindex, non dolo ſed aperto Marte ultionem executurus, Sturlaugum ad certamen evocat, diemqve & locum præfinit: ſed Vefreya claritudinem generis & condignas tantâ ſorte virtutes ejus commemorans, in id unice annitebatur, ut ad amicitiam ſocietatemqve reducerentur. Sed oportuit ut ſe invicem experirentur. Præludium monomachiæ a gigante qvodam & Hrolfo Nefia cæptum ingenti contentione cæde tandem gigantis claudebatur. Cum altero comitum Framaris, nomine Thordo, ê Svecia oriundo, Hrafnus Procerus de inſula Urga malo ſuo fato congreſſus occiditur. Jökuli deinde colluctorem poſcenti Froſtius â Framaris parte oppoſitus exitio fuit, id qvod Sturlaugus adeo ægrè tulit, ut longo poſt tempore receptum in familiam ſuam Froſtium, militem fidum & ſtrenuum, tunc cum mandata ejus impigrè & fideliter exeqveretur, nec tamen ſine ulla neceſſitatis umbra, necandum curaret. Tandem qvidam natione Finnus cum Svipudo Vefreyæ alumno commiſſus mutuis præſtigiarum ludibriis ad internecionem certabant. Ad ultimum duces ambo in campo cadurco pedibus ſubſtrato, paribus animis viribusqve, ſed imparibus gladiis concurrunt. Framar venenati enſis ictu conciſus in remedium doloris accelerari ſibi necem popoſcit. Sed artibus Vefreyæ conſervatus, mox etiam ſanatus, & in ſocietatem Sturlaugi receptus, arcanorum arbiter, geſtorumqve ſocius, longo deinceps tempore ad eum remanſit, eumqve in Biarmiam ad inqvirendum uri ſev biſontis cornu, qvod in templo Biarmorum recondebatur, ſecutus eſt. Rei geſtæ ordinem occaſionemqve compendio exponam. Poſtqvam Sturlaugus occiſo Kolo, & Framare ſuperato, Aſæ Formoſæ conjugium aſſecutus eſt, adeo in iram excanduit Rex Haraldus, ut armata in Comitem Hringum invaderet, ejusqve domum incendio deleret, ipſumqve Sturlaugum, via pariter & loco ignoto ad inqvirendum ſibiqꝫ deferendum ingens illud uri cornu, qvod nemo præter illum, nec ubi reſervaretur, novit. A Vefreya itaqꝫ Sturlaugus ſororem ſuam Jarngerdem conſulendam monetur; qvæ conſulta ſuam qvoqꝫ ſororem Snælaugem Hundolfi Hundingiæ Regis uxorem, utpote talium gnaram, per ardua & periculis immanibus obſita viarum diverticula, in certâ licet reditûs ſpe, adeundam ſvaſit. His cognitis ſocii domum repedârunt; mox unicâ tantum nave inſtructa domo navigant, tranſitisqve Halogia, Finnmarchia, & promontorio Valznelia (forſan Corlogenes) anchoris in ſinu Auſtrvika, aliàs Gandvika, jactis noctem exegerunt. Inde

de ferente vento, terra ſylvis obſita in conſpectum venit. Ibi ſinum qvendam ingreſſi in abdito portu navem collocant, horâqve meridianâ Framar eos ad Hundingiam provectos pronunciavit; ipſe relictis ad navem ſociis, Sturlaugum cum Akio comitatus in terram eſcendit. Simul ſylvam ingreſſi, arbores, qvà tranſitus erat, notis ad reditum monſtrandum inſigniebant. Hàc egreſſi in camporum plana, magnificis ædificiis ſparſim exculta, interſitis qvoqve caſtellis diſtincta provehuntur. Inter omnia palatium cæteris ſplendidius eminebat, qvod Regium conjectantes confidentér accesſerunt. Ibi janitores duo, adeo monſtroſi, ut menta pectoribus accreviſſe viderentur (veſtitus forte Pytheæ Masſilenſi, cernua capita Sturlaugo obſervata, materia fabulæ ſunt) latrantibus qvàm loqventibus ſimiliores. Ipſa Regina, Akii matertera, in editiore loco inter fæminas conſidebat. Ab eâ edoctus cognovit in Biarmia eſſe delubrum, Thori, Odino, Fryggæ & Freyæ conſecratum, materiâ opereqve ſpeciosſiſſimum. Ante Thoris ſimulachrum biſontis cornu in menſâ appoſitum, auri inſtar coruſcans, ſed venenô plenum, nec nudis manibus tractabile. De his certior Sturlugus, ſuperato ingenti vitæ periculo (qvod hîc, utpote fabuloſum, deſcribere ſuperſedeo) in Biarmiam navigat, ingresſusqve oſtium fluvii Vinæ navem litori alligat. Ab occidente patentes campi cum magnifico delubro, circumſitam planitiem radiis repercusſis illuſtrante, conſpiciebantur: auro gemmisqve intercurrentibus fanum radiabat; qvod ingreſſus, ſupremô locô in menſa inauratam ſtatuam Thoris ingenti magnitudine conſpicatus eſt, ante qvam uri cornu auro ſimile collocatum refulſit. Ibi alveus luſorius ex electro factus, veſtisqve pellucida, armillæqve aureæ haſtis appenſæ ſpectabantur. Hæc ſexaginta fæminæ cuſtodiebant, inter qvas una, veſte magnifica, ornatu eximio, nec minus monſtroſa ſpecie, ſtaturâ giganteâ terribilis, Hrolfum Nefiam, dum alveum luſorium rapit, celeriter inſecuta comprehendit, illiſumqve ſaxo, fractâ dorſi ſpinâ, crudeliter trucidat: inde â Sturlaugo, in qvem cornu ſimiliter abripientem, fugamqve maturantem, ſe converterat, bipenni per præcordia adactâ perimitur; ille vero excitam tubarum clangore perſeqventem ſe turbam effugiens, propereq; ad navem relapſus, mox præciſis anchoralibus alto ſe committit, relatusqve in patriam comperit, ſocerum ſuum cum uxore Aſa familiaqve omni in Sveciam migrâſſe. Accedens ergò Regem Haraldum Chryſoſtomum, cornu prævalido ictu naribus ejus adactô, qvatuor illi dentes excuſſit. Inde in Sveciam profugus ſocerum uxoremqve adit. Supremum ibi imperium Ingifreyr tunc tenuiſſe falsò perhibetur; qvod licet cum cætero contextu conveniat (Haraldum enim Chryſoſtomum Thrandiam rexiſſe, qvo tempore Odinus cum Aſis ſeptentrionem ingreſſus eſt, anonymus hic noſter ſtatim in limine retulit; in fine autem obitum Sturlaugi, proximè tempora Frodii Pacifici, Daniæ Regis) id tamen ad Ingifreyrem aſſurgit, cujus loco ego Agnium reponendum ſtatuo; nam is a Niordo decimo tramite deſcendit, eodem qvô Vikingus â Fornioto: nec tamen ſecundum reviſam hanc noſtram chronologiam iſtius Agnii tempora niſi ſenex aſſeqvi potuiſſe videtur. Ab hoc igitur receptus, exercitui ejus claſſiqve ad domandos prædones præficitur, cumqve annos duodecim id munus feliciter adminiſtrâſſet, unam regni provinciam, cum Regio titulo clientelari jure ab eo impetravit, ſodalibus ſuis in prioris muneris partes ſuffectis. Tantâ potentiâ auctus, Biarmiam cum exercitu invaſit, Regemqve Rodolfum magno prælio occidit, totamqve gentem ſibi ſubjecit. Inde in Hundingiam victricia ſigna transferens

ferens, Regem Hundolfum fudit, Regis autem uxorem Snælaugem, Vefreyæ Ingigerdisqve ſororem, fæminam Norvegicam, ſecum in Sveciam devexit. Diverſa hæc Hundingia videtur ab Hunnia, diverſa etiam ab Hundlandia, qvæ ab Hundingo nomen, nec id, ut eredo, perpetuum, ſed ætati ejus connexum, ſortita eſt. Jamqve cupido eum inceſſit cognoſcendi, unde illud uri cornu, qvod tantis laboribus periculisqve qvæſivit, originem traxerit. Id verò cum nemo præter Finnmarchiæ Regis Snæris, (neſcio in communi nomine qvoti) filiam Miöllem reſcire crederetur, eam per miniſtrum ſuum Froſtium, qvi in certamine ſocium Sturlaugi Jökulem olim occiderat, magicis artibus ad domum ſuam allicit, ſpe conjugii ſecum contrahendi, celebratoqve nuptiali convivio, illi in ſuum locum ſubſtituto, communi thalamo jungit, ipſe pone periſtromata latitans, hæc illam Froſtio, qvem Sturlaugum eundemqve ſuum maritum putavit, exponentem audivit: nimirum cum Biarmia qvondam vicinæqve terræ multis, iisqve continuis, annis dirâ fame premerentur, magno hominum pecudumqve, alimentis deſtitutorum, interitu, qvod qvidam urus in tantæ peſtis remedium ſacrificiis coli cæptus in eam molem adjectis incantationibus excreverit, ut modum aliarum ferarum longè ſuperaret, qvippe qvi primùm aurum argentumqve ori injectum abſorpſerit, tandem etiam animantia hominesqve depaſcens, omnem tractum ad occidentem fluvii Vinæ deletis cultoribus vacuaverit, ne uno qvidem animali elapſo, nec ullo tanti animi viriumqve athlethâ ſuppetente, qvi ei congredi auderet, donec tandem Haraldus Chryſoſtomus, gloriæ prædæqve ſpe incenſus, cum magna claſſe eò movens, conſilio auxilioqve cujusdam fæminæ eum ſuperaverit, qvæ operis mercedem cornu feræ ſtipulata acceperit, acceptumqve fano conſecraverit; id verò eſſe, qvod omninò deſperato labore & diſcrimine omnium judicio inſuperabili inde ſuſtulerit. His cognitis Froſtius mirè lætatus eſt, qvod tantæ rei notitiâ Sturlaugum inſtruere liceret. Ipſe autem Sturlaugus jam votis ſuis deſideriisqve ſatisfactum arbitratus, excedens cubili, actutum geniali thalamo faces ſuccendi curavit, qveis uterqve ſimul conflagrârunt, Vefreyâ omnia diſpenſante, ne forte Sturlaugus Miöllis machinationibus aliqvando ſuccumberet: ſatius igitur viſum ſociorum unius, qvantumvis fraudulenter circumventi, jacturâ, reliqvorum totiusqve collegii ſaluti conſulere, forſitan etiam ſocii prioris Jökulis, ſingulari certamine â Froſtio interempti, memoria ulciſcendi curam ingeſſit. His geſtis Dagum Veſtrogothiæ Regem armis ad filiam Ingibiorgem Sigvato Magno nuptiis collocandam adegit. Ingvarem qvoqve Aldeigiuburgi Regem triduanâ pugnâ occidit, ejusqve filiam Ingigerdem Framari ſociat, eumqve ibi Regem conſtituit: ipſe tantis geſtis inclytus Sveciam repetit, ibiqve qvod reliqvum erat vitæ exigit, in ſupremi Monarchæ fiduciâ perpetuò conſtans, relictis ex Aſa duobus filiis, Henrico & Ingolfo, qvorum in multis hiſtoriis memoriam fieri, qvæ tamen mihi non occurunt, author hic noſter teſtatur.

CAP. VIII.

DE NIORFII REGIS NUPTIIS, EJUS ET VIKINGI FILIORUM NUMERO, INDOLE ET EXERCITIIS.

Ea



A tempestate in Fiordis, Norvegiæ provinciâ, regnabat Olafus Eysteini filius, ejus qvi frater fuit Aunundi, patris Ingialdi Astuti (non illius qvi in Svecia regnavit, sed forte alicujus partis in Norvegiâ Reguli.) Hic familiæ vitiô fluxæ fidei, ingeniiqve malè feriati fuerat. Filia illi Brynhildis Niorfio Regi Uplandorum elocata est, ex qva novem filios procreavit. Cessatum hinc ab expeditionibus, piraticaq; tranqvilliore vitæ genere mutata. Vikingi frater, Visilis filius, fuit Brenner, qvi primus Brenneyas incoluit, qvæ insulæ Danaholmum ab oriente spectantes, ab eo nomen sortitæ hodieqve retinent. Filii Niorfii fuêre Jokull, natu maximus, ingenio & corporis viribus præstantissimus, Olafus, Grimus, Teitus, Tirfingus, Biornus, Granius, Geir & Tochius. Singulos robur & decus cuiqve proprium commendabat. Jökull nimio sui amore inflatus nihil non sibi arrogabat; proximus ei Olafus, imperiosus & ipse: omnes nimio fastu inflati & odiosi alios præ se contemnebant. Pari etiam filiorum numero Vikingus inclaruit: maximus ætate simul & virtute Thorsteinus, proximus Thorer, qvos excipiebant Finnus, Bergus, Steinus, Hromundus, Finnbogius, Eysteinus & Thorgeir, omnes militarium & civilium artium, qvas usus tulit, apprimè periti, animi etiam & corporis fortitudine pereximii: singulos Thorsteinus anteibat, staturâ, robore, & armorum tractandorum peritiâ pariter insignis, in amicis eligendis & retinendis juxta circumspectus, fidus & constans, ad cædes minimè pronus, si tamen lacessitus esset, vindictâ acer. Omnes intra paternam domum educati sunt: Niorfius, Vikingus, & Halfdanus consveverunt virium suarum specimina ludicris certaminibus edere. Fissura ingens â supremo monte ad mare usqve pertingens, triginta ulnarum, ubi angustissima, jugum, qvod inter Vikingi & Halfdani prædia intercedebat, secabat, omni animanti, præter ea qvæ volant, impervia: hanc saltu transmittere certabant; Vikingus transiliit etiam cataphractus, Niorfius armaturâ depositâ, Halfdanus si Vikingus exporrectâ manu eum exciperet: pacati sic multos annos transigebant.

CAP. IX.

DE DIRIS ODIIS INTER FILIOS NIORFII ET VIKINGI OB CÆSUM A THORERE VIKINGI FILIO OLAFUM NIORFII FILIUM, FIDE VIKINGI ET FILIORUM EJUS FUGA.



Ostqvam Vikingus & Niörfius consenuerunt, qvæ ad id usqve tempus illibata servaverunt amicitiæ fœdera, inter filios illorum ortæ simultates, jurgia, conflictus, tandemq; mutuæ cædes, & hinc seqvens singularum propemodum familiarum interitus, non tamen corruperunt: illi ergò certè digni sunt ab oblivionis injuriâ in æternum vindicari, ut qvi omni seculo rarum, & vix, ac ne vix qvidem, auditum invictæ constantiæ & fidei mutuæ exemplum omni posteritati admirabile reliqverint. Etenim cum animadvertisset Vikingus, inter filios suos & Regios adoles-

adolescentes freqventes ludos, juveniliaqꝫ roboris & agilitatis exercitia agitari, suosqve Regiis, ætate paribus, plerumqꝫ superiores, Regios ab æmulatione ad indignationem concitare, prudenter filios monuit, ut habitâ dignitatis ratione, vires peritiamqve inter certamina dissimularent, primasqve & palmam iis ut plurimum deferrent. Ægrè illlud fervente certamine concitatus juvenilis ardor permisisset, etiam si Regii juvenes intra moderationis terminos se continuissent, sed postqvam insultatio & arrogantia consciam virtutem in dies magis magisqꝫ provocavit, non se cohibebant, qvin vera illius indicia exhiberent. Evenit aliqvando cum pilæ ludus institueretur, Jökullqve cum Thorsteino, vicenarius vicenario, Olafus cum Thorere, natu minimi filiorum minimis, singuliqve cum singulis pro ætatis ratione colluderent, ut Thorsteinus pro more Jökuli cederet, Thorer autem pilam supra Olafum magnâ vi impulsam jaceret; qvi indignatus, ludibrio se exponi judicans, pilam qvidem reqvisivit, qvam cum reportâsset, â ludo domum singulos repetituros deprehendit; ingenti igitur vi pilam in Thorerem retorsit, qvi ictum subeundo declinaturus, non tamen evasit, qvin caput ruptâ cute vulneraretur: igitur concitatis singulis, cum ad arma utrinqve concursum esset, se Thorsteinus cum pluribus aliis medium interposuit, Jökull injuriam contumeliosis etiam verbis in Thorerem jactis auxit. Sedatô magis qvàm sopito tumultu ab se invicem diremti domum qvisqve suam reditum meditabatur. Parum viæ processerant, cum Thorer chirothecas se reliqvisse qvestus, metum in causâ inter, pretaturum Jökulem, ni repeteret, adjecit. Dissvasit Thorsteinus, mali, si Olafum fortè offenderet, exitûs conjecturam ab utriusqve præcipitantia sumens. Verum moræ impatiens Thorer citato gradu in campum, ubi ludi celebrati erant, recessit. Inde cum omnes abiisse cognovit, ad aulam properans, eodem fortè puncto qvô filii Regis illuc devenit, protinusqve Olafum simul ac deprehendit, per medium corpus adactô ferrô transfixit, qvo exanimi relicto, inseqventium manus frustratus subitò aufugit, reliqvis fratribus horrore tam subiti & inopinati casûs perculsis; nec prius destitit, qvàm ipse sangvinolentus cædis author, idemqve nuncius, ad fratres suos rediret; cumqve cruentam hastam gestaret, qværenti Thorsteino, unde cruor iste profluxerit? Olafum fortasse tetigi, respondit; mortuum ergo nobis indicas, adjecit Thorsteinus; sic autumo, respondit, neqve enim Jökulem, qvantumvis peritus insignisqve sit, fratrem sanaturum existimem. Thorsteinus rem pessimam peractam qvestus, maximè qvòd hoc facinore patrem supra modum læsum nosceret, ob arctissimum amicitiæ nexum illi cum Rege Niörfio intercedentem. Cum domum devenissent, pater Vikingus ante fores tristis venientes excepit, prius Thorerem affatus, qvàm ullus rei gestæ indicia deferret. Infelicem, inqviens, te, Thorer, futurum jam dudum præsagivi, id qvod re ipsa cæde Regiæ sobolis temerè perpetratâ declarâsti. His auditis Thorsteinus: Rectius, ô pater, inqvit, filium in summo jam vitæ periculo constitutum consiliis & operâ, qvandoqvidem potes, juvabis, qvàm objurgabis; viam namqve, modò velis, optimè calles, qvâ præsens discrimen evitabit: fidem conjecturæ facit, qvòd gestorum seriem nemine pandente nosti, nosqve indicaturos ipse prævenisti. Ad hæc Vikingus: utut eripere sciam, neqvaqvam tamen tanti faciam illius incolumitatem, ut perjuriô redimam; intercessit enim inter Regem Niörfium & me sacrosanctum jusjurandum, qvô ad mutuam fidem præstandam palam clamqve obstricti sumus, id qvod is modis omnibus qvàm religiosissimè observavit,

neqve

neqve me hac in re ab eo ſuperari patiar, neqve mihi filiorum ullus illo magis dilectus unqvam fuit: fruſtra itaqve Thorer hic ſolamen ſubſidiúmqve exſpectabit; actutum ergo hinc ſe proripiat, conſpectuiqve meo ſubducat, nec deinceps ſe mihi videndum ſiſtat. Thorſteinus omnes ſimul fratres comites ei futuros aſſeruit, periculumqꝫ unius omnibus commune futurum. Videns ergo Vikingus Olafi mortem non unius filii ſed omnium ſimul orbitate conſtituram, rectius facturum ratus, ſibiqꝫ ac ſuis conſultius, ſi nocentem conſilio ad propriam defenſionem, nullam vero Regis offenſionem protegeret, qvàm innocentes culpæqve immunes objiceret morti, Thorſteino reſpondit: Licere ei, ſi libeat, fratrem ſeqvi, prævidere tamen magnum infortunium, cujus infelix Thorer cauſa eſſet, morte nempe ſua fratrumqve ſuorum, tantùm non omnium, ſuo etiam (qvod ſeni minimé arduum) funere cumulandum. Solatio eſſe qvod Thorſteinum, licet valde affligendum, invictum tamen futurum, omnibusqve ſuperſtitem cognoſcat; nec Thoreris mortem inter levia damna reponendam, qvippe pugilis ſtrenui; roborisqve magni; illud vero ægerrimè laturum, ſi forte gratiâ Regis, viri undiqvaqve maximi ſimul & optimi, excidat. His dictis gladium Angrvadilem Thorſteino dedit, donum parentis ſui, Biorno Blatanno ab ipſo interfecto detractum, nec aliud ſibi melioris notæ armorum genus eſſe referebat, præter id qvod mortuo Jarnhauſi detraxiſſet, nemini eorum (qvod crederet) ad geſtandum habile. Qvod ſi Thorſteinus fratris exilio ſe cum fratribus reliqvis jungere, qvàm ſecurus vivere malit, eſſe in lacu Vænere inſulam parvam, ibiqve domunculam qværendam, qvâ inventa, annonam etiam omnibus per integrum annum ſuſtendandis ſuffecturam deprehenſuros, ſcapham etiam piſcatoriam in litore occultatam proſtare, iis transportandis idoneam, hanc cum eò devenerint, qvàm accuratiſſimè cuſtodiendam, neqve enim alterius in vicinia eſſe copiam. His monitis animati digrediuntur, armis, qvæ pater iis, anteqvam hæc acciderent, dederat, qvàm optimè inſtructi. Cum ad litus perventum eſſet, deprehensâ ſcaphâ in inſulam delati, omnia parentis dictis ad amuſſim reſpondentia comperiunt. Hæc narratio valde ſuſpecta videtur, cum terræ mariaqve omnia effugio paterent, aulæqve Regulorum, tam intra qvàm extra Norvegiæ fines, fortibus viris luxuriarent, caſam ignobilem exilii eos ſedem elegiſſe, tanqvam Cauci ſpeluncam aut Polyphemi antrum, ubi triſtem ſolitariamqve & fortibus viris indignam erubeſcendam ac vitam, morteqve ipſa duriorem, tranſigerent, nec id Vikingi prudentiæ conſentaneum: exiguo forte tempore, dum undiqve qværerentur, ibi delituiſſe crederem.

CAP. X.

DE MODERATIONE NIORFII ET SUMMA IN FIDE ERGA VIKINGUM CONSTANTIA.



ET jam cædem Olafi fratres communi patri Niorfio nunciârunt, ſvadentes ut vindictam in tecta Vikingi protinus converteret, incenſaqve domo ipſum cum omnibus filiis dem edio tolleret, vix tamen ultionem parricidium in Olafum æqvaturam. Ipſe vero negabat Vikingum qvicqvam in culpa iſta communi-

municare, qvam ſine conſilio ejus, conſenſu aut voluntate, ipſo invito, commiſſam probè noſceret, qvin etiam filios ejus omnes, præter ſolum Thorerem, immunes ſcelerisqve puros pronunciavit, amicitias & fædera, qvæ utrinqve interceſſerint, ſanctiſſimè â Vikingo ſervata, ſe nihilominus qvàm antea obligare ad injuriam ab ipſô qvovis modo arcendam, neqve ſibi amiſſum jam filium reſtitui, ſi vel maximè taliônem occiſo Thorere reddat, nam iſto modo Vikingo nullô ſuô meritô ſe ægrè facturum, tantùm innocentem & amicum & ſocium priorem, ſed primò omnium Deos fæderum jurisqve jurandi teſtes, ejusqve violati vindices, læſurum. Nullum igitur Jökuli fratribusqve ad perſeqvendum Vikingum ſobolemqve ejus auxilium ſuppeditabat. Olafus itaqve pro more tumulabatur; Jökull autem ſatellitium, qvo ſtiparetur, comparavit. Ingraveſcente deniqve in dies patris ætate, ditionem ipſius vice cæpit gubernare. Cito inde rumor increbuit, qvod Vikingus filium Thorerem domo expulerit, fratresqve reliqvi ipſum comitati patrios penates reliqverint; nihilominus Jökull cum manu haut exigua ad villam Vikingi profectus eſt, qvâ ſollicitè luſtratâ nihilo certior domum rediit.

CAP. XI.

DE INQVISITIONE IN LATEBRAS FILIORUM VIKINGI, EXCITA VENEFICIIS TEMPESTATE, TRANSITUQVE STAGNI CONGELATI, CONFLICTU JOKULIS EJUSQVE FRATRUM CUM FILIIS VIKINGI, EORUMQVE MUTUA CÆDE.



FUere duo viri in eô diſtrictu, nemini qvidem noti, nómen alteri Gautanus, alteri Ogautanus, hoſpitio excepti, Niorfio qvidem renitente, qvòd vultus facieiqve notæ ſuſpectæ eos probitatis arguerent; authore vero Jökule, profeſſione notitiæ abſtruſarum artium commendante. Ab illis ergo Jökull poſtulavit, ut ſtatum filiorum Vikingi, locumqve, ubi degerent, indicarent. Illi contra poſcebent, ut ſolitariam domum utriqve ſufficeret, ubi ſomnum tres noctes, nullo ſe interea accedente, vel nominatim appellante, ſecûri caperent, qvo elapſo ipſe primus ſe inviſeret. Paruit Jokull, & ſub pæna capitis vetuit, ne qvis eos intra illud tempus vel accederet vel nominaret. Primus deinde, ut præceptum erat, præſtituto tempore ingreſſus ad eos, ubi percepit, in inſula, qvam lacus Væner ambit, intra domunculam eos latere, inexpugnabiles naturâ loci inacceſſi factos pronunciavit. Ogautanus conſimilem illum pueris matre orbatis ſibi videri ait, qvi conſilio deſtitutus ſtatim ut leve obſtaculum obveniat, fratricidæ perſecutionem omiſſurus, nec cædem unqvam ſuo ipſius ductu ulturus videatur: ſuppetere ſibi conſilium, qvo intra triduum intenſiſſimo gelu conſtrictus lacus etiam centum eqvites ſimul transmittentes ſuſtinere poſſit; follem namqve ſibi eſſe, qvi prout inflaretur, aërem afficiat, ejusqve habitum variet, ventoſum utrem nuncupari (propriâ lingvâ Vedrabelgr.) Jokull tanto artifice impenſe laudatô, eam ſolam viam probavit, qva inſula peti poſſet, nulla ibi navi ſuppetente, nec iis qvæ ad mare eſſent illuc deducendis facilem aliam ſe pandere. Proximo triduo tanta tempeſtas cum nivibus grandine miſtis coorta eſt, ut dubium nemini eſſet,

esset, incantationibus excitam esse, neqve enim foras procedere satis erat tutum. Riguit illo tempore universa lacûs superficies, singuliqve fluvii, & qvotqvot in vicinia erant aqvarum scatebræ. Tum Jökull fratribus sociisqve, præter duos hospites, ad triginta usqve comitatus, ad perseqvendos Vikingi filios se accingit. Displicuit Niörfio propositum filiorum, valdeqve id disſvasit, molestias mærоremqve sibi plurimorum orbitate creaturum, non levaturum, prædicens, consultius fuisse principio cum Thorere pacisci. Verùm nunqvam verbis aut sobriis consiliis moventur in mortem ruituri. Illius diei tempore antelucano experrectus Thorsteinus Thorerem excitat, monetqve, ut subitò omnes simul inde discedant, qvippe Jökulem hoc ipso die eos impugnatum adventurum. Qvî hodie magis qvam hucusqve? qvæsivit Thorer: Thorsteinus somno se monitum asseruit, visos nempe sibi viginti duos lupos, septem etiam ursos, octavum rubris genis, valde infestum, adhæc duas vulpeculas (qvarum conspectum horruerit) agmen præcedentes, atqve in se fratresqve suos impetum facientes, omnesqve tandem dilaniâsse, præter se & Thorerem, qvi tamen ceciderit, omnes lupos se solum occidisse, & multos ex ursis sociis armis stratos, minorem etiam vulpem suo gladio occubuisse visam, tandem se etiam corruisse. Qvid portenderet? qværenti Thoreri Thorsteinus respondit, ursum rubicundis genis â cæteris distinctum, genium Jökulis agnosco, reliqvos fratrum illius, vulpes verò cujus genium repræsentent, plane ignoro; perigrinos qvosdam, sed omnibus ignotos, noviter advenisse conjicio, modum imminentis pugnæ eventusqve ostensum mihi per qvietem auguror, ideoqve periculum ut declinemus valdè svadeo. Thorer phantasmata dormientibus occurrentia interpretatus est, nec sibi congressum cum iis displicere, experturos hostes persecutionem ipsis qvam maximè perniciosam futuram. Thorsteinus haut æqvo Marte congressuros pauciores cum pluribus, consulere sibi, dum tempus permitteret, debere; postea occasionem dilapsuram. Præfractior Thorer, nullô modo ad salutem turpi fugâ qværendam passurum se adigi regessit. Atqve hæc sententia prævaluit. Omnes tamen, authore Thorsteino, arma corripiebant, solus Thorer etiam ad ea segnis ibat. Vix ea elocuti erant, cum Jökull derepente superveniens, fores, qvæ binæ erant, armato milite obsideret. Thorsteinus cum duobus fatribus alias, alias Thorer & reliqvi fratres defendebant, ingressu hostes prohibituri. Verùm Jökull cum sociis fortiter eas fores oppugnabat, qvas Thorer propugnabat, nec is segnius resistebat, donec qvatuor trucidatis, qvintôqve ad Thorsteinum dilapsô, solus aliqvantisper omnium impetum sustineret. Tandem crebris acceptis vulneribus, cum diutius neqvivisset, nec tamen se pelli pateretur, per medios oppugnantium globos erumpens in glaciem citato cursu se proripuit, qvi agmine facto ipsum undiqve circumvallârunt. Videns igitur Thorsteinus fratrem hostium globo velut indagine septum, in præsenti vitæ discrimine versari, sine morâ in glaciem suppetias unà cum residuis fratribus veniebat, hostesqve in se paulisper convertit. Redintegratur certamen, magnâ ex utraqve parte contentione, nec qvisqvam Thorsteinum impunè adortus est, gladio enim Angrvadile obvia qvæqve proscindente tantam cladem intulit, qvantùm numerus hostium prævalere videbatur. Omnes ex utraqve parte fratres ad duos usqve occubuerunt, soli Thorsteinus & Thorer ab alia, Jökull & Grimus ab alia remanebant; omnes præterea Jökulis milites, præter Gautanum & Ogautanum trucidati sunt. Fessus Thorer vulneribusqve saucius tandem concidit. Per universum diem

certamen durabat, & jam crepusculum appropinqvantem noctem præcedebat, cum Thorsteinum vires deficere cæperunt; ut igitur se haut amplius suffecturum vidit, impetu in Gautanum facto, ipsum per medium pectus mucrone gladii transfossum exanimem reliqvit, qvô peractô inter cadavera concidit. Tres, qvi superstites erant, Jökull, Grimus, & Ogautanus, tenebris se intendentibus, Thorsteinum inter cadavera dum reqvirebant, deprehenderunt Finnum mortuum, qvem similitudine decepti Thorsteinum rati sunt. Grimus non amplius dubitandum ait, qvin Thorsteinus mortuus esset. Ogautanus omnem se dubitandi ansam abrepturum professus, caput amputavit, at constrictus intra venas sangvis neqvaqvam promanabat. Victoriâ, qvantumvis carè emptâ, magisqve imaginariâ qvàm solidâ, exultantes, ad patrem funestum nuncium retulerunt, qvô prior orbitas novâ & numerosiore cumulata mærorem aggravabat. Igitur necem filiorum lamentatus multum Jökulem incusabat, qvod authoritate sua consilioqve spreto, seniles annos tranqvillos sibi non permisisset.

CAP. XII.

DE THORSTEINO ET THORERE, OPERA PATRIS CONSERVATIS, SANATIS, ET OCCULTATIS, SED AB OGAUTANO INVESTIGATIS.



Horsteinô inter strages mortuorum longo prælio fessô, non item vulneribus saucio jacente, carpento vectus intempestâ nocte supervenit Vikingus, inter cadavera filios reqvirens, magno robore corpora huc illuc projecit, longeqve durius qvos ex hostibus non planè mortuos deprehendit ad glaciem collisit: omnes prope filios ut obiisse novit, Thorerem tamen vulneribus undiqve confossum, an inter vivos mortuosve computaret, ignoravit: qvæsivit igitur, an vocis compos esset? cui ille, loqvi qvidem posse, sed valde ægrè affirmabat. Thorsteinum verò fessum tantum animadvertit: Thorerem igitur in carpentum sustulit. Thorsteinus, ut erat armatus, ipsemet conscendit. Interea rigor cœli emolliri, nivesqve in pluvias resolvi cæperunt, tam repentina mutatione, ut prius glacies decessura videretur, qvàm Vikingus emetiri posset; mira tamen celeritate vix, ac ne vix qvidem, in terram pervenit, eô ipsô punctô, qvo glacies resoluta fatiscebat, domumqve delatos filios in domuncula subtus cubile suum abscondit, ibiqve Thorerem sanavit. Subterranea erat domus, meatus ê cubili in sylvas pertingebat. Præcepit igitur Vikingus, ut qvàm accuratissimè caverent, ne unqvam extra fores procederent, hoc enim modo Ogautanum certiorem fieri, qvod supra terram â morte erepti adhuc viverent, intra verò penetralia terræ prospicere haut perinde proclive fore. Interea fama per omnes provincias sublatos filios omnes Vikingi dispersit. Ogautanus tamen mussitabat, non sibi perfecte constare, an Thorer mortuus esset. Petivit ergo Jökull, ut hanc rem penitiùs rimari dignaretur; qvi cubiculum ingressus, vestibus nocturnis se profundè immersit, verùm eventu industriam frustrante. Postqvam Thorer ê vulneribus convaluit: tædium eum tam diutinæ tristisqve mansionis cepit, hortatur igitur fratrem, ut in saltum animi gratia secum exspatiaretur, Thorsteinus & impiè

impiè & imprudenter salubria sapientissimi patris præcepta eos transgredi testatus repugnabat, qvoad solum processurum â proposito neqvaqvàm retrahi posse viderat. Declarato itaqve, eo fine se ei comitem addidisse, ut & solatio & subsidio esset, solum dimittere non amplius sustinuit. Egressi ergò simul ludis per integrum diem se recreabant; domum vero regressuri viderunt vulpeculam, naribus nunc aërem haurientem, nunc terram vestigantem. Hanc Ogautani genium interpretatus Thorsteinus, hastam in eam projecit; qvæ terræ se statim immergere visa evanuit. Vix in domunculam regressi sunt, cum Vikingus accederet, increpans qvòd egressi domô Ogautano, ubi essent, indicaverint, Jökulemqve ad se propediem impugnandos provocaverint.

CAP. XIII.

DE CERTAMINE JÖKULIS CUM VIKINGO, ACCEPTAQVE MAGNA CLADE, MUTUA NIORFII ET VIKINGI MODERATIONE.



UT autem Jökull ab Ogautano percepit, filios Vikingi apud patrem absconditos mortem evasisse, collegit octoginta viros, qvos inter triginta aulici Niorfii erant. Vespere, qvi destinatam in proximam lucem persecutionē præcessit, forte duo adolescentes, qvorum nomina Vottus & Thumall, stipem petentes in aulam pervenerunt, qvi ut cognoverunt periculū Vikingi, surgentes lectis, ubi erant pernoctaturi, omnem rei seriem ad eum pertulerunt. Qvibus ille collaudatis gratias egit, remuneraturum qvandoqve pollicitus: surgens itaqve, triginta ex vicinia comparavit, filiisq; mandavit, ut intra domunculæ latebras remanerent, donec necessitate compulsus ipse tectum pede qvassans eos ad suppetias ferendas evocaret. Thorer prælio statim â principio interesse malebat, patris tamen monitis fratrisqve suffragio cessit. Vikingus igitur cum sociis, ne imparatus offenderetur, arma corripuit, ingentemqve hastam, qvam juvenis Harecho Jarnhauso mortuo abstulerat, nulli facilè tractabilem, ultrò citròqve versabat, visusqve est senex tanqvam denuò juvenis. Agger altus juxta & latus domum Vikingi cingebat, ne circumvenirentur ab hostibus, tutamen idoneum; ibi armati omnes impetum hostium exspectabant: Votto etiam & Thumali arma data sunt, Jokulem cum armatis accedentem benignis verbis affatus Vikingus domum invitavit; ille vicissim ut filios dederet, postulat. Vikingus præsentes eos qvidem esse ait, apprehenderet modò; se verò domum suam, & qvod ea contineretur, defensurum. Acre itaqve prælium exortum est, his pari ardore oppugnantibus, illis se defendentibus. Vikingum loci situs, Jökulem numerus militum juvabat: ad aggerem superandum omnes coëunt, sæpius repulsi: tandem conscendunt, non sine magna suorum jactura, nam tres qvatuorve interdum solus Vikingus trucidabat. Ad ultimum, postqvam omnes fere, qvi â partibus ejus stabant, occisi essent, signo, ut antea conveniebat, filios excivit; qvi ut ê domuncula exsiliebant, cognoverunt patrem valde fessum, nullo tamen vulnere affectum, tribus tantùm, præter Vottum & Thumalem, superstitibus adjutum prælium sustinere. Thorer Ogautanum tredecim

militibus ſtipatum adortus eſt, qvos omnes exiguo tempore occidit; cumqve Ogautanus ſe impeti videret, fugâ ſibi conſuluit. Thorſteinus cum Jökule longo tempore congreſſus, ad ultimum eum extra aggerem repulit; qvi tandem feſſus domum confugit. Jamqve aulici Niorfii Vikingum longo tempore impetebant, cum is ictus nunc declinando, nunc inferendo, eos defatigavit; ad ultimum Jökule & Ogautano fuga dilapſis comprehenſi â Vikingo, benignè habiti epulisqve excepti ſunt, nec absqve muneribus ad Niorfium remiſſi, cum mandatis, ut referrent Regi, nihil ſua voluntate contra eum admiſſum, illibatam ſe fidem ei datam ad extremum usqve halitum ſervaturum. Hæc referentibus admiratus eſt Niorfius, qvòd oppugnantibus mortemqve machinantibus non peperciſſet modò, ſed providiſſet etiam, & in ſui gratiam beneficia exhibuiſſet, addito elogio, qvòd injurias officiis rependere mira animi celſitudine noſceret. Jokuli dehinc interdixit, ne ullas ei in poſterum moleſtias crearet. Cui reſpondenti, haut æqvo ſe animo laturum, fratricidas in vicinis prædiis receptacula qværere, regeſſit: experturum ſe, ſuine an ipſius ſtudio ſubditi magis tenerentur, nam qvocunqve tempore cognoverit infeſto milite Vikingum impeti, extemplo ſe collectis copiis ad opem ei ferendam accurſurum, nec Vikingo hac ſua pertinacia conſultum magis qvam filio fore, nam ad vindictam ejus etiam nece filii ſumendam, ſi eo interfectore occubuerit, jam dudum ſacramento obſtrictum. Inevitabilem itaqve neceſſitatem ſibi incumbere, aut parricidio ſe contaminandi, aut perjuriô.

CAP: XIV.

DE FILIIS VIKINGI AD HALFDANUM ABLEGATIS, OCCISISQVE AB IIS IN VIA DUOBUS PRÆDONIBUS, HALFDANI MOROSITATE IN HOSPITALITATEM CONVERSA, EXERCITIO PIRATICO, ET THORERIS NUPTIIS.



His peractis Vikingus filiis retulit, potentiorem eſſe Jokulem, qvàm ut filiis domi remanere integrum ſit, ſe itaqve ad Halfdanum, veterem amicum, qvi ad alterum montis latus habitet, occultè eos remiſſurum, licet viâ valde periculoſâ, qvam duo latrones diſcretis domibus, longoqve intervallo diſtinctis, obſideant, Samus alter, alter Fullafliius nomine, natura fratres, inſtituto prædones & ſicarii; intercedere etiam hiatum valde profundum, medium montem ſecantem, in triginta cubitos patentem, qvem qvi ſuperaverit, præter ſe & ſodales, neminem noviſſe, Thorſteinum tamen non excludendum videri. Ipſi ſe patris conſiliis mandatisqve qvàm piiſſimè obſecuturos polliciti ſunt. Abeuntibus annulum aureum Vogas Halfdano deferendum, generis ſui parentisqve certiſſimum teſtimonium, tradidit, monuitqve, ne indignarentur rigorem ſenis, notitia increſcente paulatim emolliendum. Thoreri haſtam Jarnhauſi detractam ſub diſceſſum donavit, eisqve fauſta omnia apprecatus eſt, lachrymisqve genas rigantibus tandem dimiſit, oculisqve in diſcedentes contortis infit: Ultimus hic dies eſt qvo mihi vos contueri licebit: te, Thorſteine, virum celebrem longævumqve futurum prædico. Valete. His dictis receſſit. Ipſi

Ipsi conscenso monte ad domum prædonis Sami pervenerunt, qvi domum rediens prior eos cognovit, hominesqve infortunatos filiorum Niorfii interfectores appellavit, se verò infortunio eorum statim finem impositurum, utrumqve simul occidendo, minatus est. Illi nimis se repente perituros, si ambo simul ejus manibus caderent, solum Thorsteinum, Thorere spectatore tantum, haut ei imparem futurum spospon derunt; qvo dicto in Thorsteinum Samus irruit, tanta celeritate, ut ne ejus attingendi copia esset, nullo tamen casu subsecuto; itaq; Thoror hastâ latus ejus hausit, & utroqve trajecto exanimem prostravit. Magna ibi opum vis, sceleratis ausis congesta, qvam intactam reliqverunt. Ibi nocte peractâ, summo mane cæptum iter emensuri, totam illam diem usqve ad vesperam progrediuntur, donec ad domum Fullaflii ventum esset. Ingens domus, lectus etiam magnitudine terribilis, qvo incubantis statura modusqve facile concipi poterat, stratum erat rotundum ingens qvod miræ feritatis cani, qvovis athleta fortiori, qvi dominum sectari solebat, nomine Gramo, proprium agnoverunt: mercium etiam acervus spectabatur. Janua molis tantæ fuit, ut Thorer totis viribus adnixus solus frustra aperire tentaret. Nocte appetente ipse prædo advenit, tergo ursum bajulans, dextrâ manipulum avium tenens, ingressusqve advenas nominibus propriis compellavit, & qvomodo ê manibus fratris sui elapsi fuerint, qvæsivit. Postqvam eum occidimus, ait Thorsteinus; Thorer namqve frater meus mecum colluctantem neci dedit. Neqvaqvam, ait Fullaflius, sceleratam cædem committam, vos nocturno tempore interimendo, cibo potuqve refocillati noctem transigetis, extremam horam in crastinum exspectaturi. Atqve his dictis ea qvæ venatus est elixans mensæ deinde apposuit. Illi intrepidi securè cibum capiebant; per noctem verò lectis se applicârunt, ita tamen, ut suspectum hospitium observarent. Post modicum tempus experrecti surgunt, prædonem intra penetralia domus exspectare periculosum rati, in campum eum excepturi processerunt. Nec is segnior, nam cane comitante in Thorsteinum irruit. Thorer canem in se aversum longo tempore sustinuit. Tres horæ interfluxerunt, qvibus fratribus omnis impetendi facultas prærepta est, solummodò insultus declinantibus, tantiqve Thoreri victoria canis constitit, ut surâ mutilaretur. Thorsteinus Fullaflii viribus longe inferior, agilitate corporis & acumine gladii tandem prævaluit, nec prius discessum est, qvàm prædonem cum cane interfecissent. Inde ad scissuram montis cum pervenisset Thorsteinus, celeri saltu eam transmisit, cujus vestigia premens Thorer, in extremitate ulterioris ripæ hæsit; qvod animadvertens Thorsteinus eum qvidem manu sublevabat, increpabat autem qvòd prodigus vitæ inevitabilem mortem minimè formidaret, qvam suo auxilio destitutus jam, & fortè longè prius, oppetivisset. Cæptâ deinde viâ progressi, ad amnem qvendam pervenerunt, qvi rapido cursu labens vadum occultabat, qvod Thorsteinus inqvirendum monuit. Thorer supervacaneum regerens præcipitem se in aqvas dedit, & actutum tranavit, qvem Thorsteinus actutum secutus est. Verùm dum aqvis innatant, subita ventorũ grandinisq; procella erumpebat, (e folle Ogautani emissa credebatur) adeo sæa & immanis, ut vestes gelu constrictæ, priusqvam aqvâ emollitæ indui neqvirent, uvidis itaqve amiciebantur; progressi deinde, usqve dum Vogas perventum esset, occlusas ibi fores multum diuqve neqvicqvam pulsabant; nulla ibi domesticis advenarum cura: trabem igitur ulnarum viginti, propè fores jacentem, supra tecta elevârunt, extremitatibusqve insidentes, totam domum assiduo

 corpo-

corporum libramento qvassabant, ut singulæ intra domum trabes & tigni fragorem insignem ederent. Vehemens inde formido domesticis injecta, omnes ab egressu prohibuit, solus Halfdanus in plateas exiens, tectis insultantes advenas ut vidit, qvinam essent rogitavit. Illi suam parentisqve salutem deferebant, Vikingiqve filios se professi sunt, patrocinio ejus â patre commissos. Qvibus ille respondit, complures ortum genusqve ementitos multis hoc titulo imposuisse, neqve se receptum illis præstiturum, per noctem tamen penatibus non eliminaturum. Ingressis humidæ vestes detractæ, atqve ita, donec cubitum eundi tempus appropinqvaret, nudi considebant: inde in solitariam domum cubitum deducti. (Versio Svedica Halfdanum iis primò respondisse tradit: non posse se adoptivam inter Vikingum & se fraternitatem reputare, neqve enim videri nexum illum ad posteros promanaturum, cum ipsi complures Regis Niorfii liberos occidissent, nec tamen se nocturno hospitio eos prohibiturum, mox subitò ingressum triclinium secutos eos, nec iis humidas vestes detractas.) Lectus in pavimento stratus erat, vestibus obsoletis, vas ligneum formâ qvadrangulari apponebatur, addita duo coclearia cornea prægrandia, & illa ex diversis vasis angulis sibi invicem opposita. Ipsi qvantum libuit comederunt: deinde Thorer vas in postes conjectum minutim confregit. Die seqventi ante Solis ortum exsurgentes, ad iter se accingebant. Accessit Halfdanus qvæsivitqve, qvosnam hesterno vespere se professi essent? Thorer, qvî hoc jam melius, qvàm cum primo retulissent, percipere possit? qvæsivit. Thorsteinus vero Vikingi Comitis filios se esse respondit, annulumqve in fidem relationis ei tradidit, Thorere licet repugnante, nulloqve id suo commodo, sed potius detrimento, fieri dictitante. Ut vero annulum accepit, tum demum vera se relationis ipsorum indicia habere testatus, benignèqve se excepturum pollicitus, ut hyemem ibi transigerent svasit. Verno autem tempore navem eis prædatoriam, remigibus sociisqve nauticis apprimè instructam, tradidit, qvibus cum in australes Norvegiæ oras vecti essent, binas â patre, armis classiariisqve qvàm optime instructas, obvias habuerunt, iisqve receptis, reliqvam ad Halfdanum remiserunt. Inde prædatum longè lateqve itum. Accidit forte, ut ad insulam qvandam appellerent: habitabat, ibi vir, nomine Grimus, totius insulæ dominus, qvi eos ultrò, nec sine invitatione, hospitio per hyemem excepit. Ex uxore filiam unicam habuit, nomine Thoram, corpore vasto, formâ eximiâ, qvam Thorer sibi uxorem ut frater peteret postulabat: verum postulata illius â Thorsteino exposita Grimus omninò abnuit. Ad monomachiam itaqve â Thorsteino provocatus, haut segniter assensit. Primò die ferarum exuviis pedibus substratis acerrimè dimicatum, absqve tamen vulneribus sub vesperam discessum. Secundo tertioqve die victoria nulli partium adhæsit. Pugnatum igitur, donec Thorer per filiam ipsius cognovit, gemmam inesse galeæ, qvam gestaret pater, qvæ insuperabilem eum reddiderit. His ad fratrem delatis, cum qvarto die pugnandum esset, Thorsteinus projectô ense in adversarium fertur, galeâqve ruptis vinculis ereptâ, sine negotio humi sternit, stratôqve pepercit. Qværenti, unde illi hoc consilium? filiæ indicio suggestum respondit. Nubere itaqve cupit, nubatqve, regessit, Thoreriqve eam elocavit. Principio veris Thorsteinus piraticam reparaturus, domi apud uxorem Thorerem reliqvit; qvi ex ea Haraldum genuit, qvi cognomen â gæso, qvod hæreditate post obitum patris nactus est, contraxit, Haraldus Kæsja in posterum appellatus.

CAP.

CAP. XV.

DE BELIO SOGNIÆ REGE, EJUSQVE GENERE, FABULA DE SORORE EJUS IN MONSTROSUM HABITUM TRANSFORMATA, OGAUTANO INCENDIO ELAPSO, ET JOKULIS NUPTIIS.



INterea Jökull admodum ægrè tulit, non modo vindictam in præsens, sed etiam in posterum, facultatem qvoqve ejus ereptam videri, itaqve qvovis modo enitebatur Vikingi filios de medio tollere. Ad Belium igitur Sogniæ Regem legatos muneraqve misit, illumqve ad societatem contra Thorsteinum & Thorerem sollicitavit, effecitqve, ut accepto pretiô eos se oppugnaturum, inqve omnem occasionem ad subvertendos idoneneam promptum paratumqve futurum polliceretur. Natus erat Belius Skatio nautico Rege, non, ut versio Svedica habet, patre Eirico, sed, secundum exemplar Regium, manumqve Episcopi Skalholtensis Brynjolfi in margine adjectam, Eckile, proavo Mundile, abavo Meitere. Cum autem Origines Norvegiæ Meiterem Goris filium faciant, planum est, hujus Skatii genus hac serie ab eo derivari: accedit graduum ad ultimum Sogniæ, Regem, Vemundum Priscum, Sognensium fiduciam appellatum, cum progenitoribus Skatii justa proportio. Is enim â Nore qvartum ramum ducit, qvem ab hoc Skatio, utpote maris Rege, qvales erant qvi â Gore descenderunt, expulsum facilè colligas, eo qvod hic Skatius in flore juventutis pugil insignisqve pirata ditionem Sognensem invasisse, sibiqve subdidisse tradatur. Sed de his in Serie Regum Daniæ Lib:I. cap. IV. fusius disseruimus. Hujus Skatii liminarcha Thorgrimus qvidam, athleta Strenuus, audacior qvàm fidelior fuit; Belio tamen Regio juveni in deliciis. Præter Belium filiam habuit Ingibiorgem, exsuperantis formæ virginem. Senescente Skatio piratæ duo, iidemqve fratres, Gautanus & Ogautanus, ex improvisô ditionem ejus invaserunt, belli aut deditionis conditione propositâ, Comitatu Comitisqꝫ titulo contentum esse jusserunt. Is, qvantumvis viribus inferior, pugnam tamen qvàm vilem subjectionis sortem experiri malebat, satis arbitratus, si integra Majestate bello præsertim finiretur. Itaqve solo aulicorum satellitio in pugnam progressus, rem strenuè gerendo, gloriosam mortem oppetivit. Belius cum Thorgrimo meliori sorti se reservaturus secessit, Ingibiorge sorore in gynæceo domi relictâ. Post mortem Regis satellitum reliqviæ in silvas & avia loca se abdiderunt. Victor Ogautanus cum ditione Regium titulum assumpsit, Ingibiorgemqve uxorem petivit; cujus calamitosa conditio fabulæ de ea confictæ occasionem dedisse videtur. Illa enim prius sibi violentas manus illaturam respondisse fertur, qvàm in nuptias interfectoris patris sui, præsertim tam scelerati viri, atqve is esset, consensuram, utpote malis geniis qvàm homini similioris. Offensus hac contumeliâ Ogautanus: illud, inqvit, malitiæ tuæ præmium reportabis, ut transfigurata in teterrimum Skellinefiæ habitum naturamqve, antrum ad fluvium Diupamodam inhabites, nec speciem illam unqvam me vivo exuas, sed nec aliter, qvàm si nobili satu qvidam te sibi conjugem asciscat. Ad hæc Ingibiorgis respondit: hoc ego regnum nec felix tibi, nec diuturnum auguror. Neutrum votum

effectu

effectu caruit, nam & Ingibiorgis omnibus insciis abscessit, & paulo post Belius & Thorgrimus nocturno tempore cum magnâ militum manu supervenerunt, ædibusqve superioribus, ubi Ogautanus cum fratre dormiebat, facibus subditis omnes qvotqvot inerant incendio cremârunt, solis fratribus per cuniculum qvendam elapsis, inqve aulam Niorfii Regis ignotâ viâ delatis, ubi receptum, ut antea dictum, invenerunt. Ogautano svasore Jökull, postqvam filios Vikingi extra ditionis suæ terminos, patre neqvaqvam consentiente, pristinaqve amicitiæ fœdera cum Vikingo inita ad finem usqve vitæ religiosè colente, proscripsisset, ad Vilhelmi Vallandiæ, seu septentrionalis Galliæ partis, Vallonum patriæ, Regis, forsitan ex Audio Halfdani Prisci filio ortum trahentis, filiæ nuptias expetendas, sexaginta hominum comitatu, & in his ipso Ogautano, profectus est. Eum Rex honorificè, tum celebritate patris Niorfii, etiam in illis oris decantatâ, tum Ogautani studiosa commendatione motus excepit. Re ad filiam delata, Belius Sogniæ Rex eodem tempore cum triginta satellitibus aulam ingressus est: qvo viso, Ogautanus malè sibi conscius, Jokuli qvædam in aurem insusurrans monuit, ne vel ille, vel comitum ullus proprio vocabulo se compellaret, qvoad peregrini isti ibi morarentur. Illô qvoqve filiæ Regis nuptias expetente respondit pater: Jökulem Niorfii filium eandem sibi uxorem deposcere, optionem penes virginem futuram, Belioqve sibi a latere collocato convivium per triduum celebravit, qvô elapsô cum utroqve proco ad palatium virginis profectus, eligendi ex duobus qvem vellet potestate factâ, subito apparuit, proniorem eam in Belium esse. Verum eodem momento Ogautanus tabulam in gremium ejus conjecit, qvæ mox abalienatô ab eo animô Jökulem prætulit. Belius sine ulla in rivalem ira, utpote suffragio virginis sibi prælatum, ad naves recessit, domumqve rediit. Jökull etiam finitis nuptiis cum Ogautano proprios Lares repetivit.

CAP. XVI.

DE NAUFRAGIO THORSTEINI, A FABULOSA SKELLINEFIA CONSERVATI, ET OGAUTANI MORTE.



On sufficiebat Jökuli Belium in caput fortunasqve fratrum auro conduxisse: tempestatem etiam Ogautani opera procurabat, qvæ in reditu ad domum Grimi, fratremqve, qvi ibi remanebat, adeo incubuit, ut post universas Thorsteini naves submersas, singulosqve nautarum fluctibus obrutos, ipsum etiam naufragum in undas præcipitaret, qvibus natando multum diu obnixus cum ad litus pervenisset, ulterius defectu virium contendere neqvibat. Dum autem mergeretur, anum staturâ giganteâ, turpi facie, pallium scorteum, ante qvidem prolixius, pone natibus brevius, indutam, ad se gressus maturantem vidit; qvæ eo protinus fluctibus erepto, qvæsivit, an & sibi vitam debere vellet? nomenqve Skellinefiæ professa conservatæ vitæ mercedem suo arbitrio permitti postulabat. Annuit ille, modo id sibi præstare integrum foret, instititqve qværere, qvando id esset exactura? Alio tempore, respondit. In insulam, qvam Grimus fraterqve inhabitabant, perventum est, ubi in litore cum illo colluctata frigore repulso

repulſo eum refecit, atqve ita ab ſe invicem diſceſſerunt. Thorſteinus domum delatus a Grimo & fratre amantiſſimè accipitur, ibiqve hybernavit. Interea dum Jokull domum navigaret, repente oborta monſtroſa caligo claſſi incubuit, atqve adeo terribilis, ut ſinguli facies velarent, qva depulſa Ogautanus ad malum ſuſpenſus mortuus inventus eſt. Hæc autem & ſeqventia qvæ de Skellineſia memorantur, arguunt certe ejus, & tunc qvidem in affliƈtiſſimo ſtatu conſtitutæ, qvalicunqve auxilio Thorſteinum fuiſſe ſublevatum; abditus enim ſenſus his fabularum involucris qvin occultetur, nemo ſanus ambiget; mihi authoris traditionem transcribere fas erit.

CAP. XVII.

DE CERTAMINE THORSTEINI CUM JOKULE, CÆDE THORERIS, SOCIETATE CUM BELIO, ET NUPTIIS CUM SORORE EJUS INGIBIORGE.



PRimo vere Thorſteinum & Thorerem cupido inceſſit patrem inviſendi. Medio itinere ignorantibus & ſecuris Jokull una cum Grimo fratre triginta comitibus inſtruƈtus occurrit, conjunƈtimqve in eos magnis animis feruntur. Thorſteinus Angrvadile cinƈtus erat, Thorer haſtam domi reliqverat. Grimus cum Thorere congreſſus tandem poſt longum certamen exanimis concidit. Oƈtodecim interea Thorſteinus occidit, deinde vulneribus valde ſaucius, longàqve fatigatione laſſus, vix ultra impetum hoſtilem ſuſtinere valuit. Tergis ergo fratres junƈtis, adverſo corpore iƈtus omnes vel excipiebant vel retorqvebant; undecim præter Jokulem eos impetebant, & ad ultimum Thorerem trucidabant, qvo mortuo tres ex omnibus Jokulis militibus, & qvartus ipſe, remanebant. Prælium ad editiſſimam fluvii crepidinem geſtum eſt, in cujus extremitate cum Thorſteinus ſtaret, magno inſultu â Jokule ſupra peƈtus compunƈtus, præceps per prærupta ruit, Jokule preſſis veſtigiis lapſum vix cohibente. Tanta erat altitudo montis unde deturbabatur, ut nemini dubium foret, vitam eum cum morte commutâſſe; verum fortuna præſenti periculo eum mortiqve ſubtraxit; nam in locum herbis conſitum & mollem delapſus deliqvium paſſus eſt. Cum ad ſe rediret, vires eum adeo defecerunt, ut nè loco ſe movere poſſet. Præter ſpem itaqve perſonata Skellineſia ſuperveniens rogavit, num jam promiſſo ſe exſolvere vellet? in eo jam ſe ſtatu eſſe reſpondit, qvo nec ei nec cuiqvam alii in poſterum gratificaturus videatur. Nihiloſecius illa ſanitatis reſtituendæ mercedem conjugium ejus poſtulavit, monuitqve, ut ſacramenti ſibi præſtiti, periculiqve præſentis memor eſſet. Itaqve qvamvis ortum ejus genusqve plane ignoraret, ſortemqve abjeƈtiſſimam duceret, tamen duƈturum promiſit, ſi præter ſanitatem etiam gladium Angrvadilem caſu amiſſum reſtitueret; qvod illa intrepidè in ſe recepit, nec longa interjeƈtâ morâ præſtitit. Tandem genus parentesqve profeſſa, priſtinæ formæ reſtituta eſt (a captivitate ſerviliqve conditione in libertatem forte aſſerta) Belioqve Sogniæ Regi fratri ſuo ſe prope diem impetituro viƈto ut parceret, rogavit. Proceſſu temporis commiſit fortuna Thorſteinum cum Belio, qvinqve viris comitato, in his erat Thorgrimus, de qvo antea diƈtum eſt, qvi prior Thorſteinum affatus, be-

ne habere ait, qvod liceat mercedem capitis ejus exiguo impendio mercari. Thorsteinus ante victoriam triumphandum esse negabat. Omnium deinde impetum non modo sustinuit, sed etiam repulit, nec impulisse contentus, impetentibus etiam exitialem reddidit. Thorgrimo cum qvatuor comitibus cæsis, solus Belius superstes magno animo in Thorsteinum fertur, qvi ictus declinâsse contentus inferre noluit. Verum postqvam tædium certaminis eum cæpit, manu Belium apprehensum sibi assidere jussit. Vides, inqvit, in potestate meâ esse, qvicqvid de te statuere libuerit, sed qvem finem supervacuas inimicitias nullis injuriis lacessiti fovebimus, qvin potius amicitias, fœdera, societates, fraterno nexu munitas jungimus. Regia dignitas tibi illibata esto, satrapæ mihi sufficerit; sororem tuam mihi elocato, qvo affinitatis nexus reliqvam necessitudinem arctet; dotem dicas prædia possessionesqve, qvæ ipsi in Sognia hæreditati obvenerunt. Ad hæc Belius: placere sibi omnes has conditiones, nec sororem generoso magis aut strenuo viro jungi posse: Verum obesse, qvod ubi terrarum sit, nemini, qvantum sciat, in hunc usqve diem constet. Thorsteinus obstaculum illud facile removeri dictitabat, redituram namqve scire. Hæ igitur conditiones utrinqve initæ jurisjurandi religione confirmabantur. Regium palatium in Syrstranda fuit. E regione ad aliud ejusdem sinûs latus prædium Framnesia jacet: ibi Thorsteinus post nuptias cum Ingibiorge celebratas habitavit, prædium erat uxoris suæ dotale, cui subjacebant universæ villæ ad idem sinûs latus sitæ.

CAP. XVIII.

DE CERTAMINE SOCIORUM CUM SLISA-UFFIO, EJUSQVE CÆDE, CONFLICTU CUM ANGANTYRE, EJUSQVE CUM BELIO SINGULARI CONGRESSU, IN SOCIETATEM DESINENTE.



His ita peractis, ad piraticam se accingebant, qvinqve navibus instructi, cum domo navigarent; septem sub autumnum reduces appulere. Proxima æstate spoliorum parum partum, piratis congressum eorum ubiqve fugientibus. Cum ad scopulos Gautelfæ consisterent, speculatum in continentem progressi, deprehenderunt duodecim naves ab averso promontorii latere ad anchoras stantes, tentoriaqve in terra fumantia, lixasqve cibariis coqvendis intentos conspiciebant, vili ergo veste tecti, adqve coqvos progressi fores corporibus obstruxerunt, ut ne fumus pro arbitrio lixarum evolvi posset. Qvi indignati qvæsiverunt, qvid mendicorum esset, qvi fumo culinarios suffocare gestirent? illi senes simulando rauca voce cibum se fami depellendæ mendicari, simul qvinam classis præfecti essent? rogarunt. Mentionemne Slisa-Uffi & Otulfaxii, Herbrandi Capitonis filiorum, unqvam audiverint, virorum omnino incomparabilium, responsum est. Qveis cognitis, ad naves redierunt. Summô mane remigando promontorium superârunt, ingenti clamore in piratas invecti: nec isti segnius ad arma concurrebant, impetu hostium, qvantumvis improvisô, fortiter represso. Uffius numero superior & ipse robore & rei gerendæ peritia insignis fuit. Integrum Biduum

duum certatum est, ancipiti eventu, tertio die Thorsteinus & Belius triremem Uffii (draconem nominant, qvod illius formam repræsentaret) conscendunt, & omnes ante malum pugnantes occiderunt. Qvod ut Uffius ex celsa puppi conspexit, ad suppetias suis ferendas impetumqve hostium coërcendum provolavit; congressusqve cum Belio superior fuisset, ni Thorsteinus stricto Angrvadile cassidem cum capite, loricam cum corpore universo uno ictu penitus in duas partes dissecuisset. Prodigiosum ictum admiratus Belius obstupuit, vaticinatus, famam illius qvoad septentrio coleretur nunqvam interituram. Classiariis militibusqve superstitibus conditiones oblatæ, vel deditionis, vel redintegrandi prælii; qvi jam tanqvam capite destituti, & â militiæ sacramento liberi, nec cui pugnarent vincerentve, vel obstricti, vel certi, prælio deditionem prætulerunt. Manubiis in naves congestis magna prædâ, & in his trireme prætoriâ locupletati socii domum redierunt. In divisione prædæ singularis pretii cimelium Belius, sive jure, sive pacto præcipiebat, æqvô pretiô Thorsteino redditô. Si duo pariter pretiosa in præda essent, optio Belio competebat, itaqve myoparonem elegit, adjectâ conditione, ut si qvando alia navis pariter egregia in potestatem redigeretur, possessio ejus Thorsteino concederetur. Hyems domi pro more transacta: exinde prædatum qvindecim navium classe itum est, duodecimqve magnæ naves juxta promontorium qvoddam deprehensæ, rectore juvene conspicuæ formæ, Angantyre Herraudi cujusdam Comitis in Gothia filio (Vestrogothiâne, an Ostrogothiâ, non exprimitur) Octodecim annorum adolescente. Belius eum confligere aut bonis cedere jubet. Is certamen, licet iniqvum, qvod classem suam trium navium numero excederent, prætulit. Belius æqvali numero pugnaturos pollicitus est. Toto die certamen extractum est, æqvatâ ex utraqve parte clade. Postero die Angantyr compendium certaminis qvæsiturus, Belium ad duellum provocat, nec is conditionem abnuebat, substratoqve pedibus sago, qvod egredi fas non erat, manus conserebant, pari utrinqve pertinacia, sed dispari successu, nam Belius fessus vulneratusqve, victoriam hosti concessurus videbatur. Qvod ut animadvertit Thorsteinus, Angantyrem alloqvitur: videre se eum Belio superiorem, nec conflictum aliter, qvàm morte ipsius finiturum, posse qvidem se præsenti periculo socium subtrahere, iniqvamqve Belii fortunam in eum convertere, verum malle se Belium mori, qvam scelere servari, nec tanti eum usuram vitæ facere; qvod si contingat Belium hoc certamine occumbere, ultionem tamen ex fædere sibi incumbere, alio illam modo exseqvi nolle, qvàm qvo Belius sublatus fuerit; itaqve se ei singulare certamen indicturum: verùm constare sibi, qvòd, in qvantum is Belium viribus excedat, in tantum se eum superare: perniciosam igitur ei victoriam de Belio, nec diuturnam, omnibus etiam luctuosam futuram: certamen igitur in societatem vertant, communibusqve viribus & bella gerant, & præmia reportent. Ad hæc Angantyr: non iniqvas eum conditiones offerre, nam inter se & Belium societatem non indignè contrahi, qvod verò suæ insuper copiam faciat, id se pro beneficio agnoscere. Fædera igitur & societates solenni id temporis juramenti ritu, elicitô e volis singulorum sangvine, deinde commixto, subitòqve cespite in fornicis modum erecto, hastæqve pro fulcro subnixo, contrahebant, seqve ad mortem alterius ulciscendam mutuò obligârunt. Deprehensa est postea duarum navium inter confligendum facta jactura: viginti tribus navibus residuis in Sogniam delati in hyberna recesserunt. Compluribus annis exercitium illud sine in-

intermiſſione cultum eſt, tantaqve nominis ſui fama ſeptentrionem impleverunt, ut in Saxonia perinde ac in Norvegia atqve Finnmarchia crebrô ſermone nomina eorum celebrarentur.

CAP. XIX.

DE PUGNA CUM OTULFAXIO, ET EJUS EXITU, DEVICTISQVE ORCADIBUS ET AGANTYRIS POTESTATI COMMISSIS.



Tulfaxius cognito fratris excidio, per univerſum triennium luſtratis omnibus promontoriis & ſinibus cum ſexaginta navium claſſe eos inqviſiverat. Contigit autem dum ſub Brenneyis excubarent, ut ad averſum promontorii latus Thorſteinus claſſem appelleret, ſolusqve in inſulas exſcendens videret ante fores virum, valdè ſenem, veſte viridi amictum, corpore craſſo, ſtatura mediocri. Is Thorſteinum nominatim ſalutavit. Cui ille, mirum ſibi videri, qvod ſe antea nunqvam viſum cognoſcat, & nomine proprio compellet, cum ſibi nulla illius ſit notitia. Arctum tamen cognationis vinculum intercedere regeſſit ſenex, nam ſe illius eſſe patruum, Vikingi fratrem, Viſile ſatum, qvo tempore is militiæ Halogii præfectus piratas per vicinas oras perſecutus fuerit, nominabatqve ſe Brennerem, habere autem qvod eum moneret, nimirum, Otulfaxium, qvi jam dudum copiam ipſius exoptaverit, ab altero promontorii latere cum ingenti claſſe adeſſe, adventûs illorum prorſus ignarum, qvem ut improviſum primô diluculô opprimeret, ſvaſit; eſſe illi navem prætoriam, Ellidium dictam, tanta arte factam, ut parem habeat neminem, mirifico genio præditam, ita ut voci humanæ tanqvam intellectæ parere videatur, (qvod qvamvis abſurdum videatur, tamen ea, qvæ abſurda ſunt, adjurationibus & arte magica ſæpius perpetrata conſtat, nec hoc magis abſonum, qvam ſtatuas poſſe loqvi, de qvibus Natalis Comitis judicium Mythologiæ Lib. VI. Cap. XII. de Dodone legi dignum eſt. Qvin & Argo navis loqvacem malum e qvercu Dodonea habuiſſe perhibetur, ideoqve Lycophronti loqvax pica appellata.) Ad hunc ergò improviſum aggrediendum ſe conferunt. Non aliàs acrius aut periculoſius prælium Thorſteino geſtum eſt. Dæmoniaca ibi vis, dæmoniacæ oppoſita, fortioreqve auxilio victoria parta apud ſocios remanſit, ſed nec illa incruenta, nam omnibus navibus amiſſis ſola triremis Belii ſupererat. Otulfaxium ferrum nullum, ne gladibus qvidem Angrvadill, penetrare poterat, ſaxicolæ, nomine Sindrii, cultelſus ſolus prævaluit, clava etiam ingens, mediocri robore inſtructo viro vix levatu facilis, a Thorſteino tamen levis ſtipulæ inſtar rotata, Brenneris donum, ſi non ad penetrandam duratam incantamentis cutem, enervandum tamen contundendumqve Otulfaxium idonea. Sindrii etiam ê ſingulis digitis nullum fruſtra emiſſum telum, Brennerisqve adverſa ê rupe conjectæ ſagittæ multum efficiebant. Otulfaxius nonaginta prælia geſſerat, monomachias tredecim, ætatem ad centum triginta (verſioni Svedicæ nonaginta) annos prorogaverat, tandem fatali cultello in necem ſuam machinato concidit, poſtqvam ſub undis longô tempore cum Thorſteino conflictatus eſſet. Hic autem dum mortuo ſimilis viribusqꝫ caſſus ſuper aqvas volutaretur,

taretur, ſcapha ſuorum exceptus ægrè imminentem mortem evaſit, cumqve ſociis ad Brennerem, triginta tantum ex omni militum ſociorumqve nauticorum numero, pervenit. Myoparo Ellidius ex pacto jam Thorſteino ceſſit, pretioſarum rerum tantundem Angantyri; Belium, qvi triremem ante reportaverat, cæteram prædam ex æqvo ſortitum licet conjicere. Navium devictarum magnus erat numerus, ex iis omnes ad tres usqve, nec illæ ſatis â nautis inſtructæ, cum pluribus aliis muneribus Brenneri datæ. Ab eo inſulæ Brenneyæ nomen contraxerunt (ut ſupra memoratum eſt) circiter annum â nato Chriſto centeſimum. His peractis Sogníam repetebant, ibiqve hyemem tranſegerunt. Proximo vere in mare occidentale expeditio ſuſcepta, Orcadesqve expugnatæ. Præfuit iis Comes Herraudus, qvi integrum biduum cum iis in inſula Papeya dimicabat, tum demum naves ejus diripi, milesqve deficere cæpit, tandem ipſe occiſus victoriam & imperium iis reliqvit. Inſulæ omnes Regi ſoli ceſſerunt, qvas cum annexa Comitis dignitate Thorſteino in feudum obtulit; is autem malle ſe ei ſatrapæ titulo cohabitare reſpondit, qvam Comitis titulo conſpicuum ab eo diſtrahi. Angantyr igitur Comitis titulô præfectus eſt, beneficio Belii, ad annuam penſionem obligabatur, ibiqve cuſtodiæ earum relictus eſt, Belio & Thorſteino domum redeuntibus.

CAP. XX.

DE PUGNA JOKULIS CUM THORSTEINO AD BORGUNDARHOLMUM, CAPTIVITATEQVE THORSTEINI, ET EFFUGIO, SECUTAQVE RECONCILIATIONE CUM JOKULE.



Iorfius & Vikingus ad extremum usqve diem amicitiæ fædera ſanctè coluerunt. Poſt mortem eorum Jokull tam paternum territorium jure ſucceſſionis, qvàm Vikingi Comitatum defectu hæredum idoneorum ſibi vendicavit. Tanta inſuper ira & odio plusqvam Vatiniano æſtuabat, ut dum Thorſteinus ſolus e numeroſa Vikingi ſobole ſupereſſet, non paſſus ſit ſibi perſvaderi fratrum necem vindicatam eſſe. Solebat is more Regulis uſitato, qvotannis mare Balthicum & oras Germaniæ Sveciæqve & inſulas Danicas piraticis navibus infeſtare, indeqve prædas & ingentia ſpolia avecta domum deferre, qvibus familiam ſplendidè ſatis aleret, & militibus ſtipendia diſtribueret, nec tamen eadem, qva Belius & Thorſteinus, moderatione in mercatores uſus eſt. Hunc eundem tractum prædatoria claſſe Belius & Thorſteinus prædæ deſtinatum per partes expoliare conſveverunt, Saxonia hoc anno direptionibus patebat. Inde ſpoliis onuſti in Daniam curſum vertunt. Ad oſtium ſinus Limici pervenerunt, cum nimborum vis ingens claſſem in altum abactam univerſam diſſipavit. Thorſteinus Ellidio victus, in tanto diſcrimine periclitabatur, ut remiges feſſi agendæ navi minus ſufficerent, plurimi in exhaurienda ſentina occupabantur: ad Borgundarholmum tandem appulit. Illuc Jokull decem magnis navigiis delatus, de improviſo ſupervenit; nec mora, unicam illam navem nautasqve longo remigio feſſos, vixqve armis geſtandis idoneos, circumſiſtit, & impetu facto in navem inſilit, hortaturqve ſocios, ne hanc prædam, qvam fortuna obtulerat, e manibus dilabi patiantur, perpetuam infamiam & publicum probrum cæteroqvin incurſuros.

 Thor-

Thorſteinus, qvamvis reſiſti poſſe deſperaret, tamen, ne omninò inultus caderet, ad arma ſe expedivit. Neceſſitas præſens & deſperatio animum addidere, itaqve fortius eos excepit, qvàm vel Jokull, vel ipſe Thorſteinus ſibi perſvaſiſſent, nec ſocii nautici ſibi defuerunt, qvàmplurimos unoqvoqve ſibi ex hoſtibus mortis ſocios miniſtrosqve in aulâ Valicâ deſtinante. Verum pauciores â pluribus, feſſi ab integris vincuntur, tantaqve ſtrages facta eſt, ut omnibus occiſis ſolus Thorſteinus ſuperſtes eſſet, qvem cominus accedens Jokull gladio per femur transfodit. Thorſteinus autem gladiô retrahentis manum viciſſim amputabat; capitur tamen, inqve vincula conjectus in proximam diem, qvod nocturnæ cædes nefariæ cenſerentur, duodecim cuſtodibus reſervandus traditur, qvorum tamen cuſtodiam elapſus per varios anfractus, iis occiſis in Sogniam ad Belium Regem pervenit. Tradunt antiqvitates, qvòd nuncupato Saxicolæ nomine, illius, qvi ad Brenneyas auxilium præſtitit, præſentem numinis illius opem imaginemqve ſentiens, fractis demum compedibus evaſerit, malo ſpiritu ſuperſtitionem illuſis hominum mentibus ingerente. Jokull jacturam manus nece hoſtis proxima die vindicaturus, ut eluſos cuſtodes comperiebat, erubuit. Ex illo die contumelioſo nomine Unimanus vocabatur, nec aliud cladem, qvâ Thorſteinum afficiebat, reputavit, qvam ad ultionem evidens irritamentum, nec eum conjectura fefellit, nam Belius & Thorſteinus per feciales bellum illi & certaminis locum indixerunt, qvi copias collecturus, plurimos deprehendit partibus Thorſteini faventiores, qvos cum authoritate ſua vel cogere, aut ſi vel maximè poſſet, in fide continere cum deſperâſſet, veritus ne a ſuis proderetur, voluntarium, vel potius neceſſarium, ſibi exilium indixit, conceſſitqve in ſeptentrionalem Galliam ad Wilhelmum Regem ſocerum. Interim Uplandas Belius & Thorſteinus, fugâ ducis defenſore vacuas, occupârunt, perqve vicarios rexerunt, ipſi in Sogniam ad proprios penates remeantes. Nec longè poſt, oratores a Jökule ad Thorſteinum miſſi pacem petierunt, locus ubi convenirent, ſinguli tribus navibus inſtructi, ſinus Limicus electus, ibi conditiones proponendæ. Placuit Thorſteino inimicitiis finem aliqvando imponere, ſe enim neceſſitate defenſionis, non voluntate & ſponte ſua, ad arma proceſſiſſe teſtatus eſt, semperqve â ſe parentum amicitias, etiam in filiis Niorfii, cultas: itaqve in æſtatem conventus dilatus eſt. Ne vero inſidiis Jökulis circumveniretur, duodecim ſpeculatores præmiſit, qvi cognoſcerent, qvanto cum navium numero accederet. Ut vero omnia ex fide agi cognovit, nec pluribus navibus adveniſſe qvàm convenerat, ipſe qvoqve ad definitum locum Ellidio vectus, duobusqve aliis navigiis ſe confert. Concluditur pax, nullis unqvam ſimultatibus violanda, cædes cladesqve & vulnera compenſata, neutri parti pecuniis luenda. Jökuli regnum reſtitutum, eidem etiam Comitatus Vikingi, ſucceſſionis & belli jure Thorſteini factus, amiſſæ manus ſolatium ceſſit; inimicitiæ in poſterum ſopitæ æternæ oblivioni mandabantur. Jökull itaqve poſtliminio in regnum rediit, Belius & Thorſteinus in Sogniam, nec exinde piraticam exercuerunt. Exceſſerat illo tempore Ingibiorgis Thorſteini uxor, ejus nomen Belius frater filiæ ſuæ indidit; habuit inſuper duos filios, Helgium & Halfdanum. Thorſteini filius Fridthiofus dictus eſt, filia Vefreya, fratre natu major, abſtruſarum artium, qvas â matre didicerat, peritiſſima.

CAP. XXI.

DE EXCESSU BELII THORSTEINIQVE, EORUM SEPULTURA ET BONORUM THORSTEINI DIVISIONE INTER LIBEROS.



Elium jam senio gravem sumptuosa rei familiaris administratio, expensarumqve moles ad mobilium rerum indigentiam propemodum retraxisset, ni Thorsteini industria & fides nutantem familiam sustentâsset; trienti ditionis præfectus est, atq; hinc tertio qvovis anno Regem cum familia satrapiam suam perlustrantem magnis impensis sustentare, conviviisqve excipere tenebatur, reliqvis annis Regiis sumptibus publica negotia obiit, gratisqve convivabatur. Belius ad ultimum jam moriturus filios hortatus est, ut veteres amicitias colerent, Thorsteiniqve & filii ejus consilia operamqve minimè aspernarentur, qvorum industriâ prudentiâqve scirent se indigere, injuriis eos irritare sedulò caverent: tumulum præterea ut sibi exstruerent, mandavit, Thorsteinus qvoqve decessurus filium monuit; ut Regibus (nam Belius prior mortuus erat) obseqvi, qvàm adversari mallet, invidiam injuriasqve dissimulando declinare, iramqve mitigare qvàm ulciscendo provocare studeret, nec tamen sibi moderationem ejus suspectam esse, nec paterni præcepti in eo metuendam negligentiam. In litore Framnesiano, e regione collis sepulchralis Belii Regis, tumulo exstructo se inferri præcepit, qvo facilius mutuæ cum Rege voces communicari colloqviaqve institui possint, qvoties edito clamore impendentia qvædam invicem significare libuerit. Situs est igitur Thorsteinus, ut præceperat, oppositiqve colles alter in Syrstranda, alter in Framnesia, sinu tantum discreti, indicio fuerunt, nunc, ut audio, diruti. Fridthiofus in paternâ domo & interdum apud Hildingium, virum primarium, qvi etiam Ingibiorgem Regis filiam enutriebat, educabatur. In herciscunda familia, inter res mobiles pretiosas myoparo Ellidius cum armilla, possessiones præterea Framnesia cum subjectis prædiis villisqve Fridthiofo; gladius Angrvadill Vefreyæ, obtigit. Qvindecim remis à singulis lateribus Ellidius instructa fuit, singulos selecti duo juvenes agebant, latera ferreæ laminæ obducebant; ex selecta materiâ constabat, adqve perennitatem facta videbatur, nec magnitudine onerariis cedebat. Fridthiofus tanti roboris fuit, ut duobus remis longitudine tredecim ulnarum solus in prora constitutus navem agitaret, cum tamen singuli remi duos (ut modò dictum) remiges reqvirerent.

CAP. XXII.

DE FRIDTHIOFI CUM REGIBUS SOGNIÆ, BELII FILIIS, HALFDANO ET HELGIO SIMULTATE, NUPTIARUM SORORIS REPULSA.

Verum



VErum nihilo firmior inter Belii Regis & Thorsteini filium Fridthiofum, qvam inter Niorfii Regis filios & Vikingi amicitia permansit; virtus qvippe Fridthiofi, robur præsertim & corporis dotes, illo & superioribus seculis felicitatis & tantum non summi boni loco æstimatæ, tum etiam in rebus gerendis prudentia & dexteritas, Reges Helgium & Halfdanum in invidiam accenderunt, iniqvo animo, ut fieri solet, ferentes, privati cujusqve sortem in suæ comparationem venire, nedum præferri. Accessit qvod inter illum & sororem ab educationis communione orta familiaritas in vota conjugii utrosqve accensura videretur, invisa etiam patris Thorsteini apud Belium Regem gratia in sobolem etiam successorum odium vertit. Et jam tempus erat, cum Fridthiofus more parentibus recepto Reges ipsius præfecturam, juri reddendo, judiciis exercendis, litibusqve dirimendis perlustrantes sustentare, conviviisqve excipere tenebatur, id qvod ille alacriter & summa cum magnificentia præstitit, illamqve nominis existimationem comparavit, ut solo nomine Regio illis inferior, cætera etiam potior videretur. Dapsilis hæc liberalitas, tum etiam inter convivium cum sorore Regum assiduum colloqvium, magis animos eorum irritavit, qvàm conciliavit. Verum post interlapsum a convivio Regumqve discessu modicum tempus, animo solito magis anxius apparuit, more communi, qvoties aliqvid obstinatè expetendum deliberandumve esset comparatu arduum, nec tamen prætermittendum. Ex duobus igitur familiaribus juvenibus, educationis sociis Biorno & Asmundo, qvorum illum veneratus est, hunc ad commune utriusqve famulitium adhibuit, iste solicitudinis causam reqvirebat, cognitoqve, sororem Regum sibi deposcere conjugem in animo esse, cæterum repulsam metuere, facilè amantis animum ad propositum exeqvendum impulit. Ascito igitur modico comitatu Reges, dum in colle considerent, adivit (magni enim ponderis negotia supra parentum busta, tanqvam in eorum conspectu tractari solebant) ibiqve nuptias sororis expetebat, verum responsum reportavit, inferioris conditionis viro elocari sortem illius non pati. Magis illud ob simultates tacitè conceptas prætextum, qvam sic revera visum arbitror, cum is etiam Regia familiâ oriundus Regum esset amitinus, paterqve illius decessoris Regis sororem duxerit. Itaqve Fridthiofus valde indignatus obseqvium auxiliumqve eis actutum renunciavit. Illi nihil interesse responderunt, qvoqvò demùm se verteret. Hinc apparet, Regulorum gratiam pro utilitate, necessitate etiam ut plurimum potentiores cives coluisse, obseqviumqve ad arbitrium exhibitum revocasse, qvoties visum est. Fridthiofus hoc responso accepto domum rediit, discussaqve solicitudine ad hilaritatem, prout antea consveverat, conversus est. Verùm valde deminutæ prudentioribus visæ sunt Regum vires ejus secessione, adeò ut etiam Regulis vicinis Majestas eorum vilescere cæperit.

CAP: XXIII.

DE BELLO REGIBUS A HARINGARICHIÆ REGE HRINGO INDICTO, ET FRIDTHIOFO MILITIAM DETRECTANTE.

Hringus



Hringus, ea tempestate Hringarichiæ Regulus, habitavit in prædio, Streitulandia dicto, pro temporum illorum conditione valde potens, sed ætate provectus, cujus debilitatem glorioso aliqvo facinore pensare cupiens, commodam occasionem affulsisse ratus, Sogniæ Regulos, cæteroqvin consiliorum inopes, nunc etiam præsidio opeqve Fridthiofi, viri in primis strenui, & tota Norvegia hoc nomine celeberrimi, destitutos, oppugnandi, sibiqve subjiciendi, eoqve majorem gloriam futuram ducens, si ætate senili effecisset, qvod juvenes aggredi non ausint. Misit ergo legatos ad Regulos, cum mandatis, ut vectigales sibi fierent, tributaqve in recognitionem imperii mitterent, secus bellum exspectarent. Reges illud in juventute nolle se discere responderunt, cujus in senectute puderet, nimirum obseqvium cum dedecore pari exhibere; qvamvis prope opprobrium esset cum sene decrepito confligere, tamen se ipsum neqvaqvam domi exspectaturos, sed mediâ viâ cum exercitu occursuros. Legati responsum Regum domum denunciant. Utriqve igitur copiis, qvàm poterant maximis, collectis ad bellum se accingunt. Placuit ad Fridthiofum Hildingum nutricium mittere, imperatum ut militiam suorum Regum seqveretur. Forte taxillorum ludo intentus erat Fridthiofus, cum legatus ingressus ei nunciat salutem Regum, cum mandatis, ut eos ad pugnam adversus Hringum Regem seqveretur. Nihil adhæc Fridthiofus respondit, sed ad Biornum collusorem ait: Inter orbes interstitium est, qvod non turbabis, sed rubrum orbem ego elegero; experiar an ei cautum fuerit. Iterum legatus ait. Mandavit mihi Rex Helgius, ut nunciarem, te, ni proficiscaris ad pugnam, pœnas transgressi spretiqve mandati, & obseqvii; subtracti omnino exspectaturum. Tum Biornus ad Fridthiofum: orbis hic in bivio est. Ego vero, ait Fridthiofus, propius eum ad pugnam attraham: nunciumqve sine responso dimisit. Qvi ut ad Reges rediit infecto negotio, qvibus inter ludendum formulis usi fuerant, exposuit. Regibus qvid his denotare voluerit? sciscitantibus. Per rubrum orbem, inqvit, sororem vestram intellexit, qvam deperit, per interstitium autem, dilaturum se auxilium significavit. Cum vero pugnam nominaret, cum ego ipsi minarer, Hringum intellexit, qvi minis prius, modo fieri possit, terrendus fuerat. Postqvam ad pugnam parata erant omnia, priusqvam proficiscerentur providendum censebant, ne sororem Ingibiorgem Fridthiofus vel raperet, vel violaret. Ad ostium sinus Sognici occidentem versus litus procurrit, ubi prædium magnum situm est, Baldo Deastro dicatum, deqve ejus nomine Balldrshagium denominatum, ibi asylum tutissimum Basilicaqve magnificentissima, sepe ligneâ septa; simulacrorum ibi numerus magnus; Baldus tamen ante omnia cultus. Locus iste longè sanctissimus habitus est, atq; adeo, ut si vel homini vel ulli animanti ibi qvis nocuerit, piaculum commisisse consensus approbaverit. Sed nec viris fæminis illic misceri permissum, aut eas qvovis modo contrectare licitum. Ibi sororem religione tutam securè, dum abessent, servari posse, nec ullum eò audaciæ processurum, ut sacra Deorum delubra temeraret, persvasi, ad bellum proficiscuntur.

CAP. XXIV.
DE FRIDTHIOFO, SE IN SACRIS ÆDIBUS CUM REGIA VIRGINE OBLECTANTE, ET REGUM PACIFICATIONE.



VIx Reges aberant, cum Fridthiofus navem Ellidium expediri jubet. Qvorsum tenderet, qværenti Biorno respondit: Balldrshagium ad Ingibiorgem. Cui consilii atrocitatem, publicum humani generis odium, tremendam Deorum iram, demumqve vindictam subsecuturam regerenti, pluris sibi esse Ingibiorgis amorem, qvàm iram Baldi, respondit. Atq; his dictis pretiosissima veste, armillâqve, cui parem id temporis Norvegia nullam habuit, se exornans, Balldrshagium petivit, ingressusqve triclinium, Ingibiorgem octo virginibus stipatam accedit, totidem & ipse famulis comitatus. Qværenti, cur invitis fratribus suis, iisqve Regibus, invitis etiam Diis, illuc veniret, qvorum iram, si vel maximè hominum, tamen nullo pacto se effugiturum sciret, gratiam ejus omnium Deorum indignationi se prælaturum testatus est; nec illa amicum, sui qvàm Deorum observantiorem, spe destitui ultra passa, cum omni comitatu ad convivium invitat, inqve instrati pretiosis tapetiis palatii loco sibi proximum collocat. Inde vina & præstantissima qvæqve potionum genera illata convivas exhilarant. Interea armillam illam pretiosam, brachii sui ornamentum, ei dono obtulit, si tamen pronuba in posterum haberetur, nec ad alium unqvam transferretur; qvod si contigeret, ut in suarum rerum numero amplius esse nollet, ad se remitteret. Datis in hoc invicem dextris, aliam, contractûs symbolum, vicissim ab eâ accepit. Sæpè noctes integræ ibi transactæ, nec ulla intermissa dies est, qvin eam accederet, qvoad Reges bello detinerentur. Interea Reges Hringum navale etiam bellum parantem (qvod mirum videri poterit, cum Hringarichiæ Rex fuerit) in Rogalandiæ freto Soknarsunda offendunt. Servat nomen in hunc usqve diem rei gestæ memoriam situ inter cœnobium Utsteinense & oppidum Stafangriam, unde sesqvimilliari, parvo qvoqve intervallo à cruce lapideâ, qvæ ibi olim erecta, sed furiosi rustici ausu nuper disrupta est, distat. Hringus classe copiisqve longè præstabat, cui cum Sogniæ Reges se omninò impares viderent, intercessione amicorum res conditionibus transacta est, sororqve eorum cum dote ingenti, omnium paternorum bonorum triente ei nuptui collocata, præfinitâ nuptiis die, eorundem impensis in Sognia celebrandis. His peractis ad suos qvisqve penates redierunt, fratribus, qvòd conditiones duriores visæ sunt, malè acqviescentibus.

CAP. XV.
DE CONDITIONIBUS A REGIBUS PROPOSITIS, QVIBUS FRIDTHIOFUS PACEM REDIMERET.



CUm jam Regum reditum propediem exspectandum conjiceret Fridthiofus, virgine salutatâ, patrem qvoqve familias Baldum (sic idolum appellabat) impensè commendavit, qvòd nec se, nec socios limis oculis intuitus convivales voluptates benignè indulserit. Ne autem, dum Balldrshagium, pro more, pergeret,

pergeret, â redeuntibus Regibus de improviso opprimeretur, convenit, ut Ingibiorgis supremi Disarum palatii, qvod inter omnes ædes eminebat, tectum, qvà Framnesiam spectabat, candidis velis insterneret, signum sistendi itineris, qvo die visum esset. Qvod ut ê domo conspexit, vindictæ facultatem Regibus prærepturus, milites vicinosqve congregavit, qvos illis opponeret. Qvi ut omnem rei gestæ seriem cognoverunt, id unicè admirati sunt, qvòd Baldus tantam ignominiam pati sustinuerit. Verum cum majoribus viribus Fridthiofum suffultum animadverterent, qvàm ut se ulcisci possent, Hilldingum ad eum cum amicis ejus pluribus mittunt, qvi impunitatis viam monstrarent, si in Orcades ad Angantyrem Comitem profectus, tributa â morte Belii patris intermissa exigeret, Regibusqve, magnas jam impensas in dotem nuptiasqve sororis erogaturis, deferret. Qvibus auditis Fridthiofus parentum defunctorum amicitiæ illud se tributurum, non autem Regum gratiæ, qvorum lubricam fidem probè cognosceret, respondit, juramentum tamen Regum interveniре prius oportere, qvo possessionibus bonisqve suis ab omni vi & injuria in reditum ex omni parte caveretur: id qvod illi impigrè præstiterunt. Fridthiofus igitur cum remigibus octodecim navem Ellidium conscendit: prius tamen, qvàm ê portu solveret, svadebant comites, ne detrectaret ad Regem Helgium proficisci, & ab eo delicti plenam gratiam poscere, simulqve Baldi iram deprecari, qvod adeo præfractè negabat, ut votum statim nunciparet, se pacem ab eo nunqvam petiturum. Atqve his dictis ex portu solvit, sinumqve Sognensem emensus in altum navigavit.

CAP. XXVI.
DE PROFECTIONE AD ORCADES, LEGATIONEQVE IBI FELICITER ABSOLUTA.



Vix e conspectu Sogniæ aberat Fridthiofus, cum Reges prædium Framnesiam prius exspoliatum incenderunt, duasqve lamias, Heidem & Hardglaumam, ad concitandas tempestates, qvibus Fridthiofus cum sociis omnibus obrueretur, mercede conducerent. Qvæ in edito tabulato incantamenti speciem, Seid patria lingvâ dictam, exercebant. Extemplò nimborum vis ingens exorta cælum terrasqve miscere videbatur. Fridthiofus in medio pelagi fluctuabat, nec tamen in præsentissimo qvantumvis periculo constitutus sibi temperabat, qvin carminibus raptim pactis animum mentione Ingibiorgis conviviiqve Baldrshagensis subinde refocillaret. Ad insulas Soleyas, boream versus, acti sunt, cum subita tempestas concidit, fulsitqve serenum cælum, cumqve optata, eaqve lenis, aura secundis ventis flaret, ad navigationem ulterius producendam alliciebantur; favebat ea tantisper, dum nulla spes superesset portûs subeundi. Tum demum, ut inqvit poeta:

Incubuere mari, totumqve a sedibus imis
Unà eurusqve notusqve ruunt, creberqve procellis
Africus, & vastos volvunt ad litora fluctus. (Et paulo post)
Eripiunt subito cælum, noctemqve diemqve
Sygnorum ex oculis; ponto nox incubat atra.

Intonuere poli, crebris micat ignibus æther,
Præsentemqve viris intentant omnia mortem.

Pöetæ versibus in consimili causa uti placuit, eo qvod graphicè magis exprimi neqveat incantationibus excita, qvæ hic describitur, monstrosa tempestas. Verum longè fortius se gessisse Fridthiofus perhibetur, qvàm Virgilianus ille Æneas, qvi ingemens & duplices tendens ad sydera palmas, lamentabili voce mortem in remedium vocabat; nam hic noster absqve intermissione se sociosqve fusis subitò versibus recreavit, animavitqve amasiæ dulcedinis, conviviorumqve & chorearum Baldrshagensium memoriâ; inqve mediis periculis, nave, qvam fluctibus repletam vortices qvovis momento absorpturi videbantur, exhauriendâ nullis laboribus pepercit, animo præsenti & invicto. Digni sunt moduli, qvi ab interitu vindicentur, & magis qvòd tumultuariè & inter ingentes labores periculaqve fusi, nihil nisi fortitudinem spirent. Et jam omnis ulterior vitæ conservandæ spes præcisa videbatur, undis in cælum minantibus, cum striderent funes, curvaretur malum, gemerent gubernacula; tum versum eo sensu fudit, qvo diversam sibi ab illa Baldrshagensi epulari sortem instare, culcitram Ranæ, id est, Thetidis (mare intelligit) mox corpore pressuro, aliô vero Ingibiorgem significavit. Illud cùm Biornus ut desperationis timorisqve notam ilico reprehenderet, negabat Fridthiofus itinerum priorum, licet superfluam, mentionem eo extendendam, subjecitqve adhuc alium versum ad animos sociorum reficiendos, qvo & armillam illam pretiosam reciprocaqve dona celebravit. Vix finierat, cum ingens fluctus navem obruit, veliqve pede turbine correpto, qvatuor nautæ extra navem rapti, latè per pelagus dispergebantur. Hoc exemplo monitus providendum, ne tecta Ranæ (ɔ: mare) omnino egeni subirent, iterato carmine suggessit, consultissimum videri ut vestem convivalem assumerent: & ne auro vacui essent, armillam, qvam Ingibiorgis ei prius dederat, in capita partitus, singulis partem ad viaticum donavit, Biorno neqve convivium illud adhuc certum, sed neqve inopinabile, dictitante. Jamqve navem rapidô cursu ferri animadversum, verum nix grandine mista tantam caliginem tenebrasqve induxit, ut â puppi in proram, & vice versâ, prospectus adimeretur, qvo evenit, ut ubinam volutarentur, incerti essent. Igitur Fridthiofus supremis mali partibus conscensis, descendens narrabat, balænam se vidisse navi circumfusam, dorso duas fæminas sustinentem, qvas tempestatem tam fædam concitâsse suspicaretur; habitum etiam maris repente mutatum arguere, non procul terrâ abesse, cui prohibendæ balænam excitam videri: mandat ergo ut clavum teneant, cursumqve qvàm scitissimè moderentur, se vero lamias stipidibus pulsaturum, haut vanô experimento, suane fortuna an veneficia illarum prævaleant, carmenqve cecinit, qvo diffecturum se eas, legatos qvippe Helgii Regis, minabatur; injectâqve in alteram sude, in alteram navi plenis velis impulsâ, ambarum terga perfregit, balæna vero per undas rapido cursu sublata abscessit. Inde cælum mitescere, fluctusqve sedari cæpti; navis in brevia impulsa est. Cumqve Fridthiofus, ut exhauriendæ navi omnes operam conferrent, hortaretur, Biornus valdè affectus, id jam superfluum esse clamitabat. Tum Fridthiofus; mirum, ait, virum adeo fortem ad metum desperationemqve adactum, salutis facilè conservandæ rationem negligere: virilis animi esse, sibi neqvaqvam, qvoad liceat, deesse; animosqve addidit recensendo somnium, qvo sibi Ingibiorgem uxorem destinatam monstratum esset; id qvod eos mirum in modum animavit, atqve adeo, ut navem, licet ægrè, conjunctim tamen exhau-

rirent. Tum demum excussa caligine deprehenderunt Orcadibus se appulisse, ad fauces portus Efiæ (Efiasund) non tamen præ lassitudine ultra contendere valebant. Igitur Fridthiofus octo ê litore ulnis gestans sustulit, duos Biornus, Asmundus unum. Atqve ita singuli procuratam veneficiis procellam evaserunt, qvod etiam Fridthiofus carmine prosecutus eâ ipsa hora cecinit. Novem dierum totidemqve noctium spatio navigatio peracta est. Angantyr Orcadum Comes in portu Efiasundâ morabatur, cum appelleret Fridthiofus. Consveverat is, qvoties in conviviis esset, per excubitorem, sævo qvantumvis cælo, tecto ad fenestram insidentem, procul adventantes prospicere, tum ut insidias irruptionesqve præcaveret, tum ut si qvisqvam periclitaretur, maturè subveniri posset. Excubitori cornu, Cereali liqvore plenum, ne jejunus aut animo minus præsenti langvesceret, ministrari, evacuatumqve actutum repleri solitum. Ministerium illud vicibus distributum, qvo die Fridthiofus cum sociis navalibus, immani tempestate vexatus fessusqve, & tantum non naufragus, in portum Efiusundam appulsus est, Hallvardo cuidam obtigit, qvi ut navem peregrinam virosqve conspexit, cornu exhausto per fenestram in triclinium projecto, carmine, qvid videret, exposuit; fessos nimirum nautas, qvassam vento navem, Ellidio haudqvaqvam dissimilem, adesse; inter eos unum miri roboris, qvi cæteros in terram ulnis sublatos exponat; nescire se alium tantæ præstantiæ virum, præter Fridthiofum, famâ jam ubiqve notissimum, auxilioqve advenas indigentes sublevandos monuit. Qvo cognito Angantyr misit qvi eos exciperent. Fuit ibi pirata qvidam, nomine Atlius, novem athletarum, ingenio moribusqve similium, dux, adeo ferox, ut more berserkorum, id est, athletarum furiosorum, haut semel atqve iterum, sed repetitis sæpius vicibus fureret; hic se jam experturum minabatur, num Fridthiofus, qvi ferrum se nunqvam formidaturum voverit, idem etiam perficere sustineret. Occurrens itaqve interrogat, num hoc etiam statu pugnam minus detrectet? qvi metricè respondit: insulares barbas (barbatos insulares sive insulobarbos, sic enim se ipsi vocitabant Orcadenses, hac notâ viros se declarantes) meticulosas, terrori sibi neqvaqvam futuras; solum cum decem congressurum; qvantumvis cælum salumqve in perniciem suam sociorumqve conjurata, qvibusdam peremptis, reliqvos, inqve his se ipsum, fuderint verius qvàm fatigaverint. His responsis superveniens Hallvardus, & nomine Comitis eos benigne invitans, Atlium a proposito deterruit. Fridthiofus ad utrumqve paratus, præeunte Hallvardo, viamqve monstrante, ad Comitem deductus, maximâ cum benevolentiâ ab eo, paternæ amicitiæ societatisqve memore, excipitur, honoribusqve maximis affectus, per integram hyemem ibi remansit. Legationem exponendam Comes ipse prævenit, scire missum præfatus ad vectigalia â morte Belii restantia referenda, qvæ qvidem Helgio Regi vel fratri ejus se delaturum negabat, ipsi vero pecuniæ qvantum expeteret traditurum; cui si tributi nomen imponere placeret, vel secus, per se qvidem licere. Fridthiofus accepturum se respondit.

CAP. XXVII.

DE REPENTINA LAMIARUM MORTE, NUPTIIS REGIS HRINGI CUM INGIBIORGE, REDITU FRIDTHIOFI, ET INCENDIO BALLDRSHAGII.



QVæ interea in Norvegia gesta sunt, paucis exponam. Cum veneficæ incantationibus ad necem Fridthiofi sociorumqve accelerandam vacarent, ambæ celso in theatro sedentes, subito casu delapsæ, fractis dorsi spinis exspirârunt, facetè Dæmone eas illudente, cum sibi in remotissimis locis versari imaginantur, ictumqve, nihil ad se pertinententem, se non solum collineare, sed etiam enecare posse credunt & experiuntur, Satanâ alium eôdem momento infligente. Eodem autumno Hringi Regis cum Ingibiorge nuptiæ in Sognia magno apparatu confectæ sunt. Is autem armillam illam, tam pretiosam, uxorem ad Fridthiofum remittere jussit, pollicitus, haut, cum domum deveniret, aurum defuturum; fratriæ itaqve, uxori nimirum Helgii Regis, eam Fridthiofo reddendam tradidit. Vere proximo dimissus donatusqve ab Angantyre Fridthiofus, assumpto secum Hallvardo, ex Orcadibus in Sogniam transfretavit: ut vero domum incensam, dirutam, cultoribus vacuam, ablatam suppellectilem resqve pretiosas deprehendit, rythmo vindictam minante se solatus est; cumqve consilia amicorum reqvireret, rem omnem arbitrio ejus detulerunt, se imparata facturos polliciti; qvi tributa primum se redditurum affirmavit. Navi vero ad Syrstrandam directâ cognovit, Reges sacris Disarum (Dearum omnium) Balldrshagii operari. Eò igitur profectus præcepit Asmundo & Hallvardo, ut naves qvotqvot deprehenderent, (omnes autem inqvirendas monuit) terebrarent, ne usui subitaneo forent. Qvod, sicut mandatum erat, ex tempore factum est. Inde ad ædem ascendit. Solum ingressurum Biornus monuit, ut circumspectè & providè procederet. Ille eum cum sociis præ foribus stare mandavit, ignemqꝫ Regiis tectis subjicere, si eodem vespere reditum suum desiderarent; se interim solum ingressurum. Rara in Disarum palatio hominum congregatio erat, compluribus in discretis cœnaculis convivantibus. Reges autem sacrificiis interfuerunt, potabantqve. Ad focum in pavimento suscitatum fæminæ assidebant, idolaqve ad ignem ungventis delibuta mappisqve detersa siccabant fovebantqve, distributis inter singulas singulis ministerii partibus. Fridthiofus Helgium Regem accedens, tributis se reddendis jam coram adesse professus, marsupium argento refertum elevans naribus ejus tanta vi impegit, ut primores duo dentes ore excussi deciderent, ipseqve de solio in solum præceps ruens animo derepente linqvi inciperet: cadentem, ne in ardentem focum incideret, Halfdanus retraxit. Mox Fridthiofus, edito extemporaneo versu, thesaurum primoribus dentibus arreptum mordicus tenuisse Regem, argentumqve in fundo nasutulum odoratum cavillatus est. Egressurus armillam, qvam Ingibiorgi dederat, à brachio uxoris Helgii, idolum Baldi ad ignem foventis, pendentem ut agnovit, apprehensam eripere neqvivit, qvòd arctè connexa esset. Dum igitur Reginam per pavimentum supinam traheret, Baldum gremio excidentem ignis statim depascitur: cui Halfdani uxor succursura, simulachro, qvod gerebat, pariter in ignem lapso nihil profecit. Interea idola pingvedine imbuta vorax flamma exurebat, unde in superiores contignationes transmissa sopiri neqvibat, qvam Fridthiofus qvoqve torribus injectis promovisse dicitur; facilè itaqꝫ armillâ, anteqvam excederet, potitus est. Cum ad socios rediisset, gestorum ordinem rhythmo complexus exposuit. Inde ad navem properans flagrantia Balldrshagii ædificia, ædemqve Deorum reliqvit. (De inunctione simulachrorum.

vide qvæ Dyonisius Wossius commentatus est in R. Mosis Maimonidæ librum de idololatria Cap. III. parag. IX. pag. 46. ut & Thomasii notas in Plinii Secundi Epistolam XXXIII. Lib. IX. pag. 682.

CAP. XXVIII.

DE EXILIO FRIDTHIOFI EXERCITIOQVE PIRATICO.



Ostqvam Helgius surrexit, linqventemqve revocavit animam, universum satellitium, & qvotqvot ad sacrificium confluxerant, ad persequendum Fridthiofum convocavit, Numinum causam agi dictitans, qvibus sceleratas manus intulisset. Verum priusqvam concurrerent, tecta universa deflagrare animadversum: pars igitur, duce Halfdano, ad sopiendam flammam conversa, pars Helgium secuta ad Fridthiofum comprehendendum effusa est. Verum ubi navium usum interceptum viderunt, paucis, qvi mari se commiserunt, demersis, aliis metu mortis ad reditum compulsis, adeò exarsit Helgius, ut de statione mentis abiisse diceretur, medioqve furore arcum tantô robore sinuabat, ut utrumqve cornu subito confringeretur. Nec minus virium specimen editurus Fridthiofus, ambobus remis, qvos simul agebat, confractis, versu raptim fusô monstraturum dixit, viribus se Helgio minimè inferiorem esse; gnarusqve Fridthiofum capi non posse, parum â litore recesserat, cum subitò exorto subsolano, Biorno, qvò cursus dirigendus esset? qværenti, rhythmo respondit; allodium suum (Odal habetur; unde allodii vox originem traxisse videtur: odal autem ab Oda / qvod aviam magnam denotat, audacter derivarem) pridem exarsisse, cui Baldrshagium, jam flagrans, qvasi parentare videatur: scire lupum in asylo se judicatum (id est, aqva igniqve sibi interdictum) proinde in Norvegia non ultra, neq; tutò, permansurum, ad piraticæ exercitium animum inclinare. Cum consilium omnibus probaretur, repente Sogniâ discedentes, insulas & promontoria lustrârunt. Æstas hoc tenore transacta; prædæ undiqve collectæ; qvas victoriæ de piratis congesserunt: mercatores autem & rusticos innoxio proventu, laboribus & industriâ parto, securè frui, remqve familiarem tutò augere permiserunt. Præcipite autumno ad Orcades in hyberna concesserunt; Reges autem Fridthiofum extra omnes ditionis suæ terminos proscripserunt, bonis omnibus in fiscum Regium redactis. Halfdano prædium Framnesia cesserat, qvod magnificè ædificari curavit; magno qvoqve sumptu, nec nisi longo tempore, restituta sunt ædificia Baldrshagii, qvorum maxima pars in favillas redacta erat. Omnium autem gravissimè Helgius idolorum jacturam tulisse perhibetur.

CAP. XXIX.

DE ACCESSU FRIDTHIOFI IN AULAM REGIS HRINGI, ET QVÆ IBI GESTA SUNT.

Integri


INtegri tres anni excurrebant, dum Fridthiofus piraticam exercuit: magna vis opum, major etiam gloriæ, brevi comparata, intermissum Vegeti cognomen resuscitabat. Imminebat qvartus autumnus, cum Fridthiofus, classe in Vikam delatus, mandavit sociis, per insequentem hyemem excubarent, piratasq; strenuè insectarentur, se verò, qvandoqvidem satietate illius exercitii teneretur, in Uplandas ad Hringum Regem, Ingibiorgemq;, veterem amicam, accessurum, actum desiderio cognoscendi status & conditionis utriusq;. Id vero Biornus, tanqvam minus prudens periculiq; plenum dissvasit; qvod Hringus, licet senio valde provectus, sagax tamen & longo rerum usu exercitatissimus esset, longè consultius ratus, classem in Sogniam dirigere, si forte Reges de improviso opprimi possent. Verum tenax propositi Fridthiofus, suoqve consilio usus, sub æstatem ut in eum locum, unde jam discederent, redeuntes se exciperent, mandavit. Ad Hringarichiam ergo profectus, vestem habitumq;, ne forte internoscere-tur, mutavit. Palliô ad talos usqve demissô vestes interiores, faciem velamento texit, senemqve ætate provectum simulavit. Incidit deinde in pastores, a qvibus viam ad Regiam edoctus est; qvò cum pervenisset, intravit, nec tamen longe â foribus locum delegit. Rex Hringus advenam, staturâ corporis aliis dissimilem, observans, Reginæ insusurravit, accessisse virum ingentem, cæteris proceritate eminentiorem. Illa nihil notatu dignum egenorum confluxu accidisse respondit. Non ademit Regi responsum illud conceptam semel â statura magnam de advena opinionem; famulum itaqve ad eum misit, jussum prodere nomen, natale solum, locumqve, ubi præcedente nocte versatus esset. Palliatus advena respondit. Thiofus (furem denotat) vocor; apud Ulfum (lupus est) noctem, qvæ præcessit, egi; in Angre vel Angria (cura & solicitudo vertitur) educatus sum. Hæc ad Regem cum famulus retulisset: Novi, inqvit, provinciæ nomen qvæ Angr nuncupatur, ad cujus nomen alludit, forsan & hic solicitudine premitur; agnosco responsum acuminis plenum, qvod virum, qvalis sit, prodit; moxqve arcessendum curavit. Ille incurvus accessit, tremulaqve voce salutavit. Rex, qvid tibi nomen, vir magne? Fridthiofus rhythmo respondens, ad nomen suum a fure deductum allusit, nam Fridthiofum (pacis furem) se dictum refert, qvoties pacem sectatus fuerit: Herthiofum (furem exercitus) cum uxores in viduas converterit, maritis eas in præliis orbando (Herthiofi nomen in Hertvig nulla ratione transiit,) Geirthiofum (veruti furem) cum verutis hostes transfixerit; Gunthiofum (belli furem) cum bella gesserit; Eythiofum (insularum furem) cum insulas populatus esset, Helthiofum (Bellonæ vel necis furem) cum infantes & tenellos hastarum vel gladiorum mucronibus sublevatos sopiverit; Valthiofum (stragis furem) cum editâ strage victor evaserit. Exinde, ait, inter salsamentarios versatus sum, indigens valde, qvoad huc perveni. Cui Rex: plurima sunt, qvæ tibi Furis nomen indiderunt, ubi verò hanc noctem peregisti? aut ubi habes domicilium? Palliatus respondit, natus sum in Angre sive Angria: animus me huc incitavit: domicilium mihi nullum est: apud Ulfum (viri nomen est, qvod & lupum significat) noctem præcedentem egi. Ad hæc Rex: in Angria (solicitudine) forte aliqvantisper fuisti educatus, altâ tamen pace natus, in sylva etiam proximè pernoctâsti, nullus enim vir in vicinia Ulfi nomine prostat; qvod autem domo carere profiteris, ea

ea forsitan præ cupidine hanc nostram invisendi tibi vilescit. Regina peregrinum aut aliud hospitium qværere jussit, aut ad inqvisitores concedere, more hospitum. Rex contra; ea jam ætate sum, ut hospitibus locum assignare probè norim. Exue pallium, inqvit, advena, locumqve mihi proximum cape. Tum Regina, deliras, inqvit, senió sensus turbante, Rex, dum mendicos â latere tuo constituis. Advena rectè & ordine Reginam dispensâsse respondit, neqve enim eum locum sibi competere, salsamentariis non principibus assveto. Rex nihilominus ut mandatis pareret jussit. Pallio itaqve exutus apparuit veste cærulea amictus, armillam illam pretiosam brachio gestans, cinctusq; baltheo argenteo admodum crasso, â qvo marsupium pendebat, â latere vero gladius; pileum pellibus subductum gerebat; facies erat villosa, parumqve lippiebat. Rex bene actum confessus, mandavit Reginæ ut ipsi tunicam ad staturam suam accommodatam suppeditaret. Regina imperio qvidem Regis se parituram affirmavit, minus tamen Furem hunc sibi placere. Accepta deniqve tunica in solio Regi ipsi assidebat. Ut vero Regina armillam, qvam gerebat, agnovit, erubescens conticuit, nec eum alloqvi sustinuit. Rex vero valde hilaris facetusqve pretiosam ejus armillam commendavit, saliqve coqvendo diu operam impendisse, priusqvam tantum lucratus fuisset, qvo illam coëmisset, dictitavit. Fridthiofus hæreditate paterna obvenisse respondit. Forte etiam plura, ait Rex, &, nisi fallor, inqvit, salsamentarios tui similes paucos dari credo. Illic hyems non sine voluptate transacta, Rege favorem & benignum affectum qvotidie declarante. Regina vero, sive amoliendæ suspicionis studio, sive castimoniæ proposito, redintegrandi per alloqvium pristini amoris occasionem præcisura, affabilitatis signa nulla præbuit. Fridthiofus de omnibus bene merendi materiam arripuit, liberalis, accessu facilis, & alloqvio blandus fuit. Ad convivium magno comitatu Rex cum Reginâ fortè profecturus explorat, an Fridthiofus comitari se, an domi remanere mallet? Cum se secuturum affirmasset, magis illud ad votum suum factum Rex testatus est. Forte lacus glacie constrictus in transitu erat, qvam transmissuro Regi minus firmam cum asseveraret Thiofus, nec tamen sisteret currus, qvo Rex Reginaqve vehebantur, perfractâ glacie in aqvas proruit. Edidit ergo Thiofus admirandum roboris specimen, qvippe currum cum eqvis Regeqve & Regina & omnibus qvæ continebantur subito in glaciem retraxit. Rex collaudato eo, virium roborisqve hîc tantum conspectum ait, ut si vel maxime Fridthiofus Vegetus afforet, plus ostensurus non fuisset, incomparabiles tales comites dictitans. Nec aliud memorabile illo convivio accidit. Ver erat, cum Hringus Thiofum ad sylvas animi gratia perlustrandas secum invitaret, plurimis licet comitantibus, Rex tamen & Thiofus seorsim progressi soli remanebant; cum Rex somnum sibi obrepere qverebatur. Thiofus rectius & ex dignitate facturum, si in reditum eum differret; qvippe indignum esse, Regem in aprico humi stratum dormire. Rex inhiberi non posse respondit, itaqve soporatus recubuit, multumqve stertens ronchos duxit. Thiofus interim ensem vagina extractum mox in distans spatium longè projicit. Post modicum tempus excitatus Rex: itane, Fridthiofe, inqvit, variæ cogitationes anxium animum hinc inde versabant, qvas consilio prudenti & magnanimitate domuisti! hinc nobiscum optatus hospes manebis, majorem fati clementiam exspectaturus, nam cum primum aulam meam ingressus esses, haut me qvis esses latuit. Fridthiofus gratias egit, optimè secum actum confessus, verum ulteriores moras socios suos,

ad præstitutum tempus propediem affuturos, non permittere. Inde domum reditum est, convivium magna pompa celebratum, publicèq; proclamatum, qvod Fridthiofus Vegetus is esset, qvi hospitio per hyemem exceptus fuerit.

CAP. XXX.

DE HRINGO, SUCCESSOREM UXORIQVE MARITUM FRIDTHIOFUM DELIGENTE, BELLO CUM SOGNIÆ REGIBUS, ET CÆDE HELGII HALFDANIQVE DEDITIONE, RESTITUTO PRIVIGNIS REGNO, ET SOGNIÆ IMPERIO ADAUCTO, EJUSQVE EX INGIBIORGE LIBERIS.



Vodam die tempore matutino, foribus cubiculi Regii pulsatis, Fridthiofus dicturum se Regi vale affirmavit, qvippe itineri accinctum. Intromissus igitur metricè gratias egit, Reginæqve armillam illam pretiosam titulo mercedis basiorum dono dedit. Rex subdridens majores gratias eam qvam se, licet minus meritam, nec affabiliorem, reportâsse testatus, mensa, iterni, edulia & præstantissima potionis genera inferri, neqve enim jejunum se eum dimissurum, utqve simul accumberent, mandavit; Regina horam nimis matutinam excusante. Qvinimo, ait Rex, omnes jentabimus; qvod & factum. Cum modicum tempus potâssent, Fridthiofo significat, cupere se ut apud se remaneat, qvòd filii sui pueri, ætate nimis tenera essent, se vero nimis profectò ad arcendos hostiles impetus, si qvis forte impugnaret, inhabilem, ideoqve ipsum militiæ se ducem delecturum; qvod ille abnuens, apobaterio tali Regem salutavit. Vive feliciter & longum, formose; vale Rex, Regum toto orbe eminentissimè, regnô conjugeqve felix esto; in posterum Ingibiorgem non accedam. Rex metricè iterum a profectione dehortatus, donum se majore munere compensaturum asseveravit, qvàm ipse vel speraret, vel optaret, uxore qvippe bonisqve suis universis. Ille vero tam immane se donum admissurum pernegavit, ni in puncto mortis constitutus hæredem se constitueret. Rex secus nec daturum testatus, ni certus esset, se cum ineluctabili morbo conflictari, jam vero de fine vitæ properè instante indubium eum se singulis tota Norvegia cujuscunqve conditionis statusqve viris præferre, uxoremqve ei rectissimè locari; ne vero fratres ejus habeant, qvo impar conjugium arguere jure possint, prætextumqve in nuptias non consentiendi, Regium etiam nomen dignitatemqve se adjecturum. Igitur Fridthiofus tam ingens incomparabileqve beneficium magno verborum honore extollens, Comitis titulo se contentum fore affirmabat. Probato consilio, regno tutoris nomine in adultam filiorum ætatem præficitur. Contractus hic, sicut cæteri fere omnes, reciproca manuum apprehensione confirmabatur. Post paucos dies Hringus exspiravit, in edito colle cum magna gaza, sicut præceperat, sepultus. Postea exeqviæ simul Hringi, & nuptiæ cum Ingibiorge magno apparatu celebratæ sunt. Administratio deinde regni suscepta felicissime, nec sine admiratione processit; qvod ut in Sogniam delatum est, miraculi instar Reges ut novitate inauditum commovit; Satrapæ nempe filium Regiæ se familiæ commiscere ausum esse. Hoc prætextu

tu bellum ei intulerunt; id cum uxori exposuisset, simulqve malle se iis regno cedere, qvàm ipsam qvocunqve modo lædere, responsum retulit, eo jam rem redactam esse, ut illum in summo honore constitutum, feliciter agere, remqve qvam optime gerere præoptaret. Jamqve accessu Biorni cum phalange classiariorum, qvos latrocinio piratico adhibuit, confirmatior, obviam iis armatus procedit. Media acie Helgius & Fridthiofus concurrebant, cominusqve pugnantem sua manu Helgium occidit; qvo peracto, niveo clypeo pacis signo sublato prælium stitit, Halfdanoqve conditionem obtulit aut mortis aut deditionis. Qvi facile animadvertens, affectis rebus suis resisti non posse, qvibus integris succubuisset, victori absq; ulla pactione se dedidit. Regnum dignitasqve adempta in præfecturam Sogniæ, satrapæqve nomen subjectionemqve desivit. Fridthiofus utrumqve adeptus Regem se Sogniæ dixit, qvoad Hringarichiam administravit, Halfdanus satrapæ titulo tributis ê Sognia colligendis adhibitus est, factaqve est inter eos imperiorum dignitatumqve & conditionum statuumqve valde inæqvalis permutatio. Cum filii Hringi maturæ ad capessendum regnum ætatis essent, regnum eis bona fide, qvàm optime administratum, reddidit. Inde in Sogniam concessit, qvam adeo florentem reddidit, ut universam Hordiam bello domitam ei subjecerit. Filios duos ex Ingibiorge susceptos decedens reliqvit, Hunthiofum & Gunnthiofum, qvi paternæ virtutis vestigiis insistentes, præclari nominis famam reliqverunt posteritati, licet acta gestaqve eorum, scriptorum penuriâ, vel posteritatis incuria, interciderint: qvæ tamen de nepotibus superant, perseqvamur.

CAP: XXXI.

DE NEPOTIBUS FRIDTHIOFI ET INGIBIORGIS, HUNTHIOFI FILIIS, PRÆCIPUE HERTHIOFO, EJUSQVE DOLO OCCISO HARALDO AGDARUM REGE, FILIOQVE VIKARE ET STARKADO STARKADI ALUDRENGI NEPOTE, CÆDE HERTHIOFI.



Unthiofus Hordiæ Rex, Fridthiofi Vegeti & Ingibiorgis Formosæ filius, tres filios reliqvit: Herthiofum nimirum, avitæ paternæqve ditionis Hordiæ hæredem, Geirthiofum Uplandarum Regem (qvo vero jure illud regnum adeptus fuerit, ambigitur, cum filii Hringi Regis, nati qvidem Ingibiorge illius avia, hæredes ejus fuerint, forte iis absq; prole mortuis, regnum ad uterinos fratres devolutum est, vi testamenti, qvo Fridthiofus à Hringo hæres fiduciarius primo, forte etiam filiis substitutus fuit, aut alio qvovis pacto) & Fridthiofum avi nomen referentem, Thelamarchiæ Regem. Omnes illi, prout tempora erant, potentes Reges, impigriqve bellatores fuerunt, licet Herthiofus cæteros præstaret, consilio præsertim & rerum gerendarum prudentiâ, diuturnarum expeditionum bellorumqve usu acqvisitâ. Agdis eo tempore præfuit Rex præpotens, nomine Haraldus, a subjecto territorio Agdicus vocatus; huic erat filius, nomine Vikar, id temporis puer, spei & expectationis magnæ. Militiæ Haraldi præfectus fuit Storvirchus Starkadi Aludrengi filius, cui mater Alfhildis, Alfi, Alfheimorum, (hodie districtûs Bahusensis) Regis filia, Raumi

 neptis,

neptis, Noris proneptis, qvam ille Dearum sacris operantem rapuerat. Hic forma conspicuus, cæsarie nigra, robore staturaqve alios præcelluit, prædo pirataqve valde famosus; deditqve illi Haraldus insulam Agdarum Thrumam, inter præcipuas territorii sui celebrem, libero jure possidendam. Is domi & militiæ tempus vicibus distingvere solebat. Onnam Frekii Halogiæ Regis filiam raptam domum devexit, ex qva filium Starkadum procreavit. Qvam contumeliam fratres virginis Fiorvius & Firvius vindicaturi, de improviso eum domi de nocte oppresserunt, domumqve subjectis facibus, unà cum sorore familiaqve omni, exusserunt, nemini egressum permittentes, veriti, ne ista occasione Storvircus elaberetur. Eadem nocte navigatione in boream directâ ad Stadas tempestate postridie obruti naufragium fecerunt, nullo superstite. Starkadus Storvirchi filius teneræ ætatis erat, cum pater excesserat; itaqve in aulam Haraldi ascitus, ibi, sed brevi tempore, educabatur, Herthiofus Hordiæ Rex Haraldum contra datam fidem securum per noctem invadens oppressit, filiumqve ejus Vikarem, plurimosqve nobilium virorum filios, & in his Starkadum Storvirchi filium, tunc trimulum, secum avexit, titulo obsidum, cum ditionem suæ potestati subjecisset, civesqve in sui obseqvium jurare compulisset, adqve tributa pendenda adegisset. In exercitu Herthiofi fuit vir qvidam, nomine Hrosshars-Granius, habitabatqve in prædio Asch sito in insula Hordiæ Fenhring dicta (hodie Aschoen / prope Bergas) hic Starkadum captum domum deduxit, novemqve annis ei educationis officia præstitit. Herthiofus, cum plurima hostilia molitus esset, multos hostes sibi comparavit, igitur ad improvisam eorum irruptionem præcavendam pyras in celsis montibus erigi curavit, custodesqve adjecit, cum mandatis, ut perspecto hostium adventu subditis de more facibus omnes ditioni suæ subditos ad signum datum armatos excirent, impetui hostium propulsando. Prædium qvoqve proprium tantum non in castelli firmitatem ædificatum munivit, & septuaginta armatorum præsidio fulsit, præter mercenariorum cæterorumqve inconditam turbam. Vikarem pyræ, in qva erat maximum momentum, qvippe in insula Fenhring exstructæ, & omnium primo incendendæ, unde reliqvis exemplum capiendum erat, tribus famulis instructum præfecit, magnâ sane incogitantiâ, periculum a capite suo avertendum committendo ei, unde jure periculum erat metuendum, id qvod exitus etiam probavit. Nam & Vikar exiguo tempore excubias egerat, cum statione decedens, in Aschum ad socium suum Starkadum invisendum exspatiatus est, duodecim tum annorum adolescentem, qvem barbatum, carbone nigriorem, fuligine oblitum, ad focum humili stratô recubantem offendit. Miratus tam ingentem tantillæ ætatis molem, erexit eum, armaqve & vestes tradidit. Inde nave sociisqve tredecim comparatis discessum, qvorum hæc sunt nomina: Sörqvius & Grottius, Haraldus, Hildegrimus, Erpus, Ulfus, Aur & Skumus, Hrocus, Hrottius Herbrandi filii, Stir & Steinthor de Stadis, & Gunnolfus Blesius, Senex item dictus. His instructus Vikar Herthiofum aggressus est, qvi qvantumvis munitionis opportunitate, numeroqve militum superior, inter qvos haut pauci strenui erant, tamen impetum eorum non sustinuit, nam per portas, effractis januis ruptisqve repagulis, castellanis neqvicqvam defendentibus, irruperunt. Primus Vikar in acie pugnam ciebat, qvem Starkadus cum selectissimis pugilibus impigrè seqvebatur, tantisperqve hostes fatigabant, donec victoriam Vikar obtineret. Herthiofus cum triginta suorum cecidit, plures etiam lethalibus vulneribus saucii, licet non in ipso conflictu, ex vulneribus

bus tamen occubuerunt ; ex Vikarianis nullus desiderabatur. Classem deinde Vikar omnem cum copiis, qvantas cogere poterat, instruxit, inqve Agdas deduxit, ubi ad eum magnus paternorum amicorum numerus actutum confluxit, ibiqve Rex Agdarum Jadriæqve omnium suffragiis creatus est. Accessit regno præmium victoriæ Hordia & Hardangria, universumqve territorium qvod possederat Herthiofus, factusqve est Rex præpotens.

CAP. XXXII.

DE GESTIS VIKARIS, BELLO CUM SISARE GEIRTHIOFOQVE THELAMARCHIÆ REGE, TANDEM ETIAM FRIDTHIOFO, VICTORIAQVE DE SINGULIS REPORTATA.



Vikar assiduus militiæ cultor, præsentis fortunæ blanditiis non contentus, in Vicham etiam exercitum duxit ; inde in Vestrogothiam escendit, ubi ingenti præda potitus, non prius substitit, qvam in lacum Vænerem pervenisset. Ibi obviam habuit Sisarem Kænugardiæ, Septentrionalis Russiæ partis, Jotunheimis proximæ, totiusqve Russiæ trientis, teste historia Hrolfi Pedestris, Regem, athletam inter præcipuos validis copiis instructum. Non aliàs majoribus animis certamen incaluit, Sisare milites Vikaris passim prosternente, donec Starchadus necessitate suorum, simul & fortitudine Sisaris, suæ prorsus æmula, provocatus se opposuit. Magna animorum, virium ictuumqve in primis validorum, contentione, prælium in longum tempus extractum est. Sisar secto Starkadi clypeo, duobus ingentibus vulneribus caput sauciavit, humerus tertio ictu dissectus est, qvartum coxa, qvintum latus hastâ bifurcatâ transfixum excepit, sed nihil horum impune ; infesto siqvidem gladio Starkadus infra genu magnum Sisari vulnus inflixit, tandem talo tenus pede mutilatum concidentemqve, nec prius qvam exanimem reliqvit ; reciprocâ utrinqve clade prælium illud memorabile fuit. Vikar superior, reliqviis hostium in fugam actis, victor domum rediit. Ibi cognovit, Geirthiofum Uplandarum Regem magnis adversus se copiis tendere fraternam cædem vindicaturum, igitur collectis singulis suæ ditionis, armis tractandis idoneis, in eum movit, priusqvàm regni terminos egressus esset. Continuos septendecim dies pugnatum est, ad ultimum occiso Geirthiofo, Uplandæ Thelamarchiaqve in provinciæ formam redactæ sunt, præfectiqve, qvi administrarent, absente Fridthiofo subornati. Hæc in Thelamarchia regno ejus gesta sunt, ipse in Agdas rediit, ibiqve pro temporum ratione satis magnificè vixit, agmine satellitum qvotidie stipatus. Deinde uxorem duxit dignam sorte sua, ex qva duos filios procreavit, Haraldum natu majorem, Nerius minor appellabatur, qvi vir factus, omnium sui seculi longe prudentissimus habitus est; nam & consilium in arena, uti dicitur, capere novit, sapientiâ tantâ, ut exinde sapientum comparatio ad eum facta fuerit; bello etiam egregius erat. Verum has tantas virtutes sordida tenacitas fædabat, nihil enim donabat, cujus eum statim non prætineret, unde tenaces ei qvoqve comparari sveverunt. Fridthiofus deinde redux, ut cædem fratrum suorum cognovit, Uplandas Vikari ereptas in potestatem redegit,

 eiqve

eiqve per legatos imperavit, ut regnum ſuum ſibi ſubmitteret, vel armis defenderet, qvi conſilio habito, legationem expoſuit. Tanta erat Fridthiofi potentia, ut diu illa conſultatio tenuerit, dubitantibus conſiliariis, qvid potiſſimum è re Regis ſui foret; ad ultimum Rex reſpondit, armis ſe tutaturum regnum. Deinde Olaſus Skignius ſeu Lynceus partis Seciæ Regulus in auxilium ſolicitatus accedebat, copiis è ſubjecta ſibi provincia undiqve contractis: conjunctis igitur viribus cum Fridthiofo concurritur. Fit ingens prælium, athletis Vikaris, qvorum potiſſimus Starchadus, Regem ſuum intrepide ſeqventibus, qvem in medias turmas, absqve lorica promiſcuè cædendo, provectum, cæteri qvoqve ſecuti, tanto impetu in Fridthiofum invecti ſunt, ut acies ejus nutare cæperit; ne igitur extrema tentaret, dum ſuos ab omni parte cædi, reliqvosqve fugam ſpectare animadvertit, pacem petivit. Suos igitur ſiſtente Vikare, Olaſus conditionum paciſqve arbiter ab utraqve parte deligitur. Fridthiofus provinciis Uplandarum & Thelamarchiæ Vikari cedere, Norvegiaqve excedere jubetur, qvi nec cunctanter conſenſit. Vikar, filio majore Haraldo Thelamarchiæ Rege creato, Nerio Uplandas Comitis titulo commiſit. Ipſe domum hac victoria valde celebris rediit. Olaſus Skignius amicè dimiſſus eſt, duravitqve eorum neceſſitudo, qvoad uterqve viveret. Acceſſione potentiæ Vikaris etiam magnificentia, athletarumqve ſelectiſſimorum numerus crevit; qvorum princeps erat Starkadus, Regi intimè dilectus, & ab eo inter omnes amicos præcipuo honore cultus, militiæqve univerſæ præfectus, conſiliorum omnium arbiter, locoqve honoratiſſimo ornatus, in qvem magna liberalitate munera conferre ſolebat, inter qvæ tres auri marcæ memorantur, conſimili munificentiæ genere â Starchado repenſæ, inſulâ nempe Thrumâ, qvam pater Regis Storvircho prius donaverat.

CAP. XXXIII.

DE EXITU VIKARIS, FABULAQVE INDE CONFICTA, TEMPORUMQVE ILLORUM CUM SVECIÆ REGUM ÆRA CONCILIATIONE.



Qvindecim annos in ſatellitio Vikaris Starkadus fuerat, cum Rex Agdis claſſe numeroſoqve milite in Hordiam moveret, qvô itinere repugnantibus ventis in holmis longo tempore morabantur. Conſultum itaqve Oraculum reſpondit, ſorte legendum è toto exercitu virum, Odino ſuſpendio ſacrificandum. Qvæ cum in Vikarem incidiſſet, mirum qvàm id procerum animos afficiebat, pro Regis ſalute, ut par erat, ſolicitos. In ſeqventem igitur diem concilium indictum, qvo religioni Regiqve ſimul conſuleretur. Simulachrum ſacrificii edi placuit, hoc tenore: Nectuntur collo Regis recens mactati vituli inteſtina, a vimine abjegnæ arboris dependentia; vice laqvei ſtipes vicinæ arboris pedibus ſuppedanei loco ſubſternitur; vicem gladii præſtat tenella arundo corpori Regio impingenda, Starchadoqve traditur, qvi præmonſtrata Regi ſupplicii forma, eum ad ſubeundum accivit. Is haut periculoſum ratus, ſi, inqvit, hoc proceſſuritus iſte peragetur, lutus ero, ſin ſecus, fortunæ ſeu fato me committo, laqveoqve collum impaicari paſſus eſt. Scenico hoc apparatu ſuperum mandatis ſatisfactum juxta ac Regiæ ſecuritati proviſum videbatur, deſivit tamen ludus in luctum, veram-

veramqve tragædiam, mimicam illam Numine & aſpernante & eludente, dum demptis præſtigiis inteſtina in catenam ferream, arundo in gladium, vimen in ſolidam arboris compagem converterentur, ſtipesqve & ſcabellum ſubitò decideret, Starkado arundinem pectori Regio adigente, cum ſolenni ſacrificantium formula: *Jam te Odino do:* Rexqve funeſtâ, non imaginariâ, morte ſopitus appareret. Saxo fabuloſam relationem arguens exponere tamen ſuſtinuit, magis probans, qvod Starkadus vimineo laqveo Regem in ſpeciem pænæ implicatum gladio trajecerit, qvem ab hoc facinore gerendorum ſeriem auſpicatum memorat, licet alia ante id tempus ſub hoc Vikare ediderit, qvæ nuper expoſui. Impulſore Odino id qvidem factum tradit, qvod licet fabulam, ſive ab ipſo Starkado velandæ facti infamiæ cauſa, ſive alio qvodam, fictam, redoleat, aſcribere tamen non pigebit, cum nihil ab eorum temporum ſive præſtigiis, ſive etiam figmentis diſſideat. Nocte illa, qvæ diem concilio deſtinatum præceſſit, Hroſsharsgranius alumnum ſuum Starkadum excitâſſe perhibetur, parvuloqve navigio in proximam inſulam deductum in conſito herbis loco, ſylva undiqve cincto conſtituiſſe, ibi magno hominum confluxu forum judiciarium celebrari viſum eſt, ſellisqve undecim judices inſidebant, duodecimâ vacuâ, qvam Hroſsharsgranius occupabat. Odinus ab omnibus ſalutatus. Hic fata Starkado omnium votis diſpenſari juſſit. Inter omnes infenſus ei perhibetur Thor, qvòd avus ejus maternus Alfus ſibi in nuptiis filiæ gigantem, odore canibus ſimilem, prætulerit, nam & inter Finnorum artes narium beneficio hoſtium veſtigia legere, haut infimum reputatur. Patet hinc confuſio Starkadorum, nam Starkadus Aludreingus, qvem hujus avum paternum Gothrici hiſtoria perhibet, unde hæc deſcripſimus, neq; ab Alfo in generum lectus eſt, neqve Alfus, ſed Frekius Halogiæ Regulus, hujus Starkadi avus maternus fuit. Huic igitur Thor ex aliâ qvavis causâ infenſus, inter fata præſcripſit, ut improlis moriens familiam ſuam finiret. Hanc ob delictum avi irrogatam pœnam mitigaturus Odinus, vitam ei ad trium humanarum ſucceſſivarum ætatum menſuram prorogavit. Singulis execrabilium operum patrandorum neceſſitatem Thor adjunxit. Odinus armaturâ omnium præſtantiſſimâ compotem futurum; Thor bonis ſoli ſeu prædiis cariturum: Odinus aliis abundaturum omnibus; Thor nunqvam tamen ad ſacietatem, pronunciavit: Odinus perpetuam in certaminibus victoriam gloriamqve largitus eſt; Thor, ſemper magnis vulneribus corruptam, addidit: Odinus etiam inexhauſtam fundendorum carminum venam; Thor cum recenſitorum oblivione conjunctam adjecit, Odinus Principum procerumq; favore & gratia inclytum futurum; Thor vulgo exoſum inviſumq; pronunciavit. In hæc fata Starkado adjudicata judices omnes communibus ſuffragiis conſenſerunt. Adeo venuſtè, ut notavit Verelius ad hunc locum, in diſpenſandis Starkadi fatis unum numen ipſi fingitur ſecundum, alterum adverſum, nemo qvippe tam iratis vel faventibus aſtris natus eſt, ut de utraq; fortuna non aliqvid participet. His peractis Hroſsharsgranius cum Starkado ſcapham repetebat, cujus formam Odinus indutus, præmii loco miniſterium ad cædem Vikaris peragendam depoſcit, promittenti gladium tradidit, arundinis ſpeciem omnibus præbiturum, qvoad cædes peracta eſſet. Atq; ita antelucanis horis in caſtra reditum eſt. Vikarsholmi inſulæ nomen remanſit, ubi Rex proditione conſiliarii ſui interiit. Infamis tanto flagitio Starkadus ex Hordia primò profugus, inde Norvegiâ excedens, in Sveciam proprio ſcelere, Regis etiam, ejusdemq; ſui, cruore

ore aſperſus pervenit, cujus patri, præter in patrem collata beneficia, etiam tenellæ ætatis, qvoad licuit, educationem, ipſi vero honores eximios, opes etiam ingentes, acceptas debuit. Eo tempore Eiricum & Alrecum Agnii filios in Svecia regnâſſe perhibent, qvibus ſuper Vikare rogitantibus leſſum ei fecit, qvo ſcelus illud ſuum valde execratus, inter ſumma flagitia, jam pœnitentiâ ductus, reputavit. Diverſus ab hoc Vikare Nerii illius pater videtur, qvi Refo Donatori rarus fautor obtigerat; Nerius enim filius ejus coævus fuit Hrolfo Krakio, qvi tempore Adelſis & Eyſteini Sveciæ Regum vixit, diſtantq; Eyſteini & horum imperiorum primordia annis circiter ducentis qvadraginta qvinqve. Starchados autem plures fuiſſe alibi demonſtrabimus. Viginti ſeptem annorum hic noſter fuit, cum Vikarem interemit, filiis ejus tum adultis, ut ſupra dictum eſt. Neqve unqvam in Norvegia poſt id tempus habitâſſe traditur, non, ut credo, metu filiorum, ſed in pœnam facti, perpetuo â patria exilio ſibi indicto. Hac narratione nihil aliud, qvàm levitas Starkadi notatur & excuſatur. Vikari primo favens adverſus Herthiofum arma ſumpſit, poſt longum tempus corruptus â nutricio Hroſsharsgranio vetere Herthiofi milite, domini cædem indignè ferente, Vikarem occidit: culpa in Deos excuſationis loco conjecta eſt. Filii Vikaris cognito parentis fato, ditionem paternam inter ſe diviſerunt. Haraldus ætatis privilegio Agdas Hordiamqve & interjacentes provincias, Nerius Uplandas cum Thelamarchia, cui Haraldus antea a patre conſtitutus præfuit, ſibi vendicavit. Nericiam præterea, Veſtrogothiæ forte qvondam annumeratam, ut placet Stiernhelmio, citante Verelio in notis, non paterna hæreditate, ſed beneficio Regis Gautrici, Comitis, ut cætera, titulo obtinuiſſe, eiqve a conſiliis fuiſſe, qvoties neceſſitas urgeret, communicandis (conſiliarium extraordinarium intelligimus) ſunt qvi perhibent.

Hic nobis lector monendus erit, neqvaqvam cum chronologia Regum Alreci & Eirici, qvam in Serie Regum Daniæ confecimus, conſiſtere, qvod Starkadus poſt cædem Vikaris, annos natus viginti ſeptem, ad eos profugerit. Illis enim natalem annum Chriſti CLXXII, regni exordio CXCII ibi dedimus. Herthiofus autem, qvi Vikaris patrem occiderat, Starkadum trimulum captum abduxerat, a Fornioto, qvi Odino ſynchronus erat, decimus qvartus; a Nore vero, qvem anno Chriſti triceſimo natum ſtatuimus, nonus, recto tramite deſcendit. Nos ponamus Herthiofum id temporis annos viginti natum. Jam verò conſtat Starkadum poſt elapſos inde viginti qvatuor annos, ad Reges Alrecum & Eiricum, tanqvam ad aram confugiſſe; id duodecimo imperii eorum anno factum ſtatuimus, qvi eſt æræ Chriſtinæ CCIV. â qvibus duos & qvadraginta annos ætatem Herthiofi & Starkadi ſi ſubduxerimus, natus erit Herthiofus anno Chriſti CLXII. Ab his trigeſimus annus, qvi Noris natalis eſt, ſubductus, relinqvit novem generationibus annos centum triginta, duos qvi inter omnes generantes diviſi, ſingulos, annos natos qvatuordecim, parentes faciunt. Id cum abſurditate non careat, ſexaginta duo ab ætate Aunii Annoſi, & imperii ejus periodo qvinqvaginta qvatuor anni detrahendi ſunt, inqve novem ſuperiores diſtribuendi, non habita ratione fabulæ de filiorum victimis, provinciiſqve ab iis denominatis, qvam Snorrius affert. Hac ratione Alreci & Eirici anni ad Fridthiofi ætatem deprimendi ſunt; mox Regum Daniæ chronologia cum his concilianda, ut trium regnorum principum tempora inter ſe concordent; nos enim in Serie Regum Daniæ, Daniæ Sveciæqve Regum tempora digeſſimus, ſine ullo reſpectu ad Norvegos. Auſpicabimur itaqve a Visbure, qvi Noris amitinus erat.

Illum

Illum anno Christi XXXVIII. natum, sceptris admotum ponimus XLVIII. ætatis X. procreaverit Domaldum anno Christi LXX, ætatis XXXII, regnaverit annos L, decesseritqve anno Christi XCVIII. ætatis LX.

Domaldus natus anno Christi LXX, cæperit regnare anno Christi XCVIII. ætatis XXVIII, genuerit Domarem anno ætatis XXXVIII. Christi CVIII, imperaverit annos XXXII, mortuus anno Christi CXXX. ætatis LX.

Domar natus anno Christi CVIII, regimini admotus ponitur anno Chr. CXXX. ætatis XXII, procreaverit Dyggvium anno ætatis XLVII. Christi CLV, imperaverit annos XXXII, mortuus anno Christi CLXII. ætatis LIV.

Dyggvius natus anno Christi CLV, patri successerit anno CLXII, ætatis VII, procreaverit Dagum anno Christi CLXX. ætatis XV, regnaverit annos XXVIII, decesserit anno Christi CXC. ætatis XXXV.

Dagus natus annoChristi CLXX cæperit regnare anno Christi CXC. ætatis XX, genuerit Agnium anno Christi CXC. ætatis XX, imperaverit annos XXX, mortuus anno Christi CCXX. ætatis L.

Agnius natus anno Christi CXC, regno admotus erit anno Christi CCXX. ætatis XXX, Alrecum procreaverit anno Christi CCXL. ætatis L, regno præfuerit XL. annis, mortuus anno Christi CCLX. ætatis LXX.

Alrecus natus anno Christi CCXL, regnare cæperit anno Christi CCLX. ætatis XX, genuerit Yngvium eodem anno, imperaverit annos XX, decesseritqve anno Christi CCLXXX. ætatis XL. Cum hoc Alreco Eiricus frater in Svecia regnavit, qvibus hic noster Starkadus militavit.

Yngvius natus anno Christi CCLX, regnum occupaverit anno Chr. CCLXXX. ætatis XX, eodem anno Jorundum genuerit, annos autem XX. regnaverit, mortuus anno Christi CCC. ætatis XL.

Jorundum Yngvio patre procreatum statuimus anno Chr. CCLXXX, regni gubernacula susceperit anno Christi CCC, ætatis XX, eodem anno Aunium procreaverit, regnaverit annos duodecim decesseeritqve anno Christi CCCXII. ætatis XXXII.

Aunium Grandævum anno Christi CCC. natum esse statuimus; regnare cæperit anno Christi CCCXII. ætatis XII, progenuerit Eigilem Tunnicidam anno Christi CD. ætatis C. Imperii illius tempus CXXXVI. annos duraverit, vitæqve periodus CXLVIII, atqve ea ratione mortuus erit Christi CDXLVIII.

His jam Regum Daniæ annos aptaturi à Frodio Secundo auspicabimur.

Illum natum anno Christi XLIV. statuimus, successerit patri anno ætatis XV. Christi LIX, procreaverit Vermundum Sapientem anno ætatis XXVIII. Christi LXXII, regnaverit annos XXVIII, decesseritqve anno LXXXVII. ætatis XLIII.

Vermundum Sapientem natum anno Christi LXXII, regno admotum ponimus anno Christi LXXXVII. ætatis XV. Olafum Mansvetum genuerit anno Christi CXXII. ætatis L, regno præfuerit LIII. annos, decesserit anno Christi CXL. ætatis LXVIII.

Olafus Mansvetus natus anno Christi CXXII. cæperit regnare CXL, ætatis XVIII, genuerit Danum Magnificum anno ætatis L Ch. CLXXII, regnaverit annos L, decesseritqve anno Christi CXC. ætatis LXVIII.

Danus Magnificus natus anno Christi CLXXII, patri successerit anno Christi CXC. ætatis X. Frodium Tranqvillum genuerit anno Christi CCXXVII. ætatis LV. regnaverit LXXX. annis, decesseritqve anno ætatis XCVIII. Christi CCLXX.

Frodium Tranqvillum seu III. anno Christi CCXXVII. natum, patri successisse statuimus anno Christi CCLXX. ætatis XLIII, procreaverit Halfdanum I. anno ætatis XXXV. Christi CCLXII. Fridleifum vero III. anno ætatis XLVII. Christi CCLXXIV, imperaverit annos XL. mortuus anno Christi CCCX ætatis LXXXIII.

Halfdanum I. anno Christi CCLXII. natum esse statuimus, præfuisse Svecis X. annos, ibiqve ad regimen pervenisse anno Christi CCCXIV. ætatis LII. mortuus itaqve erit anno ætatis LXII. Christi CCCXXIV.

Fridleifus III. Halfdani frater, natus anno Christi CCLXXIV. patri in regno Daniæ successerit anno Chr. CCCX. ætatis XXVI, genuerit Olium Vegetum anno Christi CCCXII, ætatis XXVIII. Frodium autem IV. anno Christi CCCL. ætatis LXXVI, regnaverit annos XLVIII. decesseritqve anno Christi CCCVIII. ætatis LXXXIV.

Olius Vegetus natus anno Christi CCCXII, ad Sveciæ regnum pervenerit anno Christi CCCXXXIV, ætatis XXII. præfueritqve X annis, â Starkado vero occisum anno Christi CCCXLIV. ætatis XXXII. conjectamus.

Frodius IV natus anno Christi CCCL, octennem ad sceptra pervenisse ponimus, anno videlicet Christi CCCLVII, fuisseqve annorum XXXVIII cum Ingialdus ei nasceretur, anno Christi CCCLXXXVIII, imperasse annos XLIX, decessisseqve anno Christi CDVII. ætatis LVII.

Ad Aunium qvod attinet, ecqvis qvæso crediderit, capularem senem, integrum decennium lecto non egressum, in tantum authoritate valuisse, ut pro lubitu filios, jam viros, qvosdam etiam senes, pro vita sua, regno subditisqve non solum inutili, sed etiam noxia, imò erubescenda, cum arbitrio Tunnii servi obnoxii essent, proroganda, aris mactandos admovere posset, neminemqve illorum, vel parentis nece, se ab imminente periculo liberare ausum, si vel maxime concesserimus, senatores & Ordines regni id ei permisisse, qvod tamen qvid absurditatis habeat, nemo non videt. Certe eum, qvi infantum lactantium more ex cornu potum exsugeret, vocem simul & rationis usum defecisse oportet, ut nec qvid ipse præciperet, vel confuse cognosceret, qvod si aulici ministri sub umbra ejus vim omnem imperii ad se traxerunt, id diu consistere neqvibat, neqve enim populus aut Ordines regni, aspectu Regis tam longo tempore carere poterant. Certe, ut tunc mores erant, judiciis præsidere, omnium qverelas audire, omniaqve regni munia obire tenebatur. Qvod si se illis conspiciendum permisisset, an umbram illam, aut verius larvam, adorâssent, illiqve vitam suam fortunasqve ulterius regendas permisissent? Certè Dani, Regis sui, omnis memoriæ bellicosissimi, Haraldi Hillditanni, nimiæ senectutis pertæsi, agitabant, eum, ut imperio inutilem, de medio tollere. Taceo qvòd post ætatis annum CL. non videatur idoneus proli progenerandæ, eo tamen provectum oportet, si successor Eigill tum sexagenarius fuisset, cum ille exspiraret; qvem si juniorem statuimus, seniorem patrem eum qvoqve procreasse unà erit concedendum.

CAP. XXXIV.

DE IIS QVÆ DE GAUTRECO ANTIQVITAS CONFUSE TRADIDIT, ET PRIMO DE EJUS PARENTIBUS: QVI PRIMUS ID NOMEN GESSERIT.



IN Nerio Vikaris filio præcedens caput finivimus, eumqve Gautreco Vestrogothiæ Regi a consiliis fuisse retulimus; par igitur est, ut qvid de hoc Gautreco antiqvitas, licet confusè, nobis reliqvit, heic exponamus. Patre Gautio, matre Snotra, Skapnartungæ coloni, familiam segregem in abdita silva & avia solitudine sustentantis, filiâ procreatus est. Is dum feras forte persequeretur, dulcedine venandi longius productus, â suis aberrans, in villam illam solus, imminentibus tenebris, incidit, deprehenditqve familiam ab hominum commercio alienam, in summa simplicitate vitam transigentem, qvæ, qvoties vitæ satietate teneretur, fatum occupavit. Rupes erat Gillingshamar dicta, prope qvam saxum Ætternisstapi / a familia sic dictum: inde se in mare rectà, ut credebant, ad Valhallam seu Odini aulam, viâ, præcipites dare solebant. Erat tamen inter illos imperii domestici certa ratio; nam pater familiæ præerat, uxor liberiqve in ejus potestate, libertate â servo distingvebantur, cui aditus ad Odini aulam per hanc mortem, qvantumvis violentam, Odino pariter cum cæde occumbentium acceptam, sine intercessione patrisfamilias præclusus credebatur. Eò delatus Gautius, domestici canis latratum secutus, virum ante fores ligna cædentem offendit; qvi advenam ægre ferens, canem in pænam indicii proditiqve hospitibus tugurii occidit, veritus ne magnæ staturæ vir, omnia cibaria unicâ cæna abliguririt; mox ingressu Regem neqvicqvam prohibiturus, viribus inferior cessit robustiori. Rex repulsô servô facilè in ædes irrupit, offenditqve senem cum robustis tribus filiis totidemqve filiabus & uxore, nec qvisqvam eorum eum salute dignatus est. Pater autem familias servum affatus, cur hospitem admiserit? interrogavit; qvod viribus prævaluerit, respondit; qvid igitur, ait, egisti, cum canis latraret? occidi eum, nolui enim tales helluones, qvalis hic videtur, sæpius ab eo huc deduci, regessit. Tum rusticus, evge, fide serve, qvantumvis successu frustratus sis, præmium tamen, & qvidem crastinâ luce, dignũ hac industriâ reportabis, mecum namqve vades, nostramqve domum ædibus splendidis ornatam, familiâ hominum eximiis corporibus conspicuorum instructam, invises. Apponebatur deinde cibus, nec qvisqvam Regem invitavit, is tamen non vocatus accubuit & intrepidè cænabat. Expavescebat Skapnartunga, bardocucullíqve parte, qvâ caput tegebat, oculos velavit, ne eduliorum jacturâ irritati animum nimium exulcerarent. Finita cænâ, velamento sublato, vacuas jam patinas ut reservarent (neqve enim reliqvias superesse) mandavit; exinde cubitum itum, nec Rex acqviescere dubitabat. Eadem nocte filia familias, nomine Snotra, eum accessit, suam, si qvâ indigeret, operam liberaliter offerens; vetabat hospitii mores mirari, cum nemo eorum hospitem unqvam vidisset. Rege respondente, posse se, cum domum redierit, impensas patrifamilias rependere; aliam respondit filia sortem illi exspectandam; qvàm emolumentum ex illius liberalitate; seqventi qvippe die eum bona omnia inter libe-

ros divifurum, deinde cum uxore & fervo e rupe gentili fe in mare præcipitaturum, adqve Odinum majoresqve fuos migraturum, qvi confimile mortis genus ê præcipitio ruentes mortẽ oppetere foliti fint, qvoties metus vel famis, vel incommodi alicujus obrepfiffet, neqve enim illis opus effe cum ejusmodi malis confligari, qvæ beatiffimâ morte, perpetuâqve exinde voluptate eluctari licuerit; in præmium verò fidei fervum in focietatem hujus gaudii fecum accepturum, cum fciat Odinum ei extra fuum comitatum haut obviam proceffurum: nomen autem patri fuo Skapnartunga, matri Totra, qvod pannofa femper effet, fratrum autem primum Fiolmodium, fecundum Ymfigulem, tertium Gillingum, forores Hiötram & Tötram (larvatas denotat) fe vero Snotram, qvòd reliqvis cultior effet, vocari retulit; mirari autem Regem excalceatum, lacerâ vefte ad tugurium fuum delatum; inter vepres qvippe & dumeta, cum cervum hafta transfixum perfeqveretur, & calceos amifit, & veftes laceravit. Rex virginem lecto receptam compreffit, filioqve nomen ex fuo errore, qvô eò in devia delatus eft, indi juffit, Gautrecumqve vocari. Iftum autem Odini Upfalenfis nepotem non fuiffe, præter allatas rationes, etiam relatio Snotræ evincit, qvæ majores fuos præcipiti faltu e rupe ad Odinum defcendere folitos memorat, avô autem vel proavô majorum feriem cenfitam vix credo; Gautreci tamen illam notationem non huic Gautreco, de qvo nunc agitur, qvem feculo æræ Chriftianæ tertio vixiffe ftatuimus, fed alii fuperioris ævi, applicandam cenfeo, qvæ deinde huic confufè aptata videtur. Eundem eventum fata Skapnartungæ, qvem filia prædixit, fortita funt, omnisqve familia, fratres, fororum propriarum mariti, cum conjugibus, præter folam Snotram, Gautrecumqve, eo mortis genere interiit. Gautrecus autem cum matre ad Regem Gautium profecti exceptiqve funt, patrisqve teftamento, confentientibus civibus, Gautrecus Rex conftitutus eft.

CAP. XXXV.


DE REFO QVODAM REINERIS FILIO, AMENTIAM SIMULANTE.



DUxit Gautrecus Alfhildem Haraldi Regis Vandaliæ filiam, ex qvâ filiam progenuit, nomine Helgam; nec plures ex illo conjugio liberos habuiffe memoratur; munificentiâ omnes fui feculi principes, ipforum Regum de hac virtutis palmâ certantium judicio, fuperabat; cujus documentum in Refo qvodam, ab acceptis poftea muneribus cognomen fortito, dedit. Fuit ifte Refus Reineris ruftici divitis filius, qvi incoluit infulam Sidam, provinciam Jadriam â Septentrione fpectantem. Plures qvidem inter Jadriam infulæ intercedunt, & hanc, qvæ hodie Syra / alias Utfyra / qvod extima fit illo fitu infula, nomen tamen haudqvaqvam abludit, neqve enim alia illo tractu vel fimile nomen obtinet, fitus etiam nomini favet, cum tanqvam latus reliqvis objiciatur, præcipue huic noftræ Kormti, cui proximè adjacet, a qvo milliari tantum diftat, breviffimo trajectu. Inter piratarum præcipuos Reiner fuit, anteqvam qvietiore vitâ armorum ftudium mutaret. Diffimilis illi filius erat, culinam & carbones amans, cortices & virgas mandere confvetus, nec manus lavare, aut fordes abluere, aut utilem ulli operam navare fuftinuit, famamqve nominis fui, non ingenuo

ingenuô homine, dignis artibus, ſed torpore inertiâqve latè ſparſit, omnibusqve paſſim ludibrio fuit. Inſaniam illam degenerantis animi vel eo nomine pater ægriùs tulit, qvòd hunc unicum totius familiæ omniumqve bonorum hæredem haberet. Res præ cæteris cara fuit illi bos miranda magnitudine ac ſpecie, qvem ingentia cornua decorabant, qvæ arte ſculpta, apices auro argentoqve incruſtatos oſtentabant; catena argentea tribus annulis aureis diſtincta utrumqve connectebat, tantamqve curam illius gerebat, ut ſine cuſtode vagari nunqvam permitteret, prudenter id qvidem ad occaſionem furti præripiendam. Forte Reiner culinam ingreſſus, ad proſtrati circa focum filii pedes nutabat, valdè igitur excandeſcens liberius eum increpavit, juſſitqve patria domo excedere, nec in ſuum conſpectum, ante mutatos in melius mores, redire. Refus reſpondit, qvandoqvidem ſe domo exturbaret, haut iniqvum videri, ut rem ſibi cariſſimam comitem qvoqve exilii fieri pateretur. Pater, nullam ſibi ſuppetere tam caram ait, qvam in id impendere gravaretur, ut is conſpectui ſuo eximeretur, utpote totius familiæ propudium. Paucis interjectis diebus abiit, aſſumpto ſecum bove, qvem ad navem alligavit, remisqve nixus ad continentem pervenit. Fuit ſtatura magna, roboreqve eximio; veſtis ei pallium, ſed curtum, & femoralia ad talos usqve demiſſa. Jadriam permenſus, recta ad Uplandas bovem ſecum ducens tetendit, nec prius deſtitit, qvam ad prædium, ubi habitabat Comes Nerius, Vikaris Regis filius, pervenit; nam & inter parentes eorum familiaritas interceſſit, Reinere militiam Vikaris aſſiduè ſecuto. Refi bovisqve fama ubiqve increbuit, ſtatim igitur agnitus eſt ab aulicis, qvi Comiti retulerunt, adeſſe Refum Reineris filium, celebrem fatuum, bovemqve eum famoſum ſecum ducere. Comes eum ſubſannari vetuit. Refus fores accedens ubi conſidere Comes conſveverat, janitoribus mandavit, ut eum ad alloqvium ſuum accirent, qvod illi irridentes ad Comitem retulerunt; qvi ſe ad eum acceſſurum renuntiare juſſit; nec longâ morâ interjectâ egreſſus, qvid ei negotii eſſet? percontatus eſt. Is patrem ſe penatibus exegiſſe retulit; eſſe tamen ſibi bovem, qvem ei donare decreverit. Comes num fando audiverit, qvod omnia munera tædio remunerandi averſaretur, qvæſivit. Ille notam ſatis tenacitatem ejus teſtatus eſt, nec munus remunerationi deſtinâſſe, qvod verbis impenſè rependi poſſit (ex hoc Nerio, ejusqve ſordidâ tenacitate, proverbium invaluit, etiamnum in Islandia ſuperſtes, ut ſordidi Evcliones inſignes Nerii dicantur). Movit Comitem & parentum neceſſitudo, & juvenis in virtute ſua fiducia, qvòdqve longè alio ingenio animadverteret, qvàm cujus ſimulationem induerat; itaqve hac conditione donum ſe accepturum pronunciavit, adqve hoſpitium nocturnum invitabat, veſtemqve decentem ei exhibendam curavit. Tum demum Refus, ablutis ſordibus, cultiore habitu aſſumpto, ſatis conſpicuus apparebat.

CAP: XXXVI.
DE REGUM GAUTRICI, ELLÆ ET HROLFI KRAKII PROFUSA IN REFUM LIBERALITATE.



Niverſæ Comitis aulæ parietes, clypeis ſe invicem excipientibus ornabantur, unum inde deſumptum eumqve inauratum Refo donavit; verum cum inter prandium locum

qvem tegebat vacuum conſpexiſſet, ſtatim doni pænituit, rhythmumqve edidit, qvo repente ſe egenum futurum qverebatur, ſi clypeos plures donaret, eòqve pænitentiæ proceſſit, ut ſolium in aliam partem converteret, ne vacui loci conſpectus ægritudinem ſæpius incuteret. Qvod ut Refus animadvertit, Comitem acceſſit, bonoqve animo eſſe juſſit, nam clypeum ſe ei iterum donaturum, neqve enim uſui ſibi fore, armaturâ reliqvâ deſtituto, affirmabat. Comes impenſè gratiis actis recepturum ſe reſpondit; repleri enim lacunam reſtitutione clypei, magno aulæ ornamento; eſſe tamen rem, qvam ſine detrimento donare poſſit, licet ei parvi momenti videretur, nec tamen omni prorſus uſu deſtitutam, cotemqve ei porrexit. Refus uſum ejus ſe neſcire teſtatus, reſponſum retulit; otioſos homines oneri ſibi eſſe, ideoqve ſe ad Regem Gautrecum eum cum illa ablegaturum. Refus negabat ſe legationibus ad Principes vel idoneum, vel aſſvetum, neqve qvid ſibi cos ad Regem deferenda conduceret, conſtare. Nerius fruſtra ſuam prudentiam decantari, ni ultra captum ejus ſaperet, nec legationem arduam futuram, utpote ſine colloqvio Regis peragendam. Deceſſit per idem tempus Regina, Gautreci uxor, qvam maritus valde lugebat, remedium deſiderio, tumulum ubi condita eſt, adhibuit; ibi præſentiâ ejus ſe exhilarans, tempus ſemper ſolus, accipitres exercendo, fallere ſolebat, qvos longioris moræ tædio procedente tempore pigreſcere ſolitos, jactu lapillorum, & his deficientibus eorum, qvæ circa collegerat, torpentes excitabat. Hæc Nerius Refo retulit. Tu vero, inqvit, collem pone Regem aſcendes, intentus in occaſionem, cum miſſilia Regem deficiunt, inqve reqvirentis manum cotem repones, recipiesqve ſi qvid reddiderit, receptôqve redibis. Nihil ex mandatis transgreſſus juvenis, pretioſum annulum a Rege ſibi porrectum, detractum brachio, poneqve tergum extenſum reportavit, id qvod poſtea munificentiæ laudem auxit, vulgatô qvod fontes liberalitatis omnibus absqve diſcrimine paterent, qvos tamen brevi exhauſtos, deficiente venâ, prorſus exſiccari oporteret, ſi promiſcuo fluxu in cives, peregrinos, nobiles & ignobiles, ingenuos & ſervos, pariter derivarentur. Reverſus tanto ſucceſſu ad Comitem, benignè accipitur, hyemeqve illius, qvantumvis ad rem attenti, liberalitate ſumptibusqve tranſactâ in Angliam, illo conſulente, transfretat. Regiqve Ellæ providâ liberalitate annulum donat, qvi ut hominem peregrinum, veſte armisqve ſatis cultum, cognovit, unde ipſi tam pretioſa res? rogavit. Cognito deinde fortuitum Regis Gautreci munus, ſubminiſtratæ cotis præmium, tantæ liberalitatis monumentum, ut præclarum exemplum & imitationis invitamentum, alacriter accepit, addito præconio, qvô munificentiæ palmam ipſi adjudicavit, qvòd lapides auro rependeret, Refumqve, ut apud ſe permaneret, invitavit; qvo reditum ad nutricium neceſſarium excuſante, ut moras aliqvantiſper necteret, perpulit. Deinde navem mercibus idoneis onuſtam nautisqve inſtructam donavit, præfatus, ſe haut permiſſurum, ut conductoriâ in poſterum uti ei neceſſarium foret, neqve tamen ſe Gautrecum adæqvare confeſſus eſt, qvi cotem aurô remuneraret. Sub diſceſſum catulos duos melitæos, aureis millis, qvos annuli argentei aureiqve interſecabant, ornatos adjecit, magni pretii, nec in eo genere aliud præſtantius viſum eſt, benigneqve dimiſit. Ille haut minore alacritate receptis muneribus ad Comitem ſub hyemem rediit. Is adventum gratulatus, obviam ei proceſſit, honorificèqve exceptum ad hyemem cum univerſo famulitio ſecum tranſigendam invitavit, nam & complures famulos

los assumpserat. Refus agnitâ benevolentiâ propriis se sumptibus sustentari jam posse respondit, id qvod Comes haudqvaqvam permisit, neqve tamen hoc officio bovem compensatum adjecit. Refus solam bovis mentionem, sæpius ab eo injectam, sibi displicere qvestus est. Sub exitum hyemis Comes pro more eum rogavit, qvid ultra proposuerit? Qvi consilii se haut expertem, opibus, sive ad mercaturam, sive militiam affluentibus, respondit. Comes qvæstuosam liberalitatem ulterius extendendam ratus, ad Hrolfum Krakium Daniæ Regem, seculi sui apicem, amandavit; qvò cum pervenisset, simul ac Refi nomen interrogatus professus erat (jam enim famâ etiam Regibus innotuit) an is, qvi Munificus appellaretur? qvæsivit. Ille dona qvidem se accepisse a principibus, interdum etiam donâsse, respondit; ne verò diffideret, esse præsentes catellos, muneri ipsi destinatos. Qvibus aspectis, qvæsivit Rex, qvinam tam pretioso dono eum ornaverit? Ella, inqvit, in Anglia. Tum vero Rex ulterius percontatus; qvo munere, inqvit, id meruisti? annulo aureo; cujus dono? Gautreci Vestrogothiæ Regis; qvo provocati? coticulâ, respondit. Omnes qvidem, ait Rex, liberalitate excludit, qvi lapides auro remunerat, catellosqve se accepturum inqviens, ut secum maneret, invitavit. Reditum obtendens Refus, navem optimis mercibus nautisqve, pariter ut ab Ella Rege, instructam, insuper singularis artificii galeam loricamqve auro cælaturâqve eximiâ meruit; atqve ita duabus navibus instructus ad Comitem rediit: ibi nautæ universi cum ipso, Refo neqvicqvam obnitente, ejus impensis proximâ hyeme sustentabantur, Comite ne sic qvidem bovem repensum qviritante.

CAP. XXXVII.

DE PERICULO REFI, FORTUNÆ BENEFICIO SUPERATO, INCREDIBILIQVE OLAFI PIRATICI REGIS IN EO PROMOVENDO STUDIO, ET OMNEM FIDEM SUPERANTE SUCCESSU, COMITIS NERII REFIQVE EXITU.



TRansacta hyeme Comes qvò consilia sua dirigeret, sciscitatus, ut sibi curam eorum commissam cognovit; experire, inqvit, fortunam, nam Olafus qvidam maritimus Rex, valdè strenuus, octoginta prædatoriis navibus per hyemes perinde ac æstates excubat, nauticorum Regum celeberrimus: huic tu galeam loricamqve donabis; qvæ si accipit, pretium eligere jubebit; petes autem imperium totius classis ad dies qvatuordecim, cum potestate dirigendi qvocunqve libuerit; verùm cavebis a consiliario ejus Refnere, viro malo; cum cujus ingenio pravo & fascinato fortunæ tuæ certandum erit, fatoqve eventus committendus. Impetrato classis usu, huc navigandum erit, experimentumqve faciendum, num bos qvondam donatus rependi possit. Refus crebram nimis mentionem ejus fieri qvestus, salubribus ejus mandatis paruit. Ut verò Olafus oblata munera vidit, tantùm abesse confessus est, ut talia unqvam viderit, ut ne famâ unqvam perceperit. Cognitaqve munerum ultro citroqve datorum serie, omnibus impensè laudatis, Gautrecum tamen prætulit,

tulit, conversusqve ad consiliarium, num sibi munera isthæc accipienda essent? qvæsivit: minimè, inqvit, si rependere nescis. Deinde utroqve arrepto in mare prosiluit, præsentem jacturam prævidens. Refus audacter eum perseqvitur, confliguntqve sub aqvis. Tandem emergens Refus, loricam, amissâ casside, affectis viribus retulit. Refner in furorem versus de statione mentis vitæqve excessisse traditur. Refus donum, licet haut integrum, offerre se, tamen magis pro præsenti statu, qvàm voto, professus; pares gratias retulit, ac si integrum fuisset, Rege voluntatem donantis, non casum, spectandam asserente, sibiqve damnum, qvod incidit, ascribente, eo qvod utrumqve oblatum tantisper accipere distulisset, qvoad maligni viri consilia cognosceret; laudataqve Refi fortitudine, eum virum acerrimum pronunciavit, factaqve potestate rei alicujus expetendæ, usum classis ad præfinitum tempus elegit, impetravitqve, universamqve in Gothiam non procul â domo nutritii deduxit, ipsumqve occulto nuncio excitum, de iis qvæ fieri vellet consulit. Ille se adnixurum pollicetur, ut Rex se præsente tam prope accedat, ut mutuas voces uterqve asseqvatur, se autem pacis conditiones, tanqvam ab ipso præscriptas, jamqve belli calamitatum impendentium minis impensius urgendas & extorqvendas propositurum; agi namqve de universa ejus fortunâ, se enim eum filiæ nuptiis Gautreco generum destinâsse. His consiliis cum Refo communicatis, Comes ad Regem sine mora profectus, media nocte eum excivit, professus periculum præsens, unde haut tutum esset effugium, ei se annunciare, qvod ab immodica classe, intra fines ejus receptâ, immineret: Regi ducem reqvirenti respondit, esse qvem minimè putaret, qvemqve sibi rebellem & refractarium unqvam futurum, nemo post tanta beneficia crediderit, Refum nempe alumnum suum, Regi repente hostem, suiqve contemptorem factum. Rex haut tam subito occaluisse videri, qvin ab eo se magnam partem flecti pateretur: colligendum undiqve, qvantum subita perturbatio patiatur, militem, armaqve armis opponenda respondit. Nerius, vereri se, ne prius ager omnis, & præsertim suus Comitatus, ut proximus, vastaretur, qvam resisti posset, malle se cum pacis conditionibus ad eum proficisci, ne vero mora longior obstet, placere ut Rex ipse præsens propositas conditiones vel probet vel improbet. Profectus igitur ad naves Comes, e litore alumnum inclamavit, ejusqve impudentiam verbis execratus, qvod suam Regisqve ditionem necessitudinis immemor oppugnare non vereretur; se vero haut perinde ejus, atqve eum sui oblitum, etiam conditiones pacis, modo earum copia fiat, non modo cum illo initurum, sed ultro etiam, easqve honorificas, consentiente Rege oblaturum; neqve enim se dubitare, ingentia qvæqve pro dignitate sua familiæqve postulaturum, cum avo materno ejusdem nominis, Comite & ipso, patre vero milite strenuo pugileqve prognatus sit. Refus conditiones eum proponere jussit. Ille vilibus haut exasperandum crudele ingenium simulans, Comitatum suum, qvem beneficio Regis habeat, filiamqve Regis uxorem, tantarum impensarum mercedem exposci divinabat. Refus recte eum & providè desideria sua concepisse, hanc unicam componendæ pacis viam fore. Conversus igitur ad Regem Comes, instans periculum, & qvæ peterentur, extorqveri majori Regis civiumqve detrimento, dedecoreqve captivæ filiæ posse disseruit; nec affinitatem Refi aspernandam, viri Comitibus orti, magnâqve jam rerum experientiâ clari, valdeqve ad obeunda regni munia senectutemqve ejus sublevandam idonei. Rex

classe

classe militumqve numero conspecto, præcisam avertendæ imminentis cladis, damniqve irreparabilis occasionem cernens, pacem his conditionibus jurejurando firmatis, redemit, atqve ita domum rediit. Tantam prudentiam, vel potius astutiam, Rex Olafus admiratus, maximè verò qvòd præter opinionem ipse tantas res promoverit, cum integrâ classe discessit. Liberatus hoc metu Gautrecus, licet astu se circumventum sacramentumqve necessitate fraudeqve inopina expressum qvereretur, rescindere tamen passus non est, Deos prius qvàm homines offendi ratus, qvos in testimonium datæ fidei adhibitos eluserit. Tanta in ethnico homine religionis numinisqve reverentia fuit. Deinde nuptiæ magno apparatu celebratæ sunt, Refus & affinitate Regia & Comitis dignitate illustris factus. Tum demum Nerius bovem rependisse, non tamen ex omni parte, visus sibi est; nam tantò se inferiorem in rependendo agnovit, qvantò opulentior esset post redditum pretium, qvàm erat Refus post donationem, cui nihil præterea suppetebat; donum enim remunerationemqve non ex magnitudine sui, sed utriusqve conditione æstimabat. Hactenus illa relatio, cui qvantum fidei habendum sit, cordatus lector ipse viderit; ego certè, cur Refus, claro qvidem genere ortus, insanum, complurium illis temporibus more, se ostentaverit, nulla cogente necessitate, non video. Longè alia Bruti & (si fidem meretur,) Amlodii ratio fuit. Nec qvid Nerium ad sordidæ tenacitatis simulationem impulerit, cum tanta in Refo profusæ liberalitatis documenta deinceps dederit, nisi qvòd majorem laudem ex simulata, sed repentinâ munificentiâ castigatâ, qvàm ex temperatâ liberalitate qvæsiverit. Neqve Refus, neqve Nerius diu superfuerunt, hic etiam repentina morte sublatus memoratur, cui justa magnifica Gautrecus pro amplitudine dignitatis fecit, qvi interea vergente in senium ætate orbatus genero consiliarioqve, regni administrationem magis qvàm in publicum conduceret, intermiserat. Igitur ab amicis exoratus, ad novum conjugium animum adjecit, duxitqve filiam baronis prædivitis Sogniæ, nomine Thoreris, Olufam, conspicuæ formæ famæqve virginem, qvam alter extraneus, titulo Rex, nomine Olafus, ætate juvenis, ambiebat; verum virginis judicio, cui eligendi potestatem pater fecerat, posthabitus, cui vicinitas, nominis celebritas, & gestorum gloria juvenili ætate potior fuit. Ex hac nati sunt Ketill, cognomento Kregda, Vestrogothiæ Russiæqve septentrionalis, & Hrolfus, Vestrogothiæ primum, deinde, ut volunt, Sveciæ, Reges, qvorum vitas publici juris factas, notisqve Clar: Verelii, Antiqvitatum Svedicarum qvondam professoris, illustratas, qvi volet, inspicere poterit. Ego certe inter summos Sveciæ Monarchas neqve illum, neqve filium Eiricum, qvantumvis historiâ obtrudente, agnosco, uti nec inter provinciales fuisse abnuo.

Ut ad Gautrecum redeam, diversos hic confundi, vel æra Ingialdi Astuti Sveciæ Regis persvaserit, qvem nostro calculo circa annum DXL Gauthildem Algauti filiam, Gautreci neptem, uxorem duxisse Snorrius author est, qvod optimè convenit cum illius Gautreci ætate, qvi Ellæ Australium Saxonum Regi æqvalis vixit; nam imperii illius annis CDLXXXVIII & DXIV includitur, convenitqve cum ætate Hrolfi Krakii. Inter Gautrecum autem, qvi statim post Alreci & Eirici Regum tempora vixit, & Ingialdum undecim generationes & anni circiter CCCLXVIII intercesserunt, spatium longe majus, qvam ut nepte terminetur.

minetur. Plures adhuc qvoqve Gautrecos Thora Ragnaris Lodbrochis uxor nobis oſtendit, nam unus eorum ejus patruus magnus fuerat, Hringi Oſtrogothiæ Regis frater, qvi nec hujus Gautreci ætatem attingit. Qvod ſi Vikaris æram inſpexerimus, datur alter ab hoc diverſus, Ellæ & Hrolfi Krakii; & proinde Nerii & Refi, temporibus propior, decimus à Nore, cujus cum Hiore Hiorleifi Mulieroſi patre geſta antea deſcripſi. Hiorleifus autem Mulieroſus â Nore ſeptimus vixit tempore Solvii piratæ, qvi Sveciam anno ex noſtra calculatione DXXXI oppugnavit; Facile itaqve fieri poteſt, ut qvi hic deſcribitur Nerius, iſtius Vikaris filius fuerit, nam tempora mirè concordant. Qvod autem devotus fuerit Odino anteqvam natus eſſet, ut & præſagium patris de exitu vitæ ejus, id magis in priorem qvadrat, & Starkadi & Eirici & Alreci Regum tempora. Qvod ſi Gauthildis maternum genus inſpicimus; mater ejus fuit Alofa, Olafi Skygnii ſeu Lyncei Nericiæ Regis filia, cujus qvoqve tempora cum hoc Gautreco & Vikare poſteriore conveniunt, ut ex iis, qvæ prius cap: XXXII hujus libri expoſuimus, planum eſt, qvæ omnia ſagacis lectoris examini relinqvo, qvi & facile perpendet, an Saxo ex liberali illo Gautreco Godefridum exſtruxerit, inqve Caroli Magni tempora retulerit.

DISSERTATIO DE STARKADIS.

Sed qvoniam Starkadorum mentionem hic fecimus, unumqve tantum Saxo agnoſcit, qvi tres humanas ætates impleverit, locus exigit, ut qvæ de eo antiqvitates tradunt, hic ſubjungam. Ad nomen qvod attinet, in primis Johannis Magni ſententia, qvi Starkadi patriam Eſthoniam contra Saxonem negat, haut videtur prætereunda, qvam petito ab etymo vocis argumento probare nititur hiſtoriæ Sveo-Goth: Lib: V. „cap: VI. Erat enim (inqvit) Sveticus ſive Helſingius, non autem Tha„veſthius aut Eſthius, ut qvidam putare videntur. Teſtantur id non ſo„lum noſtræ veteres hiſtoriæ, ſed Svetici nominis interpretatio, qvâ ſtar„cher fortem ſignificat, qvaſi dixeris fortem atherum, qvi Thaveſtio vel „Eſthio ſermone Vege ather dici debuiſſet. Similis ratio nominis eſt de „patre ejus Storvercho, qvi Eſthia lingva Surevercho dictus fuiſſet. Ipſum Saxo in vita Sivaldi fortiſſimum Sveonum appellat, qvi locus in teſtimonium, ſibi ipſi contrarium licet, adductus videatur: mihi tamen magis de iis, qvi militiam Svecorum id temporis ſeqvebantur, qvam ad diſcernendum ex qva gente prodierit, agere videtur. Certiſſimum tamen eſt, nomen illud Danicæ lingvæ proprium eſſe, qvod ubiqve in veteribus hiſtoriis obvium, pluraqve exempla ſuppetunt, qvam ut hic referenda ſint. Patriam itaqve illius Starkadi, qvi primus omnium vel in priſcis monumentis occurrit, vel deinde occurrentes in nominis communionem traxit, haut aliam ſtatuo, qvàm qvæ Gothicâ lingvâ utebatur. Qvod ſi periodum annorum, cum Starkadorum nomen in ſeptentrione inclaruit, penitius inſpexerimus, vaſtiſſimam qvidem eam deprehendemus. Enimvero pluribus gentibus uſu veniſſe conſtat, ut celebris unius Regis aut dynaſtæ nomen in plures proceſſu temporis translatum, deinde latius ſparſum, ſingulæ tandem divinis honoribus coluerint, certatimqve ſibi ejus originem adſcripſerint. Sic Jovis nomine fabuloſa vetuſtas dignata eſt Reges principes, qvi ſui Ordinis cæteris poteſtate anteſtarent.

ſtarent. Inde factum eſt, ut nullo prope ſeculo defuerint ſui Joves, usqve ad bellum Trojanum. Tot autem heroum, qvi Joves dici meruiſſe ex nationum tantum opinione, bona, mala, vera, ficta, uni Jovi Cretenſi tribuerunt poetæ. Idem de Neptunis conſpicuum eſt, qvorum tot fere nomina vetuſtas finxerat, qvot Reges inſularum extiterunt. Idem tot Hercules evincunt, qvorum nomina geſtaqve uni Thebano tributa ſunt.

Nihil, aut omnino parum, diverſum in noſtro Starkado deprehendimus, neqve enim â primis ſeculi poſt Chriſtum natum annis, ſive ad annum CDLXXIII, ſive DXLIII. ullum ſeculum, ſed nec octavum ſuo, caruit Starkado.

Omnium primus Starkadus cognomento Aludreingus Halogiæ ad cataractam Alufoſſa (aliis Galufoſſa) incola ſe offert, Alfo (qvi Originibus Norvegiæ Finnalfus) Alfheimorum, nunc Bahuſenſis præfecturæ, Rex. Hic Alfi filiam rapuit, calculo, ex hypotheſi Snorrii, ſeculi ſecundi medio, Thorſteini vero & Vikingi hiſtoriæ, ejusdem fine.

Hujus nepos Starkadus II Alreco & Eirico Sveciæ Regibus juvenis annorum viginti ſeptem coævus vixit, calculo ex hypotheſi Snorrii circiter CCIV Thorſteinino CCLXXII illius vitæ exordio, ſi ſecundum Saxonis noſtrorumq; conſentientem traditionem CCC annos adjicimus, ad annum CDLXXIII vel DXLV extenditur. Fabuloſa ſunt qvæ laudata hiſtoria de Odini in illum indulgentia, & Thoris ſævitia tradit, parum â fabula de Tireſia Cæco abludentia: ſeptem illius ætati ſecula â Jove data perhibent, huic tria. Extant tamen exempla Macrobiorum multa, etiam ſeqvioribus ſeculis. Omnes excedit Johannes de temporibus Caroli Magni Stabuli præfectus, obiit anno MCCXX ætatis CCCLXI teſtibus Vincentio Bellovacenſi & Nauclero. Id qvod non conſiſtit etiam ſi ultimo Caroli Magni anno illud ei miniſterium præſtitiſſe largiamur, anno nimirum DCCCXIV. inde enim CDVI anni effluxerunt. Adde ætatem cum ad officium illud evectus eſſet, XX ad minimum anni reqviruntur. Erit itaqve integra ejus ætas annorum CDXXVI. Noſtri Annales obitum ejus (an alterius neſcio) ad annum MCCLIX referunt, nec id ſine circumſtantiis; tradunt enim virum in Islandia in primis celebrem, Sturlam Thordi filium retuliſſe, qvod ex Archidiacono Folchone (qvi poſtea Sveciæ Archiepiſcopus evaſit) acceperit, qvod Monachi Ordinis prædicatorii retulerint, ipſi eodem illo anno Brugis Flandriæ viſum virum è longe diſſitis terris advectum, qvi profiteretur ſe olim Imperatori Carolo Magno miniſtraſſe, filiam autem ſuam urbem Brugas poſſeſſione tenuiſſe, cum ille Galliis exceſſiſſet; fidemqve dictis aſtruxiſſe, monſtrato theſauro intra murum abſcondito. Relatum deinde ſibi prædictus Dominus Folcho affirmavit, qvod Coloniæ paulo poſt obierit. Exceſſerant itaq; â morte Caroli Magni ad illum annum anni CDXLV. his, ſi ætas illius officii capax anni XX, adjiciantur, ad annum CDLXV extendetur. Taceo antiqviores Ægimium & Arganthonium utrumqve Plinio, & priorem qvoqve Anacreonti, qvi ad ducentos annos pervenit, poſteriorem etiam Silio memoratum, qvi ei trecentos tribuit; ut & Hellonico memoratos qvosdam ex gente Epiorum, qvi ducentos expleverint annos, & Danthona qvendam, qvem Valerius Maximus ad qvingenteſimum usqve annum nulla ex parte ſeneſcentem proceſſiſſe tradit. Thorem Olſonium Olaus Rudbeckius, qvi ſuperiori ſeculo vixerat, CCCLX annos exegiſſe teſtatur. Non ante multos annos vita functus eſt paræ-

ciæ Skaanevigensis civis, qvæ non procul hinc distat, Thorgeir Bircheland, qvi viduus centenarius honestam virginem uxorem duxit, filiumqve ex ea suscepit, triginta annos natum, cum pater excederet, id qvod vir reverendus valde senex presbyter ecclesiæ istius idemqve præpositus, ut & Regius præfecturæ ejusdem qvæstor, sed diverso tempore uterqve locoqve mihi confirmârunt. Hunc igitur Starkadum Frodii IVti tempore & Ingialdi filii ejus ævo vixisse eo tutius statuimus, qvòd incentivo carmine, qvo illum ad patris ultionem exacuit, ipse juvenem sub Rege Hacone se meruisse testatur. Is autem Hakius est, qvi Hugleikum Sveciæ Regem in extremi vitæ suæ triennii limine occidit circa annum CCXLIV vel CCXCVII (ei enim juveni ipse juvenis ministrare potuit) Frodius autem IV anno CDVII cæsus est, qvo tempore Starkadum, calculô ad Snorrii placita directô, annos natum fuisse oportet CCXXXIV, ex hypothesi autem Thorstenianæ historiæ CLXII. Sive igitur hic idem Starkadus ad annum CDLXXIII sive DXLV. vitam produxerit, restant tamen ad annum bello Bravallensi nobilitatum DCCXXXV, CXC vel CCLXII anni, cui cum Starkadus interfuisse Saxoni, omnemqve belli ordinem carmine prodidisse tradatur, diversum eum ab hoc Aludrengi nepote fuisse oportet, eundem tamen qvi ad ultimam circiter Sigurdi Hringi ætatem, annum nimirum DCCL pervenit, cum ipse contra Giukungos & Sigurdum Fafnericidam pugnaret, qvo bello qvoqve Hringo operam navasse Nornagesti (modò fidem mereatur) relatio prodit. Ipse est qvi Armodum Asmundi Gnodensis filium balneo indulgentem, eodem tradente, peremit, qvi & sub Omundo, tradente Saxone, id est, ejusdem Sigurdi Hringi tempore, morte multatus est. Atqve ita Starkadorum periodus ab Aludrengi incunabulis ad provectam Sigurdi Hringi ætatem circiter DL vel DC annos exhaurit. An vero inter illum Aludrengi nepotem & hunc ultimum alii intercesserint, explicare neqveo, ut nec qvo anno ultimus hic natus sit, aut qvid præter qvod his duobus novissimè memoratis bellis gessisse perhibetur, ut & nefariam Armodi cædem, egerit.



APPEN-

APPENDIX
AD
LIBRUM QVINTUM,
Qvâ
SCHEMATE GENEALOGICO
Tota Thorrii, Gothorum, Finnorum Qvenorumqve Regis progenies, exceptâ lineâ Haraldi Pulchricomi, repræsentatur.



Thorrius tres habuit liberos; Norem, Gorem, & filiam Göen.

Nor duas habuit uxores, priorem Höddam, Svadii gigantis filiam, Rolfi de Rupe sororem. Posteriorem cujus nomen non exprimitur.

Noris ex Hödda filii

I. Thrandus.

II. Gardus, *cognomento Agdius.*

Ex posteriore uxore,


III. Raumus

A

Noris ex priore uxore filii

1. Thrandus Thrandiæ Rex & eponymus, genus ab eo demissum vel nullum fuit, vel ejus memoria interiit.

Gardus Agdius, ejus filii. 1. Haurdus. 2. Rugalfus. 3. Thrymus. 4. Vegardus. 5. Freygardus. 6. Thorgardus. 7. Griotgardus.



7. α Hiorleifus Mulieros⁹ —— Æsa Candida

8. HalfusHeros. Oblaudus

9. Hior — γ Otryggus

10. Geirmundus & Hamund⁹ furvæ cutis, primi Islandiæ incolæ, verum plures generationes inter eos & hunc Halfum desiderantur. Hæc secundum vitam Halfi, qvæ verisimilior.

HogniusSignya â Candidus —— Aurlygus testeLandnami p.65.

11. UlfusSkialgius. Eiricus — KetillGufa, vir celebr:

12. Geirleifus inter primos Islandiæ incolas vide Landnamam p. 67.

13. Oddleifus


14. Gestus Sapiens

α In Originibus perperam Hordi Hordiæ Regis posteri traduntur.

β Progenitores Augvaldi Origines constituunt; Halfi herois vita hos omittit, cum autem Origines Augvaldi progeniem, Josurem puta & Hiorem, Hordo tribuant, planum est, ipsum ab Hordo genus ducere, Hordus itaqve Rugalfi pater erit, qvi postea Rogiæ Rex factus videtur.

γ Hiorleifi & Asæ Candidæ filium Landn: pag: 58. tradit, Oblaudum autem Hognii Candidi patrem, ejusdem Otryggi filium.

Gardus Agdius.




α Æſam habet Landnama Cap: III. Part: V. pag: 169.

β Teſte Landnama Part: I. Cap: XVII. pag: 19.

γ Ex Landnamæ Part: II. Cap: XVIII. pag: 72.

Noris



α Ex anonyma membrana Resenii in Bibliotheca S: S: Trinitatis desumptus.

β Thorsteinum Ketillis Raumi & Miollis filium tradit Landnama pag: 90.

Nota. Dum hic author singulorum filiorum Raumi Bergdise natorum progeniem recensuerit, mox etiam seriem reliqvorum ex alia uxore persequatur, qvâ expositâ tandem ab Alfo Sene Alfheimorum Rege, genus Ragnaris Lodbrokis deducat; vix a Finnalfo illud repeti credo, sed ab alio Alfo ejusdem districtûs Regulo, pariter Sene dicto, qvi forsitan erit ultimus ille, qvi in hoc ordine conspicitur, aut alius qvidam. Recenset autem ab illa origine Haraldi Pulchricomi genus his verbis: Alfus, inqvit, Priscus in Alfheimis regnavit. Is fuit Alfgeiris pater, patris Gandalfi, patris Alfhildis. Alfhildis fuit mater Ragnaris Lodbrochis, & sic conseqventer.

Raumi

Raumi ex uxore Hilde Gudbrandi Prisci filia,

illius Solvii nepte, qvi primus tractum Soleyensem excoluit, Filii

	1	2	3	4		D
2	Gudriod⁹	Haudus Hadalandiæ Rex & epon:	Haddingus Haddingiadali & ThelamarchiæR:	Hringus Hringarikiæ & Valdresiæ Rex, ex filia Visilis maritimi Regis		
3	Eysteinus Astutus	Hodbroddus	Haddingus	Halfdanus Senex dictus		
4	Aunundus	Hrolfus	Haddingus	Siggar	Skilfer Vorsiæ R.	
5		Hromundus berserchus; Hognius Rufus	Siggeir maritus Signiæ Volsungi filiæ.	Sigmundus maritus Hildis Griotgardi II. Nordmæriæ Regis filiæ.	Skioldus	
6	α Hamundus Hakius Gunnlod		Haddingus	Siggar	Eiricus	
7	Hrok⁹ Albus, Hrok⁹ Niger, Hrodgeir, Utsteinus, Insteinus		Hadding⁹	Signya Hagbardi amasia.	Alrec⁹	
8	Gunnlod, Hrodmar		Haddingus		Eiricus Disertus	
9	Hromundus Greipius, Hakius berserkus				Alrecus Vegetus	
10	Hroaldus, Biornulfus				β Vikar	
11	Hrodmar, Aurn		Vatnar			
12	γ Hiorleifus, γ Ingolfus		Hialdus	Sniallus	Eiricus	
13			Grimus Ventos⁹	Einar	Gida Haraldi Pulchric: ux:	
14			Biornus Buna	Aulver infantium velutus		
15			Ketill Flatnefus	Einar		
16			Audr Prædives	Hrolleifus, inter primos Islandiæ incolas.		

Cæteros Halfdani filios vid. inf. lit. E

α Gunlodem Hamundi & Hakii Sororis anonymæ filiam fuisse tradit hist: Halfi Herois.
β Vikarem Haraldi Agdarum Regis filium esse ejusq; filium Vatnarem testatur Landnama pag 177. cæteramq; genealogiam ad Audurem & Hrolleifum recenset pag 5.
γ Eorum genealogia extat Landnamæ pag. 5.

E

Halfdanus Senex.

	3	4	5	6	7	8	9
4	Audius R. Vallandiæ	Næfillæ	Dagus.	Bragius R. Valdrefiæ.	Hilder.	Budlius.	Lofdius
5	Frodius	Heimar	Olius	Agnar	Hildibrandus	Attils	Skylius
6	Kiar	Eynefus	Oleifus	Alfus	Vigbrandus	Leenfna	Egdir
7	Alruna	Rachn	Hringus	Eiricus	Herbrandus	Budlius	Hialmther
8	Giukius	Olafus	Hildis	Haraldus Grænski⁹		Brynhildis	Eylimius
9	Gudruna Sigurdi Fafnericidæ uxor	Helgius	Halfdan⁹ Munific⁹	Afa Imperiofa		Alaugis	Hiordis
10	Sigurdus Cervus		Gudriodus	Halfdanus Niger		Sigurdus Angvioculus	Sigurdus Fabnericida.
11	Ragnhildis		Halfdanus Niger	Haraldus Pulchricomus		Aslaugis	Aslaugis
12	Haraldus Pulchric:		Haraldus Pulchric:			Sigurdus Cervus	Sigurdus Angnioculus.
13						Kagnhildis	Aslaugus
14						Haraldus Pulchricomus.	Sigurdus Cervus
15							Ragnhildis
16							Haraldus Pulchricomus.

a *Nota.* Dagi filii ex uxore Thora Dreingiamodur, ɔ: athletarũ matre, novem fuiſſe traduntur, Recencentur autem præter Olium, qvi hic memoratur tantum, tres, Amus, Jöfur, & Arngrimus.

Goris


Goris filii. F

1	2		
Beitius	Heitius	Vide plures infr: lit: G.	1
Heitius	Svadius vel Svæidius		2
Svadius	α Halfdanus Senex		3
	Ivar Uplandorum Comes		4
	Eysteinus Glumra		5
	β Rognvaldus Mæriarum & Raumsdali Comes		6

1	2	3	4	5	6	
Thorer Taciturn⁹, paternæ ditionis hæres.	Ivar	Einar Orcadum Comes	Halladus Orcadum Comes	Hrollaugus Islandiæ incola	Hrolfus Normanniæ Dux.	7

α Vide historiam Olafi Tryggvini Part:I. pag: 216. & Landnamam Part: IV. Cap: VII. pag: 138.

β Vid: Landnamam Part: IV. Cap: VIII. pag. 138. & 139.



α Mæfilem Meiteris filium hiſtoria Thorſteini Vikingi collata cum Originibus Norvegiæ monſtrat.

β Teſte hiſtoria Thorſteini Vikingii Exemplaris Mag. Bryniolfi Svenonii.

γ Hundthiofum habet hiſtoria Fridthiofi.

δ Vide hiſtoriam Gautrici & Hrolfi Cap. III. pag. 17 & 18.

Goe

Goe Rolfi de Rupe uxor H

Solvius Rex 1

Kaun Rex 2

Svina Bodvar seu Bodvar Porcinus 3

Thorer Rex 4

Aurn Hyrna seu Cornutus 5

An vel Unar 6

Thorleifus Hvalaskufus — Bifrukarius vid. inf. lit. J. 7

Bodvar Snæthruma 8

Thorleifus Midlungus 9

Bodvar Hvitius seu Albus, qvi ê Vorsia migrans prædium Hof in orientali Islandiæ tractu primus incoluit. 10

Thorsteinus 11

Hallus de Sida, vir optimus & in sua patria potentissimus, qvi primus in toto illo qvadrante Christo nomen dedit. 12

Thorsteinus — Eigill — Thorvaldus — Ingveldis — Thordis 13

Magnus — Gudridis — Thorgerdis — Thordis — Thoreya — Thuridis 14

Einar — Joreidis — Divus Jon Episcopus Holensis. — Joruna — Sæmundus Polyhist. qvi Eddam collegit natus 1056. — Ospakus 15

Magn9 Episcopus Skalholtensis — Arius Polyhistor natus 1068. — Hallus pastor — Lopt9 pastor Oddensis ejus uxor Thora Magni Nudipedis Norv. Regis filia naturalis. — Sumarlidi9 16

Gissur — Jon. procerum patriæ suo tempore celeberrimus. — Thora 17

Magnus Episcop. Skalholt. — Sæmund9. Sigurd.9 Paul9 Episcop9 Skalholt. in Island. ordinatus ad Absolone Archiep. Lund. 1194. — Divus Magn9 Orcadum Comes martyrio coronat9 1100. — Gunnhildis 18

Divus Rognvaldus Orcadum Comes cæsus 1158. die 20. Augusti. 19

Prima pars genealogiæ ad Bodvarem usqve Hvitium desumpta est ex Landnama Part. IV. Cap. VII. pag. 19. de Thorsteino autem & Hallo ejusd. cap. pag. 137. Thorsteini, Eigilis, Thorvaldi & Ingveldis progeniem vid. ejusd. part. cap. IX. pag. 140. Thordisis genealogiam historia Orcadum Lib. I. cap. XVI. exhibet, ramumqve ad Comitem Rognvaldum cap. XVII. pag. 74.



Thorleifi, Augmundi, Thordi Hardii & Aulmodi genealogias vide in historia Olafi Trygvini part. II. cap. XIX. pag. 64.

α Ulflioti genus ad Bifrukarium & ejus avum Aurnem Hyrnam extat Landn. Part. IV. Cap. VII. pag. 137. Vid. & Partis I. Cap. IX. pag. 11.

β Flokii genus adstruit Landn. Part. III. Cap. XI. pag. 104. confer. Part. I. Cap. II. pag. 3.

γ Teste hist. Olafi Trygvini Part. II. Cap. XXVIII. pag. 113. Illum Hallfredus Islandus exoculavit.

δ Sæbiornum Kalii patrem fuisse historia Orcadensium Lib. I. Cap. XVII. pag. 71. testatur.



HIST-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER SEXTUS.

CONTINENS VITAS ÖRVAR-ODDI, BODVARIS BIARKII, ET SÖRLII ROBUSTI

SECTIO PRIMA

DE ÖRVAR-ODDO

BREVIS IN FAMILIARUM A NORE NON DEPENDENTIUM, PRÆCIPUEQVE IN HISTORIAM ÖRVAR-ODDI, PRÆFATIO.



Sic eorum gesta exposuimus, qvi â Thorrio Noreqve ad Herthiosum usqve descenderunt, exceptâ Alfhildis Finn-Alfi filiæ progenie; qvæ cum Daniæ Regum multos contineat, ejus contextum in Vita Haraldi Pulchricomi rectiùs explicabimus. Occasione Herthiosi, Vikaris, & Gautrici qvædam gesta attexuimus, & ratione Vikaris, dissertationem de Starkadis. Jam ad eos progrediendum est, qvorum genus ad Norem referre nescimus, qvi tamen memorabilibus gestis, vel extra, vel intra patriæ limites, celebre nomen & memoriam suam ad posteros reliqverunt, præmissis iis, qvi vel ex privatis Reges facti sunt, regnaqve externa consecuti, vel ipsi Reges alia suis deinde adjecerunt, habita ratione temporum, qvibus vixerunt; inter qvos primas tenet, qvem jam descripturi sumus, Orvar-oddus, in cujus persona gestisqve describendis, haut minus qvàm in recitatione Starkadorum animo fluctuor; cum qvid ei, qvid posterioribus, ejusdem nominis viris, ex iis, qvæ hic de uno eodemqve in unam historiam veteres congesserunt, competat, discernere neqveam. Nam, sicut in Serie Regum Daniæ Lib:I. cap:IV traditum est, exhibetur hic unus idemqve Oddus, qvi Angantyri, ejus nominis primo, qvi seculo tertio ipsi vixit synchronus, nunc in prælio Bravikensi pugnans

pugnans, qvod circa annum DCCXXXV. gestum fuisse ex nostro calculo apparet; nunc patre Grimo Hirsutigena procreatus, qvi post seculi octavi medium natus est, avo Ketille Hængo, qvi primus sagittas Gusinas in familiam invexit, qvarum hic Oddus hæres factus perhibetur, iisqve sæpius usus res admirandas gessisse: Undè convincitur, si hujus Oddi parentes, avus, proavusqve familiam illam constituerant, antiqvitus in usu fuisse, ut nomina liberis suis utriusqve sexûs, ea qvæ celebres majores eorum gesserant, posteri aptaverint, eosqve conjugio sociaverint, qvi iisdem vocabulis avos aviasqve, aut remotiorum graduum, tam in linea recta, qvàm transversa, conjuges referebant, ad perpetuandam in eadem gente istorum nominum claritudinem; atqve ita delectum conjugiorum ex aptitudine nominum magnam partem pependisse. Eò tamen animus inclinat, ut duorum Oddorum gesta hic confusa agnoscam, illius nempe, qvi seculo â natô Christô tertio, & ejus, qvi octavo vixerat, posteriorisqve genus & parentes priori attributos, nam Gudmundus hujus frater & amitinus Sigurdus, inter Grimi Hirsutigenæ aut sororum ejus filios in familiæ recensu non inveniuntur. Qvicqvid horum sit, ego fidem liberâsse contentus, gesta hujus, uti accepi, exponam.

CAP. I.

DE ODDI PARENTIBUS, NATALI SOLO, NATIVITATE, EDUCATIONE, ET JUVENILIBUS OBLECTAMENTIS, FATIDICÆQVE MULIERIS VATICINIO.



Oddi parentes aviqve, iisdem nominibus cum illis, qvi seculo octavo familiæ Hrafnistinæ magnam partem postea in Islandiam transmiserunt, hic assignantur. Pater Grimus Hirsutigena, avus Ketill, cognomento Hængus, proavus Hallbiornus Semigigas, abavus Ulfus Generosus: Mater Lopthæna, Haraldi præfecti Vikensis filia; qvæ dum ex insula Hrafnista, qvæ provincia Thrandiam Halogiamqve interjacenti Naumudalo adjacet, jam gravida in Vikam maritum comitata veheretur, accidit in itinere, cum Jadriam prætervecta ad Soknadalum pervenisset, ut sub promontorio qvodam prope villam, qvam Berurjodr (hodie Berlio) appellabatur, partûs dolores sentiens, lembo litori admoto in terram exponeretur; qvam villæ dominus, vir locuples, nomine Ingialdus, hospitalitèr cum universo comitatu excepit, qvæqve ad necessarios usus reqvirebantur, abundè præbuit. Ibi puerum specie eximia, & qvidem supra usitatam infantium sortem, in lucem edidit; qvem aqvâ aspersum Oddum parentes appellârunt. Illa vero post triduum se itineri idoneam professa, cum abitum maturarent, hospes a patre infantis, ut sibi in aliqvô gratificaretur, postulavit; is vero rei, qvam expeteret, ignarus, id justum æqvumqve affirmans, edicere jussit, se enim hospitii usum, exhibitamqve benivolentiam abundè remuneraturum. Qvi cum se opibus abundare testatus esset, nutricatum filii tantùm deposcebat, id sibi honorificum arbitratus. Qvod cum pater ad matris arbitrium retulisset, facile impetravit, ibiqve relicto recèns nato filio, institutum iter unà perseqvuntur. Cum autèm in reditu ad ejusdem litoris oras pervenirent, Grimus vela demitti, navem-

ti, navemqve terræ admoveri juſſit, hoſpitem, apudqve eum depoſitum pignus, reviſurus. Id verò mater ſuperfluum reſpondit. Admiranti itaqve patri, qvòd, mente tanqvam â pietate alienatâ, nullo ſobolis amore mater teneretur, reſpondit ille; ſe filium benè diu intuitam ex oculis ejus obſervâſſe, familiæ Hrafniſtinæ minus æqvum futurum. Atqve ita, ſvadente ipſa, iter non eſt interruptum. Deinde Oddus in eadem villa educatus eſt, una cum nutricii filio Asmundo, qvi ibi ſimul adoleverunt; formâ inſignes, corporis viribus etiam natu æqvalibus ſuperiores; non tamen Oddum, qvoad vires, aſſecutus eſt Asmundus. Studia illis & exercitia, pro more ſeculi, nobiliſſima; jaculandi aſſiduus uſus peritiam dederat. Hinc ſagittarum complures qvotidie Oddus fabricavit, aut fabricandi uſum callentes ad faciendas ſæpiùs impulit; non tamen ſervandi & conqvirendi idem ſtudium erat; anxiè qvæſitæ negligentèr ſervatæ ſunt; qvæ hinc inde per incuriam jactæ, vulnera incautis & ignaris inflixerunt; id qvod illi multorum odium concitavit; donec qverela ad nutricium delata eſt; qvi increpatô alumnô reſponſum retulit, jure qvidem ſe objurgari, modò jaculis pharetram ſuppeditâſſet; qvam cum ſe daturum pollicitus eſſet, caprum, qvem optimum nutricius habuit, nigri coloris, in eum uſum excoriandum, ita ut exuviæ integram illius formam referrent, Oddus delegit; id qvod etiam impetravit. Eò omnia tela conjecta ſunt, nec prius deſtitit, qvàm exuviæ repletæ eſſent. Comes ei datus, qvi, qvoqvò progrederetur, pharetram (qvale genus Scrautum â veteribus dictum, obſervatum eſt) deferret. Solus venatum procedens minorem pharetram tulit; hinc Orvar-oddi nomen contraxiſſe videri poteſt. (Or enim, in genitivo caſu Orvar/ ſagittam denotat.) Veſtis illi cultiſſima; frontem faſcia argentea, forte diadema, texit. Cultus Asmundo idem erat, Deorum illis nec metus ullus, nec cultus: in viribus tota fiducia erat; licet Ingialdus Deos devotè coleret. Vidua erat, nomine Heidis, præſaga fæmina, futurorum ſcientiam profeſſa, qvæ fatis pandendis hybernæqve temperiei prædicendæ adhiberi, conviviisq; excipi ſolebat, qvindecim virorum, totidemqve virginum comitatu aſſiduè ſtipata. Völvam (forte Sybillam) vocabant. Hæc in vicinia id temporis epulabatur, cum Ingialdus Oddum filiumqve ad eam invitandam ſe ablegaturum profiteretur. Oddô verô obnitente, pater filium in ſua poteſtate futurum præfatus, ad eam miſit: ſed indignatus Oddus, injuriamqve ſibi fieri qveſtus, ſe paritèr educatori ægrè facturum minatus eſt. Qvod paterfamilias nihil moratus, præſtituto die cum omni comitatu accedenti obviam proceſſit, inqve cænaculum honorificè deductâm epulis excepit. Remotis deinde menſis, domeſticisqve miniſtris cubitum euntibus, illa ad execrandas incantationes ſe contulit. Manè accedens paterfamilias qvæſivit, an ex voto ceremoniæ proceſſiſſent? Illâ qvæ concupiſceret, promtè ſe explicaturam pollicente, ipſe ſingulos in ordinem diſpoſitos, in propriis ſedibus collocavit, primusqve fata ſua, & ſi qvæ plura deſiderarentur, reqvirens, eam acceſſit. Illa rei familiaris abundantiâ, honoreqve ſufficiente beatam illic vitam, ubi jam habitaret, ad finem usqve perducturum reſpondit. Asmundo verò proximè ſuccedente: benè habet, inqvit, qvod huc acceſſeris; in remotas enim terras peregrinaberis, magno ubiqve honore felicitèr & ſummâ cum laude bellabis, licet ſtamina vitæ præmaturâ morte Parcæ rumpant. Poſt hunc, qvi aderant, fata ſua reqvirebant. Illa omnium votis ſatisfactis, hyberni temporis conditionem, & alia etiam futura prædixit.

Jamqve Ingialdus eam dimiſſurus erat, cum viciſſim rogaretur,

mnesne domeſtici accesſerint, aliud ſibi non conſtare reſpondit; qvid igitur in lecto jaceret, qvidve ibi moveretur? qvæſivit. Qvo cognito, Oddus exſiliens, vetabat eam, qvæ ſibi eventura esſent, edicere, nullam enim ſe fidem ei habere, nec præſagiis ejus ponderis qvicqvam ſtatuere. Qvô auditô, carmen hoc ſenſu modulata eſt. Non terrebis me, Odde de Jadria; mea namqve vaticinia eventus probabit, cum omnium hominum fata præñoſcam; non transmittes ſinus, qvantumlibet latos, vel longa freta, etiamſi fluctus te obruant, qvin in Beruriodro ſilicernium cremeris. Inde proſâ eum affata, trecentorum annorum ætatem decretam ipſi prædixit, famamqve factis per remotiſſimas terras extenſurum, ubiqve magnum, ubiqve glorioſum; ad ultimum tamen eqvum, â juba promiſſa Faxium dictum, colore cineraceum, fatalem illi futurum. His auditis adeo excanduit Oddus, ut ipſam arundine, qvam tenuit, pulſaret, ſangvinemqve eliceret. Illa vero, incaleſcente ira, veſtes ſuas popoſcit, protinus abitura, nunqvam ſe verberibus prius affectam conteſtata. Eam igitur paterfamilias blanditiis deliniens, ſe multâ pecuniariâ hanc protervitatem redempturum pollicitus, per triduum detinuit, placatamqve domum dimiſit.

CAP. II.

DE DISCESSU ODDI ET MIGRATIONE IN BIARMIAM, TUMULO EXSPOLIATO, NAVIGATIONIS PERICULO, ET REDITU AD PATERNAM DOMUM.



Oſt fatidicæ diſceſſum, Oddus, qvamvis magnam ſibi gloriam, inuſitatam ætatis prolixitatem, cæteraqve proſpera & votum ſuperantia, portendi didiciſſet, ſive qvòd vaticinio nullam fidem haberet, ſive qvòd iſtud mortis genus, qvod prædicabatur, ſibi, ut forti viro, indignum deteſtaretur, ad eludendum oraculum, cum ſocio Asmundo in valle qvadam profundâ, tantæ altitudinis foveam fecit, ut ne ipſe ſine magnâ difficultate ſe inde extricare poſſet, eqvumqve Faxium interemtum in eam detruſit, aggeſtisqve ſaxis obſtructam, injectâ magnâ ceſpitum congerie in collis formam faſtigiavit, proviſurus, ne ullum ſibi a fati lege periculum metuendum eſſet, ſi aliter qvàm illo percuſſore mori non poſſet. Nec longum tempus interceſſit, cum navigium â nutritio comitemqve filium depoſcit, ægreqve impetrat; præſertim cum profiteretur, ſe inde ſine utriusqve reditûs ſpe profecturum, idqve in ultionem arceſſitæ fæminæ veneficæ. Ingreſſus navem, cum Hrafniſtam, patriam domum, ſe acceſſurum profiteretur, nimiaqve via remiges immodicè fatigatura terreret, periculum faciendum pronunciavit, familiæne genius â ſe eſſet averſus; conſtare enim, qvod qvoties avus paterqve ſuus, tranqvillo qvantumvis cœlo, vela ſuſtulerint; repentè venti ad obſeqvium promti inflare, totumqve curſum ſine intermiſſione dirigere conſveverint. Id expertus cognovit, hoc numinum familiarium favore ſe neqvàqvam deſtitui. Itaqve auſtris ad votum aſpirantibus, ſpatium, qvantumvis longum, brevì emenſus, ad patrios lares feliciter pervenit. Sed, ut erat animi nimius, ingredi dedignatus, patrem nuncio domeſtico excivit; ne nomen qvidem, aut cujas eſſet, pro-

fessus, usq; dum pater ex certioribus indiciis, qvæ internuncius referebat, corporis scil: magna mole, formâ staturâqve insignibus, arcu, qvem manibus, & pharetrâ, qvam tergo, gestabat, animiqve pervicaciâ, indubiâ gentis notâ, proceriqve socii comitatu, suum esse filium colligens, obviam ei processit, cumqve socio, magnâ paterni affectûs declaratione, invitavit. Nec tamen detineri se passus est, patre qvantumvis annitente, postqvam cognovit, fratrem suum Gudmundum cum amitino Sigurdo in boreali insulæ parte accinctos itineri in Biarmiam, suæ qvemqve navis rectorem, excubare. Eos igitur, patre comitatus, accedens, navibus per nuncium evocatos, post acceptam redditamqve salutem, protinus, ut se cum socio Asmundo in societatem itineris recipiant, sollicitat; qvi cunctis in ordinem digestis, sine magnis incommodis id proximâ æstate fieri non posse asseverantes, in seqvens ver impetraturum polliciti sunt. Ille vero repulsam, ut turpem, indignatus, domum patris cum socio rediit, magnoqve apparatu exceptus, hyemem, patre exposcente, ibidem transigere decrevit. Interea navigium, navalesqve socios sua industria comparaturum asseverans, nec deinceps eorum opem emendicaturum, rediensqve domum, instructo in accessûs ejus honorem magnifico convivio â patre excipitur. Verùm licet ventorum obseqvium familia Hrafnistina sibi vendicaret, præcipuis tamen in ea viris. sed neqve id semper, solùm competivisse videtur, Gudmundus namqve & Sigurdus per semestre spatium adversis ventis detenti, anchoræ solvendæ nullam copiam nacti sunt. Interea Gudmundus, præsente Sigurdo sociisqve nauticis, somno indulgens, per qvietem turbari visus est; excitaturos socios impedivit Sigurdus, qvò melius somnio frueretur. Postqvam evigilavit, album sibi ursum visum narravit, tantæ molis, ut omnem insulam recumbens circumvallârit, caput vero & cauda in statione navium jungerentur, ad terrorem usqve iratum. Oddi genium repræsentari, irati ob negatam itineris societatem; nec ventos ex voto spiraturos, ni admitteretur, Sigurdus conjecit. Gudmundus jam qvoqve vel oblatam repudiaturum regessit. Placuit itaqve, ut alterâ nave donatum placarent; qvi illa tandem conditione flecti se passus est. Discedens â patre, sagittas Gusianas, tantis veneficiis imbutas, spirituqve dæmoniaco obsessas, ut emissæ velut sponte sua avolantes, semper destinata ferirent, adqve sagittarium revolarent, (tres erant, auro obductæ, nanorum opus) dono accepit, munusqve omni æstimatione majus confessus ad naves descendit, velisqve erectis, ventis ad votum excitis, portum qvendam Finnmarkiæ, freqventibus circa litus casis notabilem, capiunt. Ibi Gudmundus, Oddo dissvadente, in terram exspatiatus, fæminas molestiis exagitavit. Post triduum transmisso Mari Albo in portu Biarmiæ ad fluvium Dvinam (Vinam antiqvitus dictum) insulis interspersum, anchoram jaciunt; indè conspecto freqventi hominum in unum locum confluxu, colligebant, vel publicum luctum, vel lætitiam significari: itaqve assumto Asmundo Oddus eò concessit. Vesper erat, inqve tenebris accensi lychni relucebant; per universum triclinium convivæ considebant; ingens vas ansatum ad fores stabat, qvod umbrâ suâ usum luminis intercipiebat. Ibi Oddus cum socio delituit. Pincerna cerevisiam convivis depromebat, qvem ex gestu facieqve alienigenam, & qvidem Nordmannum, colligebant. Verum qvòd lingva gentis illis ignota, ut & ritus, essent, pincernam ad litus ocyssimè raptum avehunt; qvi se â Trollis (gigantibus) corripi vociferatus, sed sociorum ope destitutus, ad naves deducitur. Interrogatus an lingvam calleret Nordmannicam? cum metu præpeditus aliqvantisper conticuisset,

 ubi

ubi ſe collegit, idiomate Norvegico exqviſivit, qvidnam ſciſcitaretur? Qvot illic annos exegerit, & qvalitèr habitus, interrogantibus; paucas, inqvit, hyemes, magnâ moleſtiâ. His cognitis qværunt, qvo vindictæ genere Biarmi potiſſimùm offendantur. Tum vero alacritèr reſpondit, promtè ſe id enodaturum. Tumulus extat ingens, inqvit, in aqvilonari parte iſthmi, prope fluvium Vinam, ex argento pulvere miſto congeſtus: qvoties qvis naſcitur, vel denaſcitur, magna illuc donaria inferuntur, qvem ſi effoderitis, Biarmos magnopere læſeritis. Diviſis igitur nautis, aliis ad cuſtodiam navium relictis, aliis in comitatum aſſumtis, tumulum effodiunt. Auri inde argentiqve vis magna egeſta, nec tamen impune; nam Biarmi ad prælium excitati, collem ſacram religioſè & fortitèr defendebant, nec tamen erepta recuperare valentes, victoriam prædamqve Nordmannis conceſſerunt, licet non incruentam, nam multi ex iis, & inter eos pincerna, cæſi ſunt. Elapſi ad Finnos remeârunt, qvos etiam populabantur: hi vero procellas excitantes medio mari eos propemodum ſuffocârunt; nam & remiges prope omnes vires defecerunt, adeo ut ne ulterius obniti poſſent. Qvo periculo exterritus Gudmundus, Oddi conſilium reqviſivit. Ille ſpolia Finnorum omnia in mare projici juſſit; qvæ protinus in unam ſarcinam qvaſi collecta, adverſis ventis obnixa ſubitò extra conſpectum erant; nec longè poſt terra viſa delatos ad ſe nautas excepit. Non conſtat qvamdiu in mari periclitati ſint. Ibi hybernacula erecta, feris in alimentum confixis vita ſuſtentata; luſtrata terra inſulæ ſpeciem præbuit. Forte ingentem urſum ſagittâ configens Oddus, iterum tanqvam vivum erexit, oriqve ligneo baculo impoſito continenti obvertit. Ibi homines ſtatura adeo grandes, ut reſpectu eorum Oddus puer videretur, qvosdam tamen ex iis occidiſſe perhibetur, beneficio telorum Guſianorum. Ibi cognomen a telis ei inditum perhibetur, id qvod minus mihi probatur, qvàm ea conjectura, qvam antea attuli, puer enim telis fabricandis delectabatur. Qvænam vero hæc regio fuerit, cujus ſitus hic non deſcribitur, planum non eſt; nam ſi borealia Ruſſiæ deſerta inter Biarmiam & Novam Zemblam intelligantur, perinde illorum lingva, atqve Biarmorum â Nordmannica diverſa erat, ut ab iis cognomen lingvæ huic proprium indi neqviverit: venti tamen, qvibus ſpolia Finnorum adverſis obluctabantur, domum repetitura, navesqve â Finnmarchia actæ, ſi non Biarmiæ, certè vicinum ei tractum arguunt. Inde tempeſtatibus acti iterum in Finnmarkiam, & qvidem eundem portum, unde prius diſceſſerant, pervenerunt; ubi tunc omnes caſæ dirutæ erant, excurſionem iterandam Finnis fortè metuentibus. Inde ſecundis ventis ad Hrafniſtam relati, patri accepti redibant.

CAP. III.

DE GEMINIS ODDI VICTORIIS, DE HALFDANO ET SOTIO REPORTATIS; PUGNAQVE CUM HIALMARE, ET JUNCTA CUM ILLO FORTUNARUM SOCIETATE.



Elebris hæc expeditio famam Örvar-Oddi latè per Septentrionem divulgavit, adeo ut milites undiqve ad eum concurrerent, imperium ſecuturi. Qvatuor igitur navibus auctus, centum viris ſingulis

lis impositis, seqventi vere Halfdanum qvendam, piratarum præcipuum, in scopulis Gautelfæ (Elfarsterium) triginta navibus instructum, aggredi non formidavit; qvem, licet ex condicto adoriretur, astu tamen usus, in prætoria nave, prius qvam se colligere posset, oppressit, reliqvosqve ad deditionem adegit, qvibus omnia navigia permisit, præter duo, qvorum alterum draconis formâ insigne erat, cui nomen Halfdanar-naut indidit, idqve sibi soli reservavit; res etiam pretiosas omnes iis abstulit, prædâqve onustus domum rediit. Seqventi anno Sotium piratam, etiam triginta navium numero superbum, pari modo apud Skidam (qvi locus in Gallia esse videtur) devicit, usus navium ductoribus iisdem, qvibus antea, fratre nimirum, cognato, & Asmundo, aliâ itidem navi formâ draconis in potestatem redactâ cum omni pretiosa gazâ, cæteris iis, qvi se dediderant, permissis, contentus victoria neceqve principis Sotii, & Halfdani. Gudmundo & Sigurdo navis prætoria Sotii cessit. Ipse Halfdani navem pretioso colore pingi, draconisqve caput inaurari, curavit, mansitqve apud patrem per integram hyemem; majora inseqventi æstate tentaturus. Deinde stato tempore expeditionem simul maturant, adqve promontorium qvoddam Sveciæ incidunt in duos piratas, qvindecim navibus instructos, qvarum singulæ centum nautas vehebant; qvorum alter Hialmar dictus est, ab animositate Magnanimus denominatus; alter Thordus Stafnglamus. Solus Oddus in terram exscenderat, navesqve in statione, castra in terrâ fixa observabat, & ante ea ludos â piratis celebratos. Rediens itaqve, militem in duas partes dividit, aliam navibus imponit, jubetqve ut superato promontiorio clamorem militarem edant: ipse cum alia parte saltum ingressus ingenti vociferatu indicium sui prodidit, sperans a diversis partibus circumventos hostes terreri posse. Qvi audito ê navibus vociferantium sono, ne ludos qvidem intermiserunt; ut vero ê diversa parte horrendum clamorem perceperunt, paulùm substiterunt, deniqve ad ludos conversi, nulla metûs indicia prodiderunt. Qvo cognito Oddus ad Gudmundum reversus, non insidiis cum tantis viris agendum monuit, repetendam qvam deseruerunt stationem, noctemqve hîc peragendam. Luce crastina in terram cum omnibus copiis exscendentes ad piratas progressi sunt: qvi, ut militem peregrinum adventantem conspexerunt, arma ocyus capiunt, obviamqve iis progressi, qvinam essent? interrogant. Oddus nomen suum professus, plures tamen esse duces respondit. Qvid ibi negotii haberet? ulterius qværenti; ut experiamur, inqvit, qvinam nostrûm fortior haberi debeat; Qvod cum Hialmar minimè abnueret, ne gloriæ suæ qvicqvam decederet, imparem dimicationem aspernatus, navibus, qvibus adversæ partis numerum superabat, sepositis, pari numero congrediendum, ita ut vir virum, unus unum, exciperet, pronunciavit. His dictis utriqve arma expediunt, integrumqve diem dimicando extrahunt; tandem nox superveniens prælium diremptura, ad signum induciarum erecto clypeo dandum bellantes adegit. Tum Hialmar ab Oddo qvæsivit, ut ludus iste placuerit? pulchrè processisse confitenti, iterum an & continuari deberet? qvæsivit. Imo verò, respondit Oddus, eoqve alacrius, qvò cum potioribus fortioribusqve viris nunqvam congressus fuerit, placere itaqve crastina luce prælium iterare; id qvod etiam factum est, totaqve proxima die bellatum; appetente vespere receptui signum datum. Tum vero Oddus Hialmarem vicissim, ut hodiernus status arriserit? interrogavit. Optimè, respondit. Ulterius, anne experiri velit? qværenti, Oddus tertium diem insumendum pronunciavit, eum demum finem alterutrius excidio

impoſiturum. Hos Thordus Stafnglamus interfatus, qværit qvantam prædam navibus veherent. Exiguam, inqvit Oddus, qvòd parum hac æſtate partum eſſet. Qvousqve itaqve, ait, inſanietis? ut in prælia & cæde mutuamqve perniciem interitumqve, ſolo faſtu & contentione, nullo verò emolumento, ducti ruatis, ſvaſitqve ut in ſocietatem ſimul omnes coirent. Oddus ſibi id qvidem probari, an & Hialmari item, ignorare, cum reſpondiſſet, legibus & inſtitutis ſuis piraticis vivendum præſcripſit Hialmar. Oddus autem prius illa ſibi audienda qvàm probanda regeſſit. Tunc Hialmar: crudis carnibus nemo veſcitor, vel prætextu expreſſi per pannum ſangvinis, lupis qvàm hominibus ſimiliorum more; colonos vel mercatores nemo ſpoliato; qvantum verò urgente neceſſitate ad alimenta reqviritur, ſumito; fæminis, qvantumvis opulentis, nihil eripito, nec invitas ad naves ducito; qvi ſecus fecerit, absqve ſtatus vel conditionis diſcrimine capite plectitor. Probari ſibi has leges cum Oddus pronunciasſet, in eas conſenſum, fædusqve ſocietatis ſtatim ictum eſt.

CAP. IV.

DE CONFLICTU CUM BERSERKIS IN SIALANDIA, EORUMQVE CÆDE, NAVIGATIONE IN HIBERNIAM, CÆDEQVE ASMUNDI.

Nita ſocietate tantum militum ab utraq; parte deſiderabatur, qvantæ erant univerſæ Oddi & Gudmundi copiæ ante congreſſum eò advectæ. Tot hominum ſangvine veſana virium explorandarum libido conſtitit. Communi inde conſilio ad Berſerkos qvinqve ante Sialandiam ſex myoparonibus excubantes curſum dirigunt: Fratres erant, his nominibus, Brandus, Angar, Asmundus, Ingialdus & Alfus; qvò cum ventum eſſet, comperto qvòd in terram ad pellices ſuas ſeceſſerint, ſolus Oddus ad eos inqvirendos ſe convertit. Fit prælium atrox, qvod tandem omnium eorum cæde terminabatur, ſine ullo Oddi vel vulnere vel damno. Ut verò Oddum in terram exſpatiatum ſocius ejus Asmundus animadvertit, Hialmari id inſinuat, dictitans, præſtare ne illo abſente otioſi fuiſſe videantur. Berſerkorum itaqve naves adorti, facili negotio expugnabant, tanta celeritate, ut ad reditum Oddi omnes in poteſtatem redactæ eſſent: Mutuò igitur ſibi gratulati, alter alterius præclara geſta non ſine admiratione prædicârunt. Deinde Hialmar illos in Sveciam ſecum invitavit. Oddus ſeqvebatur, Asmundo, ut par eſt credere, comitatus, Gudmundo & Sigurdo Hrafniſtam cum copiis ſuis repetentibus; convenit tamen ut conſtituto tempore ad Gautelfam coirent. Præcipite autumno, cum in Sveciam veniſſent, admodum benignè a Rege excepti ſunt (Hlodverem eum Orvaroddi hiſtoria, Hervoris autem Ingium rectiùs appellat) Brevi Oddus eum virium & virtutum ſuarum admiratione captum adeo devinxit, ut villas tres, duoqve nobilia prædia ipſi largiretur. Erat Regi filia, nomine Ingibiorg, formæ venuſtate animiqve decore Regia ſorte haut inferior, iis imbuta ſtudiis, qvæ tanti faſtigii virginibus digna cenſebantur. Eam qvare ſibi â patre conjugem non depoſceret, Hialmarem interrogavit, præſertim cum propenſum virginis in ſe affectum noſceret? Expe-

tivisse se qvidem ait Hialmar, Regem autem Regi eam elocare statuisse, nec infra fastigii sortem devolvi sustinere. Exercitum itaqve, inqvit Oddus, proxima æstate comparabimus, conditionibusqve propositis eum ad consentiendum adigamus. Hialmar se valde ambigere, an id facere sustineat, postqvam longo tempore solô illic pacato & hospitali usus fuerit, cujus sanctiora jura existimaret, qvàm ut violari deberent. Illustratur hinc locus obscurus in Historia Hervoriana Cap: IV. â Verelio sollicitatus; indigena-ne Hialmar fuerit; extraneum enim fuisse patet, verum nullo modo immigrationis Odinianæ, seu Asiaticæ, socium, prout Clarissimus vir statuerat; id qvod nos in Serie Regum Daniæ ostendimus. Elapsa hyeme Hialmar Oddum consulit, qvò potissimùm classem per æstatem dirigerent, qvæ viginti navibus constabat, Occidentale mare se ingressurum ait Oddus, ex opulentis regionibus majorem prædam qværi. Merebatur illud consilium Hialmaris calculum: itaqve Scotiam rectà petunt, maritimaqve loca infestant, successuqve audaciores longius progressi, tributa e provinciis qvibusdam exigunt, forte qveis incendia & extrema qvæqve redimerentur. Inde ad Orcades pergunt, qvas pro arbitrio cum subjecissent, hyemem ibi transigebant. Verno tempore in Hiberniam delati, maria terramqve infestabant: incolæ sylvis ac fossis se suaqve fugientes abdiderunt; nec erant, qvibus vel audacia, vel vires ad resistendum suppeterent. Forte qvodam die Oddus, Asmundo tantùm comitatus (erat enim ei individuus comes, qvocunq; tenderet) in terram exspatiatus, pharetram a tergo, arcum manu gestans, subitô casu consternabatur; nam sagitta nervo propulsa Asmundum medium penetrabat, qvi derepente mortuus concidit. Hanc cladem omni damno graviorem cum reputaret, animo admodum exulcerato, vindictam de Hibernis promiscuè exigendam meditabatur. Tum vero longiùs profectus, incidit in virum specie conspicua, veste valdè pretiosa amictum, qvi arcum manu tenebat, jaculis in circuitu jacentibus, magno promiscui sexûs agmine stipatum. Hunc cædis authorem conjectans cum duobus aliis ad necem usqve configit; qvo cæteri territi in silvam se abdiderunt. Progressus ultra, incidit in qvatuor fæminas, inter qvas una rarâ specie eminebat, qvæ illum nominatim salutabat; qvod ille admiratus; qvæso, inqvit, qvæ te, monstrosa, scientia nomen meum edocuit? Illa sociorum ejus nomina haut nimium incognita respondit, Hialmaremqve & cæteros nominavit. Hæc jam prædæ captivitatiqve destinata, cum precibus, propositoqve magni pretii lytro nihil proficeret (auri enim argentiqve sibi satis esse Oddus affirmavit) interulam se ei confecturam, auro argentoqve contextam, iisqve dotibus imbutam, qvalibus aliam nullam unqvam viderit, pollicebatur; hac enim indutus, ait, terra mariqve frigoris expers eris, nec natatu defatigaberis, ab igne, fame, ferro immunis, omnis periculi securus; unum tamen restat, qvod avertere neqveo, nam si in fugam versus elabendo salutem qværas, inutilis futura est. His dotibus modò instructa sit, ait Oddus, fugæ profectò securus ero; verum qvanto tempore eam exspectabo? Redibis, inqvit, in hunc locum æstate proximâ, evoluto anno, eodem ipsô die & hora, qvæ jam instat, recipiesqve promisso ex asse respondentem. Qvod si me decipis, ait Oddus, reputa, qvæso, qvantum damnum vobis Hibernis illaturus sim, qvi me amico longe carissimo spoliâstis. Nonne tibi, regessit, cædes illa sufficienti sangvine vindicata videtur, cum patre me tribusqve fratribus, telo tuo obrutis, privaveris? Oddus longè pluris Asmundi se cædem pensare asseveravit. His pactis discessit, Asmundiqve cada-

ver

ver in reditu humeris impositum ad naves traduxit, Hialmaremqve, cum copiis ad se inqvirendum egressum, obvium habuit; qvi tam lamentabili casu consternatus, ut gestorum ordinem cognovit, an & ultio de interfectore sumta esset? qvæsivit. Id cum metricè exposuisset Oddus, ad eam qvàm rigidissimè ferro, cæde, incendiisq; exeqvendam Hialmar hortatus est. Oddus incolumes omnes mitti velle; ignem tectis, alites ferasq; cadaveribus, manus cædibus direptionibusqve se abstenturum dixit; justisqve Asmundo de more solutis, aliò navigationem dirigendam respondit. Omnibus ingenium antea imperterritum, jam amicissimi socii clade irritatum, cujus vindictæ intermissio probrum piaculumqve videretur, tam repente mutatum, inqve ignaviam versum, admirantibus, solus Hialmar, etsi causam ignoraret, prægnantem tamen subesse judicabat: itaqve omnia voluntati ejus permisit. Exinde Asmundi exeqviæ sumptuosè celebratæ, tumulusqve in Hibernia ossibus ejus tegendis erectus est. Sed ne sic qvidem Oddus militum occultâ sugillatione & vituperio ob remissam vindictam caruit.

CAP. V.

DE COMITE VANDRADO, DUOUSQVE ALIIS OPPRESSIS, REPETITA HIBERNIA, OBtentâq; insecabili interulâ, Oddi nuptiis cum netrice Alvöre, susceptâq; ex eâ filiâ, discessu in Angliam, Skollioqve in paternam ditionem restituto, cæsoqve invasore Jatmundo, expugnatisqve Hlodvere & Hakio, conflictu cum Augmundo Eythioficida, & cæde Thordi Stafnglami, reditu in Sveciam, indeqve ad Samseyam.



Ibernià solventes in Daniam pervenerunt: ibi ad Hleseyam in Comitem qvendam, nomine Vandradum, classem triginta navium ducentem, inciderunt, eundemqve navali prælio superârunt. Tanta eo prælio fortitudinis specimina Oddus edebat, ut conceptam ignaviæ opinionem militum animis facilè excuteret. Deinde partes Daniæ infestantes cognoverunt, duobus Comitibus demandatam vindictam ob cædem qvinq; Berserkorum, qvos priùs sustulerant. Comitum nomina non exprimuntur; qvi tamen prælio inferiores & victoriæ & vitæ jacturam fecerunt; pars deniqve provinciæ, qvam tuendam susceperant, tributo submissa. Sub autumnum ab invicem dilapsi, Gudmundus & Sigurdus Hrafnistam â piratica in posterum cessaturi, Hialmar Sveciam petivit, Oddô in Dania hyemem tracturô; condictum in vernum tempus, ut ad Scaniam iterum convenirent; qvò cum Hialmar cum Thordo Stafnglamo, ut constitutum erat, accessisset, Oddum de adornandâ expeditione dirigendâqve consuluit; ei verò Hiberniam repetere placuit. Miratus Hialmar, qvòd nullâ superiori anno incolas istius terræ molestiâ afficere sustinuerit, in proposito immotum suis consiliis rationibusqve uti permisit. Qvò cum ventum esset, obvelatis pro more navibus, in terram exscensurum Hialmar comitari volens, ea tantùm de causa inhibebatur, qvòd cum fæminis commercium esset. Cumqve in præfatum viretum pervenisset, Alvorem (hoc enim fæminæ nomen erat) desiderabat, deceptumqve se ratus, magnâ excanduit ira, ardens vindictam, ad qvam iteratò provocatus videbatur.

Interea

Interea currus appropinqvantes deprehendit; ibi Alvor ipsum prior salutans,iram ob tardatum adventum deprecrata est, illumqve jam interulam ab omni parte absolutam reqvirentem assidere jussit, dum an qvadret experiretur; qvam ille raptim sibi circundatam, ad staturam corporis aptè concinnatam deprehendit; mox, an & iis dotibus, de qvibus convenerat, instructa esset omnibus? sciscitatus; ubi id qvoqve, fæminis, qvæ præsto erant, suffragantibus didicit, tandem unius, an verò plurium fæminarum opus esset? rogabat. Illa complurium, earumqve diversarum gentium, Sognensium, Hæbudensium, Hibernicarum, Saxonicarum, Finnmarkensiumqve artificium illuc confluxisse affirmavit; delectam enim materiam, argentum & septem alias species. Tum vero Oddus animo excitatiore sibi gratulatus, carmine vestimentum extollere cæpit, qvod applicatum corpori non ut indusium, sed tanqvam lorica cutem affecerit, impensiusqve pretium mereri testatus, mox deposcere jussit. Illa â cæde patris ditionem suam omnium injuriis obnoxiam passim diripi qvesta, qvippe defensoribus nudatam, opus esse ut triennium apud se permaneat, ad externorum vim & indigenarum insolentiam comprimendam; qvi id qvoqve novo officio promerendum respondit, nec alio, qvàm in conjugium suum consensu. Illa properô suffragiô virosæ se speciem præbituram, nec sugillationem effugituram videri; hæc tamen necessitati postponenda commemorans, conditionem accepit. Jamqve Oddus circumspiciens eqvitum globum animadvertit, insidias veritus, cognoscit, ut se honorificè ad naves deducant, collectum; qvò majore pompâ qvàm superiore anno ad suos rediret. Ad naves itaqve hoc apparatu progressus, exposito sociis gestorum ordine, Hialmarem & Thordum ut tres hyemes ibi secum morari dignarentur, orat, & exorat. Hyemes domi transactæ: æstates piratarum spoliis prædisqve eos ditârunt. Qvibus præterlapsis tædium ulterioris mansionis Oddum cepit, id enim diuturnitati vitæ adjectum videtur. Sub discessum de filia, qvam unicam, nomine Ragnhildem, habuerunt, dissidebant conjuges, singulis eam, ut conjugalis fæderis unicum pignus, retinere cupientibus; lis Hialmari decidenda derfertur, qvi secundum matrem pronunciavit. Inde digressi ad Angliam appulerunt, ubi fando perceperunt, piratam, nomine Skollium, cum qvadraginta navibus prædari, cui cum appropinqvarent, Oddus navicula vectus eum accessit. Qvi eô cognitô, qvinam esset, cui fini eò processerit? rogat, ut bellum inferret professus; causam edere jussus, qvòd Regi, inqvit, Angliæ Jatmundo bellum inferas, qvam tu temeritatem opum multâ lues. Tune ille Oddus, inqvit Skollius, qvi Biarmiam ante multos annos ingressus es? non eò amentiæ processi, ut tecum contendere velim; causam autem cognosces, qvæ me ad ditionem ejus infestandam compulit, nimirum qvod illâ patrem meum simul & vitâ exuit, cognatos exclusit, qvosdam morte multavit, partem mihi hæreditate obvenientem, vi interceptam, pro lubitu usurpat. Rectius itaqve mihi injuriis oppresso opitulaberis, ipsiqve, cui interdum dimidiam partem, interdum trientem, idq; ægrè, extorqveo, tu integram simul impiamqve vitam adimes, veræ non vanæ gloriæ titulum laudemqve reportaturus, qvòd exciso tyranno mihi patrimonium restitueris; ne vero de veritate rei dubites, evidentibus testimoniis universum causæ contextum probabo. Oddus recte & ordine id fieri censuit, jussitqve ut in crastinum diem idoneis testibus id evinceret, ipse ad naves conversus Hialmari omnia retulit. Conclusum ut, justioris causæ patrocinio suscepto, arma in eum inverterent, cujus culpa præponderaret. Exacta nocte copiæ

in terram transportatæ Skollium cum magnâ rusticorum phalange, qvos ex viciniâ undiqve ea ipsa nocte acciverat, obvium habent, fultum testimonio consentientium colonorum, qvi jurejurando jus Skollii confirmabant. Moti igitur justitiâ causæ Oddus & Hialmar, in ditionem Jatmundi cum omnibus copiis infusi, promiscuâ cæde & direptionibus omnia fædant, incolis fugâ qvoqvo versum dispersis, pars ad Jatmundum dilapsa, suorum cladem direptionemqve provinciæ indicant. Coactum igitur in tanta trepidatione raptim exercitum, ad compescendum hostium insultum adversus eos ducit. Fit ingens prælium, pugna magnâ pertinaciâ ab utraqve parte in triduum extrahitur. Ad ultimum occiso Jatmundo, totâqve provinciâ in potestatem redactâ, hyemem ibi agunt. Prælium illud in insulæ parte australi gestum memoratur, sine tamen ulteriore loci mentione. Hospitii deinde jus & commeatum, qvoties libuerit, pacti, Skollio regnum permittunt. Inde ad Skidam austrum versus profecti, duos Reges, Hlodverem & Hakium, expugnârunt. Inde ad scopulos Gotelficos cum navigarent, in sinu qvodam, Tronuvog dicto, duas naves offenderunt, nigris velaminibus obductas, duce Augmundo qvodam Eythioficida, â parricidio qvod in nutricium suum Eythiosum commiserat, dicto, viro ad malitiæ scelerumqve culmen provecto, magicarumqve artium peritiâ facile principe; cum qvo prælio ad internecionem usqve congressi sunt, Oddo, Hialmare & Thordo Stafnglamo solis superstitibus, ex altera parte Augmundo cum octo athletis. Tum Augmundus, an ulterior pugna placeret? qværit; cujus eventum Hialmaris & Thordi morte, suorum etiam athletarum, & ad ultimum sua, constiturum prævideat, ipsum vero solum evasurum, eo qvod fata illi prolixam vitam providerint. Oddus, nisi timorem objiceret, destiturum se respondit. Ille vero æqvo Marte pugnatum censuit. Inde ad parvam insulam cum deflexissent, operas inter se partiti sunt, Hialmari naviculæ custodia, Oddo cibariorum apparatus, Thordo ferarum in alimenta venatio obtigit; qvem reditum tardantem dum reqvirunt, hastâ in spelunca qvadam transfossum mortuumqve invenerunt; authorem cædis Augmundum concludunt, qvi cladem, qvam paulo majorem acceperit, turpi hac clandestina cæde rependerit, itaqve ad eum inqvirendum qvàm celerrime se expediunt, totoqve septiduo qværunt; verum dilapsus ultioni se subduxit. Corpus igitur Thordi in Sveciam delatum, exeqviis magnificè celebratis, tumulo ingenti condunt. Upsalis benignè â Rege excepti per hyemem morantur. Sub æstatem Rex ad limitum custodiam eos adhibuit, tradita classe, qvâ piratarum incursiones coercerent. Interea ad Samseyam delati sunt, ibiqve ea, qvæ hujus partis Lib. X. Cap. X. narrabimus, gesta.

CAP. VI.

DE PRÆLIO CUM PIRATA SÆMUNDO, SUMMOQVE ODDI PERICULO ET INSPERATA, VIctoria, cultuqve Christiano in Aqvitania recepto, vindictâqve cæsi Episcopi ab eo exactâ, Hierosolymitana peregrinatione, suscepto ex gigantea fæmina filio Vignere, ejusqve interitu, nuptiis cum Russiæ Regis filia, regnoqve dotali acqvisito, paceqve cum Augmundo composita, reditu in Norvegiam, morte responsis fatidicæ congruâ, deniqve sepultura.

In



IN maximas anguſtias compulſus legitur Oddus, cùm ad Gothiam (non exprimitur utra fuerit) cum Sæmundo qvodam pirata, Regibus etiam potentiore, qvippe ſexaginta ſex navium claſſe inſtructo, decem tantùm myoparonibus pugnaret; ubi amiſſis omnibus navibus, occiſis ſociis claſſiariisqve, ipſe ſaucius inter fugiendum (qvo caſu interula prodeſſe neqvivit) captus, incuria vigilum evaſit, hoſtemqve qvindecim ſuorum ſtipatum improviſus occidit, prædaqve multa potitus eſt. Poſtea fratre amitinoqve ſociis in partes Galliæ delatus naufragium fecit. In Aqvitania Chriſtianis ſacris addictus ſacro fonte abluebatur, Epiſcopumqve in itinere â qvatuor prædonibus obtruncatum cæde eorum ultus eſt; magno deinde in honore habitus clanculum diſceſſit; fuit enim peregrinationibus ſtudioſus, & longioris ubiq; moræ impatiens; inde Hieroſolymam profectus in amne Jordane ſe abluit. Plurimas exteras terras exinde pervagatus eſt, ſed qvarum nulla deſcriptio extat; ſuperſunt autem ridiculæ fabulæ, ſed otioſorum oblectamenta, qvæ conſultò prætereo. Ex gigantis Hilderis cujusdã filia Hildigerde filium Vignerem ſuſcepiſſe traditur, ſtatura & viribus modum humanum ſuperantem, qvem Augmundus Flokius, qvi & Eythioficida, cum qvo Oddo continua bella, ſemperqve infelicia & damnoſa, geſta erant, non adoleſcentiam egreſſum in Hellulandiæ ſinu Skuggio, qvò Oddus ê mari Gronlandico auſtrum verſus primò, mox in occidentem navigâſſe traditur, interemiſſe fertur. Cum tamen Gronlandiæ nomen id temporis extra Norvegiam ignotum fuerit, nec navigatio ſe probat; ut id in noſtræ Gronlandiæ cap: I. p.2. oſtendimus. Exinde longo tempore certamen variâ fortunâ cum illo extractum eſt. Tandem affinitate Geirraudi gigantis, ductâ in uxorem filiâ ejus Geirride, auctus, magnæ Ruſſiæ partis cum Rex factus eſſet Augmundus, multisqve Regulis imperaret, ſingulisqve orientis Regibus myſtaces piloſqve inferioris labii cum ſubjecta cute inter tributa exegiſſet, odiô in Oddum ex parte ſopitô, pacem fecit; Oddus etiam magnam Ruſſiæ partem imperiô tenuiſſe dicitur, Regiumqve nomen aſſumſiſſe, ductâ in uxorem Silkiſiſe, Herraudi Ruſſiæ Regis filiâ, a cujus morte regnum dotis nomine accepiſſe traditur, ex qva filios duos, Asmundum ſc: & Herraudum, progeneravit. Verum patrii ſoli reviſendi amore captus, poſt tres annorum centurias (ſi credere fas eſt) in Norvegiam, urgentibus fatis, rediit, duabus navibus, ſingulis ſexaginta remigibus inſtructis, rediturus in regnum ſi incolumem patria reddidiſſet. Qvòd vero Hrafniſtam poſſeſſoribus donâſſe traditur, qvorum tamen jus immemorialis præſcriptio ſatis muniviſſet, haut eqvidem abſurdum videtur. Inde Sokndalum petens, inq; villam Berurioðr delatus, rudera parietum in campo monſtrabat, deinde locum ubi ſagittando natandoqve ſe cum Asmundo exercuerat, indicavit. Tandem diſceſſurus, multa loca; gramine priùs veſtita, cum exaruiſſe deprehenderet; qvin, ait, inviſimus tumulum, ubi eqvum Faxium immerſum paludi ſepelivimus. Qvò cum veniſſet; nihil jam periculi, inqvit, â vaticinio fatidicæ, mihi mortem, Faxio interfectore, interminatæ, reſtabit. Exaruit inter cætera palus, nec veſtigia tumuli ſupererant (ego erutum potiùs lapidesqves in alios uſus converſos malo credere) Jacebat nudum, ſed valde putre, caput eqvi, qvô viſo; eqvine caput agnoſcitis? inqvit: circumſtantes ita videri affirmârunt. Imo & hoc Faxii eſt, ajebat, haſtaqve dum verſaret, nutabat. Interea lacer-

ta capite eqvino erumpens talo tenus eum pungebat; unde virulentâ tabe totum corpus intumuit. Ad naves deductus in litore residens nautis operas distribuit; sexaginta saxum excidebant, loculumqve funeri præparabant, qvod exstructæ pyræ impositum exuri jussit; reliqvi sexaginta rhythmum, cursum vitæ suæ gestorumqve complexum, ex ore ejus excipiebant. Extat in Sokndalo etiamnum Oddi hujus memoria, qvem Multivagi, seu peregrinabundi, cognomine appellant, inqve villa Berlio (antiqvitus Beruriodr/ qvod Beræ novalia denotat) educatum, præmonitumqve, eqvum Faxium sibi qvandoqve fatalem futurum, sed elusurum vaticinium paludi immersisse, ex cujus capite, siccata palude, post longam annorum seriem lacertam exsiliisse, lethaliqve morsu eum infecisse tradunt. Addunt & hoc, qvod in editionibus, qvas seqvor, duabus non habetur, qvod tumulo se condi jusserit, ubi campanæ marisqve sonitus, galliciniumqve audiri possit; qvod minus probabile videtur, cum campanarum usus in septentrione id temporis non invaluerit. Monstratur tumulus ejus supra rupem in parte prædii proximi Beruriodri/qvod Jmmerstein vocatur, meæqve possessionis aliqvando fuerat. Lacus etiam ab eqvo Faretiorn hodieqve conspicuus, qvo fortè caput postea conjectum est. Complura hac historiâ contenta vera esse ut nullus dubito, ita etiam plura fabulis interspersis referta haut invitus agnosco, qvorum partem ideo operi huic inserere supersedi. Staturâ duodecim cubitorum fuisse traditur. Nautæ in Russiam profecti uxori mortem ejus nunciabant: filii in regnum successerunt.

SECTIO SECUNDA.

DE ORIGINE ET GESTIS BODVARIS BIARKII EJUSQVE FRATRUM.

CAP. I.

DE HRINGO UPLANDARUM REGE, EJUSQVE SECUNDIS NUPTIIS.



ORvar Oddi vitam, qvi seculo â nato Christo tertio vixerat, exposui; seqvitur ordinis ratione Hringus Uplandarum Rex, qvi ante medium seculum qvintum floruisse ex synchronismo nepotum ejus cum Hrolfo Krakio Daniæ Rege colligitur; qvorum vitas, licet in Serie Regem Daniæ carptim attigerimus, & separatim in vita ejusdem Regis, iisdem qvibus hic verbis recitantur, exposuerimus; tamen cum ad Historiam Norvegicam pertineant, (cui ab aliis qvam minima possumus mutuanda relinqvere destinavimus) etiam huc inferre visum est. Hic igitur Hringus ex uxore sua jam ad senium vergens adultum filium, nomine Biornum, susceperat, indolis bonæ, pietatisqve eximiæ juvenem, imperatoriis & militaribus artibus juxta inclytum, qvarum peritiam continua piraticæ terrestriumqve expeditionum consvetudine, patris militiam ab incunabulis prope secutus, comparavit. Forte evenit, ut Regina Biorni mater fato fungeretur, non sine publico privatoqve subditorum luctu; cujus decessu contristati Regii

Con-

Consiliarii svaserunt, ut animum ad secundas nuptias applicaret, legatosq; ad virginem nobilitate generis morumqve conspicuam expetendam ablegaret; qvorum monitis placidè auditis in australes Norvegiæ oras, fide, prudentiâ & sapientiâ regni potissimos sibiqve devinctissimos misit, ad inqvirendam virginem, aptam sibi conjugem & subditis Reginam, cujus eligendæ potestatem legatis, electionis vero prosperitatem solertiæ eorum commisit; qvos, ut imperatum erat, australes Norvegiæ oras legentes oborta ab austro tempestas, sine intermissione dies noctesqve flando, cursum ad arbitrium suum vertere coëgit; nec prius desivit, qvàm in borealis plagæ oram Finnmarkiam perventum esset, ubi portu satis commodo recepti hyemem transegerunt. Interea dum qvodam tempore longius in terram exspatiarentur, deprehenderunt in casa qvadam duas conspicuæ formæ fæminas; qvarum grandior ætate, se Regis Finnorum concubinam, nomine Ingibiorgem; reliqvam filiam suam eodem parente natam Hvitam vocari, interrogata respondit. Ulterius qværentibus, qvo fato in eam solitudinem procul ab hominum commercio redactæ essent, vim & minas potentioris Regis, conjugium filiæ expetentis, sed repulsam, virgine aspernante, passi, extimuisse, illuc usq; ad reditum patris in expeditione piratica occupati, una tantum, qvæ præstò esset, pedisseqva comitatas concessisse, fatetur. Placet virgo oratoribus, conditionemq; offerunt nubendi Regi; mater verò responsum filiæ anticipans, non esse recentis responsi materiam, qvæ deliberatione, imò & dilatione, in patris adventum, necessarium consensum aut dissensum declaraturi, omninò indigeret, nisi ipsa deliberationis mora majus, & forsitan præsens & inevitabile, periculum allatura videretur, sibi qvidem ignotum Regem cui filiam uxorem peterent, præsumere tamen benè & ex re sua collocatam iri, utpote talium virorum, atq; ipsi essent, Regi; bonis ergo avibus filiam Regiam Regalib⁹ nuptiis jungendã, secum ut ducerent, hortatur. Reqvisito deinde filiæ consensu respondit virgo, absentiam patris dubiamq; sortem, etiam patriam potestatem matri ex omni parte detulisse, cujus voluntati repugnare piaculum duceret, se itaqve consensum ejus approbaturam. Appetente vere navigationi se expediunt, secundis ubiqve ventis usi. Sponsâ autem ad Regem delatâ, qværunt, in uxoremne asciscere velit, an domum remittere? Ille actutum formâ ipsius captus, dotis nullam se habere rationem dictitans, nuptiis celebratis Reginam eam constituit; cui tanto honoris fastigio auctæ, res omnes ad animi sententiam fluxerunt; id unum inqvietabat, qvòd Rex annis, qvàm salacitas ejus poscebat, provectior videretur; nec diu dolor iste intra animi præcordia pressus ita delituit, qvin illius indicia, etiam mediocri perspicaciâ præditis, se proderent.

CAP. II.

DE UXORE REGIS HRINGI, PRIVIGNUM AD INCESTUM SOLICITANTE, EJUSQVE DIRIS.



FUit villicus, non procul Regia domò habitans, cujus nomen non traditur, qvi dives opum, piraticâ juvenilibus annis partarum, inter præcipuos pugiles qvondam, nunc, mutato vitæ genere, colendo agro contentus, tranqvillum otium sectabatur; filiam habuit, eandemqve solam omnium bonorum hæredem, nomine Beram, formâ præclarâ, qvæ cum filio Re-

gis Biorno, puerilium ludorum, nec ipſa pueritiam egreſſa, exercitiis, adultior etiam juvenilium, asſvevit, crevitqve inter eos ab incunabulis inſitus cum ætate & conſvetudine haut diſſolubilis amor, donec adeo excrevit, ut intra colloqvia contineri neqviret. Conſveverat Rex qvotannis piraticam obire, Reginæ regni curâ domeſticâqve adminiſtratione in reditum ſuum commiſsâ, cujus molem aliqvando excuſans, Biornum filium, adminiſtrationis ſocium, ut domi relinqveret, petivit. Aſſenſit Rex, & ut inter ſe partirentur juſſit. Biornus vero obnituit, piraticæ dirigendæ, non domeſtico regimini ſe aſſvetum cauſatus. Verum Rex precibus & obſecrationibus Reginæ, ſpecioſum neceſſitatis titulum prætendentis, victus, non amplius perſvaſionibus uſus, pro imperio filio ditionis curam impoſuit; qvi neqvicqvam ſummo conamine obnitens, nec patri ſatis conciliatus, domum tacitus, irâ tumens & indignatione, rubore ſangvineo genas faciemqve perfuſus, repetens, lecto ſe morbidus ſtatim applicuit; qvo defixum morboqve, ſeu ab iracundia, ſeu animi mala præſagientis metu, contractô correptum blandis verbis noverca demulſura accedit; Verum implacabilem iræqve adeo tenacem experta eſt, ut verbis geſtibusqve delinientem diſcedere juberet. Egreſſa igitur, aliqvot dierum interjectu revertitur; jamqve immodica libidine æſtuans, qvam malè ad eum usqve diem texerat, velut in apertum furorem rapta, concubitum privigni poſtulavit; iniqvè comparatum dictitans, ſeni ſe juvenculam junctam, cum rectius ipſi, utpote juveni, nupſiſſet. Pluribus inceſtum perſvaſuram alapâ interrupit, ſtratamqve ſolo foràs repulit; Ea vero indignata, inſvetam ſe injuriis alapisqve referens, indignum ſuo amore & benevolentia pronunciavit, qvi villicam ſibi præferret, qvam & conjugio ſuo haut imperite condignam exiſtimet; ſpinas enim ſe invicem complecti; ne vero ſe impunè percusſiſſe gloriaretur, chiroteca lupina percuſſit, adjectis diris, qvibus effecit, ut in urſum diſcedens repente converteretur, nec deinde aliud qvàm gregem patris in pabulum verteret, ſaltusqve & ſilvas oberraret, tantaqve rabie in armenta patris & pecora graſſaretur, ut feras omnes feritate ſuperaſſe videretur, nec illud fatum unqvam eluctaretur, ſed ad totum vitæ tempus, patriis penatibus exul, ſive feris immiſtus, avia tesqva ſaltusve pererraret, ſive armenta laniando, crudas carnes ſangvinemqve devoraret, ſive venantium tela perſecutionesqve pavidus fugeret, ſive his transfixus moriturus animam exhalaret, illatæ ſibi injuriæ pænas ſentiret.

CAP. III.

DE BIORNO IN URSUM MUTATO EJUSQVE CÆDE.



Biorno novercæ diris hoc modo devoto, humano habitui protinus urſi forma ſubſtituta viſa eſt; igitur hominum commercio exemptus, ferarum luſtra & labitula qvæſivit; in Regia deniqve pecora debacchatus, magnum damnum intulit; interim domeſtica familia, ſubditorumqve grex, comperto ejus ſubitaneo diſceſſu, ad eum inqvirendum confluxerunt, luſtratisqve ditionis & vicinarum finibus, cum nusqvam compareret, re infectâ redierunt. Ipſius diſceſſum ingentis magnitudinis urſus, colore cineraceus, adventu ſuo eodem tempore cum ſuppleviſſet, magis Biorni deſiderium auxit, ut qvi ſolus noxiæ belluæ aut abigendæ, aut capiendæ ſuffecis-

fecisset. Contigit autem ut villici filia Bera, ursum illum terribilem, cujus fama latè per viciniam percrebuit, celeri cursu se petentem deprehenderet; qvæ cum cursu evadere inopinatò appropinqvantem, non posset, metu propè exsternata in planitie consedit; Verum belluâ tanqvam cicure & mansvetâ, illi qvasi notæ adblandiente, metum in fiduciam vertit; adulantem ergo contrectare ausa, oculos amici in ursi capite agnoscere visa, digredientem seqvitur, qvi lento præcedens gradu, longam emensus viam, antrum qvoddam intravit; qvæ pariter ingressa, Biornum, ut prius humano habitu indoleqve præditum, se salutantem agnovit. Ingens diversorum affectuum motus ultro citroqve concurrit; gaudium qvòd convenissent, qvos mutuum desiderium conjunxisset, veneficium separâsset; ingens vero tristitia ex tam asperi & insuperabilis fati inclementia; omnem ergo actionis hujus seriem amicæ enarravit; qvæ se illum hautqvaqvam derelicturam, verum in antro illi cohabitaturam, qvoad ejus copia daretur, professa est. Ille minime oportere ait, ut virgo fæmina cum ipso cohabitaret; utpote qvi interdiu hominis, noctu vero ursi formam, vi dirarum plusqvam nefandarum, assumeret. Pernoctavere nihilominus in antro simul, usqve dum Rex ex expeditione rediret. Is ut rerum domesticarum mutationem cognovit, excessum inopinatum filii, nullo conscio, & ursi successionem, utrumqve magno animo tulit, orbitatis dolorem premendo, jacturam gregis, ut rem levem & reparatu facilem, neqve eâ de causâ ad ursi cædem properandum censuit. Tandem pecoris magistris, hortatu Reginæ, immanitatem feræ, diuturnumqve gregis dispendium exaggerantibus, ad eum perseqvendum se accinxit. Nocte venationem præcedente, Beram Biornus his verbis alloqvitur: Hanc eqvidem noctem nobis inter vivos communem & mearum ultimam futuram præsagit animus, nec me tam asperæ vitæ, veneficiis infectæ, tantum tædere potest, qvantum tuam doleo vicem, cujus pietate & gratâ hoc statu præsentiâ sublevatus sum: finis instat; lucem eni crastina venatum profectus Rex cum satellitibus me circumsistent, præclusâqve omni elabendi viâ, capient, captumqve interficiant: annulum ergo, qvem sub sinistra ala conditum gero, dono accipies, petesqve â Rege, cum me occisum animadvertis, ut tibi donare velit, si qvid sub sinistro feræ arom reperire possis; illud cum nullius pretii æstimet, facilè tibi concedet. Regina vero monstrum, Trollorum generis una, & sagarum præcipua cum sit, intentè, qvid agas, observabit. Cumqve obsonium e meis carnibus apponitur, magna jam festivitate & publicâ lætitiâ personante, nec te illius exsortem dimittere decreverit, cave, qvantumvis te ad edendum sive invitet, sive minis adigat, ne inde qvicqvam, ne bucceam qvidem, degustes, nam, qvod ipsa nosti, gravida cum sis, emanabit in prolem edulii e carnibus paternis cocti comestiqve occulta vis, formabunturqve membra ad partis illius naturam, unde id qvod comedisti desumptum est. Tres enitere pueros; primus Frodius, secundus Thorer, tertius Bodvar nuncupabuntur, eritqve unus ex his tibi præ cæteris carus; omnes tamen tanti evasuri sunt viri, ut memoria eorum æternitati dicata, qvoad septentrio incoletur, sit duratura; qvos cum in lucem edideris, patri tuo educandos trades; qvod si, cum adoleverint, intractabiles forte adeoqve obstinati evaserint, ut ne domi detinere possis, singulos & solos in antrum hoc deducas; inveniesqve arcam, tribus loculis distinctam, cum characteribus runicis operculis insculptis; qvôlibet singulorum patrimonium continetur, monstrabisqve cuiqve suam, qvam destinavi, runis monstrantibus partem; qvam cum decerpserint, ostendas armorum tria

tria genera rupi interioris antri impressa, frameam nimirum primo nato, securim secundo, gladium tertio, munera paterna singulis singula testamentô relicta. Multa deinde ipsi futura prædixit, donec exuviis ursinis sponte superincidentibus induceretur. Tum egressum antro Bera lacrymans comitata, desilientem reliqvit, viditqve magnum venatorum gregem, numeroso ferocissimorum molossorum agmine saltus silvasqve circumdantem, indagineqve cingentem, in ursum confestim irruere, telisq; eminus & canum omni vi cominus petere; verum fera alacriter utrosqve excipiendo, tantisper impetum sustinuit, donec omnibus canibus enecatis, multis etiam viris vulnera inflixisset; tum demum Rex cum venatoribus, ursum undiqve circumsistentes iterum adorti sunt; qvi cum circumventum se animadverteret, intra circum frustrà cursitando, cum elabendi nullam inveniret viam, retro cursu ad Regem directo, proximè adstantem dilaniavit; longa autem persecutione fessus ad pedes Regis se prostravit, ubi â comitibus interfectus est; nec tamen mortuum ursinus habitus deseruit, argumento, ursum a Dæmone substituum fuisse, postqvam hominem, præstigiosa illa forma adumbratum, peremissent.

CAP. IV.

DE TRIBUS BIORNI FILIIS BERA NATIS, ET PECULIARITER ELGFRODIO.



Xtempore Bera, ut præceptum erat, ad Regem se contulit, petiitqve si qvod sinistro ursi armo comprehenderetur, illud suæ potestati permitteret; qvi subridens subjunxit, thesauros ferarum facile poscenti donari, qvæsivitqve qvænam esset? qvod illa magis ex utilitate, qvàm rei veritate exposuit; cumqve ursum accessisset, prope excoriatum offendit, intra tamen sinistrum armum, nemine animadvertente, annulum invenit extraxitqve; cum vero inde domum esset reversura, detinuit illam Regina, nomen & conditionem rogans; sed illa eadem qvæ Regi prius confessa est. Verum haut latuit Reginam de qvo sciscitabatur. Intentius observatam haut prius dimisit, qvàm ad ursinum epulum invitasset; qvod cum illa omnibus modis aversaretur, eo magis institit, nec salvâ Reginæ reverentiâ recusari poterat: publica qvippe lætitia instabat, dapumq; ursina præstantissima habebatur. Sed & Regina famularum ministeria obiens frusta ipsa dissecuit. Sed cum præfractiùs obniteretur, iram Reginæ commovit, minisq; adacta duas bucceas edit; qvarum posterioris maximam partem cum exspuisset, nec minus severè ad ulteriorem esum cogeretur, mortis potius minas eam nece sua exeqvi jussit; qvam ut obstinatè præfractam ad ulteriora adigi non posse Regina vidit; vade, inqvit; qvod edisti sufficerit; atqve ita dimissa corpore animoqve valde ægra ad patrios lares se recepit, omnemqve gestorum ordinem patri exposuit. Exinde tres filios peperit; primus â plantis ad umbilicum usqve alcis effigiem repræsentabat, nomenqve inde Elgfrodii reportavit; alter conspicuæ formæ, nisi qvod pedum digiti in caninos desiverint. Thoreris nomen, agnomen canipedis (Hundsfotr) sortitus est. Tertius admodum venustus, nec ulli corporis vitio obnoxius, Bodvar dictus est, qvem mater præ cæteris dilexit.

Omnes ſimul ab avo materno educati, cultioribus artibus imbuebantur; ætate ſtatim puerili æqvales omnes ſtaturâ, robore corporis, audaciâ, animiqve fiduciâ ſuperabant, brevi etiam longo intervallo poſt ſe relinqvebant, adeo ut eosdem diuturnos colluſores non admitterent. Duodecennes robuſtiſſimos qvosqve in tota ditione præſtabant, ita ut cum nemine colludere poſſent, verberibus & plagis eos ſæpiùs afficiebant, Regiorum etiam qvosdam occidebant, impune qvidem id, cum nemo eſſet, qvi tanta virtute polleret, ut ab iis pænas exigere ſufficeret. Primus Elgfrodius apud matrem qveſtus eſt; tædere ſe inter ſatellites Regios, ætate juvenes, viribus ſilicernia, morari, qvorum nemo eſſet, cujus fortitudinem æmulari poſſet, aut cujus congreſſu vires corporis exercitatione creſcerent, vel animi vigor intenderetur; neqve enim ſolum non ſaltare, nec palæſtricis exercitiis operam dare, nec currendo, nando, ſagittando, aut eqveſtres ludos xercendo, certare ſecum ipſum poſſe. Mater ad hæc reſpondit; prævidere ſe haut ê re ipſius futurum, aulicorum ulterius commerciis faſtus illius & contumaciæ hautqvaqvam patientium uti; itaqve ſubſidia vitæ â patre relicta ſe monſtraturam pollicita, in antrum eum deducit, arcæqve admovit, promptuarium, ſortem illi â patre deſtinatam continens, oſtendit; qvâ direptâ, qvæ aliis continebantur ſimul abrepturus, cum fixa & immobilia deprehenderet, iniqvum hæreditatis diviſorem patrem pronunciavit: inde ad arma progreſſus, gladii capulum arripuit, qvem petræ infixum cum dimovere neqviret, ſecurim auferre tentavit, ſed irrito prorſus conatu; frameam igitur apprehenſam ſine impedimento abſtulit, æqvè hic atqve in cæteris bonis diviſionis iniqvitatem apparere dictitans. Minimam ei portionem, forte ut monſtroſo præviſo, pater reliqverat; tum verò indignatus frameamq; fracturus, magno niſu ſaxo duriſſimo impegit, qvam capulotenus impreſſam cum eduxiſſet incorruptam, ſaxumqve penetrâſſe comperiſſet, acutam judicavit, deinde â matre absqve ſalutatione diſceſſit, aqvilonem verſus ad montem Kiolinum, ubi exſtructâ domo prædo factus viatores ſpoliavit & occidit, lucri tantùm faciendi cauſa.

CAP. V.

DE ALTERO FILIO, THORERE CANIPEDE GOTHIÆ REGE FACTO.



Rajecto temporis haut lòngo intervallo Thorer Canipes matri diſcedendi propoſitum aperit; monſtrat ergò illi paterna dona, arcamqve theſaurorum paternorum cuſtodem, ſimulqve ſecurim ipſi relictam. Is gladium fruſtra arripere tentans, ſecurim & relicta bona grato animo abſtulit, matriqve gratiis actis valedixit. Inde ad fratrem Elgfrodium perrexit, qvi prædis & latrociniis pro more intentus, publicas vias obſidens domo affuit. Thorer domum ingrediens, pileo demiſſo faciem velavit, ſedemqve præcipuam occupavit; nec ingreſſum fratrem ſalute aut ulla gratulatione dignatus, qvaſi Hermes in trivio immotus, qvem occupavit locum, detinuit; qvem Elgfrodius minacibus oculis intuitus, cum hoſpitem interritũ aſpiceret, frameã diſtrinxit, diſticon modulatus hoc ferè ſenſu.

Et manus & ferrum cædem cum ſangvine poſcunt,
Hoc fremit impatiens, prurit & illa mihi.

Scamnum deinde valde irritatus cùm frameâ percussisset, Thorer qvoqve aliô metro respondit.

At mea, cum libeat, simili clangore securis
Intonat; haut frameæ cesserit illa tuæ.

Statimqve ex voce agnitus, qvàm amantissimè excipitur, incolumis haut alitèr evasurus. Invitatus deinde ad habitationis consortium, inqꝫ communionem bonorum lucro partorum ex semisse, modeste recusavit, mansit tamen aliqvantisper, deinde discessit. Eum frater bonis ominibus prosecutus, futurorum multorum certiorem factum, ut in Gothiam, credo occidentalem, se protinus conferret, monuit, istius namqve regionis Regem recens mortuum, regnum orbum reliqvisse; moris autem esse, ut ad præstitutam diem omnes, tum cives & incolæ, tum advenæ, convocati ad electionem novi Regis, vel spectandam, vel ornandam, vel promovendam adhibeantur; collocari in aprico solium Regium, duorum ingentium sessorum capax, qvod qvi solus mole corporis impleret, eum lege Regia defuncti Regis successorem constitui; videri sibi fratris staturam huic typo apprimè responsuram, ominari itaqve, regnum eum & Regium fastigium solum ibi obtenturum. Comitatus deinde optimis eum consiliis instruxit, prolixiqve amoris indiciis affectum fraternum ostendens, ægrè dimisit; qvi cum in Gothiam pervenisset ad definitum Regiæ electionis tempus, ad Comitem illius loci divertit; qvi statim ut Thorerem viderat, Regem eum, tum ipse, tum qvotqvot aderant, futurum ominati sunt. Cum vero comitia haberentur, arbitro certo rei illius inspectio comissa est. Multi se solio applicuerunt; verùm loco isto indigni â judice pronunciati, repulsam passi sunt; ultimus Thorer spatium lege definitum totum occupavit, moleqve sua ita adæqvavit, ut ad mensuram ipsius factum esse videretur; Illum ergo solum sedem illam tam augustam mereri censor pronunciavit; deinde secundum legum patriarum normam regnum illi adjudicatum est, Regisqꝫ nomen ab universo populo inditum. Eventus electionis consilii rationem superabat, optimis siqvidem, pro seculi illius consvetudine, institutis, legibusqve regnum deinceps formavit, bellaqve multa, plerumqve felici eventu, gessit, & subditorum amorem & obseqvium, post mortem etiam desiderium sui, sibi conciliavit, memoriamqve historicis relationibus scriptisqve monumentis contentam celeberrimam ad posteros reliqvit, licet nihil eorum ad nostra tempora pervenerit.

CAP. VI.

DE TERTIO FILIO BODVARE, ULTIONEM DE VENEFICA REGINA SUMENTE.



BOdvar materna apud avum educatione contentus, cæteris moderatior, indulgentiam parentum obseqvii amorisqve invitamentum, non arrogantiæ irritamentum, interpretatus, vitam moresqve ad eorum præscriptum virtutumqve regulam formavit; ut venustatem formæ, qva omnes antecelluit, corporisqve vires animi dotibus vel æqvaret, vel superaret. Interim matrem patris sui nomen, genus, indolem, statum fortunamqve prodere postulat. Ut autem comperit monstrosum fratrum habitum, ab

ab offis, à matre vi adactâ devoratis, promanâsse, ultionem nimis diu dilatam qvestus, mirari se ait, Elgfrodium, ad qvem vindicta maximè pertineret, injuriæ paternæ ultionisqve justissimæ tam negligentem fuisse, naturæqve adeo perversæ, ut teterrimum vitæ genus, innocentium hominũ cædes, latrocinia & rapinas isti prætulerit; sed nec ê dignitate sua fecisse Thorerem, qvòd abiens veneficam inultam dimisisset. Suæ igitur sorti cessisse, sumendæ ultionis pænæqve exigendæ provinciam. Mater maturandum hortata est, ne veneficiis præveniretur. Ea igitur inseqvente ad Regem pergit, omnem rei gestæ ordinem â principio pandit, causamqve, cur filius ejus Biornus tam ægrè ad administrationem regni absente patre adigi se passus esset; prævisam namqve mulieris petulantiam, libidinemqve immodicam, deniqve in abnuentem diras veneficiorumqve vim inevitabilem; non enim fæminam, qvalem externus præferret habitus, sed Trollorum generis unam, philtro fascinatum obcæcatumqve Regem in sui amorem pellexisse; qvæ unà cum matre adversam legatis Regiis tempestatis vim excivisset, iisqve in ultimæ Finnmarchiæ oras compulsis, præstigiisqve circumventis, formam, sed fucatam, venditâsset; qvod si discessum filii cum surrogato urso computaret, constare utrumq; simul contigisse, & qvidem ursi adventum, notitiam subitanei filii abitûs prævertisse; qvo tamen omnis omnino dubitatio Regi tolleretur, adesse testem, exanimem qvidem illum, sed omni exceptione majorem, nec minis nec muneribus aut verborum lenociniis corrumpi aptum, annulum nempe, paternum in filium munus, qvem promissu Regis donatum deinde sibi, excoriati ursi alæ sinistræ mater extraxisset; qvem monstratum ubi Rex ingemiscens agnovit, infortunium & calamitatem suam multis suspiriis lacrimisqve qvestus, annulum qvidem sibi optimè cognitum respondit, subire etiam memoriam fæminæ ignotæ, ridiculum donum expetentis, & qvamvis indicia haut contemnenda suspicionem suggessissent, qvòd Regina fati tam inopinati, si non causa, certè tamen conscia fuerit, amorem nihilominus, qvo imodico ipsam ita complexus fuerit, ne ab ea dimoveri possit, se ab severiore inqvisitione continuisse: qvod si orbitati filii etiam uxoris adjiciatur, non tantum lucri in vindicta, qvantum calamitatis in nova orbitate positum esse: consulendum itaqve & ætati suæ adeo ærumnosæ, & justæ nepotis iræ doloriqve, hoc temperamentô, ut multâ qvam impensissimâ conjugis pænam maritus redimat; offerre itaqve se nepoti pecuniam qvantam exposceret, insuper Comitis titulum districtumqve, & post fata sua successionem in regnum. Ad hæc Bodvar respondit; & se sortis illius misereri, & medelam protinus allaturum; videre qvanto teterrimi propudii fascino irretitus teneatur, Regii fastigii oblitus; cui necem innocentis civis inultam pati turpe esset, eundem ad filii parricidium connivere, & sceleratissimi facinoris pænam auro redimere gestire; uxorem mæcham in sui civiumqve opprobrium novo fædere sibi sociare, veneficæqve societatem mercari; scilicet ut se, tanqvam omnium scelerum conscium & participem, vel incentorem necis filii suspectum execrandũqve, non civibus modò, sed omnibus populis feræqve posteritati reddat. Cumqve in mora maximum periculum Bodvar, jam duo de viginti annos natus, reputaret, confestim ad Reginam, inqve cubile illius properavit, securæ & inopinanti saccum pelliceum induit, extractamqve per plateas, verberibusqve cæsam saxis illisit; qvo supplicii genere malè multata periit, imenso civium gaudio, pænam tamen sceleribus longe minorem exactam indignantium. Solus Rex tanqvam lectissimam conjugem luxit;

illius tamen patrocinium ſuſcipere, panæve eam ſubducere non audebat, veritus tumultum populi, atrocitatem ſceleris, cæteroqvin in vindictam filii propenſi, execrantis; nec longo poſt tempore mærore confectus obiit. Hæres regni Bodvar avo ſucceſſit; verum ditionem animi amplitudine longè anguſtiorem faſtidiens, Valsleto, qvi Comes erat, clientelari jure commiſit, cujus etiam fidem, matre in conjugem datâ, arctiſſimo affinitatis vinculo ſibi devinxit, nuptiisqve inſuper celebratis confirmavit, ipſe in remotas regiones conceſſurus.

CAP. VII.

DE ITINERE BODVARIS IN DANIAM.



HIs ex animi ſententia peractis, itineri ſe accingit, ac primò antrum, monſtrante matre, petens, munera â patre relicta recipit, enſemqve, nomine Lövium, qvem ſtupendæ fratrum vires avellere neqvibant, ſtatim ut attigit, non jam ut antea fixum, nullo negotio tollit, qvi ſingulari nobilitate inſigni arte fabricatus his cautionibus obſervandus erat, ſcilicet, ne unqvam niſi momento in humanam cædem, neve manubrio deorſum verſo, evaginaretur, nec cervicali ſupponeretur, ter geſtantis ætate fixus niſi provocatus ſtringi neqviret. Omnibus fratribus illius poſſidendi cupido inceſſerat; vaginam poſtea frater Elgfrodius, qvâ condi poſſet, acernam fabricavit. Viaticum exiguo auri aut argenti pondere conſtabat, veſtis, eqvus & armatura conſpiciebantur, qvorum ſingularis nobilitas eminebat, & eqvus qvidem pernicitate, glomerandisqve greſſibus, inter præcipuos inſignis, qvo vectus parvô temporis ſpatio longum iter emenſus ad fratrem Elgfrodium pervenit. Abſentis & in obſidendis viis occupati fratris tecta ingreſſus, eqvô ſtabulo applicatô, locum occupat honoratiſſimum, adventum fratris, velatâ tegmine capitis facie, exſpectaturus; qvi ut hoſpitem temeritatis raræ, penatibus ſuis, nec invitatum, nec veniam præfatum, ingreſſum animadvertit, eqvumqve in ſtabulum deduxiſſe, ſummumqve cepiſſe locum, nec advenienti ſibi aſſurgentem, truci vultu intuitus eſt; qvod Bodvar tantiſper diſſimulando ſuſtinuit, donec eqvorum de ſtabulo acritèr certantium hinnitus & prælium audirentur. Tum Frodius; hunc hominem, qvi abſqve venia in meas ædes ſe intruſit, admodum audacem & temerarium eſſe oportet. Bodvar pileo velatus, ne voce proderetur, nihil reſpondens, ulteriora exſpectavit; bis ergo Frodius frameam diſtrictam vaginâ iterum condidit; ad qvæ terriculamenta ut advenam immotum comperit, metûs expertem interpretatus, vibrato ictu tanqvam medium diſſecturus adortus eſt; Igitur Bodvar indubiam mortem minime exſpectandam ratus, ê ſede diſſiliens in eum magno infertur impetu. Fit longa acrisqve lucta, altero acerrimè impugnante, altero fortiſſimè propugnante, donec pileus Bodvaris excideret. Ut vero fratrem ex facie agnovit, magna lætitia perfuſus, fraterno amore complectitur, teſtatus nimis diu certamen inter ſe productum, luctuoſum utriqve finem longius extractum allaturum. Bodvari dubiam victoriam futuram regerenti reſpondit, admodum viribus impares certare, cum multa illi deſint, ut in illa parte ſe æqvare poſſit; petivit deniqve ut ſecum permaneret,

dimi-

dimidium partarum opum pollicitus; id qvod Bodvar abnuens, abhorrere se ait â nefandis innocentium cædibus & rapinis, opibusqve scelere partis. At se multis egenis & alimentis destitutis debilibusqve usuram vitæ concessisse Frodius respondit. Meliùs facturum, si eam nulli eriperet, nisi qvorum interesset sceleratis actionibus finem impendiô vitæ, publicæ securitatis ergo, imponi, Bodvar regessit. Ad hæc Elgfrodius; haut eqvidem, inqvit, diffiteor, indolem meam â teneris veluti furiis, nescio qvibus, actã, â mitiore vita & humanioribus studiis abhorruisse; qvod autem durior hæc natura conseqvi neqvit, nec tamen minus probat, ad id velim te, mi frater, cui benigniores Dii staturam, non modò humanam, sed etiam inter homines elegantiæ miræ, naturam etiam â feritate alienam, optimorum morum capacem, cōmercii non hominum modo, sed inter homines humanissimorum, studiosissimam indulserunt, omni opera niti; Ingenii autem corporisqve vires cum illustribus hominibus conversando maximè excoles, itaqve svadebo, ut ad Hrolfum Helgii filium, Daniæ Regem, qvi fulgore Majestatis suæ omnium sui seculi Regum Principumqve fastigium obscurat, te conferas: ibi namqve Principum & præcipuorum pugilum collegium consedisse, summa cum admiratione perhibent, qvotqvot veram aulæ & imperii illius speciem ceperunt. Verum qvantumvis spiritus altos geras, tamen vereor, ut corporis robore, heroibus illis æqvalis congressũ eorum sustinere valeas. Cujus rei experimentum capturus, resistentem fratrem circumegit, infirmiorem prædicans, qvàm ut examini eorum submitti posset; itaqve, sectâ sibi in sura pedis venâ, ebullientem liqvorem haurire jussit; qvo epoto, iterum eum adortus, cum ne loco qvidem movere posset, profuisse ei potionem, nec jam dubitandum, qvin singulos Regis pugiles robore præstet; id enim se præoptâsse, ait. Deinde altero pede rupi ad talos usqve impresso vestigium ingens reliqvit; &, huc, inqvit, qvolibet matutino tempore vestigium scrutaturus concedam, inde mortis tuæ indicium capturus: repletum terrâ, morbo in fata te concessisse; aqvâ, undis absorptum, sangvine, sangvinariam mortem oppetisse nunciabit, monebitqve officii ultionis exeqvendæ, cum te præ omnibus qvàm impensissimè diligam. His peractis mutuò se invicem salutantes separantur, Bodvare iter propositum ingrediente. (Fabulosa qvidem hæc, sed aliis paritèr fabulosis se tuentur; de potionibus Hadingo & Hialtio vires conciliantibus, & expressa in rupe dormientis Starchateri effigie, Saxo prodit. Historia qvoqve Olafi Tryggvini de vestigiis ejus militumqve in insulæ Mosturis cautibus conspicuis fidem exsuperantia memorat; nec ego horum fidem aliis commendo, sed nudas relationes expono.) Bodvar iter inceptum maturans, non prius reqvievit, qvàm in Vestrogothiam in regnũ fratris Thoreris Hundsfoti seu Canipedis pervenit. Adeo natura geminorum illorum vultus corporisqve effigiem modum lingvamqve sibi invicem similia formavit, ut hunc pro suo Rege, qvi tunc absens in consvetis expeditionibus occupabatur, omnes cives & ipsa qvoqve Regina agnitum colerent, Regiisqve honoribus proseqventes in solio Regio collocarent, lectoq; Reginæ sociarent, Thorerem Regem rediisse rati; qvi cum lectum cum Regina communem haberet, straguli tamen communionem recusavit; qvod admirata Regina, ut fratrem mariti agnovit, deceptos specie ministros Regium ei honorem exhiberi permisit, ne errorem iis eximendo qvicqvam de ultrò oblato honore & obseqvio detraxisse videretur. Mirandum tamen, qvomodo Regem absqve satellitio redeuntem, ne famulo qvidem stipatum, veste etiam fortè differentem, hoc tenore, nisi forte bel-

lo victus salutem fugâ redemisset, rediisse persvasi sint. Illic Bodvar, Reginæ lecti socius, tempus in adventum usqve fratris protraxit; qvem redeuntem ubi agnoverant, fratremqve multa caritate complexum viderant, ipsi errorem suum mirati sunt. Rex optimè ipsi imaginis similitudinem cessisse gavisus, soli illi lectum cum Regina communem se concrediturum respondit. Maturanti deniqve abitum Bodvari, partem mobilium omnium dimidiam frater obtulit, si apud se permanere vellet; qvod ille magna cum modestia recusavit, nec minus frater postulare institit, ut oblatum Regium munus acciperet, arbiterqve habitationis suæ ipse foret, maneretqve ubicunqve locorum colliberet: satellitio præterea se instructurum pollicitus est. Verum nihil horum accepit; actis ergo qvam impensissimè gratiis, nullius se indigere præfatus, licuisse, si placuisset, aviti regni sceptra opesqve, qvas penè omnes reliqverit, apprehendere; cæterum malle se opes propriâ industriâ, editis majoribus suis dignis facinoribus, gloriamq; nominis immortalem comparare, qvàm avitas fraternasqve fortunas consumere; summam voluptatem reputare, fratrem opibus abundantem, regnoqve amplissimo auctum ornatumqve videre, non ut inde illo vivo qvicqvam decerperet. Cumqve in recusandis muneribus & honoribus adeò obstinatum fratrem Thorer animadverteret, tandem eum, in viam honoris gratia comitatus, dimisit; nec legitur qvicqvam notatu dignum in itinere accessisse, priusqvam in Daniam, non procul ab urbe arceqve Hleidrensi, ventum esset.

CAP. VIII.

DE CÆDE IN AULA REGIS A BODVARE PERPETRATA, EJUSQVE IN AULAM RECESSU.



INgentes fortè imbres per id tempus continuis diebus noctibusq; decidentes vias liqvore emollitas prope inexplicabiles reddiderunt; has peragrando eqvus tandem defatigatus, appetente nocte, lapsurus fortè nutabat. Urgebat peregrinum, viarumqve ignarum, larga insuper pluvia; descendens igitur eqvo tugurium qvoddam offendit, unde pulsatis foribus egressus senex hospitem ut ad se divertat, Sole jam occiduo, benignè invitat; hospite igitur introducto, eqvoqve pabulis ministratis, focoqve accenso, cœnam pro facultate lautam apparavit. Bodvarem namqve inter ordinis summi viros ex præstanti corporis forma judicabat. Multa super Rege, famulitio item & aulæ splendore, ejusq; â tugurio distantia cum Bodvar rogitâsset, non procul inde sitam, sed conspectum ejus tenebris interceptum cognovit; interrogatus deinde â rustico, num & illuc tenderet, affirmavit; subjecit itaqve rusticus, corporis qvidem istius compagem, membrorum moli congruentem magnitudinem lacertorum, nervorumqve congeriem, ingentem roboris messem polliceri, invitamentum præcipuum ad aulici satellitii receptum. His auditis uxor obortis lacrymis acerbè lamentari cæpit, Bodvariqve tanti ploratûs causam reqvirenti respondit: filium, viro sibiqve communem prolem, nomine Hottum, animi causa aulam Regiam accessisse, ruri educatum & admodum adolescentem, moribus ejus jocisqve insvetum, ludibrio expositum fuisse; qvod cum nec dissimulando

do ſuſtinere, nec facetiis retorqvendo eludere ſciviſſet, iratum agreſtiusqve ſe gerentem magis aulicos in ſe provocâſſe; conjectum itaqve in ſtruem oſſium, medio triclinii pavimento jacentem, oſſibus obrui ſolére, nec ſatis ſibi conſtare, an ſuperſtes adhuc ſit, nec ne. Aliud hoſpitii præmium non expeti, qvàm ſi forte minaci in dies morti ſubtractus, in adventum ejus vitalem auram trahat, ſaltem ne majoribus oſſibus eum feriat; qvod ſi minora fortè jaciat, ictum tamen temperando, parcat imbecilli; tales enim lacertos ejus ſibi videri, ut qvos miſſile inde jactum collineet, iis iteratum ictum ſuperfluum futurum. Bodvar compotem illam voti futuram pronunciavit; mirari tamen, aulam exteris nationibus paſſim celebratam tantâ morum bonorum labe defectuqve laborare, nec fortium virorum ingenio convenire, debiles, & qvæ humilia ſunt, opprimere. Transactâ deinde nocte cum jentâſſet, diſceſſit, & ad aulam Regiam undiqve conſpicuam ſe confert, eqvoqve, nullius veniam præfatus, inter Regiorum optimos ſtabulato, triclinium ingreſſus, locum â janua proximum occupat, paucis ê famulitio præſentibus, nec advenam vel excipientibus, vel ab eo qvicqvam ſciſcitantibus. Ibi cum horulam moratus eſſet, vidit intra oſſium congeriem vivum qviddam, qvod commota ſtrue paulo poſt manum ſitu ſordibusqve ſqvallentem exeruit; mox hoſpitis Filium Hottum conjectans, cujus rationem in libramine oſſium habendam Mater ſuggeſſiſſet; manu ejus apprehenſâ, qvid intus lateret, interrogavit; qvi magno metu correptus: *optime Bocki*, inqvit, *Hottus ego ſum; parce qvæſo, nam caſtellum molior; & qvidem miſeriarum*, ſubſumpſit Bodvar, extraxitqve invitum & ejulantem, qviritantemqve jacturam munitionis, multo tandem labore eò perductæ, ut ad ſe ab ictibus protegendũ magnam partem ſufficeret, parum ad operis perfectionem defuiſſe, qvo in poſterum, omni ab oſſibus imminente metu liberatus, ſecurus â jaculis, jaculorum vallo ſeptus, intra ipſa jacula inter jaculandum tutus habitare poſſet. *Tu vero mi Bocki*, inqvit, *cur me miſellum turbas; liceat iterum munimentum ſubire: an occidere properas?* Bodvar talia caſtella in poſterum nunqvam ædificaturum interfatus, lamentantemqve increpitans, extra portas, ad aqvam in receſſu abditam magis, qvàm ut omnium oculis conſpici poſſet, exportabat. Ibi veſtibus nudatum â capite ad calcem limpidâ lavit, iterumqve in aulam deducit, lateriqve ſuo applicat, ipſe in locum, qvem primo occupavit, regreditur. Hottus autem, qvamvis pavore prope exſternatus, intellexit tamen auxilium ſibi hunc virum, qvem dictante metu Bockium (*virum magnum*) appellavit, non perniciem machinari. Aderat cænæ tempus, ingreſſi triclinium ſatellites, inter accumbendum animadvertunt Hottum ê carcere ereptum, qvem ipſe muniverat, aſſidere raræ molis advenæ. In utrumqve ergo indignabundi oculos contorqvent, amentis temeritatis virum ducentes, qvi tantum facinus in tanti nominis aula auſus eſſet. Tum vero formidine prope exanimatus Hottus, reditum in caſtrum meditatur; agnovit qvippe omnes, qvi ſe miſſilibus oſſibus, carne nudatis, obruere conſveverant, qvorum iram qvovis modo ſubterfugere præoptabat; verum haut minor metus inceſſerat pænæ, ſi a latere liberatoris aufugeret, nec fugæ via facilis erat, adeo trepedanti, ut ne famem ſitimve levare auderet; lateri inſuper Bodvar ſuo eum velut affixum tenuit. Interim ab aulicis more ſolito leviora oſſa per tranſverſum pavimentum in utrumqve projecta, Bodvar ſe animadvertere diſſimulavit: id moderationis argumentum terroris notam cum interpretarentur, qvidam graviorum oſſium jactu, an metus ſubeſſet, ulterius exploraturus, coxendicem nudam, pedi connexam,

nexam, magno jactu in eos contorsit; qvam expavescens Hottus, magna voce exclamans, confessorem monuit, volare coxendicem, certum exitium collineato allaturam. Bodvar, Hotto conticere jusso, eandem volâ exceptam, in jaculatorem tantâ vi retorsit, ut protinus mortuus concideret; qvo casu consternati convictores, ad Regem & primores ilico deferunt, advenam execrabilem, nemini cognitum, Regium triclinium mensasqve satellitis Regii sangvine cædeqve conspersisse, orantqve ut tantum tamqve inauditum scelus intra mœnia castri, tricliniumqve Regium, gravi exemplo & sine dilatione vindicet. Rex, an innocens cæsus esset, qvæsivit, sodales, maximam partem, responderunt; inde ansa ulteriori inqvisitioni data. Ut verò rem, sicut gesta erat, causamqve cædis percepit, negavit crimen capitis hospitem commisisse; *etenim vos*, inqvit, *perversum morem in aulam meam sæpiusqve vetitum introduxistis, innocentes homines ossibus obruendo; unde Majestatis contemptus domi, foris etiam infamia seqvitur, habemurqve tales, qvi legibus & pænis talem petulantiam coërcere, aut latarum legum, nostræqve adeo Majestatis, decus vindicare supersedeamus, otiosi speculatores, approbatoresqve injuriarum, magis qvàm justi & severi vindices. Sed videmini mihi hospitem, virum profectò vestra opinione majorem, irritâsse, eum igitur ut videam, huc arcersite.* Accitus ergo Bodvar, actutum comparuit, Regemqve venerabundus salutavit; qvem Rex ut primùm vidit, animi excelsitatem ex indiciis pensitans, corporisqve vires, statura moleqve & membrorum magnitudine metiens, ilico illius desiderio captus, dimittendum minimè censuit; nomen igitur qværenti respondit, Bodvarem se proprio nomine dici, Hotti Servatorem aulicos ejus vocare. Rex iterum qvâ satisfactione homicidium redempturus esset qvæsivit. Ille innocentem non occidisse, sed qvod meruerit reposuisse, ait. Rex num sibi militando numerum suorum satellitum augere, occisiqve vicem subire liberet, qvæsivit? Bodvar satellitium neqvaqvam abnuere, modò Hottus unà admittatur; nam haut facilè â se separari posse, sed communem utriusqve sortem futuram; nec tamen loco æqvè humili contentos fore, ac fuit cæsus. Ad hæc Rex respondit, Hottum qvidem honori sibi haut fururum videri, victum tamen illi haudqvaqvam negaturum. His dictis Bodvar ad sedem occupandam, ubi visum erat, processit, tribusqve loco detractis, & qvidem ex superiore, qvàm præceptum erat classi, ipse Hottusqve successit. Hæc omnia in Bodvarem aulicorum invidiam odiumqve concitârunt.

CAP. IX.

DE LAMIA IN FERAM TRANSFIGURATA A BODVARE OCCISA, HOTTOQVE, EX ABJECTISSIMO HOMINE IN HEROEM OPERA IPSIUS REPENTE CONVERSO.



IMminente festo Jolensi, commilitonum animos, tanqvam exspectatione subiti alicujus mali, solito magis suspensos langvescentesqve Bodvar animadvertit. Causâ tantæ consternationis reqvisitâ, cognovit, Hotto referente, qvòd duobus proximè præcedentibus annorum superiorum festis ingens & horrenda fera,

fera, monſtroſæ formæ, alis duabus & qvatuor pedibus conſpicua, (qva deſcriptione velocitatem poëtas adumbrâſſe credibile eſt) armentis & pecori Regio admodum infeſta, conſpecta fuerit, qvæ ictus omnes, etiam acutiſſimorum enſium, refutaret; hujus reditum jam aulicos omnes metuere, nec id temporis præſentem eſſe potiſſimam ſatellitum & pugilum manum, bellis neceſſariis alibi diſtentam. Valde ſe deceptum famâ hujus ſatellitii, qvod toto ſeptentrione glorioſiſſimum prædicatum ſit, Bodvar qveſtus eſt; cum ad unius feræ, licet omnium ferociſſimæ, exſpectationem, animos deſponderent; neqvaqvam tamen feram eſſe Hottus ait, ſed lamiam in monſtroſam ſpeciem ſe transfigurantem. Primo appetentis feſti veſpere edixit militibus Rex, ne qvis inſeqvente nocte domo egrederetur, ne forte exitiali belluæ præda fieret: ſæviret modò in pecora, iisqve inexplebilem rabiem gulamqve ad nauſeam usqve ſatiaret. Omnes imperio ſe audientes fore polliciti ſunt. Verum Bodvar ingentis gloriæ cupidine flagrans, concubia nocte mandatum transgreſſus, cubili, aſſumptô, qvantumvis recuſante, ſecum Hotto, latenter egreſſus eſt. Inde extra arcem progreſſus, eum metu prope exanimatum, nec incedere ſufficientem, magnoqve planctu qviritantem, in præſentem mortem non eum ſolum ruere, ſed etiam ſe comitem communisqve necis ſocium ducere, ulnis ſuis portabat, bonoqve animo eſſe, eventumqve ex animi ſententia exſpectare juſſum, ad perſeqvendam belluam properabat, nec longè diſtantem offendit. Tum vero ingenti metu exterritus Hottus lamentabili voce periculum deplorabat; eô igitur dimiſsô gladium diſtricturus in belluam fertur. Tum primùm imminente fera, gladius ſtringenti parere recuſavit, donec ex provocatione, forſitan etiam adhibitô exorciſmo, ſolveretur; qvo vibrato, impetum inſilientis beſtiæ, mucrone intra armum penetralibus cordis adactô, ſtitit; qvæ tanto vulnere ſaucia ilico mortua concidit. Tantâ victoriâ partâ ad Hottum regreditur, qvem in ulva paluſtri deliteſcentem, nec ad aulam remeare, nec exſurgere auſum, extremeqve trepidum, manibus ſublatum, adqve recenti cruore madentem belluam tranſportatum, ad egeſtum ſangvinem calidum hauriendum adegit, renuentemqve duos hauſtus epotare offasqve ferini cordis aliqvas exedere compulit. Qvo peracto, diu cum eo colluctatus. *In tantum*, inqvit, *derepente vires tibi auctæ ſunt, ut neminem aulicorum debinc tibi formidandum exiſtimem.* Hottus *neqve illorum ullum, ſed nec eum qvidem ipſum amplius ſe metuere* regeſſit. Gaviſi uterqve tam ſalubris potionis refectu, feram collapſam in viventis ſpeciem erigunt, domumqve & lectum, tanqvam nusqvam digreſſi, petunt. Hanc beſtiam urſum fuiſſe *Saxo Lib: 11.* tradit, locum verò, ubi transfixa ſit, omittit. Verum in Sialandia, utpote inſula ſpatioſæ latitudinis, oceano undiqve cincta, illud animalium genus minimè proſtat. Matutino tempore qvæſivit Rex, an feram, feſti illjus jam per biennium incommodum nimis hoſpitem, rediiſſe qvisqvam cognoverit? Reſponſum eſt, neminem vidiſſe, pecora etiam præter morem intra ſepta illæſa permanere. Miſſi igitur qvi ulterius inqvirerent, oppidò redeuntes citato gradu aulam petere nunciârunt. Excitis ergo ſatellitibus, ut pro virili qvisqve in moleſta monſtroſaqve bellua tollenda niteretur, imperabat. Illi alacres arma capiunt; verùm ſive metus, ſive nimius ardor edendi in conſpectu Regis ſuæ cuiqve fortitudinis ſpeciminis, feræ currentis ſpeciem oculis eorum repræſentaverit, conſtat tamen ſoli Regi im̃otam viſam; ait itaq;, *præmium qvemlibet cæsâ ferâ promeriturum video; mihi tamen*

ſpeciem non currentis, ſed eadem veſtigia prementis, præbere videtur. Cui Bodvar reſpondit; *eqvidem magnæ molis rem arbitror cum ferociſſima bellua congredi, qvod niſi veriti eſſent, qvi jam in procinctu ſunt, dudum & absqve longiore mora inaniqve diſqviſitione, ſtaretne an curreret, in occurſum illjus progreſſi eſſent. Tuum erit igitur, ô ſocie* (Hottum alloqvitur,) *calumnias inimicorum refutare, qvi te, tanqvam imbecillem, timidum, & nauci hominem, hucusqve contempſerunt, nec amplius ſuſtinere, tanta probra & de te dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli; accelera igitur, cæteris cunctantibus, manusqve cum hac beſtia ſolus conferre minime dubita, objectamqve ignominiam tanti nominis facinore dilue, virtutemqve ſub ſordido palliolo diſſimulatam latuiſſe, non exſulâſſe, demonſtra.* Hottum ſe paratum affirmantem intuitus Rex, *neſcire ſe ait, unde tanta magnanimitas, mutatioq; ſubita; qvod ſi qvandam conjecturam afferat tacita hominis figura, aut illum eundem Hottum non eſſe, qvem Bodvar liberaverat, aut jam Hottum illum exuiſſe, aliudqve ingenium ſibi induiſſe.* Tum Hottus; *dato mihi,* inqvit, *ô Rex, gladium Gullinhialtium, iſto enim feram cunctis formidabilem periculi ſecurus conficiam.* Rex gladium illum nemini idoneum eſſe, niſi ſolis principibus, & excellentis fortitudinis heroibus. Talem igitur me concipe, ait Hottus. En gladius, ait Rex, & ſimul Hotto porrigens, *qvod bene vertat*, inqvit; *etenim brevi conſtabit, qvid hæc tam repentina portendat mutatio, nam non meis ſolius oculis, ſed conſpicientium omnium, tibi hac ipſa nocte diſſimilis factus videris: I fauſtis avibus, & qvod ſuſcepiſti, feliciter perfice.* Hottus, actis pro dono gratiis, intrepidus beſtiam adortus, primo ictu ſtravit, inqve terram præcipitem dedit. Tum Bodvar; *vides,* inqvit, *Rex, qvanto & qvàm illuſtri documento virtutis ſuæ primum ſpecimen dederit.* Rex adhæc reſpondit; *fateor illum heroico ſpiritu recèns afflatum, feram tamen tuo, non illius gladio occidiſſe animadverto.* Bodvar non eqvidem eum conjecturam fallere reſpondit. *Qvàm primum,* ait Rex, *ſub conſpectum veniſti meum, tantum virum te qvidem animadverti, qvem pauci vel animi vel corporis viribus æqvent, illud ita ſe habere eviciſti; hoc vero excedit, qvòd ingenium deſperatum in fortiſſimum virum, nauci hominem in heroem momento converteris, proinde mutatus homo nomen etiam mutabit, Hialtiusqve in poſterum nomen â gladio Gullinhialtio contractum uſurpabit.* Circa hæc tempora *Saxo* innuit, Agnarem qvendam Regis filiam uxorem duxiſſe, eundemqve â Bodvare ſublatum; qvod qva cauſâ factum ſit, ibidem tradit; qvis autem qvalisve is Agnar fuerit, proditum nuſqvam invenio, niſi qvod ipſe Bodvar in epilogo vitæ ſuæ, qvem noviſſimê pugnaturus recitavit, inter cætera etiam occiſi Agnaris Berſerki, ejusdemqve Regis, laudem ſibi tribuit. Supplet itaqve Saxo hanc Hiſtoriæ noſtræ lacunam: differt tamen eo, qvod ſororem Regis Rutam in matrimonium duxiſſe tradat. Noſter filiam Regis nomine Driſam memorat.

CAP. X.

DE INSOLENTIA BERSERKRRUM VIRTUTE BODVARIS ET HIATII REPRESSA.



Eſto Jolenſi appropinqvante, cum reditus Berſerkorum ſperaretur, mores illorum præcogniturus Bodvar, â Hialtio didicit, aulam ingreſſos â Rege qvæſtionem ordiri, orſamq; ad ſingulos per circuitum pertexere ſolitos, an tantam ſuæ virtutis fiduciam habeat, ut ſibi comparari velit. Regem verò, inſi-

gnis utilitatis ab operis eorum redundantis ratione habita, cæteris aulicis, ne rixæ orirentur, moderationis, non ignominiosæ confessionis, exemplô respondere consvetum: *Considerati hominis esse, vires facultatesq; suas probe dispicere, antequam tantorum virorum, gestis terra mariq; clarissimorum, gloriæ communionem sibi asserere gestiat.* Moderationem Regis omnes satellitii cohortes, illis palmam deferendo, imitari. *Iterum*, inqvit Bodvar, *hujus satellitii famam gloriamqve meritis majorem animadverto, si nullus contra Berserkorum insolentiam hiscere audebit, eamve compescere.* Secundo festivi Jolensis diei vespere, omnibus palatii Regii januis subito impetu adapertis, inferebant se duodecim viri cataphracti, loricis atqve galeis, cæteraqve armatura, comminutæ glaciei colorem referente, conspicui: longo deinde ordine permeantes, observant novis athletis satellitium auctum, unumqve cæteris compactiorem. His, qvantumvis pompose superbéqve incedenti primipilo, terrorem tamen, licet dissimulatum, primo statim conspectu incussit, qvem malè tectum facies repentè mutata prodidit, Uerum nihilo minus, seqventibus cæteris, ad Regem pergit; qvo pro more salutato, consvetam proponit qvæstionem, responsumqve pro arbitrio Regis ad interrogantis ingenium temperatum reportat. Postqvam eadem interrogatio per singula capita universum triclinium pervagata modestis responsis excepta esset, ad Bodvarem & Hialtium, utpote novissimè in collegium ascitos, pervenit. Priùs Bodvar Hialtium tacitè interrogavit, *an proximè succedentem invadere ausit?* ille autem respondebat: *non illum solum, sed & universos, nam ereptam sibi jam dudum, etiam adversus majorem vim, omnem metuendi rationem.* Berserko itaqve Bodvar respondit; *mirum illum qværere, an sibi, utpote porco ignobiliori, scilicet eqva matre nato, par haberi velit; dedignari namqve se in comparationem cum illo venire, placeat modò experiri; Marte se vel morte confessionem ei victoriæ expressurum*; exiliensqve loco, magno ardore invectus protinus humi stravit, parumqve affuit, qvin pes vel ossium unum frangeretur. Consimili modo in proximè seqventem Hialtius exortus est. Inde strepitus ingensqve murmur totam aulam pervasit. Rex metuens, ne intestinum intra parietes prælium, multorum satellitum necem secum haberet, solio desiliens pacem imperavit. Bodvar occisurum se minatur, ni inferior haberi velit, victumqve se confiteatur. Rex autem rem esse exploratissimam contestatus, Berserkum solaturus, *non esse ait ignominiosum majori cedere, nec iniqvo animo ferendum, licet qvis se potiorem alium videat*; amicos proinde esse jubet, Bodvari primatum adjudicat, dissidiumqve & injurias mutuas, satellitibus suas capite luendas pronunciat; in hostes iras, impetus, cædes, cladem rabiemqve vertere, inter se amicitiâ mutuaqve benevolentia certare jubet. His auditis, omnes, qvotqvot aderant, venerabundi Regem circumsistentes succlamârunt, ejusqve justitiam simul & clementiam & moderationem in cœlum laudibus efferentes, certatim gratias egerunt, Berserkiqve cum Bodvare & Hialtio concordiæ inviolabilisqve amicitiæ æterna fœdera, qvæ tamen postea rupta sunt, sanciebant. Bodvar deinde Regi in Sveciam proficiscendi author, tam ab insidiis, qvàm incendiis eum alacriter protexit. Ad ultimum, cùm fraudibus Skuldæ & sororii Hiorvardi circumventus Lethræ occumberet, dignum animo suo gestisqvé celeberrimis certamen edidit; unde carmen Biarkamal, â *Saxone* in Latialem lingvam Maronianô geniô metricè qvoqve translatum, sive ab ipso Bodvare inter suprema, sive ab alio qvodam ad memoriam ejus posteritati commendandam conditum, famæ illius &

gloriæ in perpetuum litabit. Vindices necis ejus duo prius memorati fratres, simul etiam famam suam ad posteros extenderunt. Ad ea, qvæ in his fabulosa videntur, *in præfatione ad vitam Hrolfi Krakii* respondimus, qvò lectorem remittimus.

SECTIO TERTIA.

DE SORLIO ROBUSTO

CAP. I.

DE SORLIO EX CODICE FLATEYENSI, EJUSQVE CUM HALFDANO ROSKILDÆ REGE CONGRESSU, ET SOCIETATE CUM HOGNIO EJUS FILIO INITA, EJUSQVE PERPETUIS VICTORIIS ET IMMORTALI GLORIA.



HRingum Uplandarum Regem ejusqve nepotes in ordine temporum Erlingus, qvi in Uplandis Norvegiæ Regio qvoqve titulo regnavit, excipit; qvem *Codex Flat.* anno vicesimo qvarto â morte Frodii Pacifici Daniæ Regis floruisse perperam tradit, cum initio sexti seculi regnâsse videatur; ut id *in Appendice secundo ad Seriem Regum Daniæ pag: 491.* â nobis monstratum est. Huic ex legitima uxore duo erant filii, major Sorlius, minor Erlendus, viribus etiam inferior. Cum primùm per ætatem licuit, piraticis irruptionibus operam dederunt. Prima illis pugna in scopulis Gautelfæ, adversus Sindrium piratam Sveigeris filium, Hakii maritimi Regis nepotem, qvi cum universis copiis isto prælio occubuit, verùm haud incruento, Erlendi qvippe cæde nobilitato. Exinde Sorlius in mare Balthicum classe infusus, per orientales oras victricia arma latè circumferebat, tantasqve res gessit, ut iis describendis haut modicum tempus (authoris verba sunt; certé posteris omnia perierunt) reqviratur. Regnabat tum in Dania celeberrimus Rex, nomine Halfdanus, cui imperii primaria urbs Regiaqve sedes Roskilda, id temporis magnifica, fuit; uxor autem nomine Hvedna Senior; Filii eâ nati duo, Hognius & Hacon, staturæ proceritate, virium præstantia, omniumqve principalium artium exercitiorumqve peritia inclyti, â prima juventute piraticæ industrii strenuiqve & assidui sectatores. Ad multam senectutem provectus erat Halfdanus, cum autumno qvodam ad Regia comitia profecturus, cerevisiam ad navigationis viaticum domi coqvendam, commeatumqve reliqvum apparandum curaret. Qvo tempore Sorlius repente advectus, navigium ejus, â draconis forma Draconem vocatum, in statione ad anchoram ligatum observavit, tantâ præstantiâ, ut pari ornatu, artificiosâ structurâ, materiæ firmitate, magnitudineqve, par septentrio illo seculo nullum haberet: calybe, qvantum supra undas eminebat, incrustatum erat, aurôqve, variis coloribus distincto, obductum, cælaturâ miri artificii adjectâ. Diversis seculis Ellidium, Gnodem, & Olafi Tryggvini Draconem longum, huic navi tantum prælatas notatum est. Gnodem Asmundus Halogiæ Rex duxit. Ellidios tres invenio; prima Goris, Noris fratris, fuit. Secunda Fridthiofi Sogniæ & Hordiæ Regis, de qvibus idoneis locis dictum est. Tertia Ketilbiorni ê Naumudalo, Thrandiæ

vicino tractu; inter cæteros ad occupandam incolendamqve Islandiam profecti; manetq; amnibus in illa insula, ab esocum captura celebribus, Regioq; prædio præcipuo Bessastadis, qvod præfectorum Regiorum sedes est, subjectis, ab eadem nave, qvorum ostium subivit, in hodiernum diem, id qvod tunc temporis impositum est nomen. Verum posteriores duas, ne in comparationem qvidem cum HalfdaniDracone admissas, nedum prælatas, suspicor; nisi fortè genius Fridthiofianæ, humanæ vocis intelligens, pluris qvàm cætera omnia censitus est. Draconis in suam potestatem redigendi illaudato desiderio ardens Sörlius, arma suos expedire jussit, se occiso Rege navem in triumphum ducturum palam vociferans. Dissvadebat id proreta ejus, idemq; Stallarius, nomine Sævar, dictitans esse Halfdanum principem insignem, fortissimorum longeq; celeberrimorum filiorum, & in vindictam acerrimorū, parentem. Sorlius se dracone potiturum respondit, etiam si illi Diis ipsis majores essent. Ad arma deinde itum est, famaqve ad Halfdanum, in terra fortè occupatum, de instanti prælio delata, etiam eum cum universis copiis ad navem protraxit; consiliariis neqvicqvam svadentibus, *cederet tempori, cederet hostium numero, suos longè exsuperanti, fugâqve in præsens sibi suorumqve saluti, Regniqve commodis consuleret.* Verúm ille cum omnium internecione prius se moriturum affirmavit, qvàm turpis fugæ consilia circumspecturum. Conferunt itaqve fortissimi Principes acerrimam pugnam, masculèqve res ab utraqve parte geritur; illinc avaritiæ stimuli, alieniqve cupido; hinc salutis, tum publicæ, tum privatæ, imperiiqve & invictæ ad eam usqve diem famæ, longoqve bellorum usu, vincendiqve consvetudine partæ gloriæ propugnandæ necessitas addit animos, qvam jacturâ potius vitæ fortiter pugnando occumbendoqve augere, qvàm ejus redemptione minuere, nedum in totum perdere, pro se qvisqve certabat. Nec istud certamen, ista honorum æmulatio, sine magna rerum conversione exercita est. Halfdanus cum universis copiis ad internecionem usqve deletus, rerum vitæqve impendiô, fortius qvàm prudentius, istis tamen temporibus gloriosius, initi gestiqve belli memoriam ad posteros extendit. Victor Sorlius Draconem cum universa gaza, qvæ ibi recondita erat, belli jure, vel potius injuriâ, sibi asseruit. Cognito autem Hognium ad Odinseyam reducem ê piratica cum classe excubare, eò etiam suam dirigit, certioremqve eum facit de paterna cæde, offertqve satisfactionem ad arbitrium ejus exigendam, societatem insuper, mutuâ fraternâ adoptione, arctissimâqve & perpetuâ amicitiâ stabiliendam. Qvæ omnia aspernatus Hognius, paternæ necis vindictam sitiebat. Ibi prælium ingens, infestis utrinqve animis gladiisqve gestum, sed utriqve luctuosum evasit. Hacon Sævarem sua manu occidit, gladio autem Sorlii vicissim occubuit, haut sane inultus; Erlingi siqvidem Sorlii patris cæde Hognius fratris manibus parentavit. Tandem cum Sorlio singulari certamine conflixit, qvem ad ultimam defatigationem redactum, multis etiam, iisqve gravibus, vulneribus saucium, cum superatum occidere posset, sanandum curavit, oblatamqve, qvam aspernatus antea erat, conditionem, mutuæ fraternitatis instituendæ, ubi suo beneficio dari posse animadvertit, ultro obtulit, laudemqve non modo gratiæ hosti factæ, conservatæqve vitæ, sanatiqve vulnerati corporis, sed singularis etiam humanitatis & moderationis retulit. Mansit illud intimæ amicitiæ soietatisqve vinculum qvoad vixerunt, sed prior Sorlius, dum orientem popularetur, a piratis magno prælio occisus est. *Codex Flat*: vitam Sorlii, qvam Sorla-Sticte singulari nomine appellat, in testimonium relationis suæ adducit, citatqve

carmen exeqviis ejus dicatum, adducitqve ſingulari veteris poëſeos genio illuſtre. Verum ne verbum qvidem de ea re in vita Sorlii, qvæ penes me eſt, legitur. Eadem æſtate Hognius ad vindicandam cædem ejus piratas in orientem perſecutus, non modo eos delevit, ſed perpetuo victoriarum curſu latiſſimé pervagatus adeo profecit, ut complura regna ſibi ſubjiceret. Viginti Reges ejus imperium agnoviſſe memorantur, eorum credo generis, qvales minorum gentium iis ſeculis fuerunt, tamqve illuſtris evaſiſſe perhibetur, ut Pariſiis pariter ac in Fimmarchia, interjectoqve ampliſſimo terrarum vaſtiſſimarum ſpatio, celeberrimus haberetur. Hunc tamen Hognium in univerſalium Daniæ Monarcharum catalogo nuſqvam invenio. Saxo in Frothonis, ſibi Tertii, tempora refert, ut ex ſeqventibus planum fiet, Jutiæqve Regulis accenſet; nec obſtat, qvominus Reguli illi potentes alios ſibi ſubjectos habuerint. Hæc fide *Codicis Flat: â pag: 141* retuli, qvi ſeqventi pagina ſibi repugnans, Hognium hunc uxorem duxiſſe tradit Hervorem Hiorvardi Filiam, Hiorvardiqve Patrem Heidrekum Ulfshamum memorat; cum tamen inter Frodium Pacificum & Hildis hujus Hervoris amitæ maritum, Haraldum Grandævum, duodecim generationes intercedant. Hic igitur nominum geſtorumqve confuſio apparet, nec qvid cuiqve applicandum ſit, facile eſt diſpectu.

CAP. II.

DE IIS QVÆ IPSA SORLII VITA DE PUGNA INTER HALFDANUM ET SORLIUM TRADIT.



Alfdanum hunc Hognii patrem Branæ alumnum appellat, Sveciæqve Regem facit, non tamen hæreditarium, ſed jure belli factum. Agnari enim Diviti eam cum vita ſimul eripuiſſe tradit; nec tamen qvis is Agnar fuerit, conſtat; neqve enim Agnarem illum intelligi autumo, qvem Halfdani Eyſteinini vita Geſtriciæ omnibusqve regnis ad orientem monti Kiolo adjacentibus præfuiſſe, ſatis hyperbolicè memorat; ſi enim Sveciæ Rex fuiſſet, futiliter Geſtricia, Sveciæ nomine omiſſo, tanqvam potiſſima imperii pars induceretur. Sed nec Agnari Diviti extorſit Sveciam Halfdanorum ullus, minus etiam vitam, cum uxoris inſidiis circumventus regno ad hæredes relicto occubuerit. Non igitur habendi tantùm libidine impulſum Sorlium Draconem Skrautium infeſtis armis adortum, ſed prægnantibus de cauſis ſimultates cum Halfdano, utpote patrui ſui Agnaris interfectore, regniqve ejus invaſore, geſſiſſe perhibet; ad qvas tamen componendas pronum, loco ſatisfactionis draconem tantùm expetiviſſe. Ad ea Halfdanum: ſæpius magno pretio vendi potuiſſe, jam vero longa poſſeſſione, eaqve felici, charam ſibi navem dari nullo modo poſſe, ereptam autem patruo ejus ditionem etiam illo invito detenturum reſpondiſſe ferunt. Fuſius deinde prælium deſcribens author: ſeptem, inqvit, navibus in Sorlium invectus Halfdanus, omnis generis miſſilibus conjectis, imbre eum telorum propemodum obruit, tantamqve cladem parvo tempore intulit, ut omnibus navibus Sorlium exueret, ſi prætoriam, qva ipſe vectus eſt, exceperis tribus tantum ſuarum amiſſis, totidemqve præter Draconem retentis. Erant inter ſatellites Sorlii duo præcipui pugiles, Borkus & Bolverkus, viri bello egregii. His comitatus Sorlius magno impetu in Draconem invehitur, ſcanditqve foros, infeſtoqve mucrone latera pervadens,

fortis-

fortiſſimis ſuorum ſingulis, exemplo ſuo incitatis, ſubſeqventibusqve, in propugnatores fertur; reliqvum latus Bolverkus cum ſocio vaſtabat, nec poterat impetus inferentium turmatim gradum ſiſti. Inter omnes Halfdani pugiles, fortitudine animi corporisqve viribus Thorer, cognomento Robuſtus, Thorvidi Comitis filius, eminebat; fortè nomen prioris illius Thoreris, pariter Robuſti dicti, referens, qvem propria Halfdani vita, Hringi patris ejus Comitem, cuſtodemqve limitaneum, in Fionia habitâsſe memorat, viri qvidem inſignis, ſed qvi diris fœminæ giganteæ obnoxius ad aſpectum humani ſangvinis horruerit, id qvod illo ſeculo, cum omnes militarent, probroſum viſum. Thorer hic lateris illius, qvod Bolverkus obtriverat, defenſor acerrimus milites Sorlii ubiqve cædebat. Interea Rex Halfdanus inflammatus ira Sorlium infeſtus petit. Senſit in ſe iri Sorlius: decorum erat tum ipſis capeſſere pugnam ducibus; avidè itaqve ſe certamini offert. Longum tempus acerrimo conflictu, pari utrinqve alacritate, viriumqve æqvalitate, extractum; ſenii vitio Halfdanus fesſus, Sorlius juventæ vigore pugnando habilior, in puppim usqve Regem, ad ultimam fatigationem provectum, pepulit; parſurum ſe vitæ ejus, modò vellet, identidem clamitans, contentumqve ea benevolentia futurum, qvam ejus humanitas ultrò ſibi deferret. Rex magis exaſperatus, more Norvegorum majorum ſuorum, vitæ ſuæ illum jam timere reſpondit; nulli ſe ad eum usqve diem ceſſiſſe, nec in poſterum ceſſurum: itaqve ad inſtaurandum certamen eum provocavit. Sorlius morem ſe qvidem ei, qvandoqvidem placeret, geſturum reſpondit, Verum oblatam conditionem adhuc integram ei patere. Aſpernante Rege, pari animorum, non item virium, ardore pugna redintegratur, ictusqve graves multoties ab utraqve parte geminati ſpectantes ſuſpenſos tenent. Tandem Rex ad puppim penè compulſus, præ laſſitudine ita defecit, ut vix gladio retinendo ſufficeret. Priores itaqve conditiones Sorlius tertiò obtulit. Ille malle ſe glorioſo exitu vitam finire reſpondit, qvàm ejus beneficio acceptam ferre. Cognitô obſtinatô in mortem animô, Sorlius nullum de ſe beneficium promeritum dictitans, continuis eum ictibus impetit, nullo amplius ad reſpirandum ſpatio indulto. Tantiſper ſenex â robuſtiſſimo juvene ſine ceſſatione urgetur, donec gladius langventi manu decidit, qvem protinus arreptum Sorlius pectori ejus adegit. Illud primum idemq; ultimum vulnus Halfdanus accepit, continuô victoriarum, nulla unqvam labe interrupto, curſu, per totam vitam, præclaris facinoribus magnificam, ad admirationem omnium felix & venerandus. Dum hæc geruntur, Thorer Robuſtus Sorlii milites haut aliter, qvàm lupus in ſtabula miſſus cædit & obtruncat. In eum Borkus alacriter invectus, ictum qvidem monſtroſum, ſed ſibi ipſi fatalem, dum intentat, levi Thoreris inclinatione fruſtratus, tanta vi columnæ impegit, ut gladius defixus inhæreret, qvem extricaturus, ſude a Thorere caput percuſſus, perfracta calvaria exanimatur. Inclinanti ad ictum tantum verber humeris Bolverkus impegit, ut prope interitum Thorer eſſet; fatis tamen ſervatus ilico ſe collegit, correptisqve Bolverki pedibus, corporis univerſam compagem manibus verſans, caput ſaxo illiſit, adeo ut frangeretur. Verum obrutus propemodum multitudine Sorlinorum, navem jam captam tenentium, cognitâ morte Regis, pronum ſe in mare ſubitò projecit, celeriqve natatu ad litus evaſit; draconem verò cum ingenti præda Sorlius ſuum fecit.

CAP.

CAP. III.
DE CONGRESSU SORLII CUM HOGNIO, LATOQVE HARALDO VALDEMARIS FILIO AUXILIO.



TAntum de prælio Sorlii cum Halfdano author ille prodidit: in prælio deinde cum Hognio gesto, cædem fratris Hognii, qvem Haconem *Codex Flat*: hic autem Sigmundum appellat, cæde patris Sorlii Erlingi Regis repensam memorat. Deinde singulari certamine duces longo tempore congressos, donec Sorlius abjecto gladio in Hognium invectus, diu cum eo colluctatus fuerit; qvem cum summa vi correptum ad profundi putei marginem compulisset, dum ipse celeri saltu transmissurus, interqve transiliendum Hognio se exsoluturus, eum deturbare conatur, ab eo istam stropham eludente fortius impulsus sternitur, supinusqve pronum in se incidentem Hognium excipit. Is etiam inter luctandum suum gladium abjicerat; jamqve superior, *gladiô*, inqvit, *destituor, dentibus autem jugulum tuum more Trollorum haurire turpe duco; itaq; si tanta es animi fortitudine, atq; prædicaris, imminentem mortem hic exspecta, donec gladium affero.* Immotus Sorlius interea jacuit. Admiratione constantiæ captus Hognius, *nullum*, inqvit, *scelus, aut illata ignominia in te mihi vindicanda est; pares enim videmur; itaqve tibi haut immeritò parcam, ter enim patri meo conditionē vitæ obtulisti, ipse ut prælio ita etiam causâ superior, itaq; qvid placeat, edic.* Ille *tanti viri beneficio vitam deberi, haut sibi ignominiosum futurum* respondit. Exinde cum surrexisset, mutua amicitia & societas, actutum fædere inito, inter eos coaluit. Plura qvidem, sed qvæ hæc bella præcesserant, Sorlii gesta memorantur; expeditio nimirum in Africam, ingentis lucri, nec gloriæ minus, qvæstuosa. Deinde auxilium Haraldo Valdemaris filio (qvi duos Norvegiæ trientes imperio tenuisse traditur) latum, liberataqve Regis periclitantis filia Steinvor â necessitate nuptiarum cum infesto proco Gardo, fratris Tofii, cum ingenti exercitu advecti, auxiliis subnixo contrahendarum, qvi magna classe ex Æthiopia in Norvegiam infusi, falsò (ut credo) memorantur. (Notam tamē Afris Norvegiam, partem Scanzæ, Gizerici Vandalorum Regis inde oriundi, cæterarumq; Gothici generis nationum historiæ non obscurè indicant, èqve Thule accersitum Herculis, qvi Romanum orbem incolebant, Regem *Procopius* perhibet (ei autē Thule Norvegia est.) In illo bello singulari certamine cum Gardo congressus eum neci dedit, simul ac Lodinum Polonū ferociâ virium exultantem, qvi hastam cubitos qvindecim longā, tres spithamas latam, gerebat; qvem insolentius se efferentem, non verbis modò, cū se ostensurum polliceretur, qvàm vana peregrinorum adversus Norvegicā virtutem jactantia, qvàm futilis fastus esset, repressit, sed & eqvô hasta deturbatū in terram ita dejecit, ut fractâ calvariâ confestim moreretur, req; ipsa probavit Sörlius, se non verbis qvàm factis fortiorem. Confecto etiam bello, non minorem adversus munera, licet jure sibi debita, fortitudinem inesse, qvàm adversus hostes fuerat, ostendit. Nam cū navatæ operæ amplissima præmia Haraldus Rex ei offerret, omnia recusavit; dictitans, vires corporis animiq; gratis accepta s nullam mercedē poscere, nec pericula ob injuriam ab amicorum capitibus propulsatam suscepta præter gloriam. Post obitum deniq; fratris jure tituloq; Regiô ei successit. Hæc de Sorlio ex *Codice Flat*: & propria ejus vita desumpta sunt.



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER SEPTIMUS,

CONTINENS VITAS
Eyſteini Thrandiæ Regis, ejusqve Filii Halfdani.
Aſmundi & Arani, Eigilis Unimani & Arinneſiæ.
Ketillis Hængi, & Anis Bogſveigeris.

SECTIO PRIMA
HISTORIA EYSTEINI THRANDIÆ REGIS, EJUSQVE FILII HALFDANI.

CAP. I.
EYSTEINUS THRANDIÆ REX CONSTITUTIS DOMI REBUS HERGEIRI ALDEIGIUBURGI REGI BELLUM INFERT, EUMQVE OCCIDIT, UXORIQVE EJUS CONSENSUM IN NUPTIAS SUAS EXTORQVET, FILIOQVE SUO FILIÆ EJUS NUPTIAS DESTINAT.



Væ de Uplandarum Regibus his ſeculis accepimus, expoſuimus; cum autem Thrandiæ Halogiæqve Reges potentiam ſuam extra patriam dilataverint, par eſt, ut eorum qvoqve geſta recognoſcamus. Inter hos qvidam Eyſteini nomine celebris memoratur, cujus parentum ſeries, cum vel â ſcriptore, qvem ſeqvor, vel a librario, adeo corruptè tradita

trâdita sit; ut nihil in ea sanum, aut cum temporibus, qvibus vixerat, congruum appareat; nec mihi præter unum tantum exemplar, idqve chartaceum, suppetat, prorsus præterire, qvàm prodere malo. Coævus fuisse perhibetur Heimeri Brynhildis Budlinæ nutricio, cujus filia Ragnari Lodbrochi nupserat; qvod si verum est, ad seculum septimum referendus erit. Hic ex uxore sua filium habuit Halfdanum, illamqve, cum hic ad annum decimum qvintum processisset, amisit. privatum itaqve luctum leniturus, ad piraticam animum convertit; assumptoqve secum in expeditionis societatem filio Halfdano, Ulfari Svipi opulenti civis filio, viro probo vulgoqve accepto, qvi ei â consiliis fuerat, curam regni commisit. Fuerunt ei fratres duo, Ulfkell nimirum, cognomento Snillingus, robustus vir, sed iniqvus, nec ulla prudentiæ laude insignis; qvi Regem comitatus, propriis impensis qvinqve subsidiariis navibus ei militabat; alter, sed natu minor, Ulfus, â moribus Malus dictus, mare Balthicum Biarmiæqve litora infesta piraticâ reddidit, magnâ prædonum manu valde formidabilis. Eysteinus igitur cum triginta navium classe Aldeigiuburgum vectus est. Regnabat ibi magni nominis Rex, nomine Hergeir, eo qvidem tempore senex; uxor ei Isgerdis, Hlaudveris, sev Ludovici, Gothiæ Regis filia, ex qva filiam, nomine Ingegerdem, formâ eximiâ, eminenti statura viros æqvantem, virtutibusqve egregié præditam, procreavit; qvam Comes Skulius, oppido Alaburgo subjectoqve Comitatui præfectus, enutriebat. Is Heimeris, Brynhildis Budlinæ nutricii, frater fuisse perhibetur; unde certissima Halfdani hujus ætas colligi posset, Heimerem enim æqvalem Sigmundo, Sigurdi Fafnericidæ patri, & Hiordisi Eyliminæ agnoscimus. Erat Skulius bellator acerrimus, artiumqve militarium admodum gnarus: servum habuit sibi in primis carum & fidum, nomine Kolum, statura moleqve corporis insignem, robore septem viris parem; cui filia Ingegerdis, formosa qvidem, Regis filiæ habitu oris & corporis haud dispar, moribus licet minus compositis, edocta tamen artes muliebres, qvibus eam imbui Regia virgo, cum qva conversabatur, curavit. Qvàm primùm Eysteinus Aldeigiuburgum delatus est, oppidanos impugnare cæpit. In tanta trepidatione cum tumultuaria manu obviam ei Rex Hergeir processit, impetumqve hostium aliqvantisper sustinuit, propulsabatqve; tandem â multitudine pauci opprimuntur, & in his Rex eodem prælio occiditur. Eysteinus victoriâ clementer usus, post cædem Regis receptui canebat, incolumitateqve omnibus proposita, urbem triumphans intrat; ordinatisqve ex animi sententia omnibus, Reginam ad se arcessit; qvam ut cum ira mæroreqve conflictantem conspexit, accensus formæ venustate: *Haut mirum*, inqvit, *ægrè te mariti casum orbitatemqve ferre; verùm nulla culpa tam atrox est, qvæ satisfactione expiari neqveat: mihi nuptiis si sociaris, conditio tua haut deterior erit, senis enim orbitas facile resarciri potest.* Illa *senectutem ejus haut indecoram, nec ulli tædiosam* respondit, *sed verendum, ne illjus interfectorem, qvantumvis maritum, conjugali fide amoreqve illibatô colat. E duobus alterum tibi eligendum erit*, ait Rex; *aut enim pellex mihi eris, nec tamen diutius, qvàm mihi placuerit, aut legitima uxor, solemnitate nuptiali copulanda, dedasq; temet ipsam cum regno opibusqve singulis in meam ditionem, vicissim amorem conjugalem, honorem & ornamenta, & qvæcunqve expetis, expertura, qvibus non modo reconciliata, sed in mutuum amorem provocata, suspicionem mihi omnem insidiarum eximas.* Regina, veteris diverbii veritatem, qvo ex duobus malis minus eligere svademur, se experiri præfata, haut ultrà refragabatur: Id qvod Rex pruden-

ter

ter factum, nec ipse satis prudens, judicabat; peractisqve nuptiis, filium suum Halfdanum & Ulfkelem Snillingum ad Comitem Skulium, qvi Regis filiam educabat, urbemqve Alaburgum oppugnandam cum exercitu misit, præmonitum, rem esse cum perito belli, animoso robustoqve viro: præmium victoriæ Halfdano filiam Regis cessuram, Ulfkeli vero Comitatum copiamqve eximiæ, qvam ipse eligeret, virginis.

CAP. II.

DE HALFDANO A PATRE AD OPPUGNANDUM COMITEM SKULIUM MISSO, EJUSQVE MINISTRO ULFKELE SNILLINGO; ASTU COMITIS SKULII KOLUM SERVUM IN SUUM LOCUM, EJUS FILIAM IN VIRGINIS REGIÆ SUBSTITUENTIS, CÆDE KOLI, VICTORIA HALFDANI, ET ULFKELIS SNILLINGI NUPTIIS CUM KOLI FILIA, QVÆ REGIS FILIÆ PERSONAM GESSERAT.



INterea Skulius, qvæ Aldeiguburgi gesta erant, imminentemqve sibi belli molem cognovit; itaqve copias undiqvè ad resistendum collegit, qvibus ad mandata confluentibus, ipse in gravem morbum incidit. Servum itaqve Kolum vexillum vestesqve suas assumere jubet, exercitumqve ducere, alumnam suam Regis filiam uxorem se ei daturum, navatæ operæ præmium, unà cum Comitatu aliqvo, pollicitus; qvòd autem milites imperio ejus haut acqvieturos nosceret, se Comitem fingere jussit. His conditionibus supra spem votaqve fluentibus illectus servus, avidiùs qvàm prudentiùs imperium arripuit, adversusqve Halfdanum copias omnes eduxit. Filia Regis Ingigerdis Koli sibi cognominem filiam consimiliter ad vestes secum mutandas, personamqve fingendam allexit, extorto juramento, ne id, qvoad viveret, ulli proderet; nec infelicem hac mutatione futuram dictitabat, cum aut Halfdani Regis filii nuptias, aut etiam Snillingi cum ipso Comitatu sibi certissimè polliceri possit, si eis victoriam fortuna indulserit. His peractis Skulius in tugurio qvodam prope locum prælii, jam parùm revalescens, delituit, ordinem eventumqve pugnæ spectaturus. Interea Kolus universas copias adversus Halfdanum Snillingumqve educit, magnoqve animô viribusqve rem gerit, hostiumqve aciem sæpius perrumpit, strenueqve dimicando omnibus fidem fecit, verè eum esse, cujus personam gerebat. Halfdano agnatus Skulii, nomine Herbiornus, oppositus, dum acerrimè pugnat, occiditur: cujus morte ea pars aciei, cui præfuit, subito metu consternata in fugam vertitur, Halfdano territos fortiter ad silvam usqve perseqvente. Impetum Koli Ulfkell fortiter excepit, signifero suo Snæulfo haut mediocriter adjutus. Duello res similis erat, nam ictibus mutuis se invicem longo tempore impetebant, donec lorica galeaqve utrinqve dissectæ tutandis corporibus inhabiles essent. Tandem Kolus dissecto Ulfkelis clypeo non modò sinistram aurem ei abscidit, sed etiam humi eum dejecit, interfecissetqve, ni Snæulfus uno ictu naso eum cum labio utroqve & mento, excussis simul dentibus in terram dejectis, mutilâsset; nec tamen impunè, protinus enim Kolus caput ei amputavit. Profuit hæc mora Ulfkeli ad recipiendum se in pedes; præ-

vento itaqve Kolo ipſum ictum jam minantem adacto pectori ferro exanimem in terram dejecit. Cæteri omnes effuſè fugientes ab Ulfkele fortiter inſtante vel cæduntur, vel premuntur. Receptui canentibus occurrunt duo ſenes, diſcreti ſexus; mulier virum humeris portans, qvi eventum prælii ſciſcitati, poſtqvam cognoviſſent, claudicanti greſſu ægré in ſilvam feruntur. Halfdanus cum â ſuis, qvòd miſellos ſenes allocuti dimiſiſſent, cognoviſſet, increpabat imprudentiam, eum enim eſſe ſenem, qvem occidi conduxiſſet: atqve his dictis urbem ingreditur: præceſſit eum Ulfkell, adqve ædes palatinas Ingigerdis ſe contulit. Illa, ne victoriam ad ſuam ſuarumqve injuriam verteret, ſupplex oravit, clementiam qvàm ſeveritatem erga ſexum imbecilliorem, præſertim virgines, tutelâ omni, præterqvam ſpe in clementiam victoris, deſtitutas, exercere malit; ſeqve ad matrem ducere dignaretur. Ulfkell bono eam animo eſſe juſſit, aperiret modò theſauros, fideqve & benevolentia ſibi ſe obſtringeret, cujus fructû uberrimum cum mater, tum ipſa, eſſent reportaturæ. Illa præſentem ſtatum prioris oblivionem poſcere præfata, apertis ſcriniis qvicqvid in theſauris erat depromſit. Victoriâ deinde moderatè uſi omnibus pepercerunt, mortuos etiam ſepulturæ mandârunt, funusqve Kolo, qvem Skulium Comitem eſſe crediderunt, amplum & magnificum factum. Subjectîs deinde provinciis in deditionem receptîs, ad Regem Eyſteinum, aſſumtâ ſecum Ingigerde, Regiâ, ut putabatur, filiâ, redierunt: minore tamen amoris affectu â matre Regina, qvàm ſperabatur, excipi viſa eſt. Qvæ conſulta ab Eyſteino, filione ſuo eam elocare vellet? Eâ ætate, eô ingeniô, eâ prudentiâ eam eſſe, ut, qvid ſibi maximè conduceret, perſpicere, voluntatem verbis exprimere, procos eligere, vel abnuere, petita conſenſu ſuo probare vel improbare poſſet, reſpondit. Halfdanus autem animum ad connubia nondum converſum excuſabat, dignam tamen virginem magno viro videri. Hac occaſione arreptâ Ulfkell Snillingus virginis nuptias ſibi deſtinans, nec eam â ſe abhorrere, matri ſuggeſſit, Regiqve merita ſua laboresqve & fidem ubiqve probatam multis commemorans orabat, ut tanto conjugio ſe ornare augereqve dignaretur. Qvi petitîs matri expoſitîs, conſenſuqve ejus reqviſitô, ipſam qvàm optimè ſibi proviſuram, ſe verò ejus arbitrio acqvieturam, reſpondit. Nuptiis itaqve magnificè celebratis amplam dotem addidit, Ulfkelemqve Comitem creavit, Alaburgoqve & adjacenti Comitatui præfecit, nec tamen ſine annuorum tributorum pendendorum onere.

CAP. III.

DE PEREGRINORUM ACCESSU; EORUM IN REGEM INSIDIIS; CÆDE REGIS EYSTEINI, ET FILII EJUS HALFDANI MODERATIONE.



UNiverſum triennium Eyſteinus domi tranſegit, videbaturqve cum uxore mutuis officiis certare; qvibus elapſis obſervata eſt magna qvædam navis, furentibus ventis latus Balagardenſe (qvod in Finnlandia ſitum eſt) prætervecta, nec exinde viſa; omnes periiſſe exiſtimabant. Proximo autumno viri duo, vili veſte amicti, aulam accedentes, hoſpitium per hyemem â Rege poſtulabant. Magnâ erant ſtaturâ, ſed facie pileo obvelatâ.

Ruſſos

Ruſſos ſe & naufragos, cognomines Grimos dictos, referebant. Conſultâ Reginâ, an hoſpitio eſſent recipiendi? rem eſſe Regii arbitrii reſpondit; ſæpe tamen hoſpites humanitatis officia male rependiſſe, ſe autem cum nihil ſvadeat, extra culpam futuram, tametſi qvid inopinum evenerit. Rex alimenta hoſpitibus ſine ſordidæ parcimoniæ notâ denegari reputans, inter ſatellites & inqviſitores eos collocavit. Illi modeſte ſe inter convictores gerebant, rebus autem alienis non ingerebant, colludebant freqventer arcu pilâqve, & idgenus exercitiis, qvibus ſatis peritos ſe oſtendebant. Grimus autem major virium robore eminebat, neminem tamen laceſſebat, vel ludendo fatigabat, aut injuria ulla affecit, affectus vero retorqvi poſſe monſtrabat. Minor certamina, qvæ vires reqvirebant, ſubterfugit, non item qvæ agilitatem, nam his plerosqve anteibat, ſagittandiqve artem optimè callebat. Halfdanus Regis filius ſæpius cum eo colludebat, interdum latronibus, interdum aliis ludorum generibus, ſeduloqve illos eorumqve acta obſervabat. Feſto Jolenſi, cum die qvodam ludi in aula ſolennes ad cænam uſqve proceſſiſſent, omnes Grimus major præter ſolum Halfdanum ſuperavit. Neuter eorum Reginam ad id usqve tempus allocutus eſt. Contigit autem, ut, dum pilam major Grimus vehementius torqveret, acrius impulſa, ad ſolium, ubi illa conſedit, ferretur. Dum igitur Grimus minor, qvi eam referre tenebatur, reqvirit, forte ſe incurvans ſublaturus, Reginæ aliqvid in aurem inſuſurrans deinde regreditur: illa vero erubeſcens nihil reſpondit. A ludo ſtrenuè potatum eſt, Rege potum largiter præbente, ut pleriqve, qvem locum ſobrii ceperant, eundem vino ſomnoqve ſepulti retinerent, ſtratiqve per aulam ſinguli manuum pedumqve miniſterio deſtituti ſtertcrunt, præter paucos, qvi non omninò obruti cubitum iverant. Rex aſſidente Reginâ in multam veſperam potabat. Interea qværit, qvid Grimus ille minor ei in aurem inſufflâſſet? Non obſervâſſe reſpondit. Qværentem igitur, qvòd ſæpius, qvæ cognoſceret, ſibi ſoli reſervare, nec eorum qvicqvam ſibi communicare conſveviſſet, monuit, ut ſibi qvàm accuratiſſimè caveret, confeſtimqve diſceſſit. Uterqve Grimus id temporis in aula ſopiti jacebant. Tandem Rex cum filio Halfdano cubile accedens, cum Reginam abeſſe cognovit, in lectum ſe recipiens, veſtibus detractis ſomno ſe, gladio ſpondæ applicato, componebant; lucernas famuli ſuſpenderunt. Interea Halfdanus in aulam regreſſus utrumqve Grimum dormientem deprehendit, minorem nudâ manu chirothecam miræ elegantiæ tenentem, qvalem ſe antea vidiſſe haut meminit: ornabat illam annulus aureus, illuſtri, ſed ignoti generis, gemmâ conſpicuus, qvo leniter detracto chirothecæqve impoſito, famulos lucernas propius admovere jubet; erant enim remotiores, qvàm ut tenebras pellerent. Apud Grimos dormientes deinde conſedit; mox ſomno oppreſſus & ipſe dormiebat. Ut autem evigilavit, lumina omnia exſtincta deprehendit, Grimum autem minorem ſibi adſtantem, lumenqve oculis admoventem tam ſplendidum, ut intueri neqviret, qvi ſimul chirothecam ei abripiens; *hanc tu*, inqvit, *manum annulum & chirothecam inqvires, inqvietus ſemper & anxius, niſi idem, qvi tibi jam eripit, iterum reddiderit.* His dictis candelam ad propiores fores projicit, ipſe remotiores petens exit. Exiliens Halfdanus ad eas, qvò candela projecta eſt, pergit, occluſasqve deprehendit; ad reliqvas iterum converſus, eos qvi intus erant, excitat: cum autem occluſæ eſſent, omninò effringendæ erant exituris; id qvod moram faciebat. Ad cubile igitur Regium qvantocyus itum eſt; ubi tum Rex gladio transfixus

fixus exanimis inveniebatur, unà cum tribus famulis; qvartus autem trabe conſcenſâ ſibi conſuluerat. Is retulit, Grimum majorem Regem cum famulis occidiſſe. His cognitis Regina acceſſit, tantôqve repente mærore perculſa apparuit, ut deliqvium paſſa propior morti videretur. Mox univerſam civitatem repentinus pavor defixit, qvæ per integrum menſem in omnes circumjacentes provincias magnum exploratorum numerum ad ſicarios inqvirendos emiſit, magnâ pecuniæ ſummâ corpora eorum, ſive vivorum, ſive mortuorum, afferenti promiſſâ: ſed fruſtra. Ad ſucceſſorem itaqve creandum converſi Regni ordines omnium voce Halfdanum Regem eligunt, obnixè orantes, ne delatum ſibi imperium detrectaret. Fuit enim perſpectæ virtutis princeps, ingeniô moderatô, hilaris, amicis fidus, conſtans, nec alios eligebat miniſtros, qvàm qvos virtus commendaret; offenſas meminiſſe, qvàm protinus ulciſci malebat; artes etiam nobiliores probe callebat; acceſſit his robur, formæqve decus eximium. His tantis animi corporisqve dotibus incitati cives ad comitia ab ipſo indicta freqventes convenerunt, imperiumqve illi offerebant. Is oblatum modeſtè recuſabat, neqve enim hæredem ſe Regni iſtius eſſe, nec tanti nominis menſuram implere poſſe, inulto patre, dictitabat: conſultius videri, ut Regina fratrem ſuum Sigmundum arceſſat, ad capiendam ſecum Regni adminiſtrationem; ſe autem ad inqvirendos patris interfectores perqvam ægrè profecturum, periclitaturum vindictam, fortunâqve favente rediturum, tum demum tempus fore, qvo mutua de imperio capiendo aut deferendo conſilia conferant. His auditis Regina ſtudium in eum ſuum evidentius declaratura, ſummâ ope annitebatur, ut patri protinus ſuccederet; id qvod tamen fruſtra fuit. Qvinqve igitur navibus, ſelectâ pube inſtructis, regno excedit, orientemqve pervagatus, prædis & manubiis undiqve congeſtis ditabatur; nec unqvam mente excidit manus illa, qvam venuſtiſſimam, pretioſiſſimoq; annulo decoratam, Aldeiguburgi conſpexit.

CAP. IV.

DE ULFKELE SNILLINGO EJUSQVE GESTIS IN NORVEGIA, CONFLICTU CUM HALFDANO ET EJUS EVENTU.



UT vero Ulfkell Snillingus, qvi Alaburgi boream verſus reſidebat, occiſum Eyſteinum cognovit, inſtigante uxore, ad ſoceri ſui Hergeiris regnum, ſibi jure hæreditatis debitum, repetendum, Aldeigurburgum ad Reginam ſocrum ſuam Iſgerdem, fratremqve ejus Sigmundum proficiſcitur. Regina contentum eſſe jubet eô, qvem teneat, Comitatu, nec injuriam interpretari, ſi amplior ditio denegetur, cum & ejus poſſeſſio, qvam habeat, in beneficio reponenda ſit. Irritatus hoc reſponſo Ulfkell, multa minatus diſceſſit, protinusqve exercitum comparavit; nec Sigmundus ſibi defuit, nam & is collectis copiis eum inſecutus ad promontorium Krakuneſiam offendit; ubi magno certamine pugnatum eſt. Ulfkell amiſſo milite, navibus etiam, præter ſolam illam, qva ipſe uxorqve vehebatur, trepidâ fugâ evaſit, inqve Norvegiam ad Fratrem Ulfarem, cui

cui Eysteinus administrationem imperii commiserat, cursum vertit, postulatqve, ut universam sibi ditionem tradat, longè enim amplius regnum Halfdanum in oriente possidere, qvàm ut hujus jacturâ gravius aliqvod damnum sentiat. Ulfar orabat, desisteret tantum nefas animô agitare, nec se ad proditionem pelliceret; amissum in Russia Comitatum si libeat armis repetere, ad id se ei sumptus & militem suffecturum. His cum Ulfkell acqviescere nollet, ad altercationes & jurgia processum est, nec destitit priusqvam cæso fratre universum imperium, cui præfectus erat, sibi subjecisset. Omnes factum authoremqve pariter detestati, sed vi victi, cervices jugo submittere cogebantur. Partô scelere regnô, classem triginta navium copiasqve coegit, qvibus exules & facinorosos qvosqve spe prædæ illectos miscuit, navem præterea draconis formâ, septuaginta loculis constantem, ipse duxit, proretâ Ivare Bòggule Berserko insigni, sceleribusqve satis famoso. Frater illius Rafnkell virorum robustissimus, signifer electus. Hac malorum hominum sentinâ instructus, in orientem navigaturus, nullam terram interjectam â latrociniis & cædibus, cæterisqve calamitatibus, qvæ a'piratis & prædonibus exspectari poterant, immunem relinqvit. Prætervecto saltus Hlynios (Hlynstoga) orientem versus, cum ad promontorium Klifandanesiam, haut procul Biarmiâ distans, perventum esset, Halfdanus cum decem navigiis selectoqve milite occurrit. Ut autem Ulfkelem agnovit, cum eo expostulavit, qvâ fronte tantum scelus perpetrâsset, ut fratre, viro optimo, cæso, regnum suum & patrimonium invaserit. Plus illum suæ ditionis in oriente occupâsse respondit. Negabat Halfdanus ullam ibi partem regni aliqvo jure ei competere. Mox ad arma concursum est, admodum impari manu, maioriqve Halfdani damno, ni Ulfkele multitudine prævalente, prudentia Svidii Sokndiarsi (seu Strenui) viri Halfdano â consiliis, impigriqve bellatoris, provisum esset, ne circumveniri classis ab Ulfkelis navibus posset. Haut longo tempore pugnatum est, cum acies Halfdani nutare cæperat; itaqve ad ultimam defatigationem bellum producere haut sibi integrum ratus, unà cum Svidio in Ulfkelis draconem insilit. Primus ei Ivar Bòggull occurrit, postqve mutuos ictus, dejectô signô, brachio humerotenus mutilatur, proreta etiam Eigill â Svidio eo impetu occiditur. Exinde Ulfkell in Halfdanum invectus, ingenti improvisoqve ictu eum ferit, clypeoqve & lorica transfossis, tribusqve simul costis fractis, sub ala tribus vulneribus sauciat. Eodem momento Svidius, mucrone in oculum Ivaris Böggulis intruso, eum exanimat. Halfdanus his vulneribus saucius, animô magis irritatô qvàm demissô, acriter in Ulfkelem fertur, qvi ictum exigua corporis declinatione evitaturus, utriusqve tamen pedis digitis maximis excipit, iisqve in posterum caruit, nec tamen gratis cariturus, nam hastæ jactu Halfdanum collineâsset, ni trochleam transiliendo evitâsset; qvam foramini inhærentem pedibus contritam confregit. Eodem momento Ulfkeli Svidius scapulas tam validé percussit, ut in utrumqve genu concideret, ipse ictu lapidis nave excussus in subjectam scapham decidit. Mox Halfdanus ê navi a Rafnkele præceps datus in mare ruit, sedecim vulneribus acceptis; sublevatus autem â Svidio seminecis, nec mentis, nec virium compos, in cymba jecit. Interea viginti qvinqve naves longæ promontorium prælapsæ superveniunt, omnes magnæ, loricatos milites vehentes. Stabat juxta malum in prætoria navi vir statura ingens, thoracem sericum absqve manicis indutus, loricatusqve. Hic, qvinam tam impari Marte dimicarent

micarent, sciscitatus, ubi a Svidio, qvo in statu res suæ Halfdaniqve essent, accepisset: meumne, inqvit, auxilium Halfdanus aspernabitur? Svidio qvinam esset qværenti, nihil referre respondit. Suppetiis opus esse, cum Svidius respondisset, repente Ulfkelem adortus est. Redintegratur itaqve conflictus haut minore ardore, qvàm â principio. Peregrinus iste Ulfkelis prætoriam navem sibi impugnandam delegit: Svidius autem naves minores adortus brevi vectoribus evacuavit. Et qvamvis strenuè Ulfkelini sese defenderent, longo tamen prælio fessi, multis suorum orbati, tot integris longo tempore resistere neqvibant. Advena Ulfkelis nave conscensâ manus cum eo conseruit. Acriter & longo tempore pugnatum est. Prior advena, cum clypeum Ulfkelis diffidisset, impactum galeæ gladium excepit, adeo feliciter, ut illâ integrâ ensis in duas partes capulo tenus frangeretur; cumqve Ulfkeli jam inermi nulla nisi in fuga salus restaret, in proximam suarum navium transiliit, fugâqve evasit. Qvo visô, binas simul in peregrinum hastas Rafnkell conjecit, qvi utramqve volantem simul arripuit, arreptamqve retorsit, singulosqve singularum jactu trucidavit; mox acinace clypeô transverberatô, utrumqve brachium transfodit, levatumqve in sublime Rafnkelem extra navem deturbavit. In reliqvos deinde tam acritèr invectus est, ut salutem continuò deditione pacisci cogerentur. Omnibus parcitum est; nemo in militiam ejus ascitus; singuli in terram sine armis veste nudati delati; naves omnes prædaqve intercepta, præter unicam, qvâ Ulfkell cum uxore effugit. Milites Halfdani copiis peregrini adjuncti sunt. Conspecto Halfdano, tot gravibus vulneribus saucio, penitiusqve perspecto, sanabilem qvidem pronunciavit, si medicum peritum nancisceretur, sineqve agitatione corporis ad eum deferretur. Itaqve ad rusticum pauperem, haut procul inde habitantem, nomine Hriflingum, uxoris Arghirnæ maritum, multorum liberorum patrē, artis medicæ apprimè gnarum, per fidos custodes eum ablegat, cum ingenti sostro, mandans ut illam in eo sanando curam diligentiamqve adhibeat, qvam in se esset impensurus, si qvando indigeret; Halfdano deinde sanato referret, ubinam is esset, qvi eum sanandum curaverit, qvi & eum se propediem invisurum & speraret, & exspectaret. Ad Hriflingum delatus Halfdanus benignè excipitur; nec qvicqvam diligentiæ studiiqve in eo sanando intermissum: octodecim hebdomadas lecto detentus est; nec erat restituendæ sanitati facilis via tot gravibus vulneribus perfosso; intra tamen annum in integrum restitutus est, totôqve eô tempore ruri moratus. Addebat tædium moræ ingens, qvo flagrabat, desiderium manûs illius, qvā Aldeiguburgi vidit, annuliq; & chirothecæ inibi sibi ereptæ recuperandæ.

CAP. V.

DE ULFKELE REGI BIARMIÆ FILIAM IN MATRIMONIUM FRATRIS ULFI METU EXPRIMENTE, BELLOQVE UNA CUM EO GRIMUM KYRIALORUM REGEM PERSEQVENTE, HRIFLINGOQVE HALFDANUM AD AUXILIUM FERENDUM CONCITANTE, HALFDANI PROFECTIONE, CUM COMITE SKULIO RECONCILIATIONE, ET NUPTIIS CUM INGIGERDE.

Post



Post cladem hoc conflictu acceptam Ulfkell Snillingus, cùm unica nave & qvindecim tantùm sociis nauticis ægrè evasisset, diligenti exploratione cognovit, fratrem suum Ulfum Malum in Biarmia versari, numerosâ classe potentem. Ambierat is Regis illius territorii, Hareki dicti, filiam, nomine Oddnyam; abnuentiqve patri bellum intulerat. Ad eum, qvô vires reparare posset, Ulfkell legatus concessit, qvi receptus a Rege admissusqve exposuit, *qvàm rebus ejus conduceret, filiam suam fratri nuptum dare, viro strenuo; utpote qvi imperii maris possessionem, qvod sexaginta navium classe pervagari consveverit, suam propemodum fecisset, nec exiguam adventu suo accessionem rebus ejus factam, qvippe Aldeiguburgum & Alaburgum cum subjectis provinciis, sibi jure hæreditario uxoris nomine competentia, ei perpetuô jure possidenda â se tradita; dispiceret itaqve, an tanti viri arma auxiliis, inimicitiæ amicitiæ e re ejus præponeretur.* Rex tempus deliberandi postulabat; his in concilium relatis, præcavendi periculi, ab iis exspectandi, ergò, tutius visum est votis eorum subscribere, qvantumvis incerta Aldeiguburgi recuperatio videretur; metu igitur magis qvàm voluntate matrimonium illud contractum est. Mox fratres Biarmiæ limitum custodes constituti. Cum autem Ulfkelem prorsus lateret, qvinam is esset, qvi novissimè adversus Halfdanum bellanti improvisus hostis accesserit, percontatus est â Rege, an ullam illius cognitionem haberet? Grimum vocari respondit, finium Kyrialium Regem, non qvidem notum, nec ortu patriâve ulli adhuc cognitum, bello sibi agrum illum subjecisse; sed miræ formæ virginem, nec isto seculo comparabilis, eandemq; â teneris alumnam suam, educare: de hoc ipso Grimo ultionem ipsi sumendam. Ad hoc auxiliis ejus se indigere, cum Ulfkell respondisset, annuit Rex, nam & sibi decretum esse, virginem suæ potestatis facere. Conclusum itaqve, ut proximâ æstate validam classem exercitumqve eò traducant, nec prius desistant, qvàm Grimô occisô virginem Regi acqvisiverint. In societatem expeditionis duo Finniæ Reges, magicæ artis magistri insignes, Fialar & Flokius, assumti. Collectis deinde copiis classeq; valida, ad Kyrialorum fines navigant; qvò cum ventum esset, præmisso Ulfkele mandant Grimo, ut regnum alumnamq; suam dedat Biarmiæ Regi. Grimus autem negabat deditionem tam citò fieri, rebus adhuc inexpertis, nec esse qvod Ulfkell meliorem fortunam qvàm anteà sibi polliceatur. Manè seqventis diei copias castello educit, totoqve die prælium magnis utrinqve animis gestum in seram vesperam protractum est, majore tamen cum Grimi jacturâ; multis enim cæsis plurimos saucios in castellum reduxit. Cum jam Halfdanus sanitati restitutus esset, per Hriflingum de horum Regum expeditionis fama certior factus, cognoscit illum Grimum â Regibus impetitum, eum ipsum esse, qvi sibi periclitanti suppetias tulisset, sanandumqve curâsset; eundemqve illum Grimum, fictô nomine sibi ipsi impositô, Skulium esse, Alaburgi qvondam Comitem, eundemqve patris sui interfectorem, Hergeirisqve Regis filiam apud eum enutritam, adhuc in ejus tutela præsentem manere, formâ omnes alias præstantem; cujus venustate captus Harekus Biarmiæ Rex, educatori Skulio, instigantibus Ulfkele Snillingo Ulfoqve Malo, infesta arma vel intulerit, vel propediem illaturus videatur. Adjecit Hriflingus, offensam ob cædem patris, ejus liberatione pensatam; hortabatur itaqve, ut recentioris beneficii memor esse

malit, opemqve ſervatori ſuo, cujus forte indigeat, haut gravatim ferat. His expenſis, Halfdanus haut ſurdas aures poſtulatis adhibuit, edoctusqve viarum, qvæ eò ducebant, difficultates, eam prætulit, qvam tres immanes prædones diſcretis luſtris infeſtam reddiderunt; qvibus feliciter oppreſſis, ad caſtellum, qvod Grimus inſedit, incolumis pervenit: qvo tempore ille contra Harekum impari manu pugnabat. Educebat enim qvotqvot armis habiles erant, fœminas autem in mœniis ad defenſionem caſtelli diſpoſuit; qvod cum Halfdanus ſubiret, ſalutabat eum virgo ſpecioſa, proprioqve nomine inclamans qvæſivit, nonne tempus adeſſet, qvo chirotecam annulumqve Aldeiguburgi ſibi ereptum repeteret? illi, num copiam ejus ſibi facere poſſit? iterum qværenti, redimi poſſe auxilio in præſens nutricio ſuo periclitanti ferendo reſpondit. Is ſpe conjugii ejus laturúm ſe, licet immeritò, pollicitus eſt. Projecit ergo chirothecam, fidei ſuæ indubitatum pignus, annulum redeunti traditura. Qvâ acceptâ, tantam opem adventu ſuo tuliſſe perhibetur, ut Ulfkelem & ipſum Harekum Biarmiæ Regem ſua manu peremerit. Ulfus Malus Grimi gladio occubuit. Grubbii cujusdam, Krabbii, & Svidii operæ in primis ſtrenuæ memorantur. Krabbius ſignifer erat Hareki Regis, Svidiiqve manu occubuit; nec Flokium Finnorum Regem aut Fialarem præſtigiæ ſuæ eripuerunt morti. Tres naves effugerunt: ea autem qvæ Ingigerdem Ulfkelis uxorem vehebat, illiſa ſcopulo cum omnibus nautis ipſaqve Ingigerde periit. Victor Halfdanus in caſtellum rediit, Skulius autem nusqvam comparebat. Poſt triduum convocatis qvi caſtellum tenebant, in publico conſeſſu Ingigerdis ſe ſuaqve ei dedidit. Ille autem poſtulavit, ut ea, qvæ matri in aurem inſuſurrâſſet, cum emiſſam â Skulio pilam ſuſtuliſſet, ediceret. Cubile vitrici ne ea nocte clauderetur, provideret, petiiſſe referebat, nec absqve cauſa, repetendam enim vindictam fuiſſe de patris interfectore. His dictis ſupervenit Skulius, loricâ caſſideqve tectus; qvâ depoſitâ, rem omnem ſe arbritrio ejus commiſſurum, elocaturumqve alumnam ſpondebat, ſi ſocietatis fædus ſecum ferire vellet; qvod ſi abnueret, ſe ſibi ipſi proviſurum. Halfdanus ingentes qvidem interveniſſe offenſas, pari tamen beneficio compenſatas; occidiſſe illum patrem ſuum; ad ultionem domini exeqvendam juſto dolore ſtimulatum; eundem etiam ſe præſentiſſimo mortis periculo, tum, cum nulla ſupereſſet via expediundæ ſalutis, eripuiſſe. Skulius illud novo jam beneficio repenſum reſpondit. Mutuæ humanitatis certamen, qvotqvot aderant, admirati, fædera eorum & ſocietatem magno aſſenſu probabant; atqve ita mutua amicitia inter infenſos hoſtes repentè coaluit. Ingigerdis uxor Halfdano data, prædaqve omnis ex æqvo inter eos diviſa eſt. Hriflingus, (qvi tanta erat egeſtate, ut in proverbium deinde abierit *Hriflingi Suſtentatio*, qvadretqve in eos, qvi anxio labore ſudoreq; multo vitam tolerant, auxilio externo deſtituti) jam accerſitus abundeq; locupletatus, prædonum hæres ex aſſe conſtitutus eſt. Onera duodecim navium prædæ ceſſiſſe perhibentur. Inexpugnabile caſtellum illud, qvod Skulius exſtruxit, memoratur. Ibi nuptiæ Halfdani cum Ingigerde magnâ cum pompâ celebratæ, convivarumq; ſinguli haut indonati dimiſſi; unde liberalitatis Halfdani fama latè precrebuit.

CAP. VI.

DE HALFDANO IN BIARMIAM BELLUM TRANSFERENTE, EJUS DEDITIONE, HALFDANIQVE IN RECUSANDIS DEVICTIS REGNIS OMNI SECULO INAUDITA MODERATIONE.

In-



INdicta deinde in Biarmiam intra proximum mensem expeditio, evocatiqve ad arma, qvi idonei visi sunt; vacantis qvippe Biarmiæ, occiso Rege, possessionem victores sibi vendicabant, qvam Grundio, relicto Regis filio, fortiore jure, belli nimirum justi, abstulisse videbantur. Nec erat res difficilis, Grundiô arma opponere non ausô, Halfdaniqve clementiam inimicitiis hostilitatiqve præferente; consiliô, illo potissimum rerum statu, dubiis subditorum voluntatibus, viribusqve affectis, præstantissimô: in amicorum itaqve numerum receptus, fiduciæ fructum haut exilem sentiebat. Educatus erat apud Biarkmarem, Comitis titulo clarum, filium Raknaris, sive Ragnaris, illius, qvem portentosam navem ædificâsse Antiqvitas tradidit. Oddnyam præterea Biarmiæ Regis filiam Halfdanus secum duxit, moderationisqve laudem captans benignè habuit. Inde Aldeiguburgum cum uxore Skulioqve cæteroqve comitatu profectus est, postqve exiguum temporis intervallum publicum indixit conventum, ubi palam fecit: *Famam pridem publicè tulisse, omnibus etiam persvasisse, Ulfkelem Snillingum Ingigerdem Regis Hergeiris filiam uxorem sibi sociâsse; iis autem mortuis, se jam veram & genuinam Regiis Hergeiris filiam omnium oculis publice monstraturum*; qvo factô, conversus ad matrem Reginam Isgerdem, testimonium ejus reqvisivit, illamne Ulfkeli elocatam, an hanc, qvæ præstò esset, filiam agnosceret? Mater autem respondit; *Koli illam filiam, servam servo natam, qvæ Ulfkeli elocata est; hanc autem Regis Hergeiris suamqve genuinam filiam conjugem ejus factam, conjugioqve tanto dignam testata; simulates omnes æternâ oblivione sopitas novâ hac affinitate, perpetuis amicitiis mutuisqve officiis commutatas; id unum, qvod restaret, reqvirere, ut regnum, qvod pater ejus justo possessori ereptum invaserat, ipsius uxori, ut unicæ hæredi, eiqve, ut marito, restituatur: itaqve se semetipsam cum summo ad imperium jure, provinciisqve subjectis, & qvicqvid deditionis nomine contineretur, in ejus potestatem transferre; id tantum petere, ne non modo sua fides in Regem Regiamqve domum Skulio fraudi non esset, sed etiam ejus fructum uberrimum sentire faciat.* Exinde Skulius orsus â principio, ut Kolum in suum locum substituerit, cum ad Alaburgum cum Halfdano pugnandum esset, utqve Ingigerdis illius filia, Regia virgine imperante, ejus locum subierit. Reliqva deinde, qvæ ad id tempus usqve gesta erant, ordine recensuit, stupentibus omnibus, vicissitudinemqve admirantibus fortunæ, Halfdanoqve novo Regi prolixis studiis gratulantibus; ipse assurgens Reginæ Skulioqve, atqve adeo omnibus regni ordinibus, pro tam honorifico de se judicio longo verborum apparatu prolixè gratiis actis: *Qvandoqvidem*, inqvit, *res eò redacta est, ut regiones tot regnaqve imperium meum agnoscant, de iis pro arbitrio meo, id qvod æqvissimum videtur, hoc modo statuo: Comiti Skulio Reginam Isgerdem socrum meam lectissimam matrimonio jungo, partemqve Gardarikiæ, qvam hucusqve tenuit, dotem dico. Biarmiam, unà cum Oddnya Hareki Regis filia, in potestatem meam redactâ, Sigmundo socrûs meæ fratri fidæ administrationis, dum abessem, præmium addico, modò neutri eorum molestum sit* (id autem utriqve placuit.) *Ego verò patriô regnô in Norvegia sito contentus ero, certus, ejus, qvod jure mihi debetur, usum diuturnum futurum.* Finibus Kyrialinis Skulius Svidium, cognomine Acrem, præfecit, procul dubio eum, qvi Bosii filius, Vilmundiqve pater, in aliis historiis celebratur. Uere autem

cum Solis æſtus, hybernâ glacie liqvefactâ, navibus maria pervia reddidiſſet, Halfdanus cum Sigmundo Biarmiam claſſe petit; ibiqve eum, qvem antea Regem pronunciavit, etiam conſtituit; qvi tamen Halfdanum in Norvegiam comitatus eſt. Magno ſubditorum gaudio Halfdanus in patriam redux exceptus eſt, patriqve in Thrandiam, reliqvaqve ditioni ſuæ ſubjecta territoria, nemine repugnante, ſucceſſit, ilicòqve omnium ſibi animos devinxit. Ex Ingigerde duos procreavit filios, Thorerem nempe Hiortum, ſeu Cervum, & Eyſteinum Glumram, diverſum ab eo Eyſteino, qvi Rognvaldi Mæriæ Comitis pater, Hrolfiqve primi Ducis Normandiæ avus fuerat. Ex recenſitis hactenus cum hic tradatur ab hoc Halfdano numeroſa progenies in Orcadibus orta, & nosmetipſi Eyſteinum Glumram Rognvaldi patrem, etiam Orcadenſium Comitum progenitorem agnoſcamus, patet, poſteriorem Eyſteinum hujus tum nomen, tum etiam cognomen referentem, ab illô ipſo ortum traxiſſe; genealogiâ, qvæ â Norvegiæ eponymo Nore per nimis curtam avorum catenam ducitur, id ſvadente, cum numerus iſte majorum annis non mediâ ſui parte reſpondeat.

CAP. VII.

DE VALO RAGNARIS FRATRE, SVIDII INTERFECTORE, EJUS GESTIS ET EXITU, FRATREQVE AGNARE ET EORUM PATRE.



HAlfdanò Sigmundoqve in Thrandia remanentibus, piratæ, qvorum dux erat Valus, Ragnaris, cujus mentionem fecimus, frater, natus patre Agnare Geſtriciæ, regnorumqve omnium, qvæ montem Kiolum ab ortu reſpiciunt, Rege; matre Hildigunna, Hareki Biarmiæ Regis ſorore, qvi mare Dumbicum claſſibus infeſtans prædis agendis incubuit, Svidium finibus Kyrialinis præfectum improviſum invaſit, occiditqve, ingentemqve prædam abſtulit; auri præterea argentiqve valde potens, qvorum copiam in monte Bleſamergo, qvi mare Dumbicum â Borea ſpectat, nactus fuerat. Hic idem Valus cognationis jure Biarmiam ſibi vindicabat: ad eum igitur opprimendum Halfdanus cum Sigmundo in Biarmiam profecti, cognoverunt, eum cum claſſe in tractu, qvem ſinus Gandvika ab auſtro reſpicit, excubare. Qvò cum perventum eſſet, acriter inter ſe confligebant. Proretæ Sigmundi duo memorantur, Gaukus nimirum & Haukus, qvi extremas naves, easqve minores, omnes vaſtaverunt. Agnar autem Ragnaris filius Halfdani navi ſuam junxit. Duo erant Valo filii, Kauttus & Kiſius, cum qvibus Oddus Skrauti9, Gaukus item & Haukus, congreſſi, eos in fugam compulerunt; utrumqve Oddus ad litora usqve perſecutus eſt: tandemqve in oſtium fluvii, qvod per prona montis in mare delabitur, cum perveniſſent, præcipites a perſeqventibus dati perierunt. Valus autem arreptis duabus arcis aurô plenis, pondere tantô, ut duorum virorum robur utrisqve portandis reqvireretur, filios ſecutus flumini ſe immerſit. Fabula inde orta eſt, in draconem converſum auro incubâſſe, qvousqve Thorer ille Aureus, Oddi Skrautii (profectò aliûs, qvàm ejus, qvi hic memoratur) filius, inter qvadrantis occidentalis Islandiæ primos incolas vir celebris, ſuperato oſtio, aurô potitus eſt: inde rixæ cædesqve ortæ, qvæ omnia *Thorſkfiordenſis Hiſtoria*

Historia laté exseqvitur. Agnar unicâ tantum nave evasit, inqve Halogiam delatus, rapinis per totam vitam prædisqve conqvirendis operam dedit. Cum autem magnam auri copiam congessisset, exemplo patris sui, tumulo secum, & qvidem vivo, inferri curavit, unà cum nautis omnibus, qvi etiam vivi ipsi contumulabantur. Pater enim ipsius Ragnar, in ulteriore Hellulandiæ ora navem illam ingentem, qva vehi solebat, defodit, seqve vivum cum octingentis sociis, auroqve & rebus omnibus pretiosis imposuit, collemqve supra excitari ab iis, qvos isti ministerio delegit, curavit; spectrum ipsius post aliqvot seculorum intervallum celeberrimo Regi Olafo Tryggvino festo Jolensi, cum omnibus qvi præstò erant, se conspiciendum præbuisse fabulosé perhibetur; missusqve ad tumulum illius in extrema Hellulandia aperiendum Gestus Islandus, gigantei roboris vir, fabulosi istius Bardi filius, qvem nivei montis Deum *Arngrimus Crymog: Lib: II:* appellat, ubi maris Dumbici situm explicat. Secundum hanc victoriam Halfdanus & Sigmundus Biarmiam repetebant, ibiqve relicto Sigmundo, Halfdanus in patriam rediit, ætatemqve ad longam senectutem produxit; placide deniqve cum uxore mortuus est: Skulius autem Aldeiguburgo præfuit, suscepitqve ex Isgerde filium Hröggvidum, patrem illius Ingigerdis, qvæ nupsit Hrolfo Pedestri, diverso ab eo, qvi Nordmanniam occupavit, qvem ab hoc longa avorum serie descendisse, nomina eadem & cognomina suggerunt, licet id antiqvitatis testimoniis destituti affirmare neqveamus.

SECTIO SECUNDA.

HISTORIA ASMUNDI, ARANI, EIGILIS UNIMANI ET ARINNEFIÆ.

CAP. I.

DE ARANI CUM ASMUNDO SOCIETATE ET NAVIGATIONE IN TARTARIAM, USQVE AD ARANI OBITUM.



Odem, qvo Halfdanus, seculo, â nato nimirum Servatore, ut videtur, septimo, Asmundus Ottaris Halogiæ Regis filius, natus ex Sigride Ottaris Jutiæ Comitis filiâ, floruit. Qvi dum apud maternum avum esset, forte inter venandum, cum leporem longius â suis provectus insectaretur, eqvô ad ultimam defatigationem compulsô, pedes cursu qvàm velocissimo, canumqve agmine fugientem usqve adeò urgeret, ut præceps ê jugo in subjectum mare se projiceret, per universum triduum, caligine locorum notas obfuscante, solus, silvis & solitudinibus pererratis, obvium habuit juvenem formæ decore cæteroqve habitu insignem, flavo capillo, veste pretiosa, fasciâ seu diademate aureo ornatum, qvi Aranum se, Rodiani Tartarorum Regis filium, nominabat, retulitqve ob defectum in patria virtute viribusqve æqvalium, voto se obligatum, ad parem sibi ante reditum comparandum; jam verò longâ peregrinatione expiscatum, cognovisse As-

mundum qvendam juvenem, Halogiæ Regis filium, talem videri; ejus itaqve cognoſcendi gratia in Jutiam, ubi educaretur, profectum; eumne noſceret, qvæſivit? Aſmundus ſe eum eſſe, qvem jam coram conſpiceret, alloqvereturq;, reſpondit; mirum ergò qvantô gaudiô juvenis advena exultavit, fortuitò oblatum, qvem tantâ ſollicitudine exqviſiviſſet. Ad certamen ergò artium ſingularum exercitiorumqve invitatum, idemqve ultro prurientem poſcentemqve, facilè traxit: cenſorum judicio in omnibus & ſingulis ita pares judicati ſunt, ut neuter alterum præſtare videretur, abſolutoqve univerſorum, qvæ ad agilitatem ſpectant, experimentorum circulo, tandem inter ſe colluctantur, usqve dum defeſſus uterqve, neuter ſuperior, qvieſcerent. Tum Aranus ſatis certatum pronunciavit, armorum enim certamen, ut utrisqve periculoſum, omittendum; æqvalitati tantæ ætatum, animorum, corporum, virium, artiumqve, fortunarum etiam adjiciendum. Societate itaqve bonorum omnium futuræqve ſortis initâ, ultio necis ſuperſtiti, ſepulturaqve mortui magnifica, decenti auri opumq; cumulo, tumulo ingerendo, conjuncta; & additum, ut qvi ſupervixerit, tres integras noctes intra tumuli penetralia mortuo cohabitaret, exinde liber officioqve functus recederet. Juramentum in hæc mutui ſangvinis commixtione utrinq; præſtitum. Invitabat deinde Aranus ſocium ad naves inviſendas, qva in re eo promtiùs ei morem geſſit, qvòd procul â paterna domo abeſſet, cæteroqvin forte non absqve dedecore ſine invitatione convivioqve dimiſſurus. Ad naves cum ventum eſſet, dimidiam claſſem Aſmundo ex fœdere regendam poſſidendamqve dedit. Is autem in Halogiam paternamqve domum eum invitabat. Maluit Aranus ſuam ut ſimul in patriam redirent, qvo Halogiam deinde ſplendidiùs pompoſiusqve repeterent. Id qvod Aſmundus etiam probavit. Itaqve in Tartariam claſſe vecti ſunt. Statum deinde patris regniqve cum exponi ſibi poſtulâſſet Aſmundus, fratrem alia qvidem matre, Regis nempe Hunnorum filiâ, ſibi eſſe, nomine Herraudum, moribus viribusqve pariter laudabilem, ad qvem Hunniæ hæreditas pertineat. Regi autem fratres duos eſſe, eosqve Berſerkos, Hrærekum & Siggeirem, acceptos qvidem Regi ob operas ſtrenuè ſibi regnoqve qvotannis navatas, prædasqve congeſtas, ſibiq; traditas, vulgo autem inviſos. Domum propius accedentes, vident in portu naves, numero ſedecim; inter qvas præcipuæ duæ, draconis forma inſignes, natabant. Poſſidebant illas duo fratres, Bola-Biornus, ſeu Biornus Taurus, & Viſinus, Gormi Comitis filii, ê Blodkumannorum regione, (cujus ſitum penitus ignoro, niſi forte Bulgaria Ruſſica, a nominis qvalicunqve ſimilitudine, ſtatuenda ſit.) Hi abſente Herraudo Tartariam invaſerant, vaſtataqve ditione Rodiani, ipſum cum exercitu ſibi obvium ad internecionem deleverunt. Hoc ſtatu Aranus redux in patriam, omnes undiqve ad famam adventûs ſui confluentes traxit, donec juſtus exercitus contractus eſſet, qvem unà cum Aſmundo adverſus Berſerkos eduxit. Dubia in multam diem pugna fuit, nec perſpici poterat, qvò ſe victoria inclinaret. Tandem ſingulari certamini qvàm prælio conflictus ſimilior erat; nam Biornus cum Arano congreſſus ferro inviolabilis erat, cumqve ſingulos ictus refutâſſet, tandem roſtro incudis capiti ſuo ab Arano ſummâ vi impacto ceſſit, mortuusqve concidit. Pari fortunæ ſucceſſu res in aciei illa parte, qvam Aſmundus direxit, geſta; Viſinum enim in navem ſuam inſilientem, duasqve in ſe ſimul haſtas jacientem, cum aliam umbone evitâſſet, aliam gravi vulnere brachio excepiſſet, occidit. Inde reliqva piratarum manus deditione recepta, verùm contra pacta univerſa gladio

deleta

deleta eſt. Arano deinde urbem ingredienti, omnis civium incolarumqve ordo obviam proceſſit, Regemqve ſalutabat. Is fœderis cum Aſmundo initi ſcopum civibus enodabat. Vix menſis elapſus eſt, cum aulam ingresſus Aranus ſubitâ morte oppreſſus exſpiraret. Magnificum itaqve tumulum ei Aſmundus erigi curavit, eôqve unà cum eqvo, ephipiis, frænis, vexilloqve, cane & univerſa armatura illatô, ipſe ſibi ſellam inibi ſtatuit, trinoctium cum mortuò amico, uti convenerat, pernoctaturus; poſt ingreſſum tumulus clauſus eſt. Primâ nocte Aranus eqvum occidiſſe, evisceràſſeqve, mox dentibus corroſum univerſum exediſſe, ejusqve ſangvine ora faciemqve conſperſiſſe, Aſmundumqve ad dapem invitâſſe: Secundâ canem & accipitrem conſimiliter laniâſſe viſus eſt. Tertia in Asmundum inſurgens utramqve ei aurem abripuit; qvo visô Aſmundus gladio caput ei præcidit, inſtructoqve intra collem foco cremavit, omniqve opum intra tumulum congeſtorum vi collectâ, catenæqve admotâ, ab iis, qvi excubias ſupra tumulum egerunt, eductus eſt: deinde tumulus, ut nunqvam deinceps aperiendus, occluſus. Eandem hanc relationem *Saxo in Frothone Tertio* pertexere videtur, Aſmundumqve proprio nomine, Aranum Aſvitum appellat, parentum tamen utriusqve ditionem Norvegiæ limitibus incluſam, forſitan etiam noſtrô rectiùs, aut qvæſitâ majori veriſimilitudine, memorat. Verùm Frodii illius Primi, qvi Tertius Saxoni eſt, ætatem minimè attingit; id qvod *in Serie Regum Daniæ* monſtratum eſt.

CAP. II.

DE GESTIS ASMUNDI IN TARTARIA.



Einde Aſmundus, convocatis ad freqventem conventum indigenis, ut pacta inter Aranum ſeqve inita de ſucceſſione in dimidiam regni partem ſuffragio ſuo firmarent, poſtulavit. Variantibus ſententiis, factione tamen eorum, qvi ab Arano in ejus ditionem traditi ſunt, partes ejus propugnante, derepente ſupervenerunt ambo Regis Rodiani fratres, Hrærekus & Siggeir, vacantem hæreditatem, regnumqve ſangvinis jure ſibi debitum, ni ſponte traderetur, armis vindicaturi. Illos licet ſinguli & univerſi regionis illius cives averſarentur, tanto tamen illorum timore metuqve tenebantur, ut nemo eis obſtare auderet, aut ductum Aſmundi, defenſionem juſtam ſuſcepturi, ſeqvi. Itaqve ad litus ſe cum ſuis recepit, Berſerkisqve fædera cum Arano inita exponit, mediamqve regni partem pactorum teſtamentiqve jure ſibi aſſerit, reliqvam partem iis regendam obtulit. Illi monuerunt, ut ſi vivus incolumisqve inde recedere vellet, omiſsâ ſtolidâ interpellatione, ad tutiora loca, dum liceret, re adhuc integra, ſe reciperet. Is injuriam ſibi fieri interpretatus, ad duellum eos provocavit, de regni poſſeſſione victorem ſecuturâ certaturus. Qva conditione irritati magis, ſuos ad pugnam vocant. Numero viribusqve admodum impar cum Aſmundus eſſet, nec indigenæ ſuppetias pro arbitrio ferre auderent, à multitudine facilè ſuperatur, occiſisqve ſuorum omnibus, in manus hoſtium captivus devenit, vinculisq; oneratus, hoſtium ſuffragio ad furcam damnatur, poſterioris diei mane ſupplicio ſupra collem Arano excitatum afficiendus, Odinoqve, qvi etiam in iſtis locis cultus eſt, pro victoria immolandus, eo qvòd dies ad exitum perductus in noctem inclinaret, nefariæ

riæ autem cædes, qvæ noctu irrogarentur, habitæ essent. Dum ita manibus ad tergum religatis trochleæ affixus relinqvitur, omnibus ad tentoria, in continenti structa, dilapsis, somnumqve capientibus, prospicit acuminatum ferrum ê troclea protensum, qvo funem manibus injectum facilè secavit; & sic manibus extricatis, pedum etiam compedes facilè rupit. Et jam liber ad tentoria hostium speculanda furtim progressus, discreta cognovit, intervalloqve haut modico distincta. Ambo fratres cum paucis comitibus in minore dormiebant, qvos, ruptis subitò vinculis, cum semisomnes irruentis in se impetus excitâsset, inscios unde subita vis ingrueret, majoriqve metu, qvàm periculo perculsos, dum exitum, implicatis tabernaculo pedibus, moliuntur, assiduis sine intermissione ictibus affligit; In primis Hrærekus hoc tumultu oppressus interiit, Siggeir autem dum trepida fuga ad proximum nemus confugit, offenso gradu præceps in terram ruit, mox ab Asmundo, sectis spinæ vertebris, interimitur. Decem etiam alii ex Berserkis desiderati. Fortunæ hic plurimum debuit Asmundus, prudentiæ nihil, audaciæ etiam multum; acuminatum ferrum, cujus auxilio vincula evaserat, fortuna monstravit: solitariam navem, ad anchoras ligatam, cum anchorale secuisset, ventus in litus propulit: audacia, nec illa qvidem temeraria, ad opprimendos securos dormientesqve, forte etiam ebrios, animavit, victoriamqve fortunæ auxilio ministravit. Biduo elapso, Herraudus Rodiani Regis filius cum viginti navium classe supervenit, comitiisqve indictis regnum sibi hæreditarium debitumqve communi populi suffragio reddi postulavit. In ejus itaqve verba omnes & singuli haut inviti jurantes, Regem eum proclamârunt. Qvotqvot autem Berserkos comitati erant, regno exacti sunt, bonaqve eorum in fiscum redacta. His cognitis, Asmundus ad Regem se contulit, honorificèqve salutavit. Omnia qvæ ante, tam inter ipsum & Aranum, qvàm Berserkos, gesta essent, probè cognovit Herraudus; audito itaqve ejus nomine, qvæsivit, an is esset, qvi Berserkos patruos suos occidisset? qvo confitente; *cur*, inqvit, *ad me, cædis eorum vindicem, potissimùm accessisti?* *Qvia*, respondit Asmundus, *hoc præsertim statu consilium aliud præsentius non vidi, cum ê regno tuo potestateqve effugium non pateat; te itaqve sponte invisendum duxi, qvo fortunam, qvam feceris mihi, cognoscam, si pænitendam, ferro qvantum licet propulsaturus, sin meliorem, neutiqvam repulsurus, neqve enim cæde Berserkorum, qvantumvis patruorum, male tibi consuluisse videor.* Idem sibi videri Herraudus respondit; nota sibi pacta inter Aranum & eum inita; fratris itaqve fratrem sibi etiam fratrem futurum. Fæderibus deinde mutuis conciliati, officiorum certamine se invicem colentes convixerunt. Tandem Asmundus naves ad piraticam sufficienter instructas tradi sibi postulavit; qvas velit deligere Herraudus, lectissimumqve militem qvemlibet imponere, jussit, semper initum semel amicitiæ fædus, utriqve sanctum & religiosum futurum. Eâ erat moderatione Asmundus, ut unam tantum triginta militibus instructam deposceret. Unde patet, angustis limitibus Regis hujus ditionem inclusam. Ab occisis Berserkis, Regis Rodiani fratribus, Berserkorum Interfector, seu Pugilicida, Asmundus postea dictus est. In Russiam inde delatus cum Eigile unimano fortiter congressus est.

Cap.

CAP. III.

DE CONFLICTU ASMUNDI CUM EIGILE UNIMANO, SECUTOQVE INTER EOS FÆDERE SOCIALI, RECEPTOQVE AB UTROQVE ONERE RAPTAS REGIS RUSSIÆ FILIAS INQVIRENDI.



FUit Eigill Hringi Smalandiæ Regis ex uxore Ingibiorge, Biarkmaris Gothiæ Comitis filia, filius, juvenis valde Strenuus, pugilqve eximius, qvi custodem limitaneum Russiæ, nomine Rognvaldum, qvinqve navibus instructum, unicâ tantum manu, triginta militibus succinctus, devicit, & duo de viginti superstitibus in fugam egit, adeo saucium, ut post nunciatam Regi cladem exanimis concideret. Ad qvem vindicandum Asmundus â Rege Russiæ Hertryggo missus, ut Eigilem vidit, arma cum illo se permutaturum, gladios securibus, præfatus est. Id vero Eigill haut alienum respondit videri, qvæsivitqve, an navi mercibus onustâ uteretur? Vacuam Asmundus affirmavit, replendam tamen præda, qvam ejus navigium veheret, simulqve interrogavit; qvam satisfactionem Regi ob cædem custodis limitum offerret? Is negavit, *oves & pecudes, pellendæ fami mactatas, pretio redimere sibi moris esse.* Se itaqve cum eo dimicaturum, jussaqve Regis de capite ejus sibi deferendo executurum cum Asmundus minatus esset, mortem ejus Regem sitire respondit, *præsentius consilium videre, ut inito mutuæ amicitiæ fædere, fratrum se loco mutuo colant, Regemqve oppugnent occidantqve, filiasqve ejus, in suam potestatem redactas, uxores ducant.* Asmundus utramqve raptam respondit, nec earum copiam amplius suppetere. Eigill militum suorum periculo haut dimicandum, cum rectiùs duello possent, monebat; nec conditionem Asmundus abnuebat. Egressi itaqve navibus, singulare certamen inibant, diesqve hoc modo transactus, paribus utrinqve viribus agilitateqve: per vesperam cessatum, simul deinde comessatum est. Mane seqventis diei in prælium reditum; & jam trium clypeorum jactura facta erat, cum ad horam diei duodecimam Eigill Asmundum monuit ut cessaret. Asmundus mandato Regio nondum satisfactum causatus, insuper qvot annos natus esset, percontatus, ubi duo de viginti cognovit: itaqve, ait, armis te defende, modo vitam diuturniorem expetis. Paruit Eigill, tantoqve impetu in Asmundum invectus est, ut cavendis tantùm ictibus distineretur, nec tamen vulnera evasit, unoqve cum saucius esset Eigill, post sesqvihoram convenientiùs prælio utrumqve destiturum monuit. Metu perculsum cum Asmundus exprobrâsset, Eigill, ut sibi caveret, hortatus est, acriusqve qvàm antea impetebat, tribusqve vulneribus sauciavit. Videns autem Asmundus imminens sibi â vehementi pugile periculum, projectô gladio in eum irruit. Unimanus fertur Eigill fuisse, aliam enim gigas qvidam præcidisse traditur, nanusqve non vulnus modo sanâsse, sed etiam ferream manum cubitui laminæ beneficio junctam fabricasse, qvæ præstantissimum gladium affixum teneret, qvem perinde ac si integer esset, rotare consveverit; qvod licet fabulam sapiat, mânum tamen impeditam habuisse arguit. Simile exemplum *Rodericus O Flaherty Ogygiæ Part III. Cap: X. pag. 174. ad annum mundi 2737.* producit de Dannanarum duce Nuado, Argentimano dicto, qvi Belgarum in Hibernia dynastiam

delevit. *In eo enim prælio*; inqvit, *amputatæ manûs usum perdidit, pro qua argentea manus artificiosè accommodabatur, unde & Argentimanus dictus. Credius aurifex manum fabricavit, & Miachus filius Dun Kecti medicus corpori adjunxit.* Et recentior *historia de Francisco de la Nove, seu Lanovio Bras de fer*, qvod sinistrum Brachium fortiter pugnando cum amisisset, postmodum ferreo usus fuerit, qvi Reformatorum in Gallia dux, Henrico IV gratissimus, obiit in obsidione Lambalii Anno MD XCI. Vide *Hoffmanni Lexicon in isto nomine.* Eigilem itaqve invadens Asmundus, tandem, qvòd manu alterâ destitutus esset, humi stravit, dejectoqve significavit, *nolle se dentibus jugulum ejus aperire, cum gladio destitueretur*; id tamen ei tutissimum futurum Eigill monuit. Asmundus nihilominus periclitatus ad gladium resumendum abscessit, impetuqve facto, velut icturus vibravit. Interim Eigill interritus nusqvam se dimoverat, sed tanqvam obstinatus ad moriendum humi jacuit. Miratus virtutem Asmundus, incomparabilem pronuncians, ultrò conditionem fraternæ societatis prius sibi oblatam detulit. Minori alacritate, qvàm ei prius obtulerat, se jam accepturum respondit, utpote beneficio indultæ sibi vitalis auræ ipsi jam obstrictum. Asmundus se occisurum negabat, velle modò ut secum Regem adeat. Annitentibus deinde utriusqve partis militibus, prælium amicitia societateqve mutatum est. Itum deinde ad Regem, Eigillqve, procurante Asmundo, in societatem limitum custodiæ receptus. Duæ erant Regi filiæ, Hildis utraqve dicta, nomina autem studiorum diversitate distingvebantur; armis alia bellisqve dedita, â lorica, qvæ Brynia (nescio an Russicâ lingvâ) dicitur, Brynhildis, alia â scamno, cui muliebribus artibus vacans insidebat, qvod nostro idiomate Beck vocatur, Beckhildis appellabatur. Idem in Brynhilde Budlina, Ragnaris Lodbrokis socru ejusqve sorore observatum, posteriore forte tempore, legimus. Harum utraqve cum rapta esset, nec constaret â qvibus, Rex singulas elocaturum, si vivas reducerent, dotemqve trientem regni futurum, sin mortuas, Comitatum intra regnum nobilissimum, splendidæqve virginis alicujus matrimonium, publicè in foro pollicebatur.

CAP. IV.

DE PROFECTIONE IN JOTUNHEIMOS, AUXILIOQVE ARINNEFIÆ IN INQVIRENDIS CONSEQVENDISQVE REGIS FILIABUS, ET CONSEQVENTER SINGULARUM NUPTIIS ET DITIONIBUS.



HÆc promissa cum festo Jolensi durante facta essent, uterqve tamen sociorum in proximum ver profectionem ad eas inqvirendas distulerunt. Tum demum unicâ nave, cum delectis viginti qvatuor nautis, continentem juxta ac insulas ubiqve scrutati, sub hyemem tandem in Jotunheimos deveniunt. Ibi nautis in portu relictis, adqve primum ver se exspectare jussis, ipsi pedestri itinere soli vicinum tractum perlustrant. Cum defectu alimentorum per complures dies famem perpessi sunt, mensibusqve aliqvot in solitudine exactis, avium ferarumqve carnibus, ubi eorum copia esset, sustentabantur. Tandem in vallem qvandam, qvam prælabens fluvius rigabat, delati sunt. Supra saltus in summo montis jugo enatus constitit,

ſtitit, ripæ verò amnis depreſſiores viridi gramine veſtiebantur. Per ſaltus grex caprarum lætis paſcuis luxuriabat, unicum inde caprum valde pingvem cum eſſent mactaturi, vocem ſupra ſe extenſiorem audiebant, qvæ gregem clamore conciebat, qvo commotus caper, ilicò e manibus eorum elapſus eſt; vident deinde monſtroſam virginem, clara voce exqvirentem, *qvi tantâ audaciâ, ut Reginæ caprum furari non vereatur*? Cui Aſmundus; *qvænam tu, ô formoſiſſima*? Illa ſe Skinnefiam, Reginæ Jotunheimorum Arinnefiæ filiã, profeſſa, qvæ non procul inde habitet: honeſtius eos cibum ejus liberalitate impetraturos, qvàm furtô, reſpondit. Conſenſit Aſmundus, annuloq; aureo donavit, ipſa negante munus hoc ſibi tutũ acceptu, ſuſpicante matre præmium eſſe concubitûs. Asmundus munera retractare ſibi inſvetum, lubentiam tamen ſi qvam ſibi â matre impetraret, haut recuſaturum. His dictis ad matrem rediit, peregriniqve hominis, cibi hoſpitiiq; indigentis, munus oſtendit; illa qvòd non invitaverit, increpans, reduci eum unà cum ſocio juſſit. Invitati comiter excepti ſunt. Agrum Regina triticeum poſſediſſe memoratur, qvod haut ſcio an tractui fecundum mentem *Rudbeckii*, qvi ad gradum latitudinis 70. ſitum ejus extendit, tribui poſſit. Capras illic lactis tantam copiam fundere, qvantam alibi vaccas, author tradit, qvarum qvinqvaginta Regina hæc habuiſſe fertur. Ad prandium admiſſi carnibus ferinis aviumqve prima dape veſcebantur. Dum autem filia pultem coqveret, reqviſitura qvinam eſſent, utrumqve vitam geſtaqve ſua exponere juſſit, ipſa pari modo ſua, ſed poſtrema, expoſitura; nihil autem in iis continetur notatu dignum. Conſtant enim vel præſtigiarum certamine inter illam Eigilisqve matrem, vel etiam fabulis, qvarum ſenſus abſtruſior, variasqve explicationes recipiens, hic nullum locum habet. Illud forte opinioni iſti, qva Svecia Acherontis aut Eliſiorum camporum nominibus intellecta creditur, favet, qvod Arinnefia ſe in ſubterraneum mundum ad Sveciæ Regem profectam memorat. Amputatam Eigili in lucta cum fratre Arinnefiæ manum, ipſa ſtatim arripuiſſe, herbisqve medicinalibus fotam â putredine incorruptam tanto tempore conſervâſſe memoratur, tandem etiam Brachio integram junxiſſe, tanqvam nunqvam reſecta fuerit. Fabulam de Nuadi argentea manu fabularum albo velut expuncturus *O Flaberty* loco citato hæc addit: *Non ita pridem in Italia Hieronymus Capivagus, vir inaudita medendi ratione, præcelluit, qvi labra, nares, aures hominibus, qvibus deeſſent, adeo affabre reponebat, ut prope miraculum ars eſſet*: citatqve in margine *hiſtoriam Pflaumerii in Bononia pag*: 84. Hic cognitum eſt, hujus giganteæ Reginæ fratres Hilderem & Gautium, filias Regis rapuiſſe, nuptias cum iis celebraturos propediem, incidiſſeq; inter eos de primatu controverſiam, mutuoq; conſenſu ei deferri placuiſſe, qvi uxorem potiorem nactus fuerit, cujus opus propriis manibus elaboratũ, publico judicio nobilius cenſeretur. Singulis itaqve ſororibus injunctum, ut artis ſuæ peritiam oſtentarent, publico judicio poſtea ſubjiciendam: inde nuptiæ in proximum feſtum Jolenſe deſtinatæ. Munere itaqve fratrem ſibi placandum Arinnefia ſtatuit, aſciſcendumqve in conſilium judicem ſupremum, nomine Skröggum, magicæ artis peritum virum, ipſos etiam ad pocillatorum munus, in iſto convivio obeundum, ſibi commendandos, filiosqve Regis Dumbici agri, oceano Dumbico adjacentis, fingendos. His artibus Arinnefia, annitente judice Skröggo, fratres ſomno ſepultos per Aſmundum & Eigilem, jam genialem thorum conſcenſuros, occidi curavit, ſponſasqve captivitate eximi; præmium, erat ſucceſſio in regnumopesq; cæteras. Aſmundus autem & Eigill, poſtqvam filias

lias Regis domum deduxerunt, consensu patris publicoqve ordinum regni, uxores sibi impetrârunt, adqve nuptias Asmundus socium Herraudum Tartariæ Regem; Eigill parentes suos, ipsam etiam Arinnefiam cum filia, adhibuerunt. Dona ei data, ducentæ succidiæ salitæ, butyriqve qvantum levare poterat; tale munus illis in locis longè acceptissimum auroqve gratius traditur. Butyrum verò succidiæqve in Jotunheimis cur tanti æstimentur, non asseqvor, si tritici ibi lactisqve magna copia. Herraudus Tartariæ Regulus Asam Eigilis sororem uxorem duxisse perhibetur, Eigill autem socero in regno Russiæ successisse, Gothiâ sibi hæreditariâ Asmundo â morte patris sui relictâ, qvi insuper Halogiam tenuit, ibiqve consedit. Filius ei ex Brynhilde Armodus, qvi Oddnyam Haconis Hamundi, Regis cujusdam in Dania, filiam uxorem duxit. Armodum postea Starchadus, dum balneo indulgeret, occidit, id qvod flagitiorum ejus novissimum fuit, qvi cum ultimis Sigurdi Hringi temporibus vixerit, post annum â nato Christo DCCXL. Armodi hujus, & conseqventer Asmundi, ætatem illustrat. Fuerunt qvidem plures Starkadi, hic tamen omnium novissimus, & idem qvi bello Bravikensi interfuit.

CAP. V.

DE SECUNDIS ASMUNDI NUPTIIS, ET EXSTRUCTA AB EO PRODIGIOSÆ MOLIS NAVE, EJUS EXITU, COMITEQVE ILLIUS ILLUGIO GRIDURIS ALUMNO.



ASmundus â morte uxoris, Scotiæ Regis (vel potius Reguli) cujusdam, Soldani nomine, Scotis ipsis ignoti, filiam uxorem duxit. Convenit autem, ut unica tantùm nave, qvo insidiis pronior esset ad nuptias celebrandas, in Scotiam rediret; navem itaqve Gnodem dictam, tantæ magnitudinis, ut cis mare Græcum pari mole nunqvam ad id usqve tempus structa alia memoretur, fabricandam curavit, qvâ longo tempore usus est, nomen inde Gnodensis assumpsit, qva tamen, cum comitatu ultra tria millia vectus, ad insulam Hleseyam naufraugium postea passus, cum omnibus & singulis submersus est. Illum, cum in mare se projiceret, ab Odino gladio perfossum antiqvitas fabulata est; navem enim cum onere universo mersam, nec particulas ejus ullas, aut rerum, qvas vehebat, qvicqvam deinceps ad litora ejectum testatur, sibi ipsi adversa, dum genus mortis ejus narrat, neminem tamen, qvi id testari potuerit, evasisse. Asmundi comes memoratur insignis metûsqve omnis expers athleta, Illugius Griduris Alumnus dictus, natione Danus, Svidii Sokndiarfi, seu Strenui (tres eodem nomine cognomineqve claros invenio) filius, qvi uxorem duxit Hildem, Eirici cujusdam in Norvegia Regis filiam, ex uxore Signya, Alii Alfheimorum, seu tractûs Bahusensis, Regis, & Alfrunæ legitimæ conjugis. Signyam viduam Sigurdus, partis cujusdam Daniæ Rex, uxorem duxit. Ejus pater Hringus Skioldi filius, Dagi nepos, Rex etiam ipse Regibus, sed non totius Daniæ, satus fuisse perhibetur, cumqve Hermanno qvodam bellum gessisse, vocaturqve hujus ipsius Hringi vita, ut satis decantata, literisqve prodita, in testimonium, qvam tamen interiisse suspicor. Hæc ideo, licet exigui momenti, duxi prodenda, ut constaret, remotas etiam

pro-

provincias, utpote Ostro-Gothiam Halogiæ adjectam, unius ejusdemqve Principis dominio paruisse, simul ut fædera amicitias & affinitates remotiorum gentium, Russorum Tartarorumqve cum Danis, Svecis, & Norvegis indicarem. Fuit qvidam Rex, nomine Ragnar, Agnaris Gestriciæ & omnium regnorum orientali montis Kioli seu Carinæ lateri adjacentium (licet illum inter genuinos Sveciæ Reges nusqvam inveniam, Gestriciæ fortè & iis qvæ inde in Septentrionem patent) Regis filius, qvi haut minorem, si non majorem, navem, qvàm Asmundus, ædificavit, centum loculis distinctam, remiges triginta singulos occuparunt; illa Ragnarslodius vocata est. Verum qvo tempore is vixerit, parum certè definire possum, nisi in qvantum vita Halfdani Eysteinini monstrat, qvæ tamen generationes atavorum ab Odino usqve repetens omnes confundit, ætatemqve Haraldi Pulchricomi paucis tantum gradibus ab Odino removet.

Admonitio ad Lectorem.

Qvod hic de Tartarorum Regibus regnoqve, & navali ex Halogia trajectu traditur, leviter inspicienti mira videbitur fabula. Verùm suspicor Tartarorum nomen latiùs se illo tempore & in aliqvam Moscoviæ partem effudisse, nec per fretum Nassovicum transitum necessarium, sed ad maritimas aliqvas Maris Albi oras extensum fuisse. Id ut statuam, facem mihi præfert Haconis Senioris Norvegiæ Regis vita, indubiæ veritatis, â Sturla Thordi filio, Islandiæ Legifero, anno MCCLXIV, imperante Magno ipsius Haconis filio, conscripta, ubi Cap. Ult. inter præclara ejus opera & ædificia numeratur Ecclesia in Insula Trumbsa ædificata in usum Biarmorum â Tartaris expulsorum, qvos Christianis sacris imbuendos curaverit, eorumqve habitationi sinum Malangrum addixerit. Biarmiæ situm non in Finnmarkia, sed trans mare Album Lib. III. de Originibus Norvegiæ Cap. XXVI. monstravimus, qvo Tartari, nisi maxima Moscoviæ parte peragratâ, pervenire non poterant, si non vicinas eis sedes incoluissent.

SECTIO TERTIA.

HISTORIA KETILLIS HÆNGI

CAP. I.

FAMILIÆ HRAFNISTINÆ ORIGO EXPONITUR, ET QVÆ KETILL HÆNGUS JUVENIS GESSIT, EJUSQVE ROBORIS VARIA EXPERIMENTA; DRACONIS LATRONUMQVE DUORUM CÆDES.



HAlogiæ Regi Asmundo Naumudali Reges, tum vicinitate provinciarum, tum etiam ratione temporum jure connectuntur (illis enim, qvi iis antiqviores ab Odino vel Niordo Sveciæ dynasta prognati, inter majores Haraldi Pulchricomi conspicui, in aliis provinciis regnârunt, peculiarem librum destinavi) Cum autem istis Regibus res fuerit cum iis, qvorum majores fortibus factis inclaruerunt, magnamqve & memorabilem proge-

niem reliqverunt, eamqve in extremam Islandiam postremò transmiserunt, qvæ Hrafnistina appellatur, ejus satores præmittere visum est. Primus ejus conditor Ulfus nominatur, cognomento Oargus, sive Generosus, natus, ut videtur, seculo septimo. Incoluit is insulam Hrafnistam propter Naumudalum Thrandiæ vicinam provinciam sitam, vir locuples, colonorumqve præfectus. Ejus filius fuit Hallbiornus, a stupendo robore Halftroll/ sive Semigigas dictus, patrii prædii cultor, opumqve & dignitatis hæres; hic filium habuit Ketillem, ibidem etiam natum. Hic cum adolevit, corporis qvidem ingentia, animi nulla incrementa declaravit; culinæ siqvidem focíqve assiduus cultor, honesta consortia, juvenibusqve digna exercitia fastidivit, otio desidiæqve totum se dedidit; monitus â patre, ut abjectum illud se familiâqve indignum vitæ genus honestiore mutaret, primò qvidem obmutuit, paucis vero post diebus, nemine sciente, abivit; sellam affabrè factam humeris gestans, rediens matri donavit. In fæno congerendo, domumqve deducendo, primum roboris specimen edidit; tantum enim, patre opem suam poscente, duobus eqvis unaqve fæmina adjutus, domum convexit, qvantum octo viri fænilibus inferre vix sustinerent, eqvis nimio labore ad mortem adactis. Videns autem pater stultitiæ simulatione animum gloriæ cupidine ardentem tegi, & ipse arte haut dissimili incitandum duxit. Qvestus igitur filio, se jam senio affectum, rebus domesticis obeundis minus idoneum, curam illam rectius in eum conjecturum. Abnuenti securim dedit, monuitqve ut sedulò caveret, ne per vesperas in insulam exspatiaretur, borealem præsertim ejus partem. Fuit accolarum qvidam, nomine Biornus, piscator assiduus; is sæpius Ketillem absentem salsè deriserat, amentiam & fatuitatem variis cavillis excipere solitus. Ad eum igitur piscatoriâ scaphâ solus remigavit, qvi ut in conspectum venit, risum Biorno præbuit, præsertim cum piscium copiam cum sociis ad captum usqve navis nactus esset, dum infelix Ketill præter unum asellum longum nihil hamo extraxisset. Tandem domum rediturus, ut piscationem magis risum subsannatori suo movisse agnovit. *En*, inqvit, *universum laboris mei præmium uni vestrum, qvi apprehendere poterit, donum transmitto*; tantaqve vi asellum in Biornum conjecit, ut temporibus ruptis ê navi mortuus excideret. Qvod ut pater cognovit, ne eum qvidem, utpote longâ injuriâ provocatum, nec minore patientiâ dissimulantem, increpare sustinuit. Vespere qvodam post diei occasum fortè periculum, qvod pater cavendum præmonuerat, exploraturus, in borealem insulæ partem exspatiatus, mox â volante dracone impetitus est: nidus illi in rupibus boream versus erat, cauda longa, corpus in gyros flexum, oculi in modum ardentis rogi scintillabant, eratqve totus formidabilis. Diu Ketill securi impetenti objectâ cum se defendisset, tandem in gyrum sese convertentem dissecuit. Reversus domum interroganti patri, *an novi aliqvid ei obrepuisset? haut novum*, respondit, *licet pisces natent; unum tamen eorum securi in duas partes divisi.* Tum pater; *cum hæc inter minuta reputes, ea qvæ verè minuta sunt; facile contemnes memoriam tamen facti in posterum Hængi cognomine celebrabis* (id qvod piscem denotat.) (De draconibus si inspiciantur *Relationes curiosæ Hamburgi editæ, folio 43. 179. 182.* hæc minimè absurda videbuntur) Nec minus Ketill focum, etiam post tantas res gestas, amabat, pater autem assidue piscabatur, cui se comitem filius obtulit. Is autem indecoram pigritiam perstringens respondit, tutius eum foco assessurum, qvàm in pericula maris se conjecturum. Cumqve ad mare qvodam tempore Hallbiornus piscandi

gratia

gratia processisset, prævenit eum filius in litore adventum ejus exspectans; jussit ergo, ut cymbam in mare protruderet; ipse ad proram perstitit, dumqve filius trudere niteretur, nusqvam dimovit. Verbis igitur increpans pater, degenerem eum pronunciabat, viribus destitutum, se namqve juvenilibus annis cymbam pro arbitrio solum & sine adminiculo propellere solitum. Commotus itaqve filius, unô impetu eam in mare egit, patre pronô in litus decidente; qvi incredibile robur admiratus; *costas mihi*, inqvit, *perfracturus videris: obnixus sum qvantum potui, experturus qvanto robore polleres, jam verò te filium progenerâsse gaudio.* Deinde piscatum profecti sunt; pater casæ custodiendæ curam, filius acqvirendarum rerum suscepit. Duos interim fratres Hrafnum & Hængum se spoliaturos repulit, altero occisô, qvi etiam Hængus vocabatur; qvod cum patri retulisset, apposité ipsum Hængum vocari respondit, qvòd piscibus capiendis oblectaretur. Interim annonæ magna caritas Halogiam afflixit. Sustentantur autem incolæ piscibus potissimum; iis ergo ê longinqvo conqvirendis operam suam patri obtulit. Pater etiam se ei comitem; qvod cum Ketill abnuisset, tres sinus pater eum evitare jussit; qvorum primo nomen erat Vidfiordus, secundo Midfiordus, tertio Vitalkrapius. *Ibi*, inqvit, *casæ prædatoriæ, cum novissimè discederem, viatores terruerunt, fumo flammâqve exitialia hospitia prodente.* Hæc pater filio, consciæ virtutis specimina periculorum objectu edere gestienti, magis suggessit, qvàm cavere præcepit, nec filius aliter interpretatus patris præcepta videtur; ambabus enim ulnis oblatam laudum famæqve extendendæ materiam arripuit. Primâ namqve æstate sinum Vidfiordum scrutaturus, in intimo ejus recessu tugurium deprehendit, profundis fossis subtus distinctum. Congesta illic erant diversi generis spolia cetorum, ursorum, vitulorum marinorum, phocarumqve, terrestrium etiam animalium carnes ossaqve; in fundo autem corpora humana sale condita abscondebantur. Omnia Ketill eruit. Sub vesperam strepitus remorum adventantem loci dominum indicavit; torva illi facies, nigerqve color, id qvod ejus nomen velut inde mutuatum expressisse videbatur, Surtus enim, sive Niger, vocabatur. Ut primùm scapha in litore stetit, non pro more aliorum agendo eam in stationem duxit, sed manibus levatam portavit. Ut vero effractam domum, effossos thesauros, egestam annonam, corruptamqve animadvertit, secum ipse mussitabat: *Mirum cum Hallbiornus amicus vetus domi remaneat, ausum Ketillem Hængum insipidum carbonum helluonem me meaqve domicilia infestare, cibaria corrumpere, & dulcissima fercula, humana nimirum corpora, mihi, imo omnium usui, subducere, suo qvidem damno vindictam sibi acceleraturum.* His dictis, furore percitus ad casam tendit. Ketill prius ingressus pone januam stetit. Humiles erant fores, flexumqve ingredientium reqvirebant; itaqve incurvanti se Surto ingestum caput protinus securi amputat, qvod limen â corpore distinctum segregavit. Onustum deinde lembum sub autumnum domum deduxit. Appentente vere Vitaskrapium explorandi libido animum subibat. Dissvasit illud Hallbiornus, integrum plaustrum domum reducere (proverbium erat, pro salvis rebus desistere) consultissimum præfatus. Verùm cum filius propositi tenax neqvaqvam se inde dimoveri passus esset, nihil ultra obnixus; *perspicuum est*, inqvit, *te focos meos invisere velle.* Eò igitur progressus, tantam copiam piscium deprehendit, ut tanqvam cicures manibus apprehendi possent; primo igitur die, magnô acervô collectô, dormitum ibat; qvi, cum postero die ablatus esset, nocte insecutâ excubias egit. Visum deinde gigantem stationem

tionem ingressum, pisces in sarcinam collectos humeris bajulantem, securi humerotenus feriebat. Ictus erat ingens, motusqve gigantis violentior immersam altius securim manibus ejus eripuit; qvi omissâ sarcinâ effusè in recessum sinûs, ubi antrum ejus, fugiebat; qvem Ketill persecutus, duos ejusdem generis (Troll patriâ linqvâ vocantur) ad focum assidentes cachinnantes conspexit. Hi Kaldranio, id saucio giganti nomen erat, acceptum vulnus cum exprobrarent, medicamentis qvàm cavillis magis se indigere respondit. Interim superveniens Ketill medicum se vulneribus alligandis peritissimum profitetur, hortatus ut pharmaca promerent. Interim reliqvi duo in interiora antri secesserunt. Ille gigantem ad necem usqve vulnerabat, recedensqve ad casam tam diu morabatur, donec oneratô lembo domum rediret, nec sciscitanti patri, qvid deinde gestum esset, exposuit.

CAP. II.

DE PERICULOSA KETILLIS PISCATIONE, HOSPITIO APUD BRUNIUM, CONVICTU CUM FILIA EJUS, CERTAMINE PRÆSTIGIOSO CUM GUSIO FINNORUM REGE, EJUS CÆDE, PRÆDA, SUCCESSIONE FRATRIS BRUNII, FILIO EX EJUS FILIA SUSCEPTO.



PRæcipite autumno prope initium hyemis, qvam mensis october, antiqvitus Gormanudr dictus, aperit, invito dissvadenteqve patre, accingebat se ad piscandum Ketill, alieno prorsus anni tempore, cæli saliqve violentiâ periculosô, eo præsertim mari, qvod audacissimum qvemqve terrere solebat, patrisq; ejus, viri aliàs intrepidi, audaciam prius retuderat; statim enim expertus est, haut impunè paterna præcepta violari; nam subito exorta tempestas, ad aqvilonares sinus devectum in apertum mare compulit, nec Hrafnistæ ulterior repetendæ copia suppetebat. Ad boreales Finnmarkiæ rupes abreptus, lembum inter diremptarum rupium intervalla litori admovit: ibi anchorâ jactâ, qvietem capienti concussa undiqve navicula somnum discussit, fœminâ giganteâ proram violentiùs qvassante, rudenti itaqve dissectô naviculam solvit; excitatâ semel procellâ neqvaqvam desæviente. Interea animadvertit cetum navigium circumdantem, âqve vehementioribus fluctibus arcentem, humanosqve oculos in illius capite agnoscere sibi visus est (tanta erat præstigiarum vis!) ad scopulos itaqve lembum applicuit; ibi cymba confracta est. Imaginem continentis inde prospectam secutus, terram etiam, mox etiam semitam, assecutus, ad tugurium qvoddam pervenit. Vir ibi ante fores ligna foco destinata findens, prior illum salutabat, utqve suis tectis per integram hyemem assvescere dignaretur, invitabat. Gratô se id animo accepturum respondens Ketill, deducente hospite, qvi Brunium se nominabat, domum ingressus est. Ibi duæ fæminæ, mater & filia, Hrafnhildis dicta, statura ingenti, facie licet cubitali latitudine, haud tamen deformi, qvam communi secum lecto, offerente patre, per hyemem junxit. Primâ nocte vestium suprema corio bubulo Brunius texit: Ketille, qvorsum id tenderet? rogante, respondit; *hospites se illuc invitâsse ad butyrum, qvod secum advexerit, amicos qvidem suos, qvorum tamen oculos illis objici nollet.* Isti erant Finni ex Finnmarkia, admodum macilenti, qvibus butyrum Ketill, corticibus pro more contentum, tradidit

tradidit, contentiqve convivio, ablatô butyrô, recesserunt; erat enim isto qvidem seculo in illis locis multi pretii. Ibi integram hyemem variis exercitiis Ketill impendit, asperitatemqve loci amor in Hrafnhildem accensus non modò lenivit, sed sensum malorum abstulit. Jaculorum etiam exercitium crebrum, artiumqve variarum, Brunio informante, assiduum studium, venationis etiam magna diligentia, tempus fallebant. Post festum Jolense domum repetendi cupido subivit. Brunius anni tempestates, Gusiumqve Finnorum Regem in montibus & tesqvis singulis hyemibus excubantem, intentum prædis vias obsidentem, causatus, â proposito eum avertit. Sed imminente vere eum comitatus, per maritima loca deduxit, dimissurusqve monuit, ut monstratam semel viam insisteret, nec inde ad sylvas deflecteret. Multa illi tela discedenti impertivit, in qvibus aculeatum unum eminebat; his in necessitate frui jussit. Inde digressi, domum suam uterqve petebat. Vix ê conspectu Brunii affuit, cum compendio viæ simul ac cupidine explorandi imminentis, & â Brunio tantopere exaggerati, periculi ductus, in saltum montesqve reflexit, nec multum qvidem viæ emensus erat, cum videret virum pandis trabibus vectum, cursum in se acritèr intendentem; qvi nomen statumqve interrogatus Gusium, se Regemqve Finnorum professus, bonis, qvæ secum asportaret, cedere jussit. Cum abnueret, arcus uterqve tendebat. Tanta in utroqve diaboli dirigentis vis erat, ut mucrones telorum se invicem collinearent; duodecim ex utraqve parte hoc modo emissa; restabant aculeata. Gusius suum vacillante pede premebat, nam incurvum videbatur. Tunc Ketill moriturum eum præsagivit, cum caligantibus oculis, qvod rectum erat, curvum ei videretur; cumqve utrumqve simul emitterent, non, ut prius, se invicem collineabant, sed Ketillis in pectus Gusii penetrans vitam ei eripuit. Brunius frater erat Gusii, ad qvem successio regni proxima pertinebat, qvam fatô fratris præoccupaturus, præstigiis oculos ejus hebetavit, qvodqve rectum erat, pro curvo venditavit. Inter cimelia Gusii gladius Dragvendill dictus eminebat, sui generis optimus; hic unà cum tribus sagittis, qvibus mortuum Gusium spoliabat, qvarum nomina erant, Flaug/ Hremsa/ & Fifa/ Ketilli cessit; qvi victor ad Brunium rediens cædem fratris exposuit. Graviter se læsum testanti, *nihil minus*, inqvit Ketill, *nam regnum tibi comparavi*. Egit igitur Brunius gratias, amicissimèqve dimisit. Ut vero in Hrafnistam rediit, rusticum qvendam primò offendit, simulqve navem benè instructam ad insulam cursum dirigentem; causam autem adventûs inqvirens, cognovit ab eo, amicos & cognatos esse ad exeqvias suas celebrandas â parentaturo patre accitos; qvem ut vivum optatumqve accessisse viderunt, in convivium gratulatorium, qvod officiis feralibus destinatum erat, versum est. Inseqventem hyemem Ketill domi remansit, cum Hrafnhildis Brunii filia, filium ex Ketille susceptum, Grimum dictum, attulit; cujus altera mala hirsuta erat, & ferri ictum respuebat, inde Lodinkinna sive *hirsuta gena* dictus est. Et Ketill qvidem Hrafnhildem invitavit; verum Hallbiörnus pater valdè ægrè ferebat, qvod fæminæ giganteæ se commiscuisset, negabatqve se eam domo recepturum. Illa adventum suum neutri eorum fraudi futurum affirmavit, se etiam discessuram, filiumqve apud patrem relicturam, iterumqve post finitas tres hyemes revisuram. Ketill excusatione usus, majorem in modum ab ipsa petivit, ne sibi adscriberet, neve irasceretur, qvòd secum commorari non liceret. Illa neutrum eorum suam iram magni facturum respondit.

CAP. III.

DE NUPTIIS KETILLIS, ET NATA INDE FILIA, NAVIGATIONE IN FINNMARCHIAM, CONFLICTU CUM ALIO UPLANDORUM PUGILE, CÆDE TROLLORUM, EORUMQVE COMITIIS, PROVOCATIONE ADVERSUS FRAMAREM AD ARRHAUGUM, VIA QVÆ EO DUCIT, CÆDE PRÆDONIS SOTII, CONFLICTU CUM FRAMARE EJUSQVE CÆDE, GRIMI HIRSUTÆ GENÆ NUPTIIS, ET SORQVERIS CÆDE.



Isceſſus Hrafnhildis deſiderium ejus, triſtitiam & animi qvendam mærorem Ketilli movit, qvibus depellendis pater ei aliam conjugem providere conſtituit. Bardus erat colonus opulentus, cui filia unica, eximiæ formæ virgo, erat, nomine Sigridis. Eò profectus Hallbiornus, inſcio filio & inconſulto, eam ſibi nurum depoſcebat. Pater virginis procum certè affuturum, ſi animis in eam inclinaret, prædicabat. *Tunc ergo*, inqvit Hallbiornus, *mendacii me inſimulas?* Negabat iſte, *ſubſcripturumqve petitioni affirmabat, cui nec vellet, nec poſſet refragari, cæterum periculoſa magis itinera ſuſcepiſſe Ketillem, qvàm eſſet illud, qvod ambiendæ puellæ reqvireretur.* Pacta nuptialia concluſa ſunt, reduxqve pater omnia filio ordine enarrabat; verum qvamvis hæc neqvaqvam approbaret, paternæ tamen reverentiæ reſpectu reſcindere noluit. Feſtivitas nuptialis cum celebraretur, geniali thoro conſcenſo, veſtes prima nocte exuere noluit, neqve virgo illius cauſa eum redarguit; verum poſtea amor conjugalis inter eos coaluit, filiamqve ex ea ſuſcepit, nomine Hrafnhildem, de amaſiæ prioris nomine dictam. Nec longè poſt pater deceſſit, reiqve domeſticæ curam hæres filius ſuſcepit, & magnâ cum laude adminiſtravit, ut toto territorio ditiſſimus haberetur. Elapſis tribus annis Hrafnhildis, prout diſcedens promiſerat, rediit, ut verò uxorem duxiſſe deprehendit, valde contriſtata, Ketille neqvicqvam, ut remaneret, invitante, relictô iterum filiô receſſit, levitatem animi & promiſſorum inconſtantiam improperans. Qvodam autumno Ketill Finnmarchiam verſus navigavit, adducto ſecum filio Grimo, Brunium Hrafnhildemqve inviſurus; cumqve ad rupem, qvam præterfluens amnis rigavit, navis ſtaret, aqvatum filium miſerat, qvem fæmina gigas aqvâ prohibuit, rapturamqve ſimulavit, qvi metu perculſus ad patrem rediit, minatam raptum fœminam indicans. Ille â Trollorum genere diverſam eſſe affirmavit. Fuit autem revera mater illius, qvæ hoc velut indicio Ketillem ab ulteriore aqvilonem verſus itinere avertit. Duo piratæ per autumnale tempus ad Hrafniſtam appulerunt; nomina illis Hialmus & Stafnglamus, multis rapinis celebres, domicilium ibi per hyemem poſcebant, qvod Ketill conceſſit. Feſtô igitur Jolenſi vovit ſolenni ritu, ſe nunqvam invitam filiam elocaturū. Illi ob votum gratias agebant. Proceſſu deinde temporis, Alius qvidam, Updalorum athleta dictus, ex Uplandis oriundus, Hrafnhildis nuptias ambiebat; verum arbitrio filiæ res tanta commiſſa eſt. Illa neqve fata ſua, neqve animum ſe illi juncturam reſpondit. Qvod ut pater proco retulit, ad ſingulare ab eo certamen provocabatur. Athletæ ſe ejus vice certaturos obtulerunt; verùm is petebat, ut clypeo ſe tantùm protegerent, qvod etiam in ſe recipiebant. Cum in campum per-

perventum est, frontem Ketillis Alius mucrone feriebat, non enim clypeum objecerunt; manante sangvine jussit Ketill ut cederent, viamqve sibi ad hostem patefacerent; modulatusqve carmen ictum capiti intendit. Verùm illi, qvi Ketillem protegendum suscipiebant, hostem clypeo protexerunt. Is verò callidè caput dum sinuat, ictu ad pedes directo utrumqve amputat, corruitqve Alius in terram exanimis: nec exprimitur, utrum dolum vindicaverit, nec ne. Plures etiam ex Tröllorum genere occidisse perhibetur, inter qvos fœmina Forad dicta memoratur, qvam in insula Hrafneya oppressit, nigram instar picis, calvastremqve, dum adverso Soli objecta rideret. Aliam etiam non procul inde conspexit, capillis densissimæ jubæ eqvinæ non absimilibus, nigrisqve; qvæ, qvò tenderet, rogata: *ad indicta Trollorum comitia*, respondit, *qvò Skeljungus è septentrione è Dumbici maris* (de qvo *Arngrimus Crymog. fol. 114.*) *rupibus, & Rex Ofotani sinûs, Thorgeir præterea Holdatroll cum compluribus etiam è septentrione è Skuggano sinu conventuri essent, se verò ei ob Kaldranii cædem valde infensam.* Ob locorum situm hæc ad verbum exprimere visum est. His dictis in altum se conjecit. Creber ea nocte eqvitatus magicus, qvem Gandreid patrio sermone vocant, per universam insulam visus, Ketilli tamen minimè nocuit: domum igitur rediens, post exiguum tempus excepit piratarum Regem, Framarem nomine, sacrificiis valde deditum, in Hrafnistam ad se profectum, filiam Hrafnhildem in uxorem petitum; ditio ejus in parte Hunalandiæ Gestriciâ sita est (pars igitur Hunniæ Gestricia tunc fuerat) indulta ipsi cutis â ferro im̃unis duritiei ab Odino perhibetur; qvo privilegio securus nihil non audebat, usûsq; ad perniciem plurimorum, omnibus exosus malè audivit. Ketill nuptiarum arbitrium, pro more, filiæ detulit. Illa, *Alio Updalorum athleta rejectô iniqvum videri, si gigantem hunc eligeret,* respondit; qvô per patrem relato, irâ valde commotus eum ad singulare certamen provocavit ad Arrhaugum primô festo Jolensis die, publicum probrum reportaturum, ni compareret. (Illud voce nidingr exprimebatur; designat autem propriè parricidam, inde pro qvalibet detestabili re probroqve usurpabatur, deducitur â voce nid / qvod *infra* denotat, vel etiam *minus*; inde nid / Danicè ne / *interlunium* significans, item *progeniem*, qvòd illa descendat, sicut vox afi / id est *avus*, qvod ascendat, *superiorem* denotat; hinc nidingr / qvi progeniem interimit.) Suapte naturâ gloriæ avidus, probriqve omninò impatiens Ketill, congressurum se professus est, repulitqve operam, qvam hospites iterum obtulerunt, qvi antea minus fideliter partes ejus propugnabant; iisqve rejectis, se solum congressurum respondit. Paucis ante Jolense festum diebus, ad locum pugnæ delegatum profecturus, penulam (villosam) indutus, tabulis ligneis pedibus alligatis, nivosa loca, cum primùm in continentem venisset, permensus, superato saltu in Jamtiam pervenit. Inde ad Eyskeriamarkam decem milliarium (raster dixerunt) longitudine, latitudine trium, contendit. Hæc Gestriciam ab Helsingia separare dicitur. (Helsingiæ itaqve universam longitudinem prætervectum licet conjicere) Prope nemus habitabat vir, nomine Thorer, is operam suam in deducendo eo per sylvas, â prædonibus non satis tutas, offerebat: Sotium eorum principem vocari, fraudibus & robore præcellentem, retulit. Ketill sibi eos formidandos negavit, cæptumqve iter prosecutus, ad domum Sotii pervenit, id temporis absentis, accensôqve focô ad ignem se calefecit. Sotius rediens ingressus domum, hospitem salutare dedignatus, cibum statim, nec hospite invitatô, capere cæpit. Tum verò Ketill: *Sordidè qvidem tenax oportet sis, Soti, & inhospitalis;*

talis; mox Sotius frusta qvædam in eum projecit; qvibus comestis Ketill, satur recubans somno simulato ronchos duxerat. Qvam occasionem Sotius, in præparatum cæteroqvin minus audax, haut intermissurus, exsiliit. Excitus Ketill, qvò tenderet? qvæsivit; ignem exstinctum sufflaturum professus est. Iterum ergo Ketill somnum simulabat; Sotius igitur securi arreptâ occisurus advolabat. Prævenit eum Ketill, grandia frustra secturum cavillatus. Insomnem deinde residuam noctem uterqve duxit. Manè petebat, ut Sotius se per silvam deduceret, viamqve ignoto monstraret. Ubi inseqventem, cum sub arbore Ketill recubans, dormientis speciem repræsentaret, demum occisurum se Sotium aggressus ad luctam provocavit, temporisqve momento prostratum interemit; inde ad collem Arrhaugum devenit, pridie sub vesperam diei ejus, qvo pugna indicta est, cælo valdè inclemente, nihilominus procellis ab aqvilone sævientibus obversus, in apice collis sedebat. Framar habuit filium, Bodvarem nomine, qvi id temporis præsens apud eum fuit. Ab illo reqvisivit, num Ketill ad constitutum certamen adesset? Illum esse virum respondit filius, cujus ingenium judicia plurimorum eluderet; se nihilominus exploraturum. Ut vero Ketillem intensissimo frigori obversum, in vertice tumuli deprehendit, domum invitavit, cunctantemqve arreptis pedibus detraxit, monuitqve, periculosum adversus patrem conflictum fore, deditum Odino, ejusqve tutelæ confisum, ferro inviolabilem effectum, se vero ipsi contra patrem, modò liberet, auxilium laturum, vel qvi ferrent suffecturum. Nullos admittere Ketill dignabatur, præterqvam illum in tantum, ut clypeo se protegeret, patrisqve ictibus objiceret; indignatus tamen Odini nomen, ejusqve mentionem injectam, cui nullum numen inesse putabat, qvòd ejus religione nunqvam teneretur. Deinde Bödmodum domum secutus, cum noctem ibi transegisset, mane ad locum pugnæ, Bodmodo multisqve aliis comitatus, accessit. Framar horrendo clamore eò se contulit, legesqve duelli recitavit. Ut vero filium ab hostis partibus stantem, clypeumqve sibi objicientem perspexit, jura paterna nexumqve mutuum violari, imo totum filium exui, qvestus est. Illum jam dudum paterna jura detestandis veneficiis incantationibusqve perdidisse filius respondit. Priusqvam congressi essent, ex sylva advolans aqvila impetebat Framarem, vestesqve ejus lacerabat: Framar rhythmum modulabatur, cujus hic est sensus: *Aqvila irata est, non tamen vulnera metuo, licet ungves sangvine tingat.* Majori itaqve impetu eum incessit, atqve adeo ut se defendere cogeretur, modulatus itaqve: *Alis tu strepis, arma tibi dabo, volas passim, tanqvam fatum meum præsagias, Hængone parcas? prius enim morietur.* Lex erat, ut provocatus prior ictum inferret; strictô itaqve Dragvendile feriebat Framarem Ketill, vulnus tamen non inflixit, multùm licet nutanti, qvòd gravis esset ictus. Framar Ketillem petens clypeum bifariam dissecuit Ketill iterum, cum alterum humero ictum neqvicqvam inflixisset, gladium hac formulâ increpavit. *Valdè â consvetô acumine degeneras, ô Dragvendill, passus Odinum aciem tuam obtundere, cui pariturum nunqvam credidissem.* Framar hebetatum gladium gavisus irridebat, Ketillem virginis patrem, effætum senem, metu perculsum, tremente barbâ culpam in gladium conjicere exprobrabat. Ketill de nihilo metum sibi objici respondit, neqve enim se terreri, qvoad Dragvendill integer esset, terqve gladium manu comprehensum huc atqve illuc rotans; *utriqve nostrum*, inqvit, *periculum, ni penetres, imminet*; immotoqve Framari, utpote ictum contemnenti, ab humeris ad coxendicem

dicem usqve partem corporis abſcidit, gladiô, ut putabatur, provocatione exacerbatô. Qvo vulnere accepto, hæc metricè Framar modulatus eſt. *Animus ineſt Hængo, acies Dragvendili, merito telum Odini, qvod huic par eſt, dicatur: decepit nunc pater Baldi dubiæqve eſt fidei, macte eſto manibus iſtis, ab invicem utiqve ſeparabimur.* Rhythmus hic rerum Framaris verborumqve ultimus erat, qvo recitatô concidit mortuus. Poſt fatum patris, latæ operæ præmium filiam Hrafnhildem Bödmodus petivit & accepit. Hic alio nomine Bodvar dici ſolebat. Ketill Hængus calluit artem familiæ ſuæ, poſteris etiam qvibusdam familiarem, qva ſilentibus ventis qvandocunqve libuit, erectô malô velôqve, auram ad votum ſpirantem, qvocunqve curſus eſſet dirigendus, impetravit; filio inter alia eadem facultas hæreditati obveniſſe dicitur. Plura de Ketille literis prodita non accepimus. Poſt ejus mortem filius Grimus Hirſutigena in Hrafniſta habitavit, uxorem habuit Lopthænam Haraldi præfecti Vikenſis filiam, natam ex Geirhilde Uplandorum Regis filia, qvam octodecim comitibus ſtipatus ſibi deſpondit. Ex illa ſuſcepit filiam Brynhildem, qvam duodecim annos natam, Sorqver qvidem Svadii filius, genere Svecus (hoc loco Sviſkur dicitur) uxorem ambivit; cui cum Grimus exemplo patris eligendi libertatem permiſiſſet, maritum abnuenti obtrudere noluit. Inde duellum inter Grimum & procum, qvod intra qvatuordecim dierum ſpatium inſtitutum eſt, tantaqve celeritate geſtum, ut prius finitum, qvàm cæptum videretur; nam cum ictus provocato primò competeret, tanto uſui fuit, ut utrôqve pede amputatô hoſtis actutum exanimis rueret. Paucis annis ab hoc tempore elapſis, Bödmodus Framaris filius mortuus eſt.

SECTIO QVARTA.

HISTORIA ANIS BOGSVEIGERIS.

CAP. I.

DE REGE NAUMUDALI OLAFO, EJUSQVE FILIO ET SATELLITE THORERE THEGNE.



Naumudalus, vicina Thrandiæ provincia, regni ante conditam Monarchiam, ut cæteri diſtrictus, titulo jureqve inclaruit; ſeculi autem octavi â nato Chriſto fine, Regem habuit, nomine Olafum, id temporis ſenem, ingenio probum, emolumentiqve civium ſuorum promotorem induſtrium, omnibus carum acceptumqve. Is priore uxore, cujus nomen ſilentio transmiſſum eſt, orbatus, alteram duxit uxorem viduam, nomine Dyſem, qvæ prius nupſerat Fiordorum Regi Aunundo, cognomentô Upſio, ex qvo duos filios progenuit, utrosqve cognomines, Ulfos; â qvibus deinde celebris ſtatio Ulfaſunda nomen contraxit, patriæ ditionis hæredes ſucceſſoresqve, ex Olafo vero filium Ingialdum. An vero filiam Aſam ſpectatæ formæ virginem, cæterà commendabilem, illa matre, an priore uxore Olafus procreaverit, ſilente calamo exprimere neqveo. In hujus aula Biorni, inſulæ Hrafniſtæ domini, ex Thorgerde Bodmodi filia filius, nomine Thorer, cognomine þegn (qvod civem denotat) inter præcipuos ſatellites miniſtrabat, vir moribus comptis, formâ venuſtâ, viribus & virtute conſpicuus; atqve his animi corporisqve dotibus magno-

pere commendatus cultusqve, virtutum ſuarum præmium teſtemqve, ſingularis acuminis gladium, Thegnem qvoqve dictum, Regiæ familiæ per longam avorum ſeriem gentilitium, dono accepit. Hic tamen non continuo in aula, ſed domo paternâ, hyemes alternare ſolebat. Jamqve Rex Olafus ſenio gravis, filium Ingialdum in imperii ſocietatem aſcivit, cujus tamen indoles â patre diverſa; erat enim animi ſubdoli, conſiliisqve duorum aulicorum, Ketillis nimirum & Biorni Robuſti, qvos ingeniorum ſimilitudo conciliaverat, regebatur; mox avaritiâ & iniqvitate ſtimulatus, jus hæreditatis in Fiordorum regnum, qvod ſibi â patre relictum uterini fratres tenebant, vindicabat, tanqvam mater in illius qvoqve communionem aſcita fuerit, bisqve armis illud repetere conatus, magnâ ſuorum clade damnoqve malè multatus rediit.

CAP. II.

DE ANE EJUSQVE MORIBUS DOMI, ET IN AULA SIMULATA VECORDIA.



INtera An domi ignobilis adolevit, mole qvidem corporis inuſitatâ, & ſupra ætatis captum, formâ tetrica, ſed ad labores omnes valde ſegnis, virium illius experimentum nemo capiebat, cum indicia illius nunqvam ediderit: ſtolidæ vero ferociæ plurima. Inde patris â ſe animum alienavit, licet mater eum tenerrimè amaret. Solâ ſtaturâ majores agnatosqve ſuos referebat, cæterà valdè diſſimilis, culinæ tamen ſe non addixit; nihilominus delirare pluribus viſus eſt, nam artes nullas, nulla exercitia, addiſcere ſuſtinebat. Novennis fratrem ſuum Thorerem ſtaturâ æqvabat, qvæ tamen eum magis ludibrio expoſuit, qvàm commendabat, nam & veſte ſqvalidâ tritâqve amictus, nudos cubitus ruptis manicis exſerebat. Duodecim annos natus nemine conſcio domo diſcedens tribus noctibus affuit; nanum enim domicilio vi carminis cum excluſiſſet, ad arcum ſibi fabricandum compuliſſe tradunt antiqvitates, ſpiculaqve qvinqve, qvorum ſemel qvodvis emiſſum, optatum ſcopum attingeret. trinoctium reqvirebat iſte labor; intera An opperiebatur: qvô elapſo, absqve diris arcum telaqve recepit, munus præterea, ſellam nimirum affabrè factam, nam & argentô â matre donatô nanum prius placâſſe dicitur; hanc redux ingentemqve arcum humeris bajulans, ſpectaculo fuit, illam vero matri dono dedit, honorandam ſibi præ cæteris omnibus teſtatus. Et illa qvidem ætate, mole ſtaturaqve corporis provinciales omnes longè excellebat, ſingulis tamen civilitate morum, ingeniiqve dotibus inferior habitus. Eadem hyeme Thorer domi apud patrem remanſit, qvi â gladio contracto Thegnis tunc primùm cognomine innotuit. Appetente vere reditum ad Regem maturabat. An verò eum comitari cupiens, repulſam paſſus eſt, qvòd mores ipſius domi qvidem abſurdos, aulæ certiſſimum ludibrium futuros obtenderet; nihilominus ab navem profecturum ſeqvebatur, ſeqve eo invito, qvandoqvidem precibus flecti neqviret, profecturum minatus eſt. Obſtinatum igitur fratrem Thorer arbori nihil repugnantem alligavit, nec longè receſſit, cum ſe inſeqventem radicitus evulſam tergo ſuſtinentem deprehendit, miratusqve robur vincula rupit, inſtititqve diſſvadere acceſſum in aulam, qvòd eſſet ingenio ad

mores

mores ejus imbibendos minimè apto, qvem ut in proposito perseverantem animadvertit, strictô gladiô Thegne terrere conatus, contemtum sui, seposito fraternitatis nexu, se vindicaturum minatus est. An, *sibi haut perinde atqve infanti, ab ubere matris pendenti, metum incuti* respondit; *qvo verò noscas*, ait, *qvàm sis mihi viribus impar, victoriæqve pronus, si dissensus interveniat, experimento tuo discas*: arreptumqve fratrem in altum levatum pusionis instar versabat. Tum verò frater eum ulterius dehortari desistebat, navigioqve recepit. An autem sedulò curabat, ut eum semper locum occuparet, qvo omnes offenderentur. Verùm cognito, qvòd Thoreris frater esset, mores ejus patiendo dissimulabant. Frater ei novam ex panno vestem sufficiebat, exiguo fructu, cum parvo tempore duraret integra. Cum ad Regiam perventum esset, cognoverunt, Olafi excessu imperium ad solum Ingialdum devolutum. Id Thorerem adeo malè habuit, ut si hanc mutationem præscivisset, domi se remansurum profiteretur; nam deteriorem superesse dictitabat. Regiam ingressurus An, humeris lunato arcui ingestis, nervum pectori applicuit, spicula manu gerens. Hoc habitu â janitoribus intromissum fratrem pone secutus, publicum sui præbuit spectaculum. Angustiores erant fores, qvàm ut eum arcu cinctum caperent; cornibus itaqve magno crepitu, sed sine damno, incurvatis, redditus ilico clangor omnium aures complebat, ingredientis accessum Regi qvandoqve exitialem futurum sinistro omine præcinens: An vero locum prope fores occupavit. Thorer Regem accedens debitaqve reverentiâ salutans benignè exceptus est, locumqve sibi oppositum, qvi præcipuæ dignitatis erat, capere jussus, qvinam eum secutus tam subitò deseruerit? rogabatur. Fratrem moribus aulicorum minus assvetum respondit. Rex nihilominus eum sibi optatum hospitem futurum affirmat; lateriqve suo collocare jubet, *illud se ejus gratiæ tributurum*; *neqve enim ejus famam sibi ignotam, videriqve virum in multis insignem.* Actis igitur gratiis ad Anem digressus Thorer, benevolentiam Regiam retulit, hortatusqve est, ut debita gratiarum actione oblatum acciperet honorem: ille locum se haudqvaqvam mutaturum, hyemem tamen ibi peragere velle significavit. Thorer voluntate ejus expositâ, ilicò eum admitti impetravit, locum tamen ab eô remotiorem, qvòd aptiorem duceret, absurdum visum. *Propositi, qvantumvis insani, eum ad illum usqve diem tenacissimum fuisse* Thorer respondit, *nec aliorum moribus suos aptare consvetum*; *inde veritum se in aulam eum adducere.* Ut vero An â fratre se admissum âRege percepit, permissumqve, qvem occupaverat, locum, gavisus, ad suam sedem eum amandavit, tempusqve non sine risu sodalium ad festum Jolense trivit, irrisiones sannasqve sociorum, & imprimis Ketillis, satellitis primarii, dissimulando. Tum vero more patris dona in singulos distributurum se Rex, vespere, qvo festum incipit, proclamabat, qvô magis aulicorum sibi animos devinciret: omnibusqve ad ea confluentibus solus An remansit. Rege qvare is munera præter cæteros recusaret? qværente, se qvidem aurum alacriter accepturum respondit, compositoqve ad risum gestu, habitu aliàs satis ridiculo, Regem accessit. Rogatus â Rege, *qvid adeo crepuerit, cum primùm aulam ingressus esset? Arcus meus*, respondit, *dum præ angustiis forium aulæ curvaretur*, aulæ Regiæ nudum nomen omni magnificentia vacuum callidè perstringens. *Bogsveigeris ergò cognomen reportabis*, respondit Rex. *Munus igitur cognomini adjectum qvid offers? Annulus*, inqvit Rex, *tam festivum donum, qvàm cognominis præmium explebit*, traditumq; accepit, absqve tamen gratiarum actione. Rex admirandarum sibi virium videri ait.

Idem

ſibi videri reſpondit, licet earum nulla experimenta ediderit. Inde annulo ludens pectori eum adhibuit, digitisqve premens ſe oblectabat; qvi inter geſticulationes intercidens ad inqviſitionem in atrio eum perpulit: lutoſum ibi pavimentum veſtes ejus commaculavit. Confeſſor cauſam maculati tegminis qværens, ſine pacto ſilentii enodare nolle retulit, qvô adjectô; *verum*, ait, *deprehendo diverbium, monens qvod lucrum inviſum rarò perennet; nam & annulum perdidi.* Confeſſor damnum haut vulgandum monuit. *Sic eſt*, inqvit An; *verum donum mihi fato deſtinatum cum diffidam, dabo invenienti.* Ilico vox ſtolidæ liberalitatis per omne ſatellitium pervaſit, magnoqve audientium riſu excepta eſt; imprimis Ketill irridens, donum in amentem collatum aliter cedere non potuiſſe teſtatus eſt. Is igitur cum ſatellitibus atrium ingreſſus, per pavimentum manibus genubusqve repens luto veſtes infecit. Subriſit An, ut avaritiæ ſordes ſordibus pavimenti ſingulos aſperſiſſe animadvertit, exclamans, *qvidnam rei eſſet, qvod purpuratos in ſordes protraxerit*? Illi caſum ejus miſertos annulum ei reſtituendum ſe qværere profeſſi ſunt. *Atqvi eundem*, inqvit, *digito geſto, repoſuiqve unâ vice ludibrium, qvo me per partes excepiſtis.* Illi qvidem ſe deluſos agnoſcebant, id autem haut injuria fieri regeſſit; ceſſatumqve eſt parùm ab irriſione, donec eam Ketill etiam acriùs renovavit.

CAP. III.

DE EXPERIMENTO ROBORIS ANIS, EJUSQVE QVÆSITA FATUITATE ET AULICORUM CONTEMTU.



FOrte An cum fratre Thorere in area Regiæ exſpatiabatur, cum ſatelles qvidam robur ejus laudibus efferret, nec id ille improbaret. Interrogatus itaqve, num luctâ cum Biorno congredi auderet? fuit enim aulicorum omnium robuſtiſſimus, copiam ſe ejus rei facturum, modò ardentem focum inſtruerent, alerentqve, ſibiqve hac in re famularentur, reſpondit. In id facile conſenſum eſt, qvæſitumqve, num caleſieri vellet. Poſt luctam aptiùs, ait, rigida membra foventur. Interim congreſſui ſe uterqve parant. Hirſutum erat pallium cubitali longitudine, ultra calces demiſſum, manicis longe extra manus protenſis, donum matris, ſingulari geniô arcanâqve vi imbutum, nam induentem ab incendio protegebat, qvod cum ſibi circumdediſſet, nullo præcinctus baltheo, monſtro ſimilis, preſſis inſtitit veſtigiis. Mox Biornus inſtantem immotumqve irruit, arreptumqve in ardentem ignem projecit, humeros flamma, pedes pavimentum excepit, perſonabatqve cachinnis aula. An tardè reſurgens, illæſus tamen foco exceſſit. Tum Rex, *haut eqvidem tam fortis, qvalem te præferebas, videris*, inqvit. *Imo verò*; reſpondit An, *qvi prior cadit is fortior mihi videtur.* Qvô dictô, ut Regem ſubridentem vidit, pallium Baltheo ſubnectens, manicas contraxit, congreſſusqve iterum, Biornum inſtar pueri elevatum in ignem projicit. Accurrunt ſatellites, eumqve valde aduſtum extrahunt, omniumqve ſuffragio virium palmam An obtinuit, id qvod ipſi vehementer placebat, nam & illis jam liqvere contendit, qvòd Biornum ad focum caleſieri voluerit, rhythmumqve eâ de re modulatus eſt. Maxima pars hyemis effluxerat, cum Thorer & An ſoli in campo exſpa-

exſpatiarentur, qværeretqve frater, *ut hyberna manſio placuerit, cum irriſione & contumelia conjuncta?* Ille *minimè diſplicere, eô qvod qvibus indiguerit, ad votum præbita ſint, donaqve adjecta; ſannas verò ſe inſuper habere. Ut verò ego his afficiar, experiere,* ait Thorer, *munus â me accipies pretioſum gladium Thegnem, qvo duos qvoslibet interficias ê ſannionibus tuis, ego vero multam ſatisfactionemqve cædium rependam.* An ſe gladium qvidem accepturum, non item remuneraturum, affirmat. Poſtridie inter pocula exſurgens, a conſeſſore ſuo ſingulos perluſtrat, unum qvemqve per horulam intuitus; ad ultimum Regem accedens eum omnium diutiſſimè inſpexit; deinde fratre adito, gladioqve in menſam repoſitô, reddere ſe donanti pronunciavit; id qvod omnes, qvi in aula erant, effusè riſerunt. Thorer verò mores fratris tam abſurdos indignatus eſt. Cumqve ſecretò convenirent, de eo, qvod adeo importunè ſe geſſerit, cum illo expoſtulavit. Is *ſingulos ſe inſpexiſſe* ait, *nec unum deprehendiſſe, qvem ultione dignum judicaret, cum rectiùs contemnerentur; in ſolo autem Rege diutius hæſiſſe, qvòd dubitaret, num vindictam in illum converteret.* Thorer valde eum decipi qveſtus eſt, cum Rex propenſo in ipſum eſſet animo. *Atqvi,* reſpondit An, *neminem minùs malum totâ Norvegiâ hoc tempore exiſtere putem.*

CAP. IV.

DE EXPEDITIONE REGIS INGIALDI ADVERSUS FRATRES; EORUM CÆDE PER ANEM PERPETRATA, QVA IRAM REGIS SIBI CONSCIVIT.



VEr inſtabat, cum Ingialdus comitia celebravit; ibi pro concione declarat: *ſe patri in regnum juſtum hæredem ſucceſſiſſe, ſi qvem præter jus fasqve pater hactenus gravaverit, eum ſe onere relaxaturum, legesqve in commune emendaturum. Ad expeditiones ſuſcipiendas cives modò parati ſint; eſſe namqve ſibi in animo exercitum contra fratres ducere, qvô faciliùs pax inter utraqve regna coaleſcat; ſibi commeatum civibus miniſtrandum curæ futurum.* Omnium applauſu oratio Regis excepta eſt. Solus An, pietatemne Regis frater, perinde atqve alii, laudaret, qvæſivit. *Imo,* inqvit, *nam pacem fœderaqve inter ditiones ſe conciliaturum præfert. Præfert qvidem,* reſpondit An *latet tamen intra verſuti animi penetralia certiſſimus dolus, &, qvam fratribus machinatur, pernicies.* Thorer vero præconceptam de Rege opinionem animum adhuc obſidere mirabatur. Omnibus ad navigationem paratis, interrogante fratre, comesne Regi ſatellitibusqve fieri, an in aula remanere vellet? cum aulica manſio dubii videatur eventûs, rectiùs ſe Regem comitaturum reſpondit, eoqve libentius, qvòd ſe comite expeditionem celebrem, verum cum famæ Regiæ jactura, ad ſeram poſteritatem perventuram prævideat. Ad inſulas qvasdam ſtativa habuerant, cum Rex juberet vexillum pro more in portu erigi. An vero verſu ſe perdium pernoctemqve Thegnem lugere ſignificavit. Thorer gladium ipſi ſe redditurum affirmavit, luctûs remedium futurum. Haut eqvidem, inqvit, illum Thegnem (civem) lugeo. Ketill aſtantesqve vocem cum iriſu excipientes, virum eum qvendam deperire dixerunt, qvem lugeret. *Fratrem meum,* inqvit, *Thegni nomen cum gladio communicantem, rectiùs lugeo, miſertus illius imprudentiam, qvod fidem hujus Regis ſeqvatur, uſurâ*

vitæ se qvandoqve privaturi. Perventum est in Fiordos, fraternam ditionem; ibi Rex Ingialdus conceptum animo scelus, ægreqve, studio licet ingenti, occultatum prodidit; *certoqve se cognovisse refert, fratres omnes pacis conditiones recusasse, ideo necessitatem pugnandi, civesqve suos ab injuria eorum infestationeqve liberandi, incumbere.* Tum verò pænitentia complures, spe pacificandi domo illectos, subivit. Fratres, ut infestis signis fraternam classem appropinqvare cognoverunt, collecto milite hostilem impetum repulsuri concurrunt. Ingialdus igitur merô milites alacriores redditurus, cum bubulum cornu liqvore repletum Ani exhiberetur, eum cum cæteris ad pugnam intrepidè ciendam adhortatus adjecit: *non videri clypeo nudatum, cujus latus ille protexerit, miles pöetaqve pariter egregius.* Ille suum tamen comitatum eum damnosum æstimaturum carmine cecinit, nec Regem in prælium secutus est; ideo graviter â fratre increpatus, *qvòd militiam Regis, aliis fortiter seqventibus, ipse non modò detrectaret, sed etiam inter sarcinas intra navem delitesceret; frustratum se spe, qvam de animi ipsius fortitudine falsò conceperat;* qvi spreta objurgatione, postqvam Rex in aciem, qvam prope sylvam ordinavit, processisset, fratresqve sibi acriter concurrentes obviam haberet, in sylvam progressus, truncum qvendam ascendit, unde facilis ad utriusqve copias conspectus erat; ibi duo vexilla fratribus prælata observabat. Subibat igitur eum Ingialdo qvidem succurrendi, sed tamen fratricidio eundem contaminandi, libido, qvandoqvidem infamiam scelere parricidioqve partam ipsemet affectaret. Spiculum igitur, nanorum donum, prima qvidem vice scopum collineaturum, torsit, alterumqve Ulforum trajecit, qvod in rubum pone tergum ejus concidit: qvo exanime in terram prolapsô, vexillum statim prorutum est; mox & An intercepto telo ad naves se proripuit: qvidam spiculo, alii hastâ Regem trajectum indicabant. Ingialdus victoriâ lætus ad naves se contulit, variaqve ibi judicia de interitu Ulfi ferebantur. An vero facilè bellum confici, qvod ex dimidia parte jamjam confectum esset, publicè conjectabat. Postero die manè Rex omnes ad prælium revocavit, victoriam certò sibi pollicitus. Solus An, ut antea, ad naves remansit, postea egressus, aliud telum in reliqvum fratrem evibravit; verùm minore qvam antea nisu; nam cum peremti corpus non penetrâsset, infixum cadaveri authorem cædis prodidit. Communi igitur consensu judicatum, utriusqve teli unum esse possessorem, eundemqve utriusqve fratris interfectorem. Ingialdus dudum sibi perspectam esse, dissimulatam consultoqve suppressam incomparabilem Anis virtutem, qvam se digno qvidem munere prosecuturum pollicitus, arcesseri eum jubet. Nuncii Anem scapha remigantem deprehenderunt, annunciabantqve mandata Regis, certamqve virtutis navatæqve operæ mercedem reportaturum. *Crucem*, inqvit An, *certò mihi instare cognovi*, jubetqve ei renunciare, se haut ultra ad eum reversurum. Ingialdus *rem acu eum tetigisse* respondit; *se enim provisurum fuisse, ne plures illustres viros per insidias tolleret; sibi neqvaqvam propositum fratres, ne qvidem regno ex omni parte, nedum vitâ, privare, sed beneficio suo regnare permissurum fuisse.* Non continuit se Thorer, qvin & beneficium malè illum compensare, & interpretari, palam coargueret, eo qvod dum vixerant, utriqve vitam, vel propria manu erepturus fuisset. *Meruisset*, inqvit Rex, *laudem præmiaqve virtuti condigna, si propalam in acie pugnans eos occidisset, jam vero clandestinæ cædes capite luendæ sunt.* Thorer eandem gratiam utroqve modo consecuturum respondit. Exinde Ingialdus prædia Regia jure victoriæ cognationisqve, ipsamqve adeò ditio-

nem sibi vendicavit, perqve præfectos postea rexit, Ulfisqve tumulum excitavit, qvi de eorum nomine Ulforum tumulus appellatur.

CAP. V.

DE PÆNA DE KETILLE SUMTA AB ANE, MANSIONE APUD RUSTICUM, ILLIUS HABITU, CÆDE PRÆDONIS GARANI, DUCTAQVE UXORE BENE DOTATA.



AD reditum omnia parata erant, qvem accelerandum constituit, cum Ketill veniam ad invisendum amicum, non procul habitantem, petivit. Rex autem monuit, ne longiore mora paratos impediret. Arrepto igitur Anis telô ad villam qvandam ignotumqve rusticum, non procul â navibus, accessit; cui nomen qværenti, Anem Bogsveigerem se professus est. Rusticus ad synonymiam nominis ejus alludens (An enim patriâ linguâ *sine* denotat) *Sine te qvidem poteramus esse*, inqvit, *qvi tam memorabile damnum dedisti*, *nece utriusqve Regis*, *fuerunt enim principes civibus suis utiles*, *multumqve dilecti*: *interim hac nocte tectis mensisqve assvesce*; qvi haut gravatim hospitio excipi se passus est. Præter dominum ruris uxor filiaqve, nomine Drisa, servusqve domum, nec plures, incolebant. Interea An scaphâ sinum propinqvum ingressus in terram escendit, adqve idem rus forté delatus, ante fores eorum colloqvia percepit; nam hospes noctem filiæ postulabat; qvod ei haut indecorum futurum prædicabat, sui, tanti scilicet viri, congressu. Abnuente patre, illo vero acriùs urgente, interveniens An fores pulsabat, qvi egredienti servo cum Anis nomen professus esset; *satisne Anium*, ait servus, *nam & hospes alius*, *An & ipse*, *tecto receptus est*; id verò acceptius respondit, qvô plures cognomines coëant, ingressusqve locum Ketilli oppositum cepit, moxqve hospiti ad pernoctandum invitanti annuit, verùm ante cænam opus sibi incumbere causabatur, qvod intermitti neqviret, qvæsivitqve, num Ketill ille sub Anis nomine latitans cænam ceperit? ille joco nomen illud sibi indidisse excusabat. *Benè se res habet*, inqvit An, *nam in aula Regis experimenta virtutis meæ solicitè nimis inqvisivisti*, *meqve tanqvam amentem & delirum ludibrio habuisti*, *virum tamen te longè præstantiorem*; *jam enim experieris*, *& me medicum esse*, *qvi motus Venereos sedare nôrim*; *percepi namqve te concubitum filiæ coloni hujus expetere*, *& te falsò nomen â flectendo arcu assumsisse*, *qvod â pane vel caseo incurvandis rectius usurpâsses*. His dictis arreptum Ketillem ad palum alligavit, abrasâqve cæsarie picem capiti illevit, addito cavillo, qvòd *pro pennarum modô qvælibet avis volare soleat*; alterô deinde oculô effossô, tandem emasculabat, telumqve receptum duobus scipionibus rependit, dictitans, *haut vulgare munus Regi offerendum esse*; *providisse enim*, *ne postea vulgaris haberi debeat*: *adiret itaqve Regem*, *munerisqve â se missi partibus fungeretur*, *tituloqve satisfactionis pro interfecto altero ejus fratre*; *Anem verò aliâs alio munere reliqvum pensaturum nunciaret*. Hac clade ignominiaqve affectus Ketill, ægrè qvidem ad Regem rediit; gestorumqve seriem omnem exponens accepta clade probavit. Rex munus qvidem se agnoscere confessus, statim eum repulit. Interim An qvæcunqve alicujus pretii ruri erant, in proxi-

 mam

nam silvam exportari curavit, colonumqve certiorem fecit, Regem, qvi villam incenderent, ilico missurum; id qvod proxima nocte factum est. Cumqve Rex incertus esset, utrum An evaserit, tribus marcis argenti caput ejus licitatus, insuper eum extra ditionis suæ terminos proscripsit, domumqve beneficio Anis occisis fratribus triumphans rediit. An vero per æstatem apud villicum moratus, domum ejus de novo ædificavit; habitu usus singulari, album perizoma ad calces usqve demissum indutus, qvod vestis cineracea ad suras usqve tegebat, cui rubrum pallium circumdatum ad genua defluxit, exterior amictus ex rustico panno ad media fœmora pertigit, pileum capite, manu securim, findendis lignis idoneam, gestabat, qvo virgini sæpius risum movit. Tribus ea comitata fœminis, postea fortè in familiam assumtis, cultè vestiebatur: rubra illi stola, manicis oblongis, ad pedes contractior, defluens tamen, sed ad coxendicem adstricta, more in Hördia hodieqve usitato, fascia fronti obvoluta inter ornatûs genera eminebat, color vero comam fœminis decoram commendabat, Anemqve qvadruplicem (vestitum perstringens,) per jocum appellavit. Ille strictam ad lumbos stolam ejus suæ qvidem vesti haut præferendam regessit. Sub autumnum restitutâ villâ, hyemem inseqventem ibidem remansit. Discessurus sub adventum veris hospiti retulit, filiam ejus prægnantem se reliqvisse, filium, si pareret, mitti ad se mandat, cum per ætatem liceat, annulumqve reliqvit, qvem sibi eum in generis testimonium reddere jussit; sin filiam eniteretur, matri ejusqve propinqvis illius curam commendavit. Sylvam inde orientem versus permensus est, ibi prædo excubabat, nomine Garanus, clypeo nigro, galea arcuqve instructus, pharetram humero gestans, qvem sibi obviam procedentem ut conspexit, telum in eum projecit, qvod clypeo transverberato, vulnus ei inflixit. Prædo miratus, & jaculandi peritiam, & jaculantis vires, arma deposuit, accedensqve virum, ubi nomen audivit, famâ dudum notum, suum etiam ipsi exposuit. Celebre qvidem illud, sed simul infame, nec sibi ignotum, An respondit. Mox ad lustra sua fœdera societatemqve, qvòd conjunctis operis invicti viderentur, invitanti, fateor, respondit, mutuis operis ingens per nos malum perfici posse. Ad domum illius uti pervenerunt, qvam sylva cingens occultabat, diversa armorum opumqve genera deprehendit, duo ibidem saxa ingentia, qvorum aliud depressius erat, qvorum usum reqvirenti, respondit, hospitum spinas se hisce confringere solitum; eum vero inhospitalem cum pronunciâsset An, utrum eorum ipsi se forte inclinanti, existimaret aptius, qvæsivit; ille se id minùs consideràsse, si tamen optionem necessitas faceret, celsius electurum. Et jam tempus ad cænam vergebat, cumqve apparandis cibis operæ dividendæ essent, Garanus vel foci instruendi, vel aqvæ ministrandæ arbitrium ei detulit; ille assvetum se foco igniqve suscitando retulit; verùm dum innixus genu igni inflando operabatur, gladio, qvem gerebat, in tergum rejecto, supervenit Garanus, ictumqve ei validum inflixit, qvem gladius excipiens â corpore ejus arcebat. Exsiliens itaqve An, infidam, nec diuturnam, recens initam societatem futuram cavillatus, totis viribus in eum irruit, qvi valide resistens negotium ei facessebat; circa lapides alacriter certabatur, utroq; feralem casum pro virili vitante. Tandem An ad altiorem lapidem Garanum perduxit, ibi alterùm ejus pedem suo calcans premensq;, pugnis in pectus magnis viribus impactis, ad inhospitale saxum eum perpulit, confractâqve spinâ exanimavit, caput deinde corpori præcidit, interqve femora collocavit, ne postea furiis infernalibus obsessuris, indeqve damna illaturis, usui foret.

ret. Nam communis opinio antiqvitus invaluit, nec dum apud rude vulgus satis exstirpata, malos homines & facinorosos post mortem velut redivivos grassari, & plurimis, præsertim qvibus ultionem minati sunt, nocere; remedia olim inventa memorantur combustio, cinerumqve in aqvam projectio, vel deniqve capitis amputatio, qvod partibus obscænis deinde applicari solebat. In hac domo An æstatem sine ullius noxa transegit. Præcipite autumno inde digressus ad opulentam viduam, nomine Jorunam, divertit. Hæc eum antea nunqvam visum, nec nomen, sortem, genusve suum profitentem, studio etiam dissimulantem, cognovit, negabatqve præsidium adversus Regis iram & persecutionem ibi suppetere. Ille majori se non indigere præfatus, velle tamen ibi paulisper morari. Qvæ cum ad victum pertinentia haut negatura videretur, An curâ æconomica in se susceptâ, non sine magno rei familiaris auctu ibi permansit, tandemqve ejus conjugium petivit. Re ad necessarios delatâ, consentientibus iis, nuptiæ magno apparatu celebratæ sunt. Non exprimitur nomen villæ vel provinciæ, ubi habitavit: qvatuor rura coluisse traditur, inqve singulis triginta domesticos, armis ferendis idoneos, aluisse, provincialesqve eum sibi præfecisse memorantur; verùm qvalis is fuerit magistratus, qvi suffragio colonorum deferebatur, non exprimitur. Interim Biornus Anis pater in Hrafnista mortuus est, Gautusqve sororius affinium loco villæ præerat; filius ejus Grimus admiratione avunculi Anis ejusqve gestorum captus, ad eum se contulit, benignèqve exceptus, diu ibi omnibus gratus permansit. Interea Thorer sæpius ad fratrem profectus, svasit, ut Regi reconciliari studeret, arduum ipsi futurum adversus tantam vim obniti. Verùm ille *fortunæ se commissurum simultatum illarum eventum, tantùm optare, ut, resignato Regis satellitio, ad paternum prædium excolendum se conferret; infidamnamqve fidem Regis eum seqvi, nullo suo emolumento, ad ultimum in exitium versuram.* Verùm frustra illi præsagus frater imminens fatum, nec fortè evitabile, præcinebat.

CAP. VI.

DE IMMISSO IN ANEM SICARIO, EJUSQVE LUDIBRIO.



FUit vir qvidam, nomine Ivar, genere nobilis, natione Uplandus, forma speciosus. Is post Anis abitum in aulam Ingialdi admissus, cum sororis illius Asæ nuptias expeteret, nec facilè impetraret, tandem capite Anis impetrabiles ostentabantur. Procus tantam dignitatem parvo se momento leviqve opera prometiturum existimans, consensum virginis reqvisivit; qvæ impletâ conditione in fratris se potestate futuram promisit. Inde ortum versus profectus, hybernum diversorium ab Ane expostulat. Ille *hominis ignoti receptum intutum causatus, sibi tamen victum denegare, aut præmium ante tempus poscere, insvetum; nec illum rectius redditurum, priusqvam hospitium ipsi probaretur*, respondit. Exceptus hospes, fabriles Ani operas præstabat, eumqve assiduè comitabatur, in occasionem intentus, qvam, dum exspatiarentur, oblatam apprehendere conatus, validô præcedentem ictu petiturus, velociori, qvàm opinabatur, incessu gradientem non attigit, frustratusqve ictum in radices arborum impegit. Detectis hoc modo insidiis, An hospitii præmium haut satis commodè repensum

criminabatur; nervo igitur manibus constrictis, ante se eum agebat, rediensqve domum compedibus vinciri curavit, qvoad supplicium de eo sumendum domesticorum suffragio decretum esset, qvòd perfidiâ mortem meruerit; id vero An, ut privato concilio nimium, cum improbaret, publicam curialium sententiam prætulit, ut palam ibi, qvo instinctore insidias sibi struxerit, profiteretur, qvô constaret, inimicitias cum Ingialdo Rege non sua temeritate, sed provocante necessitate, susceptas esse. Illo, conventu Ivar cum omnia ordine exposuisset, infrementibus omnibus, occidendum proditorem negabat; nam & procum Regium rectius remitti, notis singularibus â plebeis & vulgaribus distinctum, qvo muneri majus esset pretium. Fractis igitur tibiis, plantas pedum inverti mandavit, ut hallus digitiqve in calcem intorqverentur, capite similiter ex parte inverso. Hac ignominia affectum ad Regem eum remisit, titulo muneris compensationisqve interfecti â se fratris reliqvi, ne causa reqvirendæ multæ illa superesset; qvem ut Ingialdus tam malè multatum redeuntem conspexit; *hostibus solenne*, inqvit, *audivi, hostes suos eorumqve asseclas occidere, non ignominia affectos remittere, sub probroso muneris Regii titulo.* Eum igitur munus ignominiosum reputans, domum remisit. Soror vero Regis, homuncionis temeritatem in ambienda affinitate exprobrans, ei insultabat; atqve ita ignominiâ plenus domum rediit.

CAP. VII.

DE INSIDIATORIBUS A REGE IN ANEM IMMISSIS, FURCISQVE ALLIGATIS, OCCISIQVE FRATRIS CADAVERE AD EUM MISSO, ET DEPORTANTIUM SUPPLICIO.



THorer interea, crescente in fratrem ira Regis, paulisper ex aula secessit. Interim Ingialdus in nectendis insidiis pervicax, homines duodecim subornabat, qvi diversorium hybernum ab Ane postularent, titulo communis æris ex æqvo inter se dividendi, cujus arbitrum eum delegissent. Interim, muneribus corruptis domesticis, oportunum eum injuriis futurum ratus est; qvi telam hanc ex præscripto ordine texendam suscipiunt. Verùm uxor Joruna, fæmina perspicax, notas insidiarum animadvertit, maritoqve suggessit; qvi nihil sinistri se suspicari asseverans, experimentum tamen in castrinum diem capturum pollicetur, nam domo solum profecturum se simulabat. Isti igitur in partes divisi, vias omnes obsidebant: sex speculatores, totidemqve famuli Anis corrupti, per bivium divisi reditum domini observabant, totidem ex utraqve parte domi remanserunt, suspicionis avertendæ causa. Interim uxor Grimum cum magna familiarium manu per occultum tramitem in occursum viri ablegat, reliqvis insciis. Tempus ad vesperam extractum est, nec tutò sibi insidiatores diutius excubare posse videbantur, itaqve domum redeunt; redierat & An, truciq; eos vultu affatus, jubet insidiarum, jam proditarum, seriem consiliaqve pandere; dudum sibi animum eorum perspectum, sed & familiarium lubricam fidem hoc experimentô cognitam; verùm nolle eos occidere; abirent domo protinus, qvoqvò liberet, edicit: Regios vero nuncios insidiatoresqve in potestate Grimi futuros præfatus, omnes invicem

illiga-

illigatos ab infelici arbore suspendit. Qveis cognitis, Ingialdus in majorem iram exarsit. Hoc tempore Thorer in aulam rediens, perspectâ Regis irâ, fratrisqve offensâ, intimis sensibus angebatur: qvod ut Rex animadvertit, causam reqvirit. Ille conspicuas, easqve multas, esse respondit. *Atqvi nos*, inqvit Rex, *tibi bene cupimus, nec minore honore qvàm pater noster te dignabimur: tuum erit, si qvid deficiat, nobis suggerere.* Thorer, *nihil qveror*, inqvit, *pater tamen tuus liberalitate in nos profusa te superabat. Pretiosamne rem tibi dedit?* ait Rex. *Æstima*, respondit Thorer, gladiumq; Thegnem ei tradidit. Qvo conspecto, *haut convenit*, inqvit, *tantæ rei possessio homini infra Principum sortem. Dono igitur â me accipe*, ait. *Nolo*, inqvit Rex, *tu qvidem possidebis, & qvidem diuturnum comitem*, exsiliensqve solio gladiô eum trajecit, eoq; *in vulnere relicto discessit*: adjecto; *alternis post hac muneribus se Anemqve certaturum.* Navem deinde sexaginta nautis instructam expedivit, cui funus imposuit, Ani deferendum, gladio vulneri infixo conspicuum, cum mandatis, *ut cum in stationem devenirent, nuncio ad eum misso significarent; adesse fratrem de firmanda pace acturum, curarentqve, ut illectum ad navem, dum ei excipiendo obviam procederet, occiderent; non omnino inultos fratres suos, si horum duorum nece illis parentaretur.* Exinde Ingialdum innocentis Thoreris excidium cunctis invisum execrabilemqve reddidit, adeo ut malè tectus ingenii morbus omnium conspectui patens, cognomen ei conciliaverit, qvo Mali titulo ab eo usqve die innotuit. Nautæ imperata executi, navem prope habitaculum Anis dirigunt. Hac eadem nocte, qvæ adventum eorum præcessit, An objectum sibi per qvietem uxori narrabat, *fratrem venientem tristem, sangvinolentum, gladioqve, qvi vulneri inhæreret, transfossum; semper qvidem, qvoties in somno venire visus sit, malum aliqvid seqvi solitum; tali verò habitu nunqvam ejus sibi speciem oblatam: nolle de nihilo nuncios Regis eum mortuum illuc transportare*. Agnovit illa ominosa somnia ejus esse. Nec mora; omnem viciniam ilico convocavit ad festivum convivium, fratri excipiendo, si incolumis; vel vindictæ exeqvendæ, si interemtus ad se mitteretur; navesqve qvatuor armatis replevit, qvarum binas occultus sinus abdidit, duæ ante insulam qvandam jacebant; qvibus ad votum dispositis, ipse domi, armati socii in navibus adventum Thoreris opperiebantur. Tandem navem rubris clypeis undiqve tectam cursum in stationem tendentem animadvertunt. Inde nuncius ad Anem missus, adventum fratris, jam caduceatoris munere fungentis, refert. An verò sæpe illum sine prævio nuncio penates suos accessisse respondit, jam vero præter morem se ad navem exspectare. Nuncio somnum ei obrepsisse excusante, ad navem se descensurum, nec ultra, pollicetur. Nautæ venientem aggredi metuentes, funus in terram projecerunt: munus hoc esse Ingialdi Regis ad eum missum referentes; qvo brachiis exepto; *& tu qvidem*, ait An, *imprudentiæ pænas graves tandem dedisti, fideiqve infido Regi habitæ: verùm aliud magis necessarium est, qvàm ut te incusem*; prosiliensqve in navim, rubro clypeô erectô signum pugnæ dedit, funere intra antrum qvoddam tumultuariè abditô. Fit acer conflictus, Regiis ab impetu ejus sodaliumqve ægrè se defendentibus. Grimus unô ictu surâ calceqve mutilatur, loripedem futurum, qvi vulneravit, gloriante. Non destitit An prius, qvàm omnes Regios satellites occidisset, ne nuncio qvidem tantæ cladis superstite, idqve in honorem fratris; eum namqve navi impositum, celsaqve in puppe sedentem, Regiis ad latera scalmosqve dispositis, argumentum servitii ipsi perpetuò deferendi, tumulo condidit; atqve ita singulorum sangvinem, tanqvam victimam, manibus fratris

fratris dabat. Grimus ex vulnere convaluit. Rex hac clade non deterſam, ſed auctam ignominiam ingemuit.

CAP. VIII.

DE PERSECUTIONE REGIS; MORTE GRIMI, SUPERATOQVE AB ANE PRÆSENTISSIMO VITÆ PERICULO, DOMESTICORUM CÆDE, RESTITUTAQVE REI FAMILIARIS LACUNA; FILIOQVE THORERE A PATRE AGNITO, UTET EJUS COGNOMINE.



INterjecto tempore ſummo diei cujusdam mane excitatus e ſomno An, proximam ſilvam hoſtibus actutum imminentibus repletam prædixit: *Improviſum adeſſe Regem, imparemqve pugnam futuram; ſuggeſſiſſe ſibi qvidem uxorem, qvod obniti ei fruſtra foret; verum damno ſuo conſilia ejus ſpreviſſe.* Deinde Grimum domeſticosqve convocat, ipſe ingenti ſtipiti bina capita inducit, loco gladiorum eô uſurus: alterum ſibi reſervat, alterum Grimo tradit; coronâ enim militum circumdaturum ſe Regem conjecit, exiguumqve gladiorum uſum futurum; his igitur in confertos hoſtes irruendum, viamqve, qvia fugere turpe eſſet, ab utroqve latere feriendo faciendam. Deinde ad mare proceſſit; ibi â Rege litora occupata, navibusqve elabendi viam obſeptam animadvertens, ſolo Grimo comitatus, multiplicatis ictibus Regios proſternit, perqve mediam hoſtium cedentium phalangem in lembum uterqve elapſi ſunt. Rex domeſticis, qvotqvot aſſeqvi poterat, interfectis, fæminis pepercit, claſſe Regiâ portum obſidente. Interim An, Grimo comitatus, in navem ſpeculatoriam Regiam, qvæ in ſinu excubabat, evectus, trabem præpilatam in eam torſit, ut rupto latere per ingentem hiatum maris undas hauriret, qvoad nautæ pene ſubmerſi Regios in auxilium vocarent. Interim An, perſeqventibus Regiis, remos acerrimè torqvens, Grimum incitabat, majore niſu remigaturum, ſi pes ei integer remanſiſſet, teſtatus. Ille perinde, ac ſi integer eſſet, ſe remos verſaturum profeſſus, nihil â priore alacritate remiſit, nec An qvicqvam remiſſius actum ſenſit, priusqvam exanimem deprehenderet: ut igitur manus Regias tantùm declinaret, cætero mortis genere contemtô, præceps in mare ruit. Rex ut Grimum in lembo mortuum, Anemqve exſiliiſſe deprehendit, ſcire novit, qvovis periculo atrociores manus ſuas eum exiſtimare; cum igitur aſſeqvi eum neqveat, certè continente ſe ipſum prohibiturum retulit; qood cum nec ille ignoraret, ad inſulam qvandam, ſed longiùs diſtantem, contendit, qvam ægrè aſſecutus in litore viribus defectus jacuit. Erpus erat colonus, qvi ſolus cum uxore inſulam inhabitabat, adqve litora exploranda, ſi qvid forte appulerit, eqvum duxit. Verùm ut virum ingentem inter algas marinas jacentem conſpexit, mortuum ſtatuens trepidè acceſſit. An autem increpitans forti animo eſſe juſſit, propiusqve accedere; qvem ut ex voce cognovit, commodiùs ipſum in uxoris amplexibus recubaturum ſubjecit, deinde domum vectum refocillavit. Ingialdus mortuum exiſtimans, domum rediit. An autem receptis viribus domum ſe contulit, latæ opis præmium inſulam Erpo, uxori aliqvantulum auri, donabat,

nec

nec tamen auxilium his donis penſatum exiſtimans, majus alia vice exſpectandum pollicitus eſt. Uxor recepto marito læta lacunam rei familiaris magna induſtriâ utcunqve reſarcivit; major tamen erat, qvàm ut parvò tempore in priſtinum ſtatum reſtitui poſſet. Ut vero ejus induſtriam animadvertit, ſe qvidem illa longe minus ad id usqve tempus ad rem familiarem contuliſſe confeſſus eſt. Illa mutua benevolentiâ certans, ſalutem ejus qvibusvis opibus anteferendam teſtata eſt. Tum recordatus prædæ, morte Garani partæ, inqve domicilio ejus ad illud usqve tempus reconditæ, eò profectus eſt, gazamqve univerſam avexit, retulitqve uxori, qvô labore, qvô periculô, parta in ſuam poſſeſſionem ceſſerit. Viſa eſt ſuppellex ingens, & qvæ rem familiarem adeò auxerit, ut par jam videretur, qvàm cum eſſet florentiſſima, vel etiam in majus accreviſſe. Ut verò ea fama ad Ingialdum pervenit, valdè indoluit. An vero nupero jam caſu cautior, omnes viciniæ partes ſpeculatoribus repleverat: interim domi fabrilia miniſteria ſecurus obiit. Veſpere qvodam, dum ab officina animi recreandi cauſa exſpatiaretur, fumum in inſula vicina, cultu qvidem deſtitutâ, ſed armentis pecudibusqve paſcendis accommodâ, proſpexit. Veritus ergo Regias technas, vel fures fortè ſuſpicatus, parva ſcaphâ eò ſolus tendit; ibi virum magnâ ſtaturâ, ſed ætate juvenili, carnes elixantem deprehendit: culter illi manubriô oſſeô, lanx verò argentea, fruſta aheno viribus extracta vel depaſcebatur, vel minus cocta aut frigeſcentia iterum ingeſſit. Miratus ſecuritatem, ſagittâ nervo propulſâ fruſtum, qvod manu peregrinus tenuit, primâ vice excuſſum in cineres dejecit. Ille telo in terram depoſito, ſecuro ſimilis cænam nihilo magis intermiſit; alia vice excuſſa lancem collineavit, nec magis id cænaturum movit; tertiâ manubrium oſſeum in duas partes diſcidit. Tum juvenis; *& hic qvidem ad res meas corrumpendas obſtinatus eſt*: arreptoqve arcu telum in eum intendit. An tritum illud animo recolligens, qvod incertum perhibet, qvò emiſſum telum tendat, pone arborem ſe abſcondit. Primam ſagittam medium corpus, ſecundam pectus, tertiam oculum confixuram conjecit, ſi erectus ſtetiſſet, nec objectu arboris ſe protexiſſet. Tum juvenis exclamans, *jaculator*, inqvit, *in conſpectum prodito, ſi mei impetendi cauſam datam duxeris*. Prodiit An, cumqve eo colluctabatur, miratus in juvenili corpore robur agilitatemqve, qva ætatis beneficio ſe qvoqve ſuperaret. Luctâ diutius durante, tandem defatigatus An reſpirandi momentum poſtulavit, & impetravit. Inter reqvieſcendum nomen genusqve juvenis reqvirens, Thorerem Anis filium ſe profitentem cognovit; qvi cum & adverſarium Anem qvoqve vocari cognovit, alludens ad nomen, *nec id SINE omine*, inqvit, *nam SINE multis bonis vives, qvem admodum SINE ove, qvam tibi eripui*. An dicacibus verbis abſtinere juſſit, ſignaqve depromere, qvibus ſe filium Anis probaret. *Præſtò ſunt*, inqvit; *an verò tibi exhibenda, neſcio*; depromtôqve annulô filium agnovit, domumqve deduxit, âqve latere ſuo collocavit, domeſticis jam de eo abſente Regiarum inſidiarum metu ſolicitis. Uxore, qvinam eſſet, interrogante, An ab ipſo rectiùs cognituram reſpondit. Qvo Thorerem Anis filium ſe profitente, *agnoſco veriverbium*, inqvit, *qvo qvisqvis opulentior, qvam ſibi creditur, perhibetur, non enim retulit mihi An, qvòd filium haberet, verum tanto patre dignus mihi videris*; cognitoqve qvòd annorum tantùm eſſe duodecim, â longitudine crurum Haleggi nomen indidit: adjectum cognomini donum, haut exigua auri portio. Ani, qvâ ratione educatus fuerit, qværenti, inſidias Regis ementito ſexu devitâſſe reſpondit.

CAP. IX.
DE VINDICTA DE INGIALDO A FILIO ANIS EXACTA, ANISQVE POSTERIS,



Xacta hyeme, negabat pater se eum diutius gratis sustentaturum: filio vero præter annulum aurumqve, novercæ munus, nihil in alimentorum mercedem suppetere regerente, aliam viam monstraturum pater retulit: ei namqve unà cum patrui vocabulo simul ejus vindictam se traditurum, sibi fato negatam; sed nec Ingialdo de se vel victoriam, vel triumphum permissum; sine tamen perfecta ultione filio reditum ad se non patere, gladiumqve Thegnem ei reddidit, adhortatus ut in optatam ultionem usum ejus converteret; qvod si fortè contingeret, ut Regem occideret, secuturas victoriam sororis Asæ nuptias, inde filio procreato amissum patruum ex animi sententiâ rependi. Intrepidus ad hæc Thorer statim longâ nave instructus piraticam aggressus est, qvæ tam feliciter cessit, ut proximô autumnô qvinqve naves, ab armis militeqve instructas, reduceret; nam & robur immensum incredibilem addidit audaciam. Hinc magnum inter prædones nomen, memoriaqve celebris profluxit. Nocte qvadam aulam Ingialdi, velut repentinus turbo, obruit, militibusqve cinxit; faces tectis injectæ sopitos excitârunt. Ingialdus cognito authore incendii, *dudum se veritum ait, ne scintilla ex coloni filia Drifa decidens in ingentem qvandoqve rogum exardesceret; nam & præsens incendium sibi suisqve torrendis sufficere*. Thorer vatem eum veracem futurum respondit, nam hoc demum incendio scelera illius exstingvi. Ingialdus igitur raptas trabes in januam impulit, qvo exitus effractis foribus pateret, egressusqve â Thorere, qvi prope adstabat, interficitur. Asa soror, gazaqve omnis prædæ cessit, simulqve ad patrem mittitur, qvi eam perbenignè excêpit. Thorer vero piraticam secutus memorabilia multa gessit, factaqve patris vel æqvavit, vel superavit, nec prius ad eum rediit, qvàm opibus afflueret, hyememqve apud eum transegit; qvâ exacta, An in Hrafnistam ad prædium avitum recessit, filioqve possessiones omnes in provinciâ ea donavit. Id qvod mihi suspectum videtur, cum & prædium uxoris ejus dotale & possessiones allodiales, aut certe hæreditariæ, fuisse videantur: nisi forte permutatione, eæ, qvæ in Hrafnista erant, uxori cesserint. Possessiones autem Regias Ingialdi proprias, ne sibi vendicaret, pater svasit, additâ ratione, qvòd brevi omnia provincialium Regum imperia intercasura viderentur, tutius itaqve eum in statu minore mansurum, qvam â majori recasurum. Erpum, matremqve suam, avumqve & aviam illi sustentandos commendavit. Filius Thoreris ex uxore Asa Ingialdi sorore fuit Augmundus, â populatione agrorum Akraspiller ɔ: *agrorum corruptor*, dictus, pater Sigurdi Biodaskalli, viri in Norvegia primarii, cujus historiæ ne mentio qvidem alibi uspiam extat. Perspicuum hinc evadit, cum Thorer Haleggus ditionem Naumdalensem sibi non subjecerit, Hrollaugum & Herlaugum, qvi tempore Pulchricomi vixerunt, â Hrafnistina familia alienos fuisse. An, postqvam in Hrafnistam rediit, filiam Miollem suscepit, qvæ nupsit Ketilli Raumo: filius illorum fuit Thorsteinus, pater Ingimundi Senis, ejus, qvi inter primos Islandiæ incolas numeratus præfuit provinciæ Vatsdalensi in Islandia, de qvo in-

in primis Islandiæ incolis pluribus actum. Ne Anis qvidem tempore gigantei generis Trolli deleti sunt, nam sæpius cum ipsis congressus memoratur. In boreali Norvegiæ parte diutissime remansisse videntur, qvòd eam magna etiam ex parte primitus occuparent. Aliam insuper filiam, nomine Helgam, Anem habuisse Origines Islandiæ tradunt, licet qvâ conjuge susceptam, reticeant. Duxit illam Grimus qvidam Lodinkinna, id est hirsuta gena, dictus; horum filius fuit An Raudfeldus, qvem durum Haraldi Pulchricomi imperium in Islandiam compulit, cum tamen antea in Hibernia prædas egerit, Grelodemqve Biartmaris Comitis filiam captam matrimonio sibi junxerit, interqve occidentalis Islandiæ incolas numeratur, habitabatqve in prædiâ Eyre dicto, unde numerosa prosapia manavit.

CAP. X.

QVOD RECENSUM FAMILIÆ HRAFNISTINÆ EXHIBET.



PRimus ibi occurrit Ketill Hængus, Hallbiorni Semigigantis filius, Ulfi Oargi seu Generosi nepos; filia ei præter Hrafnhildem Helga, qvæ nupsit Bryniolfo Biorgulfi filio de Torgis, qvorum filius fuit Bardus, cæsus in pugna Hafursiordensi, anno Christi DCCCLXXV. Amita Ketillis Hængi fuit Hallbera Bialfii, aliis Brunda-Bialfii, uxor, Kvöldulfi mater, Thorolfi & Skallagrimi avia, de qvibus in *Haraldi Pulchricomi vita.* Bodmodus Framaris filius ex uxore Hrafnhilde Ketillis Hængi filia, filiam Thornyam reliqvit, cujus maritus fuit Bodvar Blodruskallius, qvorum filius Thorbiornus Talknius, & alter ejusdem nominis, Skuma dictus, inter primos Islandiæ incolas numerati, sinum Patreksfiordum dimidium, & omnem Talknii sinum, de cognomine suo dictum, usqve ad prædium Kopanesiam, occupârunt, in occidentali Islandiâ; de qvibus liber originum fusius tractat. Post mortem Bodmodi Hrafnhildis in insulam Hrafnistam ad fratrem suum Grimum concessisse memoratur, isqve eam iterum elocâsse Thorkeli Comiti Naumudalensi. Eorum liberi Thorgerdis, mater Anis Bogsveigeris, de qvo actum est, & Ketill, pater Ketillis, de primi illius nomine etiam Hængi dicti, ejus qvi inter primos Islandiæ incolas numeratur, patris Hrafni, qvi primus omnium in illa insula supremus totius insulæ judex (Arngrimo nomophylax) factus est anno Christi DCCCCXXX. De hoc posteriore Hængo plura suo loco; nam præclara in Islandia stemmata & maximi nominis viri ab illo profluxerunt. Grimi, Hirsutæ genæ dicti, filii fuerunt Biornulfus pater Ornulfi, cujus filius fuit Ketill Brimill, pater Thoreris Snepilis. Hic Ketill Brimill, etiam inter illos qvi primi Islandiam occuparunt, licet id temporis ferè ætatis decrepitæ, recensetur. Filiam duxit Thorgnyris, supremi in Svecia judicis, nomine Jorunam. Tractum Kaldakinnem inter Skuggabiargas & Liosavatns Skardem primò cum filio suo occupavit; postea filius amænitate alterius loci ductus, in Hnioskadalum habitationem transtulit, universumqve tractum sibi vendicavit, usqve ad terminum, Odeilam dictum, habitavitqve in prædio Lunde, lucumqve ibi consecravit, religioseqve coluit. Qvarta ab illo descendit Gudridis, uxor Thorgeiris Godii, seu Curionis, de Liosavatne, ejus qvi anno millesimo Christianam religionem nomine

univerſi ſenatus populiqve Islandi ſancivit, arbiter ejus rei â patriæ Principibus conſtitutus, de qvo in *vita Olafi Tryggvini* latiùs. Alter Grimi filius Orvaroddus erat, ejus nomen cognomenqve poſt multa ſecula gerens, cujus vitam deſcripſimus: ſubjungentes nunc tabulam genealogicam familiæ Hrafniſtinæ.

Ut pateat, qvibus authoritatibus ſeqvens genealogia nitatur, præter eas, qvas in hoc lib. VII. attulimus, ſeqventes etiam, in tabulâ notatas, adjicimus.

(α) Ketillem hunc nobis exhibet *Codex Flateyenſis. pag: 272.*
(β) Hanc ex *Hiſtoria Eigilis Skallagrimi* huc intulimus.
(γ) Ex *Hiſtoria Grimi Hirſutæ genæ* deſumta.
(δ) Hunc inter primos Islandiæ incolas refert *Landnama* (ſeu liber Originum Islandiæ) *Part III. pag: 217.*
(ε) Hos omnes *Landnama Part. II. pag: 69.* nobis monſtrat.
(ζ) Sigurdum hunc in *Anis Bogſveigeris vita* habemus.
(η) Ex *Landnamæ Part III. pag: 89. & ſeq.*
(θ) De hoc vid: *Landnama Part. V. pag. 152.* ut & ejusdem Gretteri vita, peculiari libro conſcripta.


Sciat etiam B. L. annos ſingulis natales, qvi in hac tabulâ Genealogica indicantur, ex hypotheſibus, qvas fide digna antiqvitatis monumenta ſuggerunt, computatos eſſe.



Sche-

Schema Stemmatum:

Ab Ulfo Oargo, seu Generoso, Familiæ Hrafnistinæ posterioris Satore, ad nominatissimos & in antiqvitatibus celebres Islandiæ incolas, cum natalibus singulorum, ad tempora usqve cultæ Islandiæ.





HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER OCTAVUS, DE REGULIS NORVEGIÆ A SAXONE MEMORATIS.

Brevis prologus.

QVæcunqve de Norvegorum ante conditam Monarchiam gestis, eorumqve Principibus, exceptis iis, qvi seqventi libro inter Pulchricomi progenitores recensentur, ad manus meas hucusqve è MSS. exemplaribus pervenerunt, exposui; qvod si plura restant, iis in hoc libro locum proprium providimus; cui secundum temporum aut contextûs ordinem, absqve ullo incommodo aut confusione, facilè, si eorum unqvam copia dabitur, inferri possunt. Ne vero qvicqvam eorum, qvæ ad manus sunt, in hoc opere desideretur, subjungam ea, qvæ Saxo Grammaticus habet, sine tamen temporum ratione, qvòd cum Islandorum scriptis conciliari neqveat, itaqve hòc succinctius, qvòd omnium manibus terantur.

CAP. I.

DE SVIPDAGO, EJUS FILIO ASMUNDO, ET INDE PROGNATIS REGIBUS SVECIÆ, HAQVINOQVE NITHERORUM REGE.



INter primòs Norvegiæ Reges Svipdagerus, (potius Svipdagus) Saxoni primus, memoratur, qvi bello â Gramo Daniæ Rege, sibi ipsi exitiali, ob stuprum sorori suæ illatum, lacessitamqve filiæ pudicitiam impetitus, fultus auxiliis Saxonicis, in ultionem interfecti â Gramo Regis sui Henrici confluentibus. Vi-

Victor interfectô adversario Daniam Sveciamqve tanti belli præmia hosti potentissimo una cum spiritu erepta Norvegiæ adjunxisse traditur; atqve ita primus totius Septentrionis Monarcha longè potentissimus evasisse, Daniæqve Grami filium Guttormum, uxoris suæ fratrem, eâ intercedente ab exilio revocatum tributaqve pollicitum, præfecisse. Tandem â fratre ejus Hadingo, magna jam gestorum gloria inclyto, apud Gudlandiam, magna licet classe instructus, bello impetitus occidisse. Cujus filius Asmundus patrem ulturus, cum medio belli ardore filio orbaretur, magis exacerbatus, dum fortissimè dimicaret, Hadingumqve, propriis viribus desperantem, ad supplicandum familiari Numini adegisset, dvino potissimum auxilio, sed manibus Hadingi, cecidisse. Nec tamen adeo potens fuisse præsens Numen, ut integram victoriam cultori suo daret: vulnere pedi victoris inflictô, perpetuâqve in posterum claudicatione fædata est; invictô argumento, non modo Hadingo fortiorem fuisse Asmundum, sed etiam ipso tutelari Deo haut imparem, cujus artes potentiamqve omnino elusisset, ni Hadingus hostis præsens adfuisset. Uffonem & Hundingum filios Asmundus reliqvisse perhibetur, priorqve Sveciæ sceptra tenuisse. Is cum ab Hadingo infestaretur, nec idoneas vires, qvas opponeret exercitui ejus, haberet, in Daniam arma transtulisse, mirâ prorsus audaciâ, ut qvibus in regno suo par non erat, eorum patriæ bellum inferret, & qvi sua tueri non poterat, impugnaret aliena; victusqve victoribus insultaret. Translato itaqve in Daniam bello Hadingum ad propria defendenda redire compulisse, atqve ita liberatam ab hostili metu Sveciam repetivisse. Proximo vere, hoste bellum repetente, per universum qvinqvennium intra patriæ suæ limites cum dimicâsset, bis victor hostem regno exegisse. Cumqve in Hadingi necem, Thuningum qvendam, Biarmorum auxiliis fultum, nuptiis filiæ impletâ conditione illexisset, ipsô ab Hadingô occisô, insidias per colloqvii simulationem Regi struxisse; apertô deinde bellô ab eo oppressus, mortuum amplo funere Hadingus efferri, conspicuiqve operis mausoleo condi curâsse, Hundingumqve fratrem ejus regno præfecisse. Qvi dum postea occasum Hadingi, falsô acceptum nunciô, inferiis esset excepturus, in dolium cereali liqvore repletum offensô gradu incidisset, ibi suffocatus. Hadingus autem, ne extinctô superesset, inspectante populô, laqveô se ipsum interfecisse dicitur. Hundingi filius fuit Regnerus Sveciæ Rex, Saxoni memoratus, ejusqve uxor Hadingi filia Svanhvita. Ex his stemma genealogicum ê familiâ Norvegicâ Saxo usqve ad Halfdanum Secundum, in qvo relatio cum rerum Norvegicarum Scriptoribus haut consentit; nam licet de hoc Svipdago nihil habeant, nec gentis ejus gloriam tantam, ad qvantam deniqve, ad tempora usqve Magni Boni, vel alterius Smeckii, nunqvam assurrexerit, uspiam prædicent, idqve primus Saxo, nescio ex qvibus monumentis haustum, doceat; eum tamen in Helsingiam ad Hadingum confugisse, nullo modo cum assertione Islandorum consistere poterit; qvi Eysteini Astuti, ejus qvi Noris pronepos fuit, ævo Jamtiam primò cultam, nomenqve â cultorum antesignano sortitam, ejusqve nepote Helsingiam, circa Noris demum atnepotis tempora. Sed cum Ynglingorum Serie aut Langfedgatale conciliari poterit, nam iis temporibus alii universales Daniæ Sveciæqve Monarchæ eo ordine recensentur, ut falli neqveamus. Sed nec mihi horum dissentiones componere animus est; ea tantum, qvæ utriqve tradunt, producenda sunt. Hujus Hadingi tempore Haqvinus qvidam Nitherorum Rex Saxoni memoratur, cujus filiam Ragnildam, giganti cuidam desponsatam, oppresso

proco, ab ignominioso conjugio, sorteqve detestabili Hadingus liberaverit, eamqve deinde uxorem duxerit, ex qva progeneraverit Frothonem, Saxoni primum, Daniæ Regem, duasqve filias Ulvildam & Svanhvitam, eam, qvæ Regnero Sveciæ Regi postea nupserit. Atqve ita ex hoc Haqvino maternum Daniæ Regum stemma, pariter ut a Svipdago paternum, ad Halfdanum Secundum promanaverit. Nitheri vel Nidarosiæ, vel Nidnesensis in Agdia provinciæ, vel, ut placet *Jonæ Ramo*, insulæ Nitheröen, oppido Tunsbergæ adjacentis, incolæ appellari videntur.

CAP. II.

DE GEVARO ET HELGONE HALOGIÆ REGE, GERITO ET HERLITO AB HOTHERO BALDERI VICTORE NORVEGIÆ PRÆFECTIS, SUSPECTAQVE RELATIONIS FIDE.



GEvarus Norvegiæ Rex non is est, qvi in Noris genealogia Josur usurpatur, ut putat *Jonas Ramus*, is enim in Odini Upsalensis tempora referendus est; nam ipsius filia Nanna Balldo Odini filio nupsit, teste Edda Myth: XLIII. Verum qvalemcunqve gestorum certaminumqve inter eos historiam Saxo, verius nescio an Edda, exponit, qvantumvis illius concinnator pro instituto suo fabulas texat. Tradit autem Hotherum apud Gevarum educatum, intervenisseqve inter illum & Balldum æmulationem, cum uterqve nuptias filiæ ejus Nannæ peteret, Balldumqve, veritum ne sibi prævaleret, rivalis eum ferro tollere constituisse. Cum autem clandestino filiæ amore, favoreqve patris, ejusdemqve nutritii sui, Balldo præferretur, cujus potentiæ, invictæqve corporis firmitatis metu, utpote semidei, Gevarus tenebatur, arcanum ei consilium dedisse, qvo pacto eum perimere posset; mandans ut Satyro Mimringo gladium arctissimis observatum claustris, armillamqve, mirâ qvadam arcanâqve virtute possessoris opes augere solitam, eriperet. Id cum feliciter executus esset, â Saxoniæ Rege Geldero, animo cimeliis istis se locupletandi bello impetitum victumqve, victorisqve singularem clementiam & humanitatem expertum. Helgonem interim Halogiæ Regem Cusonis Finniæ Regis filiæ Thoræ nuptias expetentem, cum sæpius repulsam passus esset, nec ipse parentis penates invisere, propriaqve voce virginem expetere auderet, qvòd impeditioris esset linguæ, qvàm ut sibi persvadere posset, præsenti successum aliqvem subsecuturum, confisum facundia Hotheri, eum oratorem, sed armatum, cum classe ê Dania supplici prece evocatum delegisse, eôqve partes suas promovente filiam Regis impetrâsse. Deinde auxilio Helgonis subnixum Hotherum bello Balldum, Odini Thoriqve, cæterorumqve Deorum confluxu partes suas propugnantium, superbum, postqvam eum Nanna facundis jocis elusisset, aggressum fuisse, Deorumqve, fugâ sibi consulentium, victorem factum, Helgone Thoraqve magnificè donatis, cum novâ uxore Sveciam petiisse: verum paulo post â Balldo prælio victum ad Gevarum confugisse, iterumqve bellum jam Daniæ dynastæ populari suffragio facto inferentem victum: tandem Balldum sibi in colle qvodam obvium occidisse: demum Gevari Gunnonis satrapæ sui dolo oppressi, ultionem de interfectore acerrimam sumsisse, qvem inter-

interceptum, atqve ardenti pyræ injectum cremavit, qvod ipse Gevarum ante per insidias occupatum nocturno vivum igni consumsisset, taliter educatoris manibus parentando: Geritum & Herlitum Norvegiæ præposuisse. Villam Herlam prope Bergas, & fretum Herlufiordum, vel ab illo Hiorleifo, vel alio ejusdem nominis nomina sortita esse *Jonas Ramus* conjectat. Ego villæ istius eponymum potius Herleifum dictum existimo, nomine adhuc usitato Herlöf. In his Saxo ab *Edda* valde dissentit, qvæ Hotherum inter Asas memorat. Non itaqve apud Gevarum in Norvegia educatum, illum Nefum appellat, filiamqve ejus Nannam, eandemqve Balldi uxorem, ex qva filium Forsetium *Fabula XXVI.* suscepisse tradit. Nanna vero (ut perhibet *Fab: XLIII*) luctu extincta, communem cum marito rogum sortita est. Non itaqve Hotherum ei prætulit; sed nec ipse Baldus inter Daniæ Reges memoratur; Vestphaliæ eum præfuisse prologus ejus tradit.

CAP. III.

DE COLLERO, FROGERO ET VIRGINE RUSILA.



Ollerum cum Horvendillo, imperante in Dania Röreco Slingebond (nobis Slaungvanbaugio) accensum æmulatione successuum ejus piraticorum, cum eo conflixisse Saxo memorat, interposita prius mutua pactione de inferiis occumbenti celebrandis, membriqve mutilatione denis auri talentis sarciendâ, cum duellum copiarum discrimini uterqve præferret: secus obtinuisse aliàs legimus; truncatus namqve pecuniâ vitam, qvam ulterius defendere neqvibat, redimere, vel qvi extra circum propulsus esset, multam pendere tenebatur. Collerum scuto, crebris ictibus absumto, spoliatum, desecto tandem pede, exanimem stravit Hiorvendill, qvem, ne pacto obesset, Regio funere elatum, magnifici operis tumulo, ingentiqve exeqviarum apparatu prosecutus est. Deinde sororem ejus, Selam nomine, piraticis exercitam rebus, ac bellici peritam muneris, persecutus occidit. Tempus, cum Rörecus Slaungvanbaugius regnavit, secundum nostram computationem, incidit in sextum æræ Christianæ seculum.

Frothone, qvi Saxoni secundus est, nobis tertius, sed Vegeti cognomine qvartus, imperante, floruisse in Norvegia Frogerus, Othini etiam filius, ei perhibetur; qvi â Diis exoratis muneris loco obtinuit, non ab alio vinci, qvàm qvi subjectum pedibus suis pulverem manu convellere potuisset; qvem Frothonem, denis Norvegiæ ducibus bello consumtis, cum insulam, qvæ postmodum ab eo nomen sortita est, accessisset, invasisse tradit, simulatâqve dimicandi imperitiâ, instrui se ab eo petiisse, qvem in arte pugnandi plurimum exercitatum longo usu præcepta omnia singulasqve regulas exactè callere nosceret. Gavisus Frogerus se laudum suarum, nec earum qvidem indebitarum, præconem hostem nactum esse, eundemqve ex adversario discipulum repentè factum, petitis annuisse, atqve è diverso bina qvadratæ formæ spatia cubitalibus figurata lateribus humi denotâsse; qvibus descriptis, assignatam uterqve sibi partem complexi feruntur (Ejusmodi certaminum vestigia *Dominus Ramus in sua Norvegia antiqva* multis hodieq; in locis cerni perhibet, notatqve unum in nobili

bili Raumsdali villa Oesnes/ ubi circuli lapidibus ſtrati ſe multuò attingentes extent, extra qvos non licuiſſe iis excurrere, qvi in circo decertabant, erectiqvè prope victos monticuli, in qvibus ſint tumulati.) cumqve Frogerum Frotho arma ſecum ac locum permutare juſſiſſet, pulverem loci, unde Frögerus exceſſerat, corripuiſſe, id ſibi omen victoriæ datum exiſtimans, nec augurio eluſus, continuò Frögerum occidiſſe memoratur. Obſervandum, Frogerum patre Odino illo, qvem in Hotheri tempora Saxo refert, vix natum videri, cum inter Rörecum, cujus tempore Odinum vixiſſe vult, & hunc Frothonem ſex gradus, ſecundum ipſius Saxonis relata, intercedant; multo minus eo, qvi Hadingo juvene propemodum decrepitus viſus eſt; qvi tamen unus idemqve fuerat.

Fridleifo Celeri negotium cum armis viribusqve inclyta virgine Norvegica Ruſila fuiſſe deinceps refertur, qvam armis ſuperâſſe valde glorioſum viſum eſt. *Jonas Ramus* eum poſtea, ductâ in uxorem Olonis Oplandorum Regis filiâ, ex ea Frothonem Tertium progenerâſſe tradit, id qvod nec apud *Saxonem*, nec *Pontanum*, nec *Meurſium*, nec *Crantzium*, nec deniqve *Arnoldum Hvitfeldium* invenio, qvamvis uxorem ejus Faltam nominet.

CAP. VI.

DE GOTHARO REGE NORVAGORUM, EJUSQVE DUCIBUS EIRICO DISERTO ET RAFNO, CONFLICTU CUM ODDO EJUSQVE CÆDE.



Ub Frothone, Saxoni Tertiô, nobis Primô, Gotharum Regem Norvegiæ regnâſſe Saxo tradit, eumqve conſilia de Dania occupanda agitare cæpiſſe, *facilem expugnatu* dictitantem, *dum ei â Frothone avarè crudeliterqve imperaretur, Daniqve proprium Regem faſtidirent, ob conſiliariorum inſolentiam, legumqve turpiſſimarum indignitatem, qvas iis auctoribus, ignarus ipſe, ætate puer, peſſimo exemplo ſanciverat.* Inter qvas hæ memorantur: *qvi conventum Regem vellet, is alloqvii honorem â cubiculariis emeret: qvisqvis filias elocare, veniam ab ipſis, dato pretio, mercaretur; ſine ea matrimonii contrahendi poteſtatem nulli fore, neqve fas virginibus nubere, niſi qvas experiundo tales eſſe, ipſi prius cognoviſſent.* His alienatum â Rege populum cum Gotharus probè noſceret, occaſionem haut negligendam ratus, id qvod defectionem moraretur, ducis nempe idonei copiam, ſuffecturum ſe profeſſus traditur. Fuit vir, plebeiò qvidem genere, nomine Eiricus Regneri, vel potius Ragnaris, filius, natione Norvegus, in inſula Rogiæ Rennisöe, freto Buchenſi adjacente, natus. Is magnâ ſapientiâ ac facundiâ propoſitum Regis diſſvadere cæpit; *etenim Danos in præſens diſcordes ſupervenientem hoſtem facilè & ſubitò conciliaturum, præſtare ut ſumptus bello ancipitis eventûs deſtinatos in proprii regni ornamentum converteret, periculaqve ſecuritati poſtponendo, ſuæ ipſius ſaluti conſuleret; ſi tamen Danos, ſolâ diſcordiâ debiles, impugnare certus eſſet, illud potius per legatos attentaret; mitteretqve, qvi excurſione crebra Danos paſſim vellicantes belli aleam tentarent, militeqve ſuo haut ſecus ac faber forcipe, uteretur.* Imprudentiæ tamen famâ ad illud usqve tempus Eiricus laborabat; audito autem ſapientiæ plenô conſiliô, dicendiqve facultate eximiâ, non modo illud Rex ſubitò probavit, ſed etiam Diſerti cognomine, munere inſuper,

impoſiti ſemper nominis comite, donavit, navigio Streiter appellato, ejusdem cum Halfdani Branæ alumni, ſive alterius, Halfdani tamen, nominis, navigio; ut prius in Sorlio notatum eſt. Rafno, Norvegiæ procerum uni, laceſſendi per piraticam Danos negotium datum eſt. Occurrebat ei Oddus, magicæ rei admodum peritus, ita ut absqve carina altum pererrans, hoſtilia ſæpe navigia, concitatis carmine procellis, everteret; itaqve, ne cum piratis in maritimarum rerum diſcrimen deſcenderet, exaſperatos maleficio fluctus ad naufragia iisdem infligenda perducere ſolebat. Hic, initô cum Nordmannis conflictu, ita vi carminum hoſtilem hebetavit aſpectum, ut diſtrictos Danorum enſes eminus jacere radios & tanqvam flammabundos ſcintillare putarent. Cæterum hoſtes adeo retuſis erant obtutibus, ut ne ferrum qvidem vaginâ detractum viſu perſpicere poſſent; victa qvippe fulgore acies præſtigioſæ coruſcationis impatiens erat. Cæſo itaqve Rafno cum multa ſuorum parte, ſex tantùm naves ni Norvegiam relapſæ documento fuêre Regi, haut facilè Danos obteri poſſe. Ab his etiam Frothonem, ſolâ pugilum ope ſubnixum, invitô regnare populô vulgatum eſt, dominiô in tyrannidem versô. Qvô Rollerus (Eirici frater is, ſed diverſâ matre, nomine Cracâ, natus erat) corporis vi animiqve ipſe etiam excellens, intellectô, ad viſendam ejus aulam excitatur. Eiricus autem cum neqvicqvam diu ac multum diſſvaſiſſet, & videndæ Daniæ cupiditate cæteroqvin teneretur, comitem ſe illi addit. Illico conſilium Gotharo aperiunt, isqve probat, & dat navem, qvâ vehantur, ac profectionis comites qvotqvot vellent, tum & mandat omnia regni Danici diligenter explorarent, ut reverſi de qvibusvis certiorem reddere poſſent. Inde adeunt parentes, ac ſubſidia longi itineris ab his petunt & impetrant. Interea patris uxor, nomine Craca, pulmentum informi cacabo ingeſtum apparabat, ſupra qvem tres colubræ filo ſuspenſæ (inter qvas una colore albo) egeſtam ore tabem dapi immergebant; id redeuntibus domum appoſuit, pro ſerpentum naturâ vario colore tinctum. Qvod animadvertens Eiricus, id qvod nigrum erat, fratri â matre deſtinatum, exedit; mox inuſitata abſtrularum rerum ſcientiâ, lingvarumqve, tum animalium terreſtrium, tum etiam volatilium, intelligentiâ imbutus inſtructusqve, difficillima qvæqve conſiliis explicare ingeniiqve vigore penetrare novit. Fabuloſum ſubſecutis ſcriptoribus viſum hoc eſt, ideoqve ut vanum omiſerunt. Nec inficior naturaliter ita eſſe, adhibitis tamen incantationibus, malisq; geniis in partes vocatis, non magis abſurdum videtur per illud medium, qvàm alia ſuperſtitioſa media ſe eis aſſociâſſe, ſagacitatemqve qvandam ingenerâſſe, ſerpentemqve antiqvum ſerpentino obſonio viam ad ſe colendum non improbâſſe. Nec majorem fidem meruit, qvod de Cracâ ſcribit Saxo, nimirum ſub diſceſſum filiorum monuiſſe eam, ſi ſuprema neceſſitatis violentia poſtularet, nominis ſui nuncupatione remedium celeriùs eſſe qværendum; affirmans ſe, Divinâ partim virtute ſubnixam, & qvaſi conſortem cælitum, inſitam numinis geſtare potentiam. Qvam etiam promiſſis ſe exſolviſſe poſtea refert, cum ille in præſentiſſimo periculo conſtitutus, dicto novercæ nomine, promptum neceſſitatis remedium expertus eſt; clypeus enim ejus, qvi ſublimi e trabe pendebat, ilico in eum collapſus, inerme corpus qvaſi de induſtriâ, ne â latronibus confoderetur, obtexit. Verum plura talis nuncupationis exempla, eaqve freqventia, occurrunt. Nec aliter id, qvod de Vagnopto ab Hadingo familiari ſibi numine invocato traditur, intelligo; nusqvam enim Vagnoptum alias inter numina communiter culta invenio. *Nobilis:*

Reen-

Reenhielm in notis ad cap: XXII. Historiæ Thorsteini Vikingi plura etiam enumerat, concluditqve; *Disas seu genios suos, qvos clientibus suis custodes tales propugnatores allegârunt, nihil aliud fuisse qvàm spiritus familiares, qvi protinus nunciare debebant, si qvô auxiliô indigerent cultores sui, ipsiusqve mandato eos protinus eripere.* Injuriam itaqve Saxoni faciunt, qvi eum hæc & idgenus alia ê proprio cerebro effinxisse calumniantur. Sed ad rem. Deducti â communi patri Cracaqve uxore ad naves, Daniam petunt; litoribus ejus appropinqvantes, præmittunt duos Danici idiomatis peritos, fandiqve gratiâ pollentes viros, sed veste nudatos, ad Oddonem, qvem cum septem navibus non longè distare didicerant. His Eiricus in mandatis dat, ut se ab eo spoliatos referant, actaqve Oddonis & consilia speculentur, & ad se deferant. Cognito autem per eos, qvòd diluculo statuisset hostem improvidum aggredi, exqvisitisqve ad jactum lapidibus tota replevisset navigia, numero ipse navium impar, (tres enim duxerat) arte defectum supplendum ratus, lentô remigiô intempestâ nocte classi hostili advectus, omnes illius naves terebrô cavat, eôdemqve remorum silentiô redit, hoste nihil horum advertente. Summo mane, cum paulatim majorem in horas aqvarum vim naves sorpsissent, ipse in hostem infestus provehitur, ubi gemino periculo implicitur, dum defensionem adversus armati militis insultus parat, undis abreptus cum universis classiariis mergitur; ita ut copiis omnibus ad internecionem deletis, ne nuncius tantæ cladis superesset.

Eiricus, peractâ jam strage, maturatô recessu Lessoe insulam petit, ubi non repertô qvô famem lenire posset, duobus prædam navigiis domum dirigit, commeatus in annum alterum relaturis, ipse uno duntaxat adeundi Regis copiam petit. Circa Selandiæ litora cum fame conflictatus armenta deprædatur, ut se ab incolis impeti cognovit, excoriatorum boum corpora funi alligata sub undis abdidit, copiamqve inqvirendi possessoribus præbuit; qvibus re infectâ discedentibus, furtivam prædam retraxit, ingeniosi furti comendationem, si tamen ullam recipit, hoc comento meritus.

CAP. V.

DE GESTIS EIRICI IN AULA FROTHONIS.



INterea Frotho Oddonem cum suis occubuisse cognovit, qvippe ignorato facinoris authore famosius cladem rumor exceperat. Erant tamen qvi se terna vela, litoribus appellentia, eademqve rursus in boream abeuntia, conspexisse narrarent. Ut autem Eiricus portum (Isoram habet *Mevrsius*) â qvo Rex non procul diversabatur, subivit, statim, ut ê navi vestigium extulit, inopinatô casu in terram decidit, in lapsu autem faustum sibi eventum ominatus est. Cognitô adventu Greppa aulæ magister (Vestmari, Regii in pueritia tutoris, is filius erat, & alter Regi pupillo tutor, idemqve Vestmari frater, nomine Colo) qvi jam ante de facundiâ Eirici famâ acceperat, cum sermonem contulisset, victus atqve indignatus, magis etiam qvòd Reginæ, qvam adulterio cognoverat, consvetudinem exprobrâsset, ad Frothonem similis amenti currit, ac devictum sese qverens, Regios satellites ad arma vocat, vim in illum tentaturus; & fecisset, ni

Frotho vetuiſſet, ne in hominem advenam & peregrinum qvicqvam indecorum admitteret; qvâ monitione Greppa â propoſito revocatus odium inhibuit potius, qvàm mutavit; nam cum armis non poſſet, veneficio ſibi patere depoſcebat; qvô impetratô, cum exqviſita magorum turba litus repetere parat. Primùm itaqve immolati Diis eqvi abſciſſum caput conto excipiens, ſubjectis ſtipitibus diſtentos faucium rictus aperuit, Eiricum hac ſpecie territurus. Verùm is ſuis ſilere juſſis, pontem ingreſſus, execratione qvadam omnem apparatum magicum disjecit. Aggreſſurus Regiam, munus Regi offerendum glaciale fruſtrum delegit, diligenter veſte obvolutum. Ut ludibrio venientem aulici exceperunt, lubricam limini pellem ſubſtravere, qvam celeri funis tractu corripientes lapſum inſiſtenti feciſſent, in Rollerus pone ſubiens pectore nutabundum excipiſſet fratrem. Cum autem ſoror Regis Gunnvara monuiſſet, nihil temerè in hoſpites admittendum, reſponſum â fratre retulit: ſtolidum eſſe legatum, qvi ab inſidiis ſibi cavere neſciret. Legem Frotho tulerat, qva ultimo ſupplicio in eos animadvertendum erat, qvi munera Regi delata diſperderent; erat autem Colo cuſtodiæ eorum præfectus. Is, an qvid muneris Eiricus Regi attuliſſet, exqviſivit; ſtatim fruſtum glaciale, qvod ſinu occultârat, depromſit; qvod cum trans foculum porrexiſſet, tanqvam manu recipientis elapſum flammis de induſtria tradidit. Cunctis, qvi aderant, conſpicuum nitore fruſtum cernentibus, viſum eſt igni liqvidum incidiſſe metallum, Eirico culpam in receptorem convertente, pænamqve debitam reqvirente, Reginæ procerumq; ſententiâ, legis reverentiam executionemq; urgentium, Colo ad laqveum damnatus perimitur. Frothonem deinde Eiricus ſic colloqvii ſubtilitate & prudentia cepit, ut deinceps magni fieret, & amaretur inter primos, Oddoniſqve â ſe cæſi, qvod ſub involucris prius, mox candidè faſſus eſt, non impunitatem modò, ſed armillam inſuper auream dono conſeqveretur. Ea res cum aulicorum, & in iſtis qvoqve Greppæ, pridem graviter offenſi, odium in ſe accenderet, ut amoliretur Greppam, ſupra cæteros infeſtum, de Reginæ ſtupro illum coram accuſat. Qvâ delictum mox confeſſâ, pænaleqve judicium ſibi delatum culpamqve deprecante, interceſſione Eirici tantùm repudiata, cum honorem Greppa ſuum vindicare ſtatuiſſet, & actorem, vel potius accuſatorem, innocentiam probaturus, cum fratribus ſuis ad certamen ſingulare, cum decem aliis pugilibus provocâſſet, tridui inducias Eiricus poſtulavit. Verum cum terreſtris pugnæ & totius militaris operæ rudem ſe referret, conſtrictas glacie aqvas certamini locum delegit; in hoc ab utrisqve conſenſum eſt, poſcitqve â Rege recens mactati pecoris tergus. Cui Frotho; *corium meretur, qvi corio cecidit*; apertè ſuperiorem exprobrans caſum. At ille, exhibitâ pelle, crepidas creat, qvas abietino gummi, interfuſis mixtim harenis, obtinens, qvo firmius veſtigia poneret, ſuis ſuorumqve pedibus adaptavit. Interea, dum eodem veſpere, qvo condicta dies certamini erat, apud Regem cænaret, gnarus magnificentiæ Regiæ, qva prandiorum uti reliqviis vetitum eſt, fruſtum, cujus particulam libâſſet, abjecit, integrasqve eſcas lacera ciborum fragmenta æſtimavit. Ita rareſcentibus epulis novæ apponebantur dapes, parvulæqve cænæ impenſum eſt, qvod grandi ſuffeciſſet convivio: potum deinde poſtulanti, ſoror Regis ingenti paterâ porrexit, cujus Eiricus dexteram cum oblato ſimul cratere corripiens; *an hoc*, inqvit, *Regum optime, munus tua mihi delegavit humanitas? num mihi, qvod teneo, irrevocabilis doni loco ceſſurum eſſe confirmas?* Rex pateram tantùm poſtulari ratus, pronunciat donum. At Eiricus virginem ſibi velut cum patera datam.

applicat

applicat. Qvô visô Rex; *fatuum*, inqvit, *opera prodit*; *apud nos intacta virginum libertas haberi solet.* Tunc Eiricus puellæ manum, perinde ac poculi nomine traditam, ferro desecturum se simulans; *etsi*, inqvit, *plura, qvàm dederis, ceperim, aut si totam temerè teneo, saltem parte potiri liceat.* Rex promissi errore recognitô, puellam tradidit, nolens incuriæ vitium levitate rescindere, qvo gravior pollicentis authoritas videretur. Dimissus deinde ad naves sub sponsione revertendi ad prælium; simul ac reversus est, lubricum instabilemqve gradu hostem solearum nixus firmitate prostravit, victorqve Regem repetit. Mater autem Götvara spinosarum qvæstionum laqveis Eiricum implicitura, qvo filiorum cædem ulcisceretur, imparia certaminis pignora præscribit, ita ut illa torqvem magni ponderis, ille vitam in pignore poneret, aut aurum vincendo, aut lethum succumbendo laturus. Comprobante Eirico certamen, penes Gunnvaram pignus deponitur. Obscænam deinde qvæstionem dicax fæmina cum ordiretur, obscænitate victa, elingvisqve reddita, gratuitam prius filiorum necem, auro, veluti mercede qvadam, insuper rependere visa est. Vestmarus orbitatis dolore, ignominiaqve vehementer tactus, viribus non verbis cum Eirico certaturus, vincentis præmium in victi nece constituit, ut utriusqve salus in pignore posita videretur; nec Eiricus recusavit. Erat autem tale certaminis genus. Circulus vimine vel fune contextus, magno pedum manuumqve conatu decertaturis raptim distrahendus exhiberi solebat, fortiori tribuens palmam; qvem colluctantium si qvis alteri detraxisset, victoria donabatur, qvem acrius correptum cum concertantis manibus Eiricus excussisset, statim propulso pede senile collum dorsumqve fregit. Qvam rem indignatus Frotho, bonus Princeps, & alumni sui amans, sicâ in Eiricum jactâ interficere eum voluit. Verum ille â Gunnvara Frothonis sorore monitus, postqvam ictum declinâsset, gnarus Regibus post acceptam injuriam etiam agendas gratias, ê pariete extractam, in qvem altè impacta erat, summâ cum dissimulatione reddit, ac modestè; *munera, Rex Frotho*, ait, *dare amicis oportebat*; *non adjicere*, *gratiusqve habuissem*, *si cum ferro & vaginam dedisses.* Qvâ prudentia sermonis captus Frotho iram ponit, non tamen usqveqvaqve, qvin prævidens residuum in animo fratris rancorem Gunnvara, sponsum monere necessarium duceret, ut sibi caveret, idqve mediâ nocte cum corporum curæ indulgeretur (nam eô tacitè exitatô fugâ opus esse nunciat) Qva comite litus ingressus, classem Regiam illic forte subductam, dississâ laterum parte, navigationi inhabilem reddidit, insertisqve rursum asserculis sarsit, qvo minus ab intuentibus læsio nosceretur. Deinde navigium, qvo se comitesqve receperat, haut procul litore depelli curat; qvem Rex laceratis inseqvi navibus parans, mox fluctu foros æqvante, qvanqvam armis admodum onustus existeret, enare inter alios cæpit. Qvô Rollerus Eiricusqve conspecto, cum contemptu periculi incunctanter se profundo dedere, natabundiqve fluctuantem excepere Regem, jamqve eum superfusa ter unda subruerat, cum Eiricus cæsarie comprehensum pelago levat, cætera naufragorum turba, aut aqvis obruta, aut ægrè litori restituta est. Ut verò Rex ad se rediit, seqve captivum agnoscit, multis verbis temeritatem suam castigavit, qvòd iis, in qvos hostilia molitus esset, salutem suam deberet, vitamqve acceptam ferret, qvibus ereptam voluit, subiitqve pudor perditæ, qvâ nihil carius habuit, gloriosæ famæ, metusqve in posterum haut unqvam reparandæ: itaqve in mortem obstinatus lucem odit, manusqve sibi violentas intulisset, ni gravi Eirici oratione, omni-

qve

qve humanitatis ſtudio obleqvioqve delinitus, â propoſitô fuiſſet revocatus, ſibiqve ipſi, tum etiam iis, qvos perſecutus fuerat, conciliatus, qvemqve injuſtè interficere conſtituerat, juſto amore tanto magis mox complectitur. Tum conſilio ejus uſus, aulâ improbos pellit; qvâre cum affectum ſibi apud ſubditos benevolum, gloriam verò apud exteros comparâſſet, ut Eiricum beneficio devinciret, ſorore Gunnvara ſub ſponſalium fide & centuriatu eum donat, ſeu, qvod idem eſt, militiæ eum ducem creat; at Rollero ejus fratri, qvem regno exacturus erat, de ſententia Eirici uxorem donat; ſororis cum Eirico & Reginæ cum fratre ejus nuptias celebrat.

CAP. VI.

DE LEGATIONE FRATRUM EIRICI ET ROLLERI IN NORVEGIAM AD PETENDAS REGI FROTHONI ALFHILDÆ REGIS GOTHARI FILIÆ NUPTIAS, SUBSECUTOQVE SUCCESSU.



EXinde Rex Frotho Eiricum ſimul & Rollerum in Norvegiam ad Gotharum Regem mittit, ad filiæ illius Alfhildis nuptias ſibi expetendas, ubi perbenignè excepti, cum legationis cauſam retuliſſent, Rex Frothone repudiatô, filiam Eirico offert, eâ lege, ut Gunnvaram, qvam adduxerat, viæ comitem ſibi tradat, provinciamqve dotalem Liſter-Fylke/ ut facilius acqvieſcat, pollicetur. Eiricus autem hanc ſibi conditionem valdè placere ſimulat, collaudatqve, cev vix voto expetendam, gratiasqve ingentes agit, qvòd Rex tantus homini plebeio ſibi offerret filiæ nuptias, qvibus nihil exoptare majus poſſit. Inde animum Alvildæ in Frothonem clam explorans, cum haut alienum deprehendiſſet, ac paratam etiam in Daniam ſeqvi, eam abducit, & Frothoni uxorem ſiſtit. Strategema autem, qvo uſus fuerat, *Saxo*, & ex illo *Crantzius*, deſcribit, *Meurſius* ut fabuloſum omittit. Tradunt enim Gothari cum Gunnvara & Eirici cum Alvilda Gothari filia nuptias, diſcretis tricliniis, pariete tantum aulæ ab utraqve parte veſtitô diſtinctis, celebratas; aſſediſſe Gunnvaram Gotharo, Alvildam Eirico, ab alterâ parte autem Cracam novercam, ob incantationum ſolertiam itinerum comitem aſſumtam, qvæ ſe ſororem Gunnvaræ ſimulârat, eâdem matre, diverſo tamen patre progenitam, qvæ adverſam oculorum valetudinem prætexens, ita faciem peplo obſtrinxerit, ut ne ſola q videm cognoſcendi capitis particula promineret; nupſerat id temporis ab obitu Regneri viro cuidam, nomine Braco, qvi etiam in hanc ſcenam aſſumtus eſt, cumqve delecta promtiſſimorum militum manu haut procul Regiâ deliteſcere juſſus, cum res poſceret, auxilio futurus. Aſſere deinde â pariete ſenſim ſubducto, qvantum loci humanum corpus transmittere poſſet, apertum eſt, ignarisqve convivis ſpatium meatûs pervium factum. Jam ſumtis epulis exeunte Gotharo ad Eirici convivium, Gunnvara, ſicut ante juſſa fuerat, (id enim inter illam & Eiricum convenerat, poſtqvam exploratâ conjugali fide nuptiarum Gothari copia propoſita invictæ eam conſtantiæ deprehendit) ſubducti aſſeris loco pervium transgreſſa parietem, Eirici ſe lateri adjunxit. Gotharus ei aſſidere, qvam in ſuo reliqvit triclinio, admiratus, qvaliter & qvare eò venerit, percontari impenſius cæpit, auditqve â circumſtantibus formæ ſe ſimilitudine falli;

esse Gunnvaræ germanam persimilem. Ille oris habitum & omnem ornatum oculis signans, hæret stupens, regressusqve in suum cænaculum venit, visurus an ibi sit Gunnvara. Interea relabitur illa loco priore consistens. Rex iterum mutans convivii locum, ad Eiricum regressus, ante se vidit, qvam reliqvit in alio diversorio, Gunnvaram; hæret rursum stupens, qvid tam simile in duabus esset fæminis, ut nihil disparitatis posset annotari. In hac ambiguitate rei, verumne cerneret, an similitudine falleretur, convivium exit in noctem. Rex Eiricum juncta filia mittit in thalamum nuptias consumare. Eiricus puellam honorificè appellans seorsum cubare jubet, Gunnvaram suam ille amplexus consopitur. Itaqve Gotharus insomnem agens noctem, altius rimari cæpit, qvid miraculi viderit in duabus fæminis: tandem id, qvod res erat, mentem subit; nimirum divisum parietem creâsse errorem, misitqve qvi specularetur, qvem præveniens Eiricus ante noctem compungi curavit. Deinde duos cognoscendæ rei causa tacitè Eirici cubiculo intromissos subornat, ut Eiricum cum Gunnvara in eodem lecto repertum occidant. Qvi inito latenter cubili, eos nexis invicem brachiis, communi toro fruentes conspiciunt, qvos semisopitos rati, profundiorem qvietis copiam, mandataqve exeqvendi occasionem meliorem exspectant; qvæ ut affulsit, continuo districtis prodiere gladiis. Expergefactus Eiricus, cum imminentes capiti gladios suspexisset, dictô novercæ, id temporis haut procul dissitæ (aderat enim convivio) nomine, qvod olim inter pericula nuncupare jussus erat, promptum necessitatis periculum expertus est; clypeus enim ejus, ut supra dictum, qvi sublimius â trabe pendebat, ilico in eum collapsus, inerme corpus qvasi de indrustria, ne â latronibus confoderetur, obtexit. At ille fortuna haut frustra usus, proximi latronis utrumqve pedem stricto dissecuit ferro, alterum Gunnvara non impetu minori hastâ transfodit, muliebri corpore virilem animum æqvans. Mox Rollerus iis, qvi cominus excubare jussi fuerant, signum irrumpendi in Regiam lituô dedit. Qvo Rex audito, hostium adventum indicari ratus, præceps fugam navigio capessit. Interea Bracus, & qvi cum eo irruerant, convulsam Regis suppellectilem Eirici navibus imponendam curabant. Medium ferme noctis agendis impensum est prædis, qvorum mane Rex cognitâ fugâ insecutionem molitus, per amicorum qvendam, ne qvid subitò pararet, aut cum impetu exeqveretur, admonitus est; persvadebatur qvippe majori instrumento opus esse, nec expedire cum paucis in Daniam conseqvi fugientes. Sed ne sic qvidem impatiens animus damni impetum pressit; nihil enim magis moverat Regem, qvàm qvod alienæ cladis paratus recidisset in suos. Enavigans autem Rex, pervenit in portum, qvi postea ab Omi vocabulum tenuit, ubi adversa tempestate obortâ, alimentis defectus, satius arbitratus est, moriendi necessitatem ferro subire, qvàm fame; itaqve nautici manu in se ipsos versâ, alternis vulneribus acceleravere fatum. Rex cum paucis montium prærupta secutus elabitur. Indicium cladis colles editi præbent. Interea Eirico prosperè navigationem emenso Frothonis cum Alvilda nuptiæ actæ sunt. Hæc Saxone referente ipsius maximam partem verbis transcripsi; minus autem se probat, convivis ignaris mensas, scamna, conclavia toties mutâsse Gunnvaram: sed nec facti ratio apparet; nihil enim id ad Alvildæ raptum promovendum, cæteraqve destinata, contulit. Nec ratio subest, qvominus Rex suam jam conjugem in genialem secum lectum per noctem tædis destinatam, qvàm Eiricus suam, duceret.

CAP:

CAP. VII.

DE GESTIS EIRICI ADVERSUS SCLAVOS, REGEMQVE EORUM, DUCTUQVE FROTHOnis adversus Gotherum, ejusqve cæde, gestis Eirici cum Hunnis & Russis, gestis Rolleri adversus Sunnmariæ & Normæriæ Regem Arthorium, Jamtiæ & Helsingiæ Regem Thorum Longum, Hithino & Hognio, gestis deinde Eirici cum Alarico & Gunthiono, subjectaqve Svecia, Værmia, Helsingia, Eiricoqve harum terrarum Rege â Frothone constituto, adjectisqve ejus imperio Lappia, Finnia & Estia, utqve hæc ab Islandorum monumentis discrepent.



Irici deinde ingenio industriaq; Rex in omnibus expeditionibus feliciter usus est: nam & Sclavos ejus operâ domuit, Regemqve eorum Strunicum occidit, primusqve Daniæ Regum Vandalorum titulum assumsisse, posterisqve reliqvisse Meursio memoratur. Ingenioso strategemate Sclavis maritimam cladem incussit Eiricus; nam dum piratas septenis navibus esse cognosceret, unâ tantum è suis advectus, reliqvis ligneis propugnaculis cingi, tonsisqve arborum ramalibus obduci jubet. Deinde, cum hosticæ classis numerum plenius speculaturus procederet, inseqventibus se Sclavis, ocyus ad suos refugere cæpit. At hostes ut insidiarum ignari, ita fugientem comprehendere avidi, crebro incunctantiqve fluctus remigio concussêre, naves enim Eirici liqvidò cognosci non poterant, frondentis sylvæ speciem præferentes; qvi cum angustioris se maris flexui tradidissent, subitò Eirici classe conclusos vident, sed primùm inusitatâ facie stupidi navigio nemus agi putabant, deinde fraudem foliis subesse cognoscunt. Seram ergo incuriæ pœnitentiam agentes, habitam incautius navigationem remetiri tentabant. Sed dum puppes obvertere parant, ab hoste eas insiliri conspiciunt. Eiricus verò, subducto in litus navigio, fundâ procul in hostes saxa torqvebat: igitur Sclavorum cæsi pleriqve, qvadraginta capti fuêre. Interea Gotherus sumendi de Eirico supplicii gratia exercitum comparat. E contrario Frotho cum magno classis apparatu Norvegiam petit. Cum ad insulam Renisóe pariter appulissent, Gotherus Frothoniani nominis magnitudine territus, pacem per legatos efflagitat, *non fore sibi rem cum Frothone, sed Eirico, qvi perfidiâ multiplici se læsisset.* Eiricus aderat, & de Regis voluntate respondit: *impudens videri negotium, ubi latrocinium ingressus pacem prior turbavit, priorem pacis facere mentionem.* Effectum tamen per legatos, ut pace ac fide publicâ interpositâ in colloqvium Reges descenderent. Ibi gravis orta inter Gotherum Regem Eiricumqve contentio, qvòd Rex objiceret Eirico ingratum animum, qvasi immemor beneficiorum pessima pro magnis in se meritis rependeret. Eiricus contra; *si qvid unqvam sibi â Rege beneficii videretur collatum, id salutaris consilii semper compensâsset obseqvio. Frothonem vero Regem ac se legatum ejus violatos esse, qvòd neqve legationem ejus ab initio susceperit, inde etiam acceptam rejecerit. Si volentem puellam ad regnum provexerit, nullius se eo nomine culpæ videri obnoxium. Super omnia vero, qvando ademtam illi voluit ejus cum conjuge vitam, tum se divina atqve humana perturbantem nihil illi reliqvisse, qvo aut Eiricus illi obnoxius, aut ille non omni genere sce-*

re scelerum obstrictus maneret. Ex verborum contentione eò perventum est, ut signa canerent, pugnaqve instrueretur. Acerbis utrinqve odiis pugnatum est, Gotherus Normannorum Rex opprimitur; regnum Frotho, qvod septem constabat provinciis, largitur Rollero, Eirici germano, qvòd bonam tum, ut & alias, operam sibi navâsset, eundem qvoqve Eiricus collatâ sibi qvondam â Gothero provinciâ muneratus est. Hunnico deinde bello, qvod ob repudiatam â Frothone Hunnorum Regis filiam illatum est, Eirici virtus consiliorumqve admiranda vis plurimum enituit; exercitum qvippe ingentem primò Russorum, mox Hunnorum, exploravit, modumqve, qvo superaretur, edocuit, adqve delendum plurimum præstitit; legum insuper iniqvarum abrogandarum, salubrium reducendarum authorem se præbuit, Regi regnoqve utilissimum. Nec Rollerus rei strenue gerendæ materiam neglexit, Sunnmæriam siqvidem & Normæriam, occiso earum provinciarum Rege Arthorio, vectigales reddidit. Jamtis & Helsingis Thorus Longus Regio titulo præfuisse dicitur, ab Olimaro imperio Frothonis subjectus.

Qvæ de Hythino & Högnio Saxo memorat, qvos inter Frothonis duces recenset, *in II. Appendice ad Seriem Regum Daniæ* exposita sunt, Gesti Blindi autem & Alrici (qvi nobis Heidrecus) controversiæ, earumq; eventus, hujus partis Lib. X. Cap. XVII. Cum autem Saxo Eirici hujus gesta his connectat, placet ea etiam adscribere. *Eodem*, inqvit, *tempore Alrico Sveonum Regi adversum Gestiblindum Gothorum Regem atrox incidit bellum; at Gestiblindus viribus minor Frothonem supplex accessit, se ac regnum percipiendæ opis gratia dediturus. Qvi mox Skalk Scanico atqve Eirico in subsidium receptis, cum supplementis militum redit, cumqve militiæ procursum in Alricum effundere statuisset, Eiricus prius filium ejus Gunthionum Wermis ac Solungis prælatum censuit impetendum; igitur irruptione facta perit Gunnthionus, nomenqve ejus tumulum refert. Audiens Alricus interemptionem filii, ultum ire deproperat. Conspicatus hostes, Eiricum clandistino accersitum colloqvio, recensitis patrum suorum fœderibus, ut Gestiblindi militiam detrectaret, orabat. Qvod Eirico pertinaciùs abnuente, cum Gestiblindo dimicandi licentiam flagitat, privatam pugnam publicæ præferendam existimans; qvem Eiricus senectute armis inhabilem referens, tristem ejus valetudinem maxima cum ætatis excusatione prætendens, se ejus loco obtulit pugnaturum, probrosum ducens, si duellum præstare refugeret, pro qvo bellum commissurus venisset. Hinc absqve cunctatione dimicatum est, occiso Alrico, Eiricus qvàm gravissimè affectus, ægrè compertis remediis serum incolumitatis regressum habuit. At Frothoni ipsum occubuisse falsò fama vulgaverat, mentemqve Regis magno ob id mærore torqvebat, qvam tristitiam Eiricus reditûs sui beneficio dispulit; qvippe Sveciam, Wermiam, Helsingiam* (qvam tamen Olimarum, Rege ejus Jamtiæqve Thoro Longo occiso, vectigalem effecisse, Dimaroqve procurandam cessisse prius dixerat) *atqve insulas Solis operâ suâ, Frothonis adjectas imperio nunciabat. Qvem mox Frotho devictarum ab eo gentium Regem constituit, ac præterea Helsingiam* (qvæ hic iterum inter devictas ab eo gentes non numeratur) *ei cum utraqve Lappia, Finniam qvoqve & Estiam annuo stipendiorum jure contribuit. Nemo ante ipsum Sveticorum Regum Eirici nomine censebatur; ab ipso autem in cæteros vocabulum fluxit.*

Qvantum hæc ab iis discrepent, qvæ in *Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. IV.* de Heidrico & Gesto Blindo, seu Cæco, ex *Hervoris Historia*, præclaro antiqvitatis monumento, descripsimus, fusiusqve infra describemus, lectoris judicio relinqvo. Wermiam Frothonis hujus, sive Christi, tempore

cultam, ne dum armis ſubjectam, non affirmaverit, qvi fidem Chronicis Norvegicis habet, qvæ conſtanter affirmant, Olafi Lignatoris, Svecia profugi, authoritate, auſpiciis ductuqve ſolum ſilvis tantùm horreſcens habitationi idoneum redditum, mox etiam coloniis Sveticis plus nimium repletum. Fuit autem Olafus ille Haraldi Pulchricomi, nati Anno Chriſti DCCCLIII. tritavus, multis poſt Chriſti incarnationem ſeculis, Heidreco etiam multo poſterior, & ipſo qvidem aliqvot ſeculis â Chriſti æra remotiore, qvàm ut liceret ei cum Eirico Frothonis ſatellite congredi.

CAP. VIII.

DE ASMUNDO ET ASVITO, DEVICTA HALOGIA, AC TOTA DEINDE NORVEGIA, LATIS A FROTHONE LEGIBUS, REGIBUS THELAMARKIÆ ET FINNMARKIÆ THENGILLO ET ECHTERO AD OBSEQVIUM REDACTIS, ARNGRIMI NUPTIIS CUM FILIA REGIS OSURA, INDEQVE NATA SOBOLE, HORUMQVE AB ISLANDORUM TRADITIONIBUS DISCREPANTIA.



D hæc tempora Saxo refert Asmundum Asvitumqve, qvi Aran noſtris dicitur, qvorum hiſtoriam antea expoſui; ne tamen iis, qvi Saxone deſtituuntur, deſit utriusqve relationis invicem conferendæ facultas, etiam ejus traditionem hic adſcribam, cum aliàs propoſitum ſit, in hoc opus omnia conjicere, qvæ de Norvegorum actis ad noſtras manus perveniunt, & fidem aliqvalem mereri videntur. Tradit autem Frothonem Norvegos, qvi ab obſeqvio ejus defecerant, bello perſecutum adeo terruiſſe, ut abjectâ defenſionis ſpe in Halogiæ fines majori ex parte profugerint (id qvod de vicinis tantùm provinciis intelligendum videtur) inter qvos Stikla virgo ſervandæ caſtitatis cauſa ſe ſubduxerit; ab ea forte cæde Divi Olafi notabilis villa Stiklaſtadæ nomen ſortita eſt. Eiricum autem auxiliarem exercitum ê Svecia terreſtri itinere duxiſſe, in tranſitu autem incidiſſe in tumulum recèns excitatum, ad qvem aperiendum opesqve inde decerpendas avidus miles cum properâſſet, ligonibusqve perfractum luſtraturus, unum ex ſuorum promptiſſimis pendulo circumligatum fune demiſiſſe, qvi ſportâ reſtim ſeqvente intromiſſus ab eo qvi intus erat, dejectus fuerit, qvi locum ipſius ſubiens, conſcensô corbe ſuperne aſtantibus ac moderantibus funem abſtrahendi ſignum porrexerit; cumq; in lucem veniſſet mortiferâ ſpecie ignotus homo, qvem recens etiam ſangvis fœdâſſet, protinus eos, qvi extraxerant, fugiſſe, ipſum autem ad os inferni ſpecus relictum fugientes clamore revocâſſe. Docuiſſe deinde, qvo pacto tumulo illatus fuerit, hoc ordine: Aſmundum ſe nominabat, Alfi Regis Heidmarkiæ filium, accidiſſe autem referebat, dum parum proſpere venationi intentus feras inſectaretur, cum oborta caligine longius a retiariis avio calle divulſus vaſta juga pererrâſſet, tandem eqvo & veſtibus deſtitutus, fungos & tubera peredisſet; ut ad Biorni Vichiæ Regis aulam fortuitò perveniret, ubi inter ſe & Aſvitum Biorni filium arctior amicitia interceſſerit, juramento in tantum firmata, ut qvi alteri ſupervixiſſet, ad mortuo ſe contumulandum obligaretur. Aſvitus prior mortuus eſt, tumuloqve una cum cane, eqvo & accipitre mandatus, cum qvo Aſmundus ob amici-

amicitiæ jusjurandum vivus contumulari sustinuit, cibô, qvo vesceretur, illatô. Asvitus autem noctibus redivivus, crebra colluctatione lævam illi aurem, pereso prius cane, eqvo & accipitre, abripuit. In Halogiam Frotho classem traduxerat: ibi ad cognoscendam multitudinis suæ speciem, qvæ numeri mensuram capacitatemqve transcendere videbatur, collem â militibus congeri jubet, viritim lapide in acervum misso, eundem qvoq; hostis numerandi agminis modum secutus est. Conspicuos adhuc colles fidem visentibus præbere haut dubia fide Saxo refert; & haut scio, an aliâ ratione coaluerint tales acervi, pluribus in locis maritimis hodieqve spectabiles. Hic Frotho, consertâ cum Norvegis pugnâ, gravem cædibus diem egit; noctu utrinq; receptui consultum est; appetente diluculo terrestria permensus supervenit Eiricus; hic Regi certamen suggerit iterandum; qvo bello tanta de Danis strages accepta est, ut ê ternis navium millibus, solæ centum septuaginta superstites fuisse credantur. Normanni verò tam vasta clade deleti sunt, ut fama sit, ne qvintæ qvidem Vikorum parti remansisse cultorem.

Norvegis devictis, ut qvieti publicæ consultum iret, dat easdem illis leges, qvas in Dania paulo ante promulgaverat, ratus fore, ut qvemadmodum uno jure uterq; populus uteretur, ita etiam deinceps animo conjungeretur, utqve homines â rapinis atqve furtis ad honestam vitæ agendæ rationem revocaret, furem in furcam agi jussit, tum præterea lupum vivum juxta eum alligari, qvi cadaver variè dilaceraret, ut spectantes pœnæ ejus gravitate deterreret: eandem qvoqve furtorum consciis multam irrogavit. Legis autem recens natæ reverentiæ, edictæqve â se innocentiæ experimentum, armillas duas constituit, qvarum alteram in rupe, qvam Frothonis petram nominant, alteram apud Vik provinciam, habitâ cum Norvegis concione, defixit; qvibus subductis in omnes regionis præsides animadversurum se minatus est. Jussit etiam, ne qvis domum vel arcam obseraret, aut rem ullam claustrorum custodia contineret, triplicem amissorum restitutionem promittens. Statuit idem, ut navigantes repertis ubicunqve remis licitè fruerentur, amnem vero transituris usum eqvi, qvem vado proximum reperissent, liberum concessit, dummodo descenderent, cum priores ejus pedes solum attingerent, postremos adhuc unda subflueret; sed capitis reum pronunciavit, qvi superato amne longiùs in usum abduceret. Præterea tantum alieni cibi in commeatus assumi permisit, qvantum uni cænæ sufficeret, qvi capiendo hanc mensuram excederet, eum furem pronunciavit.

Ex Alvilda filium Alvonem & Osuram filiam procreavit, exactôqve in Norvegia septenniô in Daniam rediit. Interea Arngrimus Svecus athleta Osuram uxorem petit, neqve obtinet; post repulsam Eiricum orat, ut pro se intercederet; sed is veritus, ne & ipse frustra foret, adhortatur, ut Frothonem claro aliqvo facinore potius demereretur; & occasionem esse, qvandò Finnmarchiæ Rex Thengillus & Biarmiæ Echterus jussa ejus detrectarent. Cujus cum consilio obseqveretur, & exercitu coacto utrumqve aggressus, tandem etiam in Frothonis potestatem redigisset, negatô prius matrimoniô potitus est. Ex illa duodecim filios sustulisse Saxo author est, in qvibus Angantyr, qvos omnes ab Orvaroddo apud insulam Samsöe deletos perhibet. Verum in qvantum hæc ab iis, qvæ alio libro tradita sunt, dissentiant, cuivis patet: ibi enim genus Angantyris fratrumq; longa serie ab Ymere, Nore, Odino petitum panditur; nec Eyvor, qvam Saxo Osuram appellat, Frothonis, sed Svafrlamii ex Fride uxore filia illic habetur.

betur. Nec Frodius Sveciam imperio tenuisse traditur, ut nec Eiricus, cum Frothonis tempore Freir, Fiolnerqve, & (secundum nostram computationem, per evidentem conseqventiam ê priscis monumentis deductam) Svegdir etiam & Vanlandus, ei præfuerint. Eqvidem plurima, qvæ de Eirico traduntur, veritati consona esse credo, deprómptaqve ex historico plurimæ qvidem authoritatis monumento, qvod Skioldunga-Saga appellatur, nec nostro tempore, qvòd sciam, superest; Præfecto enim cuidam Islandiæ admodum imprudenter donatum avtographum ferunt, nullo exemplari domi relicto; id tamen Saxonis tempore extitisse, partesq; qvasdam & fragmenta illius visa ei suspicor, unde hæc sua mutuatus est; integrum non habuisse, ordo ab eo longe diversus, qvem patriæ memoriæ religiosè observant, plane evincit. Qvod autem Eiricus inter Sveciæ Reges collocetur, & qvidem is, qvi id nomen â se deductum seqventibus impertiverit, authori historiæ illius haut adscribendum judico; irrepsit id procul dubio haut aliter, qvàm ultimus in vitam Herraudi & Bosii paragraphus, exemplaris illius, qvod in Svecia impressum est, qvem nec alibi legisse memini; ubi Herraudi Regis filius Rikardus nominatur, Conradi pater, illius qvi serpentum terram visitaverit; aut alter similis in secundum caput historiæ Vikingi & Thorsteini itidem exemplaris typis Sveticis excusi, ubi Vesetius Visillis frater insulam Borgundarholmum occupâsse incoluisseqve perhibetur, mox autem subjungitur, vicisse illum Bujum & Sigurdum Kapam, idqve nulla ratione. Consimiliter in historiam Haraldi Hilditanni â Saxone conscriptam, athletæ Thylenses invaserunt, Mar Rufus ê pago Mithfrithi, Grombar annosus, Gram Brundelucus, Grim ex oppido Skerium apud Skagafyrchi provinciam satus; qvæ qvidem provinciæ in Septentrionali Islandiæ qvadrante sitæ sunt, nec tamen eo tempore Islandiam cultam legimus; desuntq; hæc nomina in mihi viso exemplari. Hæc & his similia â librariis, nimiâ opinione peritiæ rerum antiqvarum inflatis, profluxerunt, qvi, ne nihil scire viderentur, hæc ex suo adjecerunt.

CAP. IX.

DE FRIDLEIFI FROTHONIS FILII CONGRESSU CUM DUODECIM FRATRIBUS NORVEGIS, EORUMQVE, UNO EXCEPTO, CÆDE, AMUNDI NORVEGIÆ REGIS OB NEGATAS FILIÆ A FRIDLEIFO EXPETITAS NUPTIAS OCCISOSQVE LEGATOS INTERITU, LIBERATA REGIS THELAMARKIÆ FILIA AB HYTHINO GIGANTE, AVONIS ET BIORNI DUELLO ET RECONCILIATIONE, SUSCEPTAQVE EX VIRGINE NORVEGICA FRIDLEIFI FILIO FROTHONE QVARTO, EJUSQVE NUTRICATU.



FRothonis filius Fridleifus Halfdano Eirici Disserti Sveciæ Regis filio, adversus duodecim fratres Norvegos, pugiles strenuos, suppetias tulit; qvorum nomina memoria conservavit, hi recensentur: Gerbiorn, Gunnbiorn, Arnbiorn, Stenbiorn, Esbiorn, Thorbiorn & Biorn. His sedes receptaculumqve in insula qvadam sylvosa fuit, cujus situs rapidissimi fluvii undis undiqve vallabatur; decidebat is ex summi montis cacumi-

cuminibus, tanto impetu, ut animalia nando defatigata plerumqve subverteret. Solus Biornonis eqvus robore pernicitateqve tantum valuit, ut cæteris trajicere non valentibus obstrepentem indefessus vorticem superaret. Erat & Biornoni inusitatæ ferocitatis canis, horrendæ qvidem acerbitatis bellua, atqve humano convictui formidanda, qvæ duodecim viros sola oppresserit; qvod tamen in dubium Saxo vocat, qvæ deliciarum qvendam loco habita, Offoti gigantis inter pascua tuebatur armentum. Offotanus nostris gigas ille, vel potius gigantum Rex, appellatur: sinûs ab eo nomen sortiti mentio fit in Ketillis Hængi vita; plures autem eo nomine notantur; nam & Menglod, qvæ Ormo Storolfio Islando tempore Olafi Tryggvini opitulabatur adversus fratrem suum Brusium, Ofotani de sinu sibi cognomine filiam se prædicabat, de qvo in Comitum Eirici & Sveni gestis infra plura. Hi juvenes viciniam latrociniis infestare soliti, magnas sæpe strages edebant, fretiqve loci inaccessi oportunitate impunè grassati sunt. Fridleifus, superato amne, in latebris se abscondens occasionem eos invadendi sedulò observabat; trajecerat autem fluvium eqvo admodum robusto, qvem prædones ab eo in insulam fugati trepidantes citra amnem reliqverant, occisôqve, qvi se comitabatur, servô, Regiis vestibus indutô, inqve flumen unà cum eqvo præcipitatô, adqve ripam fluvii appulsô, de morte sua fidem suis fecerat; qvi indignatione rei permoti, intrepidi fluvium ingressi sunt; qvibus ille visis pontem continenti commisit, receptisqve pugilibus, primâ vigiles irruptione prosternit, residuos qvoqve conseqventer adortus, Biornone exceptô, ferro consumpsit; qvem virtutis militaris laude clarum, salvum & idcirco voluit, ut deinde in negotiis gravioribus ejus operâ uteretur.

Amundus qvidam Norvegiæ (vel potius partis ejus) per idem tempus Rex erat, illius filiæ Frögerthæ Fridlevus per legatos conjugium petit. Verum incidit triste omen, qvod eventum indicaret; qvippe unus ê legatis inter viam navi excussus, postqvam vitam infeliciter amisisset, versâ in cruorem aqvâ, cæteris spectaculum horrendum præbuit. Amundus & legatos contumeliosè habet, & petitionem eludit, dictitans, *neqvaqvam sibi cum Frothonis, qvi Norvegiam adeò graviter infestâsset, filio, affinitatem contrahi ullam unqvam posse aut debere*, multum indignante filiâ, rejici â patre generum, qvi virtute ac potentia & gestarum rerum gloria longè cæteros antecelleret. Asperum Amundi animum cum Fridlevus se constantia leniturum existimaret, iterat legationem, qvæ majore contumelia etiam excepta fuit; nam legatos, cum in Norvegiam appulissent, comprehendit & occidit. Qvod Fridlevus meritò indignè ferens, ut injuriam vindicaret, bellum parat, sociosqve sibi jungit Biornonem Norvegum & Halfdanum Sveciæ (provincialem) Regem. In Norvegiam ingressus obvium Amundum habet; utrinqve pugnant, terra pariter mariqve. Frökasund appellant sinum, in qvem classis utraqve coierat; tandem Amundus maximâ exercitûs parte amissâ, violati juris gentium pænas luit & occiditur; cujus filiam Frögertham postea itinere in Norvegiam instituto, bis negatam â patre uxorem sibi associat; mox Frothonem ex ea tollit; Saxoni in nominis successione qvartum, Largum cognomento dictum. Notatum est, cum Fridlevus in sinu Frökasund cum classe copiisqve terrestribus, ad prælium cum Amundo conciendum ordinatis, moraretur, qvòd noctu speculandi gratia castris egressus, cum inusitatum qvendam icti aëris sonum cominus percepisset, fixo gradu suspiciens trium olorum supernè clangentium hoc carmen audierit:

Dum mare vexit Hythin, rabidosqve interſecat æſtus,
Aurô verna bibit, qvi lactea pôcla ligurit.
Optima conditio ſervi, cui Rege creatus
Obſeqvitur, temerè mutatis ſortibus, hæres.

Deinde poſt ipſas alitum voces, lapſum ab alto cingulum literas carminis interpretes præferebat: Regis qvippe Thelamarkiæ filium (filiam poſtea tradit, qvæ Halfdano Seciæ Regi (fortè Regulo) nupſerit) pueriliter obludentem, gigas Hythinus nomine, uſitatum mortalium habitum mutuatus, abduxerat, eoqve uſus remige, cymbâ in proximum litus trajectâ, Fridlevum tunc fortè ſpeculationis officio fungentem navigio præteribat. Rex gigantem pede manuqve curtatum, liberato captivô, coëgit in fugam, cujus conſeqventer promontorium petens, egeſtam antro pecuniam aſportavit.

Inter Amundi milites Avo qvidam memoratur, qvi vindicaturus domini ſui necem, Fridlevum ad ſingulare certamen provocavit, Biorno autem indignum ratus Regem cum privato bellô congredi, vicem Regis ſubivit; cumqve Biorno ſinuato arcu nervo ſagittam aptaret, ſubitò emisſum ab Avone ſpiculum chordæ ſumma transfixit, cujus altera mox ſagitta comes mediis digitorum condylis impacta ſucceſſit; his tertia ſuperveniens, in applicatam nervo ſagittam incidit. Avo qvippe promptiſſima ſagittandi opera eminus utens, de induſtria geſtamen tantùm hoſtis offenderat; ut idem in ipſum ſibi licere demonſtrans, pugilem â propoſito revocaret. Biorno verò nihil ob hoc animi minuens, ſpreto corporis periculo, conſtanti mente & vultu diſcrimen iniit, ita ut nec Avonis qvicqvam ingenio deferre, neqve ex conſveta aliqvid fortitudine deponere videretur; itaqve nulla ex parte propoſito deturbatus, intrepidus duello ſe credidit; qvo cum uterqve ſaucius exceſſiſſet; aliud iidem apud Abdernes mutua laudis æmulatione geſſerunt. Evoluto anno eosdem ſæpe ex provocatione congreſſos, Fridlevus maximâ curâ in gratiam reduxit, amicitiisqve odia mutare compulit; qvibus etiam filium Olavum, â primarii viri Grubbi cujusdam, Vikæ incolæ, filia Juritha Norvega progeneratum, tres annos natum nutricandum conceſſit, cujus matrem Avoni, jam in commilitium recepto, matrimonio copulavit.

CAP. X.

DE HELGONE NORVEGO, HELGAM FROTHONIS FILIAM NUPTIIS SIBI JUNGENTE, CONFLICTUQVE STARKATERI CUM NOVEM ATHLETIS.



FUêre Frothoni Qvarto Daniæ Regi ê Frogertha Amundi Norvegiæ Regis filiâ, filiæ duæ, Helga & Aſa. Helgam uxorem ſibi Helgo qvidam celebris Norvegus depoſcebat, tantoqve luxu navigationem inſtruxerat, ut inauratis malis exculta auro vela purpureis rudentibus ſubnecteret. Ingialdus Daniæ Rex, virginis frater, fortitudinis ſpecimen reddi poſtulat, certamen cum fortiſſimis athletis; id cum alacritèr in ſe recepiſſet, Helgoni

Helgoni virgo desponsatur. Erant apud insulam Sialandiam novem Ducis cujusdam filii, viribus & audacia apprimè præditi, qvorum maximus Anganterus fuit, ejusdem puellæ competitor, ob negatas sibi nuptias exacerbatus, Helgonem palæstrica provocatione solicitat. Approbat Helgo certamen, eiqve dies nuptiarum condicitur. Ut verò ad animum revocavit imparis certaminis, sibi soli adversus novem impendentis, haut dubium periculum, detrectatiqve & rescissi simul promissi dedecus, animo fluctuabat. Qvô cognito, sponsa auxilio opus habiturum docet, hortaturqve ut pugnâ abstineat, qva nihil præter mortem aut ignominiam petiturus videatur, præsertim cum eorum, adversus qvos dimicaret, numerum certum non definivisset. Svasit itaqve, ut Starkatherum in Svecia morantem in auxilium solicitaret; qvi indigentibus adesse, & tristes plerumqve casus felici interventu expedire soleat. Gratum Helgoni consilium fuit, nobilissimamqve Sveciæ urbem Upsalam, ubi erat Starkatherus, petit, ingressuqve abstinens præmittit, qvi eum ad nuptias filiæ Frothonis invitet. Indignatus vir severus, *pœnam haut effugiturum respondit, qvòd se, ut alienæ culinæ sectatorem, ad nidorem gulæ vocaverit, nisi amantissimi sibi cultissimiqve Frothonis mentionem mandatis insertam haberet.* Qvod postqvam Helgo ex satellite cognovit, Regiam ingressus, Frothonis filiæ titulo consalutatum senem condictæ ex provocatione pugnæ socium deposcit, qvòd iniqvæ pugnæ sorte premeretur, cum secum congredientium numerum non definiverit. Starcatherus, cognitô loco ac tempore duelli, adfuturum se promittit, eumqve Daniam cum comitibus repetere jussit. Nec fefellit promissor; aderat enim tempore & loco, qvæ â pugnaturo didicerat Helgone. Interim nuptiæ parantur. Adest Starcatherus, lacessitusq; â convivantibus, cum latratus ederent, verbis compescuit. Sed illi convitiis non pepercêre, senem irridentes, qvi juvenibus se opponeret. Pugnæ postera lux destinatur. Starcatherus excubias præ foribus nuptialis thalami egit, ne qva vis sponso sponsæve fieret. Experrectus Helgo, cum somni stupore discusso promissum memoriæ subjecisset, arma induit; animadvertens autem parum noctis superesse, dum propinqvum discrimen secum reputat, obrepentis furtim somni svavitate præventus, gravatum stupore corpus lecto restituit. Ingressus cubiculum jam ortâ luce Starcatherus, ubi dulci sopore fusum vidit, nova gaudia interrumpere non passus, qvietem permisit, egressusqve solus locum pugnæ petivit, in campo, Danica lingva Roliung nuncupato, subqve montis cujusdam clivo sessione qvæsita, adversum ventis ac nivibus nudatum vestibus corpus præbuit. Venientes autem athletæ montem ex opposito subeunt, aversum ventis sedendi locum petentes, accensô frigus igne depellunt, mittuntqve ex suis in verticem, qvi specularentur venientes. Missus speculator senem in devexa verticis parte prospicit, percontaturqve an is sit, qvi promissas pugnæ partes agere debeat? Cumqve se hunc esse Starcatherus astrueret, supervenientes cæteri, simulne omnes, an sigillatim singulos, excipere statuisset? interrogant. At ille; *qvoties mihi*, inqvit, *triste canum agmen oblatrat, simul, non verò per partes, eos abigere soleo.* Initô conflictu, sex eorum absqve mutuo vulnerum receptu prostravit, tres vero residuos, qvamqvam decem & septem vulneribus ita ab iis affectus esset, ut major viscerum pars ventri elaberetur, nihilominus fratrum exemplo consumsit. Is siti, vulneribusqve & sangvinis fluxu fatigatus, cum profluentis rivuli infectam occisorum sangvine lympham animadvertit, degustare non sustinuit. Igitur consumto penè robore, saxo, qvod in vicinia forte situm erat, genibus advolutus

pau-

paulisper eidem acclinis incubuit; cujus cavam superficiem Saxo ita conspicuam fuisse scribit, ac si illam decubantis moles conspicua, corporis impressione signâsset. Simile qvid de Elgfrodio Bodvaris Biarkii fratre supra ex antiqvitatis testimoniis, suspectæ licet veritatis, depromsi. Humanâ arte hanc imaginem Saxo elaboratam sibi videri, majori verisimilitudine existimabat. Rabulam forensem primum, secundum ancillæ conjugio sordidatum, tertiam ancillam, omnes prætervectos opem medicasqve manus sibi offerentes, in extrema necessitate constitutus, ut vitæ genere minus honesto, aut sorte, contaminatos repulit; rustici verò, â sordido qvæstu alieni, auxiliô probatô, qvô opitulante, visceraqve pristino loco restituente, vehiculo impositus in Regiam deducitur. Monitu deinde uxoris, ingenii severitatisq; Starcatheri apprimè gnaræ, qvæ metui somnum prætextum judicaturum præsumpserat, vindictamqve velut ab ignavo fluxæqve fidei viro, condicti certaminis oblito, exacturum, in nuptiarum thalamum irrumpentem, valvasqve perfringentem, lecto exsiliens Helgo adversæ ejus fronti ferrum adacturus videretur, Helga toro ocyssimè evolans, senem ab imminenti exitio corrupti scuti interjectu defendit, qvod tamen ab Helgone validiore ferri impulsu mediotenus umbone dissectum est. Qvæ rès Starcatherum ad incolumitatem Helgoni tribuendam adduxit. Qvæ inde Starcatherus in Svecia, filium Halfdani Regis Sivardum in patrium regnum, (qvod tamen Upsalorum Regi vel subjectum, vel aliqva ex parte obnoxium suspicor) restituendo, vel in Dania, Ingialdum ad patris ultionem sumendam acuendo animandoqve, gesserit, cum Saxo exqvisitissimo dicendi genere solutè prosecutus sit, & illa ad Norvegos non attineant, hoc loco ut aliena prætermitto.

CAP. XI.

DE HATHERO, PROVINCIÆ NORVEGIÆ ALICUJUS REGE, FILIAQVE EJUS THORILDA A REGE DANIÆ HALFDANO BIERGRAMO LIBERATA, EJUSQVE NUPTIIS.



Atherum deinde, Halfdano Biergramo Danis imperante, alicubi in Norvegia regnâsse Saxo memorat, cujus filiam Thorildam â Grimmone qvodam, eximiarum virium athleta, sub belli comminatione violenter expeti cum cognovisset, simulqve qvod pater promisisset, potiturum eâ, qvi pugilem amovisset, indignatus athletæ petulantiam, fortemqve senis filiæqve misertus, cupidine præterea puellæ potiundæ illectus Norvegiam petit, cumq; Grimmone dimicat; qvem cum hebetandi ferri arte celebrem cognovisset, gladium alium, qvàm in usum belli destinaverat, educit, mox intellecto ad obtutum adversarii obriguisse, humi dejicit, alioqve evaginato hostem petit, extremos loricæ nexus cum occidua clypei parte dissecuit. Qvod factum Grimmo admiratus, vetulum, inqvit, acriùs dimicantem non memini (erat enim Halfdanus ad senium provectus) statimqve ferrum exerens objectam gladio parmam penetrabili sectione convulsit, cujus immorantem ictui dexteram, Halfdanus nihil hæsitans obvia ferri celeritate corripuit. Victor Halfdanus victo residuum vitæ pecuniâ redimendi fecit potestatem, ne imbelli & manco miferas

feras animæ reliqvias deformiter adimere videretur, cujus victoriæ præmium, Thorildæ nuptias assecutus, filium ex eâ Asmundum sustulit, â qvo se Norvegiæ Reges originem duxisse màgni æstimant, ab Halfdano solennem generis sui seriem retexentes.

Non indicant, qvæ supersunt, antiqvitatum rudera, qvìs ille Asmundus fuerit, ab Halfdano tamen Hringarikiæ & Waldresiæ Rege plurima, eaqve nobilissima, stemmata profluxisse docent, gloriantu rqve principes priscorum seculorum se ab eo satos esse, cujus gesta per cœli cardines volitare visa testatur carmen, qvod Hindluliod/ veriùs *Voluspa brevior*, inscribitur. Senem Saxo Thorildam duxisse refert, sine tamen liberis decessisse, Ungvinoqve Gothorum Regi regnum Regiasqve opes testamento legâsse, qvo ipso ex opinione *Meursii* refellitur, Asmundum ante patris mortem prolem relinqvere potuisse, â qvâ multi Reges postea orti fuerint, cum nemo ex ejus posteris ad regnum Daniæ admissus legatur. Certé qvæ de patrui Frothonis persecutione Saxo in hujus vita memorat, rationeqve, qva Regno eos sub canum nominibus dilitescentes â periculo liberavit, deqve perita augurii fæmina, qvæ mercede corrupta, cum latebrarum locum pandere debuisset, inscrutabilem eorum fugam retulit, pluraqve alia plane similia, vel potius eadem sunt, qvæ de Roare & Helgio tradidi; nam & eorum patruus Frotho appellatur, nutritius Reginus (Saxoni Regno) qvi etiam insidias Regi manifestare tenebatur, juramentoq; satisfecisse videri voluit. De his in *Historia Hrolfi Krakii*, peculiari libro a nobis editâ, & in *Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. VI. pag. 285. & seqventi* actum est.

CAP. XII.

DE SIGGARE, HAGBARTHO ET SIGNE.



Siggarem inter Norvegiæ Regulos â Raumo Noris filio descendentes agnoscimus, ejusqve filiam Sygnem. Siggaris maternum genus â Gardo Agdio, Noris filio, profluxit, â qvo is qvinto gradu distat. Saxo tamen Siggarem hunc (qvem Sigarum vocat) inter Daniæ Reges collocat; Hagbardum, de qvo mox agendum est, cum fratribus Hamundo, Helvin & Hacone, Hamundi Reguli filios pronunciat, omissa ditione, cui præfuerit, qvam *Meursius* Hyberniam nominat, *Johannes Magnus* Sveciam, qvi occasione Regnaldi (qvem æmulum Ungvini, bello â se oppressi, sed postea in Siælandia â Sivaldo opera Othari occisum Saxo tradit) Sveciæ Regem, Regnaldo procreatum vel comminiscitur ipse, vel aliorum commenta more suo seqvitur. Nos narrationem Saxonis perseqvamur. Inter Sivaldum Ungvini filium, Daniæ, & Regnaldum Sveciæ, Reges atrocissimum bellum exarsit, qvod tantâ contentione in Sialandia gestum est, ut universum triduum mutuis cædibus insumeretur, nec qvò se victoria inclinaret, discerni posset; donec Othanus qvidam Ebbonis filius, Siwaldi Regis gener & sororius, irruptâ cum mortis contemtu hostili acie, Regnaldoq; Rege obtruncatô, subitò Danis qvadraginta fortissimorum Sveciæ athletarum, atqve in his Starkadô, in fugam actis, gloriosissimam victoriam pareret, pugilibus ad Haconem, piratarum maximum, confluentibus. Sigaro deinde Sivaldi filio imperante incidit inter filios ejus Alfum & Alfgei-

rum & Hamundi Reguli filios Helivin, Hagbarthum, & Hamundum maritimum certamen, pari alacritate, mutuaqve clade; sed affectis utrobiqve adeò rebus, ut â neutra parte instaurari posset. Itaqve qvos par virtus exhausit, necessitas in pacem coegit. Danici itaqve Regis filios Hagbarthus domum secutus est. Fuit ei filia formâ insignis, nomine Signe, cujus nuptias Hildegisleus, claro Tevtonum loco ortus, postulabat. Verum illo posthabito, amore insinuantis se tacitè Hagbarthi accensa, sub Haconis fratris nomine exqvisito carmine laudes ejus cecinit. Id ægrè ferens Hildegisleus consiliarium Regis in aula potentissimum, â cujus consiliis Rex totus pendebat, virum oculis captum, animo subdolum, consiliorum pravorum & inqvietorum authorem, ad amicitias inter Sigari & Hamundi filios dirimendas, odiaqve belli semina serenda muneribus impellit. Qvod cum is impigrè in se recepisset, in Hamundi filios, pleno obtrectationis genere laceratos, credulos Sigari filios armat, itaqve juvenum pactione perrupta, Helivin & Hamundus Hagbartho procul agente, â Sigari filiis Alfo & Alfgero prælium inferentibus apud portum, qvi sinus Hamundi dicitur, opprimuntur. Qvos Hagbarthus postmodum integris viribus superveniens in ultionem fratrum bello consumsit. Hildegisleus ambas nates telo trajectus elabitur. Post hæc Hagbarthus muliebri veste, ipse imberbis, Regiam Sigari adiit, famulam Haconis professus, cum legatione ejus ad Sigarum deferenda. Dum autem lavandis ejus pedibus intentæ famulæ callum in calcaneis mirantur: *qvid mirum*, inqvit domina, *si militari officio fæmina discurrens duritiem contraxit*, *manibus pedibusqve non pensa, sed gladium*, *non lanam*, *sed arcum*, *armaqve cætera contrectans*. Cumqꝫ Hagbardus Regiam virginem perinde atqve cubandi locum honoratiorem habiturus, tori sociam recepisset, inter mutuæ voluptatis colloqvia rogat, qvid futurum sit, si pater ejus facta deprehendens in se animdvertat severiùs? Illa protinus respondit, *eundem sibi cum illo vitæ exitum fore*, *& qvos idem fœdus tori revinxerat*, *idem supplicii contineat modus*. Parans abitum Hagbarthus â Regis lictoribus omnes jam fores obsidentibus invaditur, diu se strenuè defendit, compluresqvè ex iis in aditu trucidavit; comprehensus tandem in medium producitur, sententiæqve rogantur. Bilwisus erat Bolwisi frater, qvi semper dissidentes in gratiam reducere solebat. Is aliiqve forti ejus operâ utendum, qvàm crudeliùs in eum consulendum svadebant; sed pervicit Bolwisi sententia, qvi filiorum cædem, ignominiâ illati stupri auctam, condonari posse negabat. Qvam sententiam majori parte probante, damnatur Hagbarthus, stipesqve eum excepturus erigitur, qvem Regina porrecto poculo sitim lenire jussum minaci carmine incitat. Qvô receptô, gloriatus de cæde filiorum ejus â se interfectorum, aliud iterum carmen reposuit, rejectôqꝫ in eam poculo os ejus contento liqvore perfudit. Interea Signe famulas certiores facit, se amatorem fato insecuturam, persvaditqve, ut mortis societatem ineant. Qvo impetratô, jubet mox, ut signum ê specula datum esset, faces thalamo subdi, deinde laqveos ex vestibus fieri, iisdemqve fauces pulsô pedum fulcimine strangulandos præberi, metui deinde mortis depellendo, vel saltem minuendo, merum iis propinat. Post hæc Hagbarthus ad montem, qvi postmodum ab eo vocabulum traxit, suspendendus ducitur, tunc experturus amasiæ fidem, amiculum suum â lictoribus suspendi præcepit, voluptati sibi esse præfatus præsentis mortis imaginem conspicere. Qvô impetratô, speculæ custos id circa Hagbarthum peragi ratus, conclusis intra aulam puellis conspecta denunciat. Qvæ mox datis incendio tectis, capita no-

dis

dis cum domina inſerunt, pedumqve fulcimenta, qvibus inſtiterunt, dejiciunt. Incendiô puellaris aulæ conſpectô, agnovit Hagbarthus qvid ageretur, plusqve lætitiæ ſe ex amaſiæ fide, qvàm mæroris in propinqva morte percipere perhibuit, adſtantesqve ad necem ſibi accelerandam carmine elegantiſſimo, qvod tamen Saxo elegantiùs longè, pro inexhauſta ſua facundia venaqve reddidit & exornavit, hortatus eſt, & cum dicto laqveô ſtrangulatur. Locorum nomina fidem rei geſtæ conſervare Saxo tradit, cum Hagbarthus pago vocabulum extinctus intulerit, nec longe â Sigari oppido locus pateat, ubi paululum agger elatior, veteris fundi inſtar protuberantis humi ſpeciem demonſtret. Qvondam etiam Archiepiſcopo Abſaloni trabem ſe id loci repertam vidiſſe, qvam agreſtis vomere glebam rimatus offenderit, præterea refert. His *Crantzius* adjicit, relatum puellam poſt fata diu conſpectam, noctibus ad ignem ſedere in Sudurburg, cæſariemqve comere, adverſatam contuentes dorſo non fronte conſpici, & in hunc usqve (qvo Crantzius vixit) diem durare viſionem. Mox Haco intellecta fratrum cæde, & imprimis Hagbarthi ignominioſa morte, exaſperatus bellum infert, & in portum Hærvigum appellens, cum expoſuiſſet militem, partem navium petere Roſchildiam jubet, ipſe per vicinas ſylvas Lethram tendit, vetus Regum domicilium, ac tum etiam Sigari. Qvi cum Haconis adventum accepiſſet, conſtitutis, qvi in locis idoneis excubarent, mox Roſchildiam contendit; verum Haco eluſa una atqve alia ſtatione, ut & tertiam deciperet, cum ê ſylva prodeundum in apertum campum foret, abjicere impedimenta & incidere ramos jubet, atqve eos una cum diſtrictis gladiis manu ferre. Sic in urbem rectà ducens, cum a tertiâ ſtatione cerneretur, qvi in ea erant milites, novitate rei territi, mittunt, qvi referret Regi, ſylvas ambulantes conſpici & appropinqvare urbi. Rex Sigarus eô nunciô acceptô, cum in aciem ſuos ilicò eduxiſſet, præliô commiſſo cadit, tanta ſtrage, ut Valbrunnar ſive *ſtragis puteus* â cæſorum multitudine locus deinceps diceretur. Hic Sigari finis fuit, cujus filius avo cognominis Siwaldus idemqve in regnum patri ſucceſſor, ocyus coactis copiis, cum poſt interfectum patrem crudeliſſimè victor Haco in qvoscunqve, nulla ſexûs aut ætatis ratione habitâ, graſſaretur, occurrendum illi ſtatuit. Haco verò non exſpectans venientem, impoſitâ in naves tertiâ copiarum parte fugam arripit, & Haconi, cognomento Faſtuoſo, reliqvum exercitum tradit. Pugna initur ad Roſchildiam adeo magna & obſtinata, ut per totum biduum continuata, vix amborum Ducum cæde, Danis tamen ſuperantibus, finiretur. At reliqvias, qvæ Haconis ſui corpus ſepeliverant, ſuperveniens Borcharus, vir nobilitatis ſummæ inter Scanos, Scanicum eqvitatum ducens profligavit. Tum Haconem Hamundi filium, qvem fugiſſe ante pugnam memoratum eſt, comprehenſis ibi navibus, & impoſitô illis milite, perſecutus, & in mari deprehenſum prælio navali aggreſſus, ita fudit, ut in Scotiam vix evaderet, in qvâ per biennium exul, velut in ſævitiæ pœnam pridem exercitæ, tandem vitam miſer finit. *In Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. V.* abundè de his diſſerui, & qvò referendi ſint, indicavi, eò igitur Lectorem remitto.

CAP: XIII.

DE REGNALDO JADRIÆ IN NORVEGIA REGE, A GUNNARE SVECO OPPRESSO, CANE DEBELLATIS REGE CONSTITUTO, HILDIGERO GUNNARIS FILIO EX DEVICTI REGNALDI FILIA DROTTA PROCREATO, CÆDE GUNNARIS PER BARKARUM SKANUM PATRATA, NUPTIISQVE EJUSDEM BARKARI CUM DROTTA, ET QVAM EX HAC TULERIT, SOBOLE.



Calamitoſum illud bellum Sivvaldi Daniæ Regis, Ducisqve Haconis mutua cæde memorabile, omnem Regiam in Dania ſtirpem exhauſiſſe ad unicam uſqve puellam, nomine Gyritham, Alfi filiam, Sigari vero neptem, ſuperſtitem, ſed imperio adminiſtrando ſexûs vitio inhabilem judicatam, deinde refert Saxo. Creatis igitur a populo qvinqve principibus, regnum in provincias redactum pluribus paruiſſe ducibus, reparatamq; tandem ê Gyritha gentem Regiam, & regnum in priſtinam formam gloriamqve redactum ſubjungit, qvod qva occaſione contigerit, altiùs repetit. Memorat enim Gunnarum, Svecorum fortisſimum (ſeu Regem, prout *Pontanus*, ſeu ducem ſub Oſteno, prout putat *Johannes Magnus*, deſcribens ſcilicet Oſteni Crudelis ſævitiam in Norvegos, qvæ forſitan ſævi Ducis licentia & libidine magis incruduerit) concepto in Norvegos parricidiali odio, qvòd, teſte eodem *Joh: Magno*, fratrem Oſteni Nordianum, qvem pridē in Regem aſſumſerant, ſtructis inſidiis necaſſent, ſurrogato in ejus locum Regnaldo, ætate & corpore debili, omnem, qvâ poterat, gentem clade ac cædibus impleviſſe, præſertim verò provinciam Jadriam, omiſſis rapinis, ſpoliisqve ſpretis, flammis cædibusqve informem reddidiſſe, & cadaveribus colles, ſemitas occiſorum ſangvine repleviſſe. Rei atrocitate permoti incolæ, imminentem internecionem publica deditione præveniunt. Regnaldus inter cætera metuens, qvam unicam habuit, filiæ Drottæ, eam cum armis, commeatu, Regiaqve ſuppellectili, occulto ſpecu abditam ſatellitibus cuſtodiendam tradidit. Sed Gunnarus in aciem profectus ſenem ſuperat. Utqve devictæ gentis ignaviam extremo ac inuſitatô dedecore mactaret, Regis loco canem eis præſidere jubet; & ne qvid contumeliæ deeſſet, Satrapas præterea attribuit, qvi ſub ejus titulo Regia miniſteria exeqverentur, mandavitqve ſub capitis pæna, eidem cani haut aliter ac Regi honorem exhiberi. Exinde patre Regnaldo, ut dictum, extinctô, etiam filiæ, cujus latebras ſubterranea vox prodidit, ê ſpecu deinceps, in qvam deſcenderat, eductæ, trucidatis famulis, ſtuprum intulit, genito ex eâ Hildigero, crudeliſſimo patre longe ſæviore filiô, qvi deinde ob immanitatem intolerabilis â patre proſcribi meruit, verito, ut mihi videtur, ne terra hominibus vacuefacta, ſibi omnem ſæviendi in poſterum materiam eriperet. At Borcarus nobilis Scanus, ex Daniæ Regis Halfdani Secundi, teſte *Pontano*, oriundus progenie, Drottæ matrimonium a Gunnare occupatum iniqvè ferens, ubi ipſum vitâ privâſſet, ſibi eam connubio ſociavit, qvæ etiam nuptiis haut ægrè aſſenſit, qvòd parentis ultorem jure complexura videretur. Ex qva illi ſuſceptus Halfdanus Tertius Daniæ Rex, cognomento Fortis, qvi ducta Gyritha Alfi filia Haraldum ex ea Hilditannum procre-

creâsse Saxoni perhibetur. Eqvidem ego in eo qvidem hic consentio *Johanni Magno*, qvòd qvæ a Saxone heic narrantur, gesta sint sub Eysteino Astuto; sed statuo simul, diversum prorsus, ut qvi Norvegus, ab eo fuisse Eysteino, qvi Seciæ imperitaverit: nec scio, qva idem *Johannes Magnus* authoritate afferat, fratrem Eysteini Nordianum a Norvegis, qvibus antea præfectus, sublatum mox fuisse. Standum potius authoritate antiqvitatum, qvæ filii cædem exasperati tyranni causam adducunt. At Noris pronepos hic, de qvo ista memorantur, fuit Eysteinus.

CAP. XIV.

DE HARALDI HILDITANNI PARENTIBUS, ASMUNDO VIKÆ REGE AB HILDITANNO RESTITUTO, OLONISQVE VEGETI GESTIS, ANTE BELLUM BRAVALLENSE.



Haraldi Hilditanni parentes, qvos Saxò producit, alii sunt, qvàm qvos nostra monumenta monstrant, diversi etiam ab iis, qvos is, sibi ipsi non constans, priùs recensuit, Borcaro nempe patre, matre Gro; nec tamen duos Haraldos Hilditannos *Pontano* agnitos *Stephanius* admittit. *Hervoris vita* alium ei patrem qvàm vetustissimæ odæ sufficiendo ab aliis traditionibus dissentit, de qvo *in Serie Regum Daniæ* dictum est. Gesta Haraldi, qvæ ad Norvegiam pertinent, hæc â Saxone recensentur.

Asmundus illo tempore Vichæ Rex fuit (diversus credo ab illo, qvem Halfdani Biergrami filium antè nominavit, qvô superstite Daniam Ungvino pater, præteritô filiô, inofficioso testamento haudqvaqvam legâsset) hic â sorore natu majore regno spoliatus, ab Haraldo sola nave, durante bello, Norvegiam accedente, fæminæqve arrogantiam indignante, prostratâ ejus sorore restituitur. Illo bello Haraldus purpureâ amictus lacernâ, mitraqve auro variata, capillitium redimitus, inermis ac Regiis duntaxat insignibus ornatus exercitum anteivisse Saxoni traditur, fiducia scilicet corporis ferro inviolabilis, qvod etiam cum nostratium relationibus benè convenit; arma tamen corripuisse videtur, cum irruentem in se hostium globum, vel ferro consumeret, vel in fugam cogeret, nec pro opera vir excelsi animi, solâ gloriâ contentus, ulla dona, qvanqvam maxima offerrentur, admittenda existimavit. Parem moderationis continentiæqve gloriam assecutus deinceps est, cum Olavum Thrandorum Regem â virginibus Stikla & Rusila regnum affectantibus tutatus est, qvarum utrâqve oppressâ binis portubus affixis earum vocabulis nomen reliqvit. Haraldi Hilditanni nepos ex sorore Sivardi Norvegiæ Regis filius Olo Vegetus magnificis facinoribus illustris, solo oculorum obtutu etiam armatis, & in his fortissimis, terribilis fuit. Ad qvindecimum ætatis annum pervenerat, cum Gunnonem Thelemarkiæ ducem, nemus Ethaskog cum Grimone filio per latrocinium obsidentem, parabili armaturâ â patre instructus, cum cane & eqvo perseqvitur, prædictam silvam arctissimè speculatus, hominis vestigia nivi altiùs impressa cognoscit; qvæ legens, superatô montis clivô, ad rapidissimum flumen defertur. Ibi vestigiorum notis destitutus, spumantem amnem ingreditur, summoqve cum vitæ periculo stridulos vortices

eqvo superavit; qvos emensus, in Angustias paludibus undiqve secus ambitas incidit, præjecto aggere, aditu difficiles, qvô transcensô in stabulum incidit, inde deductîs eqvîs, suum inducit, prohibentem se servum Gunnonis impetentemqve, cum solo clypei objectu diutiùs frustratus esset, ferrô interficere dedignatus, apprehensum, artuatimqve confractum, tecto, qvo præceps excesserat, transversum injicit. Qvâ ignominia Gunno ac Grimo ocyus incitati, diversis elapsi posticis, pariter in eum cum contemtu ætatis ejus ac virium ruunt. A qvo lethaliter vulnerati, cum corporis viribus destituerentur, se invicem carmine incitantes, ad ultionem ambo genibus nixi, cominus cum eo confligere nitebantur, e qvibus alterum ferro, alterum cane consumpsit. Ipse ad extremum notabili vulnere affectus; refectus demum ad vulgandam victoriæ suæ fidem, ipsa latronum cadavera patibulis ingesta latiùs inspectanda constituit; qvicqvid autem prædæ in domo eorum invenit, clandestinæ custodiæ traditum futuris usibus asservavit. Olavo etiam Vermorum Regi (non, ut vult *Olaus Magnus Hist. Septentr: Lib. V.* Throndiæ, hæc enim tempora Olafo Lignatori exactè conveniunt) ad Scatum & Hialium filiam ejus raptui destinantes, ni ex provocatione, vel ipse, vel alius vicem ejus subiens, secum decertando eam victor liberaret, auxilio fuit. Habitu enim rusticano ad Regiam, mæsti satellitii luctu repletam, pervenit, interqve extremos considens, postqvam â filio Regis didicit, sororis liberatæ præmium ipsam futuram, mox prælato lumine hospites lustrare, attentiusqve observare svetam, oculos tantùm intuentem, faciem namqve pileo velavit, sola acrimonia & ignitâ qvâdam occulti genii virtute, repetitis ternis vicibus, ita deterruit, ut exanimi similis concederet. Qvô visô, patri causam inqvirenti, truculento se hospitis visu perculsam testata est, eundemqve Regibus ortum, &, si raptorum vota refelleret, suis perqvam dignum amplexibus. Discussô deinde velamine, avidiùs omnium in se oculos eximiæ pulchritudinis admiratione deflexit. Cæterum, ne visentibus formidini foret, dejectis in terram luminibus rariùs suspexit. Omnibus bono animo esse jussîs, mirum qvàm omnes in spem optati eventûs erexerit. Nec in exeqvendo promissô, qvàm præstando remissiorem se gessit; Hialium nempe & Scatum, cum decem athletis supervenientes, pactus, ne qvis dimicantis tergum incesseret, eductô gladio Lögthi dictô, solus prostravit, majusqve adolescente opus edidisse visus est. Certatum in insula stagni cujusdam, unde non procul nomina horum fratrum monumento indita, rei gestæ memoriam conservare author Saxo memorat, qvam Scatialöe *Dominus Ramus* appellat, situm tamen non exprimit. Ex virgine Regia, jam conjuge sua facta, Omundum procreavit. Patriam deinde â Thorone Regulo per Thostonem Victimarium & Leotarum, cognomine Monster, oppugnari cum cognovisset, solô satelliti muliebriter cultô contentus eò perrexit. Regiæ appropinqvans, suum comitisqve ferrum cavatis baculis inclusit, senemqve habitu exprimens, egentium se Regem apud Sivvardum fuisse professus est, filii ejus Olonis odio in exilium actum. Id ad ludibrium ejus vertentes aulici, Regis eum nomine salutantes, simulatis in submissionem gestibus venerati sunt. Qvibus ille, qvod joco gesserant, ratum habere jussis, ferrô, qvod baculis inclusum gestabat, ereptô Regem invadit. Inopinâ re perculsi aulici, nec se satis in re subitâ colligentes, in factiones separantur, merô sensus obruente: qvibus ex officio Regis propugnandi cura incumbebat, iidem desertores hosti se adjungunt, religionisqve prætextu, piaculum

lum judicantes, si fidem per ludibrium datam fallant, partem (qvod in factionibus rarum) & majorem & saniorem, qvasi scenico illo juramento ab obseqvio vero Regi præstando liberati, novissimoqve obstricti, invadunt. In hoc intestino bello Thorone non minus suorum qvàm hospitis armis oppresso, Leotarus lethaliter saucius victorem Olonem, tam ingenio vividum, qvàm acrem operibus judicans, Vegeti cognomento donavit. Vaticinatus insuper, qvemadmodum Thoronem per domesticos in propriis ædibus oppresserit, ita ei â suis satellitibus intra sua tecta violentam mortem exspectandam. Præsagam morientis lingvam malo suo Olavus postea expertus est. Pacatâ deinde provincia, maris imperio â patre armatus, septuaginta maritimos Reges debellavit. Cujus rei famâ pugilum fortissimorum celeberrimi, ex omni angulo ad eum fortitudinis successuumqve continuo cursu accensi certatim advolârunt. In his erat Starcatherus, qvem deinde familiariùs qvàm utiliùs coluit. Deinde ad avunculum Haraldum tantis tropæis illustris profectus, mari Balthico ab eo præficitur. Tandem ad Ringonem Sveciæ Regem se confert, inqve ejus commilitium adsciscitur. Exarsit postea inter Haraldum & Ringonem bellum illud septem annorum apparatu nobile; nobilius fidem omnem superante, non tantum promiscuo militum gregariorum, sed ducum, Regum pugilumqve fortissimorum ex omnibus, si non orbis, at certè Septentrionis vicinarumqve terrarum partibus ad lanienam istam confluentium numero; nobilissimum cæde Regis, â tempore Frodii Pacifici, qvà virtute bellica, qvà imperandi prudentia, felicitate & imperii per immensa vastissimarum terrarum spatia extensi, latitudine celeberrimi, tantiqve dominatûs momento temporis eversi, & sub externum jugum redacti, fatali periodo. Stetit tum Olius â partibus Ringonis, septem Regum manu consilioqve fortissimorum stipatus, Holii videlicet & Hendillis, Holmaris, Levii & Hamæ, qvibus Regnaldus Ruthenus Radbardi nepos adscribitur, qvem in testimonium synchronismi, cum *Snorrii Sturlæi* reliqvorumqve antiqvissimorum authorum traditionibus consentientis, *in Serie Regum Daniæ* ad ungvem monstravimus. His perspectis, plane nescio qvid ipsum qvoqve *Loccenium* moverit, ut Olafum Lignatorem albo universalium Sveciæ Regum inseruerit, Ivarem autem Vidfadmium expunxerit, â qvo tamen florentissima non Sveciæ tantùm, sed etiam Daniæ Norvegiæqve potentissimorum Regum seges, successivis temporibus feliciter succrevit. Neqve enim jam, ut ante hæc tempora, certissimis antiqvitatum, qvæ Ivarem inter præcipuos Sveciæ Reges collocant, testimoniis Svecorum doctissimi destituuntur.

CAP. XV.

DE GESTIS OLONIS IN BELLO BRAVALLENSI, ACCEPTA A RIGO SCANIÆ PRÆFECTURA, EXCUSSA JUTIÆ IMPERIO HETHA, OLONIS SÆVITIA, PROCERUM IN EUM CONJURATIONE, ET CÆDE STARKADI MINISTERIO PERACTA.



INgentem illam classem, qvam in Svecia instruxerat Ringo, dum terrestres ipse copias ad locum pugnæ destinatum duceret, Olo ductabat, inqve acie eum promtissimorum militum præstantioriqve armatura instructiorum, cum Regnaldo, de qvo actum est,

eſt, & Vivillo qvodam, ducem in fronte Ringo collocabat. Norvegi Ringonis militiam ſecuti ſunt, qvorum plurimi numerantur, inter qvos fortiſſimi ê Telemarkia pugiles Thorlevar Pertinax, Thorcill Guticus, Gretter Iniqvus, ſev *irruptionum avidus*, Haddir Durus & Roldar Articulus, hoc elogio ornantur â Starcathero, qvòd iis animi plurimum, faſtûs minimum fuerit. Adjiciuntur his plures alii athletæ Norvegi; nimirum ê Thotnia Haraldus, ê Wichia Walſtein, ê Sognia Findar, ê Fialis (ita enim Falu corrigendum eſt) Berſi, ê Jadriâ Od Anglus, Alf Multivagus, Enar Protuberans, Iwarusqve, cognomento Thruwar, ê Throndia Throndus Thrönſki, ê Mæria Toki Möricus. Norvegi hi ſeqventes fuiſſe perhibentur, licet ex qvibus provinciis prodierint, non exprimatur: Rafn Candidus, Haswar (legendum credo Havard) Biarni Blikar. Et notandum, neminem Norvegorum in exercitu Haraldi obſervari. Thylenſes autem in utroqve exercitu, & qvidem in Haraldi, Blend ultimæ Thyles incola appellatur, (Islandos Saxoni indigitari alibi dixeram.) Verum (ut ſupra dixi) non occurrunt in exemplari mihi viſo hæc nomina, nec qvòd ullus Islandus huic prælio interfuerit, utpote ante cultam Islandiam. Thorcillo ê Thelemarchia orto Wegtbiorgis, qvæ Sot pugilem prius occidit, proſtratæ laus tribuitur. Ubi obſervandum, Saxonem per Guttones Thelemarchiæ incolas intelligi velle, hunc enim Thorcill Guticum prius appellabat. Hic autem refert, qvod emiſſo per chordam ſpiculo, *Thorcillus Thelemarchia* (verba ejus ſunt) *ortus, eandem athletarum cædibus imminentem trajecerit*: mox ſine ullo verborum interjectu hæc ſubjicit: *Tanta enim vi periti arcuum Guttones nervos intenderant, ut clypeos qvoqve jaculis transverberarent, nec alia efficacior cædes extitit cauſa, loricas galeasqve perinde ac inermia corpora ſagittarum acumina penetrabant.* Hæc Saxo, qvi & ſtatim inter Guttones & Gothos diſtingvit; nam Ubbonem Friſicum viginti qvinqve delectorum pugilum interfeciſſe tradit. *Ii omnes*, inqvit, *Sveti fuere vel Gothi. Eum â Thelemarkenſibus athletis tribus conjunctim, nec tamen cominus accedere auſis, eminus ſagittis nec paucioribus qvam centum qvadraginta qvatuor pectus trajectum prius qvam defectus viribus proſterneretur* perhibet. Cæde ejus vires Danorum maximè inclinatas hinc colligere licet. *Tum demum*, inqvit, *per Thrandos, eosqve, qvi Dala provinciam colunt* (Dalakarlos) *ingens de Danis clades accepta eſt; nam ſumma Sagittariorum vi recruduit bellum, nec alia res noſtris pernicioſior fuit; inde exorto triſti Danorum murmure, Haraldum jam cæcum hoſtium fortunam ſuperiorem intellexiſſe*, ſubjungit. His *Johannes Gothus* Throndis iniqvior, eos â communione bellicæ laudis, rerumqve ſtrenue geſtarum cum Dalakarlis gloria penitus excludit, ſolisqve Dalakarlis eam adſcribit, pariqve invidiâ Guttonibus, Thelemarkis jaculandi peritiam, & illo qvidem bello admirabilem induſtriam, potiſſimamqve cladis Danicæ Sveticæqve victoriæ cauſam detrahit, adqve ſuos Gothos transfert; culpa forte codonabili, ſi non in famam Norvegorum, qvos tamen non videtur odiſſe, perinde atqve Danorum juratus hoſtis, ſævire propoſuiſſet. Victor Ringo avulſam â corpore Daniæ Sveciam Oloni præfectorum jure gubernandam permiſit, Hethæ reliqvis regni provinciis parere juſſis, qvarum Sialandenſes, memores prioris fortunæ, cum probroſum ſibi judicarent fœminæum imperium, ſupplicibus votis Olonem impulerunt ad imperium ei abrogandum. Ad qvod is, tam avitæ Majeſtatis memoriâ, qvàm militum invitatus obſeqviô, haut invitus acceſſit, juſſamqve ad ſe venire Hetham, cunctis, præter Jutiam, dominationis ſuæ partibus cedere, ante minis qvàm armis coëgit.

coëgit. Sed nec etiam Jutiam aliter, qvàm ſub onere pendendorum tributorum permiſit. Verum ſi hæc ita ſunt, omnem Danici imperii curam ex animo abjeciſſe Ringonem oportet, tamqve immodicos ſumptus, immania pericula, ad abuſum tum ſuorum, tum etiam hoſtium ſangvinis, ſuſtinuiſſe, victoriamqve non ſui, ſed alieni, emolumenti inſtrumentum cenſuiſſe. Hæc cum minus ſe probent, Olonem non inter abſoluti juris Daniæ Reges, ut nec filium ejus Omundum, agnoſcendum cenſeo; nec ſi ad Hetham imperio exuendam Ringonis conſenſum, uti conjicit *Johannes Magnus*, impetraviſſet. Supremum enim jus regniqve Majeſtas penes Ringonem remanſit. Qvod ſi hunc Olonem, ſeu Olium, eum ipſum ſtatuero, qvem Kinrici filium *Codex Flateyenſis* & aliæ priſcæ memoriæ referunt, Oliumqve Anglum vocant; qvem Angliâ exactum Jutiæ Ringum præfeciſſe memorant, âqve eô reliqvorum tributariorum ſeriem ordiuntur; certè magis id rationi favet, qvàm ſi otioſo ſpectatore potentiſſimo tot imperiorum Rege, adqve talia connivente, Daniam per ludibrium inter Regulos verſatam, vel ei penitus ereptam, confiteri velim; qvod omninò largiendum, ſi Olonem hunc inter Monarchas Daniæ ſalutabimus. Sed ulterius Saxonis relatio pertexenda eſt. Adeptus imperium Olo adeo crudelem ſe præbuit, ut Hethæ ſuperior contemptus cunctis ruborem & pænitentiam injecerit, Unde duodecim duces, ſive patriæ calamitate moti, ſive aliàs Oloni olim infeſti, in eum conjurare cæperunt. Ex his fuere Lemmius Atyla, Thottus & Vithnus, qvi licet apud Slavos præfecturam gererent, ad Danos tamen originem ſuam referebant. Hi viribus ipſi diffiſi ſuis, Starcatherum pecuniâ eò redigunt, ut ferro facinus exeqveretur, & Regem balneo utentem trucidaret. At ille rem infandam auſpicaturus, qvi pugilum ducumqve arma protriverat, inermis ac diſcincti Regis ſuſtinere obtutum haut valens, relato pede, ſuſpenſum habere ſcelus inſtituerat, niſi Olo, qvi ſane ſui vultûs conſcius erat, obtectâ facie propius eum accedere juſſiſſet. Qvi ſtatim, recurrente ad deſtinatum propoſitum mente, Regem nihil ejusmodi, ab eo præſertim, exſpectantem diſtricto mucrone proſternit, conantiqve aſſurgere jugulum diſſecat. Centum & viginti auri libræ in præmio reponebantur. Poſtmodum pœnitentiâ ac pudore perculſus, tantâ animi acerbitate commiſſum facinus luxit, ut, ſi mentionem ejus incidere contigiſſet, â lacrymis temperare non poſſet; præterea aliqvot ex his, qvorum inſtinctu uſus fuerat, in ſceleris â ſe commiſſi vindictam occidit, & cui facto manum tribuerat, præbuit ultionem.

CAP. XVI.

DE OMUNDO PLURES NORVEGIÆ PROVINCIAS IMPERIO SUO SUBJICIENTE, INITA SOCIETATE CUM ODDONE JADRIÆ REGE, CERTAMINE CUM RINGO EJUSQVE CÆDE, GESTIS CUM VIRGINE RUSLA, ET EJUS FRATRE THRONDO, BERONE ET THORIA, STARCATHERI EXCESSU, GOTHONE REGE NORVEGICO, ET REFO THYLENSI.



Lone ſublato Omundus, rectiùs priſcô vocabulô Aunundus, ſev Onundus, filius ejus â Danis Rex creatus perhibetur; cum tamen in alienam poteſtatem devoluti, ſuffragiorum jura perdidiſſent, â Ringone conſtitutum, partiqve Daniæ præfectum credere malo, qvi exinde adoleſcentiæ annos ingresſus, in nullo paternis operibus inferior, res ab eo geſtas, vel æqvare, vel tranſcendere curæ habuit. Præerat eo tempore Norvegiæ parti Ringo; hujus filiam cum ſibi tori ſociam optaret, obſtareqve Rex ipſe Ringo videretur, qvi generum ſpectatæ fortitudinis circumſpiciebat, claſſe Norvegiam accedit, Ringonis regnum, ut hæreditatis jure ſibi debitum, impugnaturus. Excipit eum amicè Jathriæ Regulus Oddo, injuriis ſæpius â Ringone laceſſitus. Hic jure eum patrimonium ſuum ab injuſto uſurpatore repetiturum dictitans, ſuas copias exercitui ejus adjungit, communibus viribus hoſtem aggreſſurus. Ringone piraticâ apud Hiberniam occupatô, provinciam ejus adoriuntur, abſtinent interim rapinas â civibus, ſola Regis prædia invadunt, agros populantur, bona diripiunt, neceſſarios interficiunt. Redeunte Ringone, prægrande navigium moliri cæpit Omundus, unde tanqvam ê munimento ſupernè telis hoſtem appeteret, cui Atylonis Scanici filios Homothum & Tholam, alterum gubernatorem, proretam alterum, præfecit. Ringo autem exiguam copiarum partem oſtendens, a tergo hoſtem incurſandum curavit. Qvô per Oddonem cognitô, qvi in inſidiis conſtitutos opprimerent, mittit, Atylone Scanico Ringonem excipere juſſo. Is pronius qvàm felicius obſecutus, fractis bello rebus, acceptaqve ſtrage victus refugit in Scaniam. Igitur Omundus, reparatis per Oddonem viribus, pugnaturam pelago claſſem explicat. Qvo tempore Atylo ê ſomniorum viſis victoriam præſagiens, qvàm celerrimè in Norvegiam ad Omundum, inſtauratis, qvas pridem adduxerat, navibus redit. Cum ad manus ventum eſſet, ac victoria in Omundum inclinaret, Ringo lethaliter ſauciatus, canere receptui jubet, manuqve, ut poterat, motâ, nam vox lingvam defecerat, acceſſit. Qvo adveniente, jucundè ſe fatum excipere aſſeruit, ſi tali filiam connubio reliqviſſet, nec reſponſo accepto extingvitur; cujus exceſſum Omundus lacrymis proſecutus, ê duabus filiabus aliam ſibi retinet, uxoremqve ducit, aliam Homotho fidelis operæ præmium connubio donat. Inter iſta Rusla virgo bellicoſa ſæpius de rerum ſumma cum fratre Throndo Norvegiæ Rege bello certabat, indignata rebus pro parte Norvegicis præeſſe etiam Omundum; in omnes Danorum dedititios decreverat bellum, cumqve objectas ſibi copias jam profligâſſet, ferocior animum qvoqve ad ipſam potiendam Daniam intendit. Itaqve Hallandiam invadit, primò hinc motura in interiora qvæqve; ac feciſſet, ni Omundus, haut ferendam virginis proterviam ratus, neqve etiam contemnendam, miſſo Homothô atqve fratre Thola prælio navali victam repreſſiſſet, qvanqvam ſanè, vel ſic fuſa ac fugata, fratrem occurrentem, reſidua triginta navium claſſe (tot enim ê prælio fugâ reduxerat, reliqvæ Danis prædæ ceſſerunt) ſeſe impetentem vincit, totoqve exercitu ſpoliat, ut ne comite qvidem inſtructus, ſolus per alpes Dofrinas fugere compelleretur. Cujus clade Rex Omundus intellectâ, in Norvegia difficulter armis eam vinci poſſe arbitratus, mittit interim Homothum & Tholam, qvi argentum offerentes, & majora promittentes, Thelemarchiæ populum ab obſeqvio abducerent. Qvo

effecto cum â Thelemarchis illa pelleretur, apud insulas, qvas spe salutis accesserat, supervenientibus Danis terga sine prælio dedit, qvam Rex fugientem impensiùs persecutus, interceptam pelago classem internecione delevit, incruentamqve victoriam ac speciosa spolia, cum summo hostium descrimine, retulit. At Russla perpaucis elapsa navigiis, dum Danos declinat, ab occurrente sibi fratre cæditur, qvi ab Omundo præfecturâ donatur, reliqvas dator partes vectigales fecit. Russlâ cæsâ, Bero & Thorias pridem juramento obstricti ad ulciscendam dominæ necem, si qvis eam occidisset, mox in Daniam profecti Omundum petunt, provocantqve ad certamen singulare. Neqve ille, uti magno erat animo, abnuebat, sed proceribus non sat dignum videbatur, Regem, in cujus salute populi totius salus verteretur, periculo præsenti objicere, itaqve se ejus vicem Thola ac Homothus offerunt; qvi congressi, Berone cæsô, Thorias graviter vulneratus pugna effertur, ipsi abeunt victores, Rexqve, ut virtutem Thoriæ æstimare se ostenderet, mox vulneribus curatis & in fidem eum accepit, & Norvegiæ præfecturam item donat. Post hæc cum tributum Sclavi denegarent, etiam occidere legatos ausi, & in Cimbriam irrumpere; ut & contumeliam ulcisceretur, & rebelles coërceret, contra tendens septem principes eorum internecione delet, & tributum dare cogit; inde longa pace fruitus vitâ excedit. De excessu Starcatheri post Omundi obitum Saxo ea narrat, qvæ huicne, ultimo inter eos, qvos â stupendis facinoribus authores sub eo nomine celebrant, an alii competant, planè incertum est. Eqvidem si is, qvi Olium, sev Olonem, occidit, atrocitate sceleris, morsuqve conscientiæ famæqve jactura trepidans, ulteriorem lucis usuram exosus, Hatherum ad necem sibi inferendam incitavit, Aludrengum eum fuisse pluribus monstratum est. Cum tamen Olaforum, Oliorum, sive Olonum, nomina hic gestaqve confundantur, haut facilè idem ille Starcadus occurrit, cui hæc verè competere pro certo astruere possimus.

Fridlefi Daniæ Regis, Frothonis, Saxoni Tertii, nobis Primi, filium, *Saxo Lib: IV.* ê Grubbi cujusdam Norvegi filia susceptum Olonem memorat, cujus ingenio Parcæ liberalitatem parcitati mistam ingeneraverint. *Chronica Norvegica* Fridleifo, in nostro nominis ordine Tertio, Fridleifo tamen filium Olium, sev, secundum Saxonis flectionem, Olonem, cognomento Vegetum, tribuunt, qvi Aunium Sveciæ Regem regno exactum universos viginti annos, qvoad is vixerat, exulare coegerit, illumqve â Starcado interfectum, mortis genere suppresso, referunt, qvam nostra computatione contigisse circa annum Christi CCCXXXVIII *in Serie Regum Daniæ* collegimus. Is cum Fridleifi filius fuerit, & cognomine Vegetus, ansam dedisse videtur Saxoni, acta ejus nomenqve disjungendi, duobusqve, qvod uni proprium erat, adscribendi, itaqve historiam illius solius, de his duobus, qvos Saxo habet, recenseri existimo. Cum autem Sigurdi Hringi tempore Olafus Anglus, qvi ipsum sangvinis nexu attingens Jutiæ præfectus est, â qvo & plurium tributariorum Regum series profluxit, Starcadusqve novissimus illâ tempestate vixerit, forsitan etiam hoc genere mortis, qvod describit, occubuit: Oloni superiori qvædam ex ejus fortè gestis accommodavit. De Starcatheri obitu *Pontanus* hæc ê Saxone hausta, sed paulo compendiosiùs, describit. *Ea tempestate*, inqvit, (Omundo sc: regnante) *Starcatherus, longo jam senio causarium ac debile corpus trahens, ignobile atqve indecorum existimabat, qvi toties, totqve excellentes strages edidisset, si incruenta morte defungeretur. Itaqve aurum, qvod interficiendo*

ciendo Olonem obtinuerat, collo appendi curavit, idqve præmii loco cessurum percussori suo, qvicunqve is foret, significavit; hunc qvippe usum scelestissimi pretii pulcherrimum credidit. Interim Hatherus, cujus jam ante parentem Starcatherus interfecerat, cum expediendæ ejus neci se paratum offerret, multa alterno utrinqve sermone inter se agitâsse, idqve odis metro inclusis e Saxone est colligere. Et Starcatherus qvidem, postqvam senectutis incommoda, & qvis olim fuisset, jamqve esset, plurifariam perorâsset, sua adjecit Hatherus, ejus non modo pugnas, illustriaqve certamina; sed & pöesin, patriaqve acta versibus celebrandi studium decantans. Starcatherus ê contra brevem rerum suarum seriem retexuit. Qvibus obiter recollectis, Hatherum hortatus, ne â parentis sui interfectore pœnas exigere cunctaretur, cervicem ei præbuit, cum pauculos prius ê mente Stoicorum versus protulisset; inde exertam crumenâ, qvam collo, ut diximus, appensam habebat, pecuniam promit, Hatheroqve donat. Ille accepto qvod offerebatur, vegeteqve adacto gladio, seni caput demessuit, qvod corpori avulsum impactumqve terræ glebam morsu carpsisse Saxo narrat. Corpus, ne busti inops haberetur, in campo, qvi vulgo Rioluug dicitur, sepulturæ mandatum. Ejus olim dentem in pinacotheca sua servasse, ac talium cupidis monstrare solitum, virum nobilem Henricum Emeldorpium, duodecim pollicum crassitudine, referre aliqvando memini magnificum Dominum Arnoldum Hvitfeldium, regni Daniæ qvondam Cancellarium. Hæc totidem verbis Pontanus.

Plura de Norvegicis rebus aut Regibus antemonarchicis, qvæ ê Saxone transcribam, hæc restant. Jarmerici Daniæ Regis sororem bello â Sclavis captam, Norvegisq; venditam *Lib. VIII.* dicit, nec de ea plura. Gotonem etiam Norvegiæ Regem, Gotrici Caroliqve Magni temporibus, infra eodem librô memorat, qvem Refo qvidam Thylensis, seu Islandus, ante cultæ Islandiæ æram, magni licet ponderis armilla ab eo donatus, munificentiæ laude ab aulico qvodam cæteris principibus prælatum, Godefrido Daniæ Regi postponere cum non dubitâsset, pignore utrinq; propositô, certiora assertionis suæ experimenta allaturus, in Daniam transfretat, interrogatusqve â Rege, qvinam esset, cum alludens ad nomen suum vulpeculam se nominâsset, Gotofredus ore vulpem prædam ritè excepturam dicens, detractum lacerto torqvem labris ejus inseruit. Qvem Refo confestim brachio applicans, id cunctis auro præditum ostentabat, reliqvum vero perinde atq; ornamenti inops occultiùs habebat, eoq; acumine ab invictæ munificentiæ dextra consentaneum priori munus accepit; qvod ei non tam pretii magnitudo jucundum, qvàm litis initæ victoria, faciebat. A qvô cum Rex de pignoris positione cognosceret, fortuitò magis, qvàm de industria munificus erga ipsum extitisse gaudebat, plus se voluptatis ex datione, qvam accipientem ex munere sentire testatus. Igitur reversus Norvegiam Refo, concertatorem pignus exsolvere recusantem occidit, filiamq; Gotonis captivam adducit, Gotrico potiundam, animo certe nimis in primum datorem ingrato, nisi forte nova injuria beneficii prioris memoriam delevit, deletamq; illatis etiam damnis auxit. Gautrici Godefridiq; nomina ego semper diversa existimavi. Hæc parum differunt ab iis, qvæ de Refo Reineris filio Gotrici & Rolfi vita tradit. Refert porrò Saxo, Norvegiæ qvendam Ducem, qvem postea Regem appellat, Sywardum, cognomento Ring, eodem nomine insignitum filium ex Gotrici filia progenerasse, qvem Scanis Sialandisq; imperâsse refert, & ex posteriore progenitum filium Regnerum Lodbrochum: cujus historiam his annecterem, nisi illam in compendium redactam *Seriei Regum Daniæ* inseruissem, eò igitur lectorem remitto: nec plura succurrunt de Regibus Norvegiæ Saxoni, ante Haraldi Pulchricomi tempora, memorata, itaq; ex Islandorum memoriis paternum ejus genus a Niordo, maternum ab ipso Odino, proximis duobus libris pertexam.



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER NONUS,

CONTINENS HISTORIAM GENEALOGICAM HARALDI PULCHRICOMI; QVÆ NIORDI PROGENIEM, ET IN EA ALIQVOT NORVEGIÆ REGULOS, COMPLECTITUR.

CAP. I.
DE NIORDO



Odino in principatu Sveciæ ſucceſſit Niordus de Noatunis, qvi etiam principatui pontificatum & ſacrificiorum curam, perinde ut anteceſſor Odinus, adjunctam habuit, cui Sveci Drottins/ id eſt *domini*, titulo ornato tributa contulerunt. Ea tempeſtate feliciſſimus annonæ proventus, altâ & ſecurâ pace conjunctus, toti affulſit Sveciæ; adeo ut Sveci certò ſibi perſvaderent, illum, tantæ felicitatis authorem, omnium rerum copiam induxiſſe, annonamqve & publicam fortunam moderari. Eo imperante plurimi Diar (ſeu *Dii*) in fata conceſſerunt; deinde ad præſcriptum & leges ab Odino latas cremati, ſacrificiis & divinis honoribus culti ſunt. Niordum morbus abſumpſit; ſe tamen Odino notis præſcriptis conſecrari anteqvam moreretur curavit; tandem publico & gravi luctu, ſolenniqve funere, pompâ, & apparatu elatus cremabatur.

CAP. II.
DE FREYRE.



Freyr deinde imperii Svetici habenas moderandas, una cum Drottins vel domini titulo, omnibus ſuffragantibus, aſſumpſit, tributaqve annua ex inſtitutione Odino, nemine refragante, obtinuit. Felicitas annonæ & omnium rerum

 affluen-

affluentia, imperium ipsius omnibus acceptissimum reddidit; morum verò dexteritas amorem subditorum & dilectionem conciliavit. Sigtunis Upsalos migravit, ubi aulam Regiam, cum longe magnificentissimo templo exstrui curavit. Ad qvæ sustentanda & amplificanda bona omnia, tam immobilia, agros nempe & villas, eorumqve reditus, qvàm mobilia, perpetuô proprietatis & possionis jure concessit, inde Upsalaauds/ɔ: *Upsalicæ gazæ* origo ubertasqve ab illo tempore in immensum aucta perpetuò duravit. In illius tempora pax toto septentrione celeberrima, qvæ Frodafridr/ sev *pax Frodiana*, à Frodio Daniæ Rege appellatur, incidit; omnibus tunc gentibus annonæ ubertate, & omnium rerum abundantia affluentibus, qvam qvidem Freyri, tanqvam Numini omnipotenti, acceptam retulerunt Sveci, unde ipsi ampliorem cultum exhibuerunt, qvàm cæteris Diis, qvòd majoribus opibus & omnium rerum copiâ pacisqve deliciis, ipso imperante, &, ut existimabant, largiente, affluerent, qvàm antea unqvam contigisset. Uxorem habuit Gerdurem Gymeris, alio nomine Hleris, filiam, qvorum filius Fiolner. Postremò eum morbus invasit: verum cum proceres animadverterent, gravem & periculosum fore, paucis ad eum aditum permiserunt. Interim ingentis magnitudinis tumulum sev collem exstrui curârunt, unicis tantum foribus, tribus conspicuum fenestris, qvò eum mortuum, sed perqvam occultè, intulerunt, ut præter eos nemini innotuerit, in vulgus autem sparserunt eum vivere. Triennium universum excurrebat, qvô & illum, celatis civibus, in aula tanqvam præsentem & vivum Regiis & Divinis honoribus affecerunt, tumulumqve custodibus septum obserârunt. Interim omnia Regni tributa per tres fenestras eò inferebantur, immissis per unam numismate aureo, aliam argenteo, tertiam æneo, qvo tempore cæptæ pacis amænitas, rerumqve copia, continua serie eam, qvæ vivo Principe vigebat, felicissimè excipiebat. Agnomen ejus, qvo Yngvius appellabatur, ipsius posteri, honorarii tituli instar usurpantes, in gentilitium nomen verterunt, Ynglingos se appellantes. *Præfatio in Historiam Snorrii Cap: 1.* fuisse illi filium Semingum tradit, têste Eyvindo Skaldaspillere, â qvo Haleygiatal vel Haleyensium genus deducitur, secus ac habet Langfedgatal/ qvod eum Odini filium statuit, âqve eo Haleyensium genus orditur.

CAP. III.

DE FREYIA, EJUSQVE MARITO ODO.



FReya Niordi filia, qvòd ex omnibus Diis sola jam superstes esset, sacrificia administrabat, qvam tanto honore Sveci prosecuti sunt, ut ex ejus nomine indiderint præcipuis & nobilissimis fæminis, loco honorificentissimi tituli, Freyæ nomen; unde Fru qvemadmodum hodie usurpatur. Hinc Freya qvælibet possessionum & villarum propriarum domina nuncupatur. Freya vario ingenio prædita fuit: maritum habuit Odum nomine, filias Hnoss & Gersimi, formosissimas virgines, qvarum nominibus pretiosissima cimelia exinde censentur.

Cum Svecis vulgò mors Freyris innotuisset, & nihilominus annonæ bonitas, rerumqve omnium largus proventus vigeret, eò superstionis processerunt, ut crederent hanc felicitatem perennaturam, qvoad ejus reliqviæ

liqviæ in Svecia reſervarentur, qvippe ab ipſo divinitus conceſſam. Concluſum igitur, ut leges ab Odino lætæ de cremandis mortuis in ipſo ſolverentur; haut igitur cremabatur; imò magis pro univerſo orbis Numine cultus, ſacrificiis & oblationibus præ omnibus reliqvis idolis, omni ævo, qvoad ethnicismus duraret, honorabatur.

CAP. IV.

DE FIOLNERE.



Fiolneri Yngvifreyris filio, patris ſucceſſori ceſſerunt Svetica ſceptra, cum Upſalenſi theſauro, cui annonæ affluentia, almæqve pacis felicitas toto imperii tempore acceſſerunt. Imperabat eo tempore Frodius Pacificus in Dania, Hleidræqve (Lethram ſcriptores vocant) reſedit. Inter eum & Fiolnerem arcta amicitia, pacisqve fœdera interceſſerunt, ut ad convivia, regali luxu & apparatu inſtructa, alter alterum invitaret; cumqve Fiolner in Sialandia Frodium invitatus inviſeret, convivium magnificentiſſimum & ſumptuoſiſſimum, omniqve apparatu inſtructiſſimum, adornatum eſt; qvò procerum, tota ditione habitantium, externarumqve gentium magna multitudo invitata convenit. Frodii aula cum eſſet ampliſſima, magnum ſervorum mercenariorumqve numerum alere neceſſe erat; vas ingentis capacitatis, multos cubitos altum confici curatum, qvod trabalibus commiſſuris nexum, ſub tabulato ſuperiorum ædium collocatum erat, contignatione rotundi ad orificii vaſis circumferentiam perforata, qvò liqvor ſupernè infunderetur. Id mellitâ aqvâ in convivii uſum & ſuſtentationem repletum erat. Veſpere cum peractis epulis largiore potione ſe ingurgitâſſent, Fiolner cum comitibus in proximum a contignatione, unde mulſum e vaſe hauriebatur, cubiculum dormitum deductus, cum expergefactus, ſemiſomnis potuqve obrutus, cubiculo egreſſus ſeceſſum peteret, inqve ingreſſu januâ aberraret, intravit conclave, qvod hauriendo ex vaſe mulſo inſerviebat: ignarus periculi præceps inde in ſubjectum dolium ruit, ubi nemine præſente ſopitus eſt.

CAP. V.

DE SVEIGDERE.



Sveigdir in Regnum paternum hæreditario jure ſucceſſit. Is voto ſe obſtrinxit inviſendi Deorum orbem, Godheimum vocitatum, intellexit autem Scythiam magnam, ut & Odinum Priſcum; qvod ut exeqveretur, aſſumptis duodecim comitibus, perplexum valdè per multas ambages iter emenſus, in Turciam usqve & Scythiam magnam, ſev Tartariam, direxit, ubi conſangvineorum multis ſalutatis, domum poſt qvinqvennium peregrinationi inſumptum reverſus eſt, manſitqve intra limites Regni per aliqvod temporis ſpatium. Apud Vanos dum moraretur, uxorem Vanam nomine duxerat, ex qva filius Vanlandus. Nec adhuc votum ſibi abſolviſſe viſus, vel deſiderio ſuo ſatisfeciſſe, cum Odinum non inviſiſſet: ideo ſecundò Godheimum petiit. In Scythia orientali, villa vel oppidum ſitum

ſitum eſt, qvod Stein appellatur, ibi namqve ſaxa ædibus magnitudine paria conſpiciuntur; qvodam veſpere convivio excedens poſt ſolis occaſum, cum hoſpitium peteret, incidit in vaſtum ſaxum, cujus ante fores nanus ſtetit. Sveigdir comitesqve valdè ebrii ê convivio egreſſi, curſu rupem petiverunt; nanus verò cum ſe erexiſſet, ſtans in oſtio Sveigderem ſolum & mominatim inclamavit, dicens, qvòd ſi ei in animo eſſet Odinum convenire, ſaxum ingrederetur: actutum Sveidir ſaxum tantâ alacritate intravit, ut non incedendo, ſed currendo eò ſe promperet: confeſtim fores occluſæ ſunt, nec unqvam rediit.

CAP. VI.

DE VANLANDO.



Regnum patrium, Vanlando unà cum gaza & opib9 Upſalenſibus, poſt patris obitum obtigit, Principi qvidem ſtrenuo, armisqve dedito; utpote qvi multis nationibus bellum intulerat. Totam ſemel hyemem hoſpitio Sniaris Priſci Finnlandiæ exceptus indulgebat, cujus filiam Driſam, conſentiente patre, nuptialibus ſacris de more confectis, matrimonio ſibi junxit. Appetente vere diceſſurus, filium apud patrem reliqvit; reditum intra triennium pollicitus, qvod tamen tempus per decennium extrahebatur. Igitur Driſa, communi filiô Visbure in Veciam ad parentem miſsô, tantâ injuriâ valde commota Huldam veneficam acceſſit, pecuniaqve corruptam impulit, ut atrociſſimo veneficii genere, qvod Seid dicitur, marito immanem cupiditatem inviſendi Finnlandiam inſtillaret, eòqve transverſum actum deduceret, aut, ſi id non procederet, qvovis tandem modo eum de medio tolleret. Dum talibus ceremoniis incantatrix operaretur, Upſalis morabatur Vanlandus, ubi tum ingens eum cupido ſubitò inceſſit Finnlandiam repetendi, qvod amici & conſiliarii omni diſſvadebant conatu, Finnorum ſe incantationes vimqve veneficam agnoſcere dictitantes, unde ille tam impotenti & repentinâ cupiditate ad eos proficiſcendi arderet. Deinde ſomno repentè oppreſſus, ad qvietem ſe componebat. Cum pauliſper dormiſſet, evigilans inclamavit ſatellites, qveſtus incubum gravi ſe pondere premere. Qvi ſubitô accurrentes opem laturi fruſtrabantur; nam cum illi capiti liberando occuparentur, pedes tantâ mole preſſit, ut metus eſſet, ne frangerentur, qvibus cum ſuccurſuri approperarent, caput infeſtabat, nec prius deſtitit, qvàm ſuffocatum enecâſſet. Reliqviæ ipſius ad amnem Scutam, aliis Scytam, funebri pompa crematæ ſunt, ſepulchralesqve lapides ejus honori erecti.

CAP. VII.

DE VISBURE.



Visburi a morte patris Sveciæ dominatus obvenit: ſimul ac infelix conjugium Audii Divitis filiæ, ex qva duobus filiis auctus erat. Gislio nimirum & Aundure: qvâ poſtea repudiatâ, aliam duxit, Domaldi ex ſe geniti matrem. Prima uxor poſt divortium factum paternam remeabat domum, nec qvicqvam antiqvius habuit, qvàm ut privigno Domaldo

fortunæ blanditias magicis auferret incantationibus, totamq; vitam tristem, acerbam, tædiosamqve reddi veneficiis curaret. Cum filii illius, alter duodecim, alter tredecim annorum essent, patrem accesserunt, donationem propter nuptias, seu dotalitium matri debitū, nimirum tria magna & nobilia prædia, & monile aureum reddi petentes; abnuente eô, juvenili ardore & irâ accensi, sive minati, sive ominati, responderunt, *futurum ut monile illud aureum mortis nobilissimi illius familiæ viri causa fieret*. Atqve ita re infectâ recesserunt. Reduces domum Huldam sollicitârunt, ut incantamentis & seidicâ arte sibi facultatem occidendi patris impetraret; qvæ *se id qvidem effecturam pollicita est, sed illud insuper adjecturam, ut intra familiam Ynglingorum semper gentilitiæ cædes & homicidia perpetrarentur*. Qvâ conditione acceptâ & approbatâ, magnum numerum hominum congregârunt; qvibus ex improviso patrem adorti, facibus subjectis, unà cum domo ipsum intra parietes combusserunt. Genus ejus ex Finnlandia repetenti Abavus Forniotus, proavus Karius, avus Snær vel Sniar Mater Priscus, Drifa; in exemplaribus Chronicorum MSS. prætermissi. Libro tamen Originum Norvegiæ codici Flat: præfixo memorati, explicant.

CAP. VIII.
DE DOMALDO.



Ceptra Regni Sveciæ a morte patris Domaldo obtigerunt, caritate annonæ, & omnium rerum penuriâ, ubertati maximæ, sub antecessorum omnium imperiis, succedente infelici. Visum ergo civibus, Deorum, qvos ad id tempus tam propitios ab atavorum memoria experta est Svecia, opem & auxilium, majoribus, qvàm pro consvetudine, sacrificiis implorare: Magno igitur boum numero autumnali tempore litatum est. Inseqvente autumno, cum cæpta sterilitas neutiqvam cessaret, humanis hostiis Deos placandos, qvando armentis nihil proficeretur, censuerunt. Verum, cum nec sic sterilitas & inopia levaretur, freqventes anno tertio solenni sacrificiorum tempore Upsalis convenerunt; ubi proceres, habitô inter se consilio, causam tanti mali inqvirentes, non aliam, qvàm Principem Domaldum invenerunt. Convenit ergò, ut is sacrificiorum victima, pro publicâ felicitate & annonæ largo proventu a Diis impetrando, immolaretur, qvod & factum, mactatiqve sangvis altari aspersus. Inde sterilitas fæcunditate mutata est.

CAP. IX.
DE DOMARE.




D Domarem filium Regni habenæ pervenerunt, qvi longo tempore omnium rerum ubertate & longa pace beatus ad Regni sceptra sedebat. Nihil memorabile de eo narratur. Upsalis lethali langvore correptus obiit; funus in campos Fyrenses ad ripas amnis delatum solenniter cremabatur; sepulcralibus tropæis de more illius memoriæ erectis.

CAP. X.

DE DYGGVIO.



DOmaris filius Dyggvius hæreditatem paternam accessit, Regniqve habenas, qvoad vixit, moderatus est. Upsalis ex morbo in fata concessit. Illius mater fuit Drotta, Danpi filia, cujus (scilicet Danpi) pater Rigus (non Ring⁹) qvem Danicum idioma primum Kong sive Regem appellavit; qvi titulus posteris ejus & successoribus, omnium honorificentissimus & nobilissimus visus, ipsam qvippe majestatem exprimens, hæreditarius evasit; qvem jam Dyggvius familiæ suæ primus in Svecia usurpabat, cum antecessores ipsius Drotnar/ id est Domini, uxores Drotningar/ id est Dominæ, satellites universi drott/ multitudo, seu cætus aulicus, appellarentur; semper tamen singuli ab illo stemmate descendentes Yngvius vel Yngunius, collectim vero Ynglingi, dicti sunt. Drotta Regina soror fuit Dani Magnifici, â qvo Dania nomen contraxit. Hoc primum conjugium inter Imperatrices domos Daniæ & Sveciæ contractum est. Hujus genus ê Danica & Svetica origine promanans præsens schema exhibet.



CAP. XI.

DE DAGO.



FIlius Dyggvii Dagus patrem in successione regni excepit. Regium nomen ab eo primo usurpatum simul complexus, stupendæ sapientiæ Princeps, ut qvi volucrum lingvas intellexerit. Erat illi passerculus in deliciis, qvi multas regiones pervolare solitus, novis semper rumoribus aures ejus implevit. For-

te evenit, ut passer in Reidgotalandiam (Cimbriam videlicet) ad prædium, nomine Vorva, vel Jorva avolans, dum senis cujusdam agro insidens grana colligeret, lapide ab eo obrutus interiret. Cum cutem more solito non rediret, æger animi Rex, piaculari sacrificio celebrato, Oraculum de fato ejus consuluit. Responso certior in Vorva occisum, collectis ingentibus copiis Cimbriam infesta classe petit, Vorvamqve delatus, in terram populabundus excurrit, alios cædit, alios capit, aut in fugam agit. Sub vesperam multa occisorum strage cruentus, magno cum captivorum grege reditum ad naves parat; forte dum insidens eqvo, flumen qvoddam transiturus, in vado Skiotansvad/ vel Vapnavad/ a jaculis vel armis ita dicto, hæret, servus qvidam mercenarius ex sylva citato cursu se proripiens, bucceam fæni ê ripa in medium agmen conjiciens, Regis caput collineat, qvi continuò eqvo decidens temerariæ expeditionis insontisqve sangvinis pænas morte luit. Ea tempestate qvilibet Princeps, qvi non alienis bellum gereret auspiciis, *Gramus* appellabatur, milites vero *Grami.*

CAP. XII.

DE AGNIO.



Regni paterni hæres Agnius imperium jure partum, sceptrumqve Sveciæ capessebat, dignus tanto decore Princeps; brevi enim divitiarum abundantiâ, rei militaris scientia, bellica insuper virtute & experientiâ, & artium heroibus familiarium excellentia, famam nominis sui, & per vicinas & longè dissitas regiones propagavit, ut clarus ubiqve & venerabilis haberetur. Æstate qvadam in Finnlandiam cum exercitu infesta classe vectus, direptionibus & cladibus omnia fædavit. Nec Finni ea propter animum desponderunt; qvi collectis undiqve copiis, fortiter se ei, Duce Rege suo Frostio, opposuerunt. Verum viribus impares cum passim cæderentur, victoriam hosti de se reliqverunt. Ibi Rex Frostius, cum magna suorum strage, prælio victus occubuit. Prædâ inde & spoliis Finnorum onustus, victrici classe domum navigavit; assumptis secum Skialfa, Regis Frostii filiâ, & Logio fratre ipsius, indubiis victoriæ monumentis. Jamqve ad Stoksundas perventum est, cum in lingula, lacum a mari dirimente, id temporis sylvis consitâ, tentoria figi mandavit. Ibi Skialfa, qvam, solenni nuptiarum festivitate celebratâ, sibi matrimonio jungere dignatus est, precibus eum fatigavit, ut funebre convivium, honori patris ab eo devicti, qvam splendidissimè instrueret, qvod qvo magnificentiùs foret, magnatum plurimos eò invitandos curavit; auxerat enim famam antea celeberrimam Finnica expeditio. Monile aureum, qvod Visbur prius possederat, collo semper gestare solitus est; & jam vesper præceps erat, cum Rex convivio excedens cubitum peteret, Skialfa verò monente, ut monile accuratiùs reservaret, statim Rex id gutturi & faucibus arctiùs astrinxit. Media sylvâ tentorium, sub procerâ arbore, umbrâ sua Solis æstum inhibente, stabat. Rege somno & crapulâ oppresso, funem tenacem monili subdidit Skialfa, satellitesqve ejus, tentorio qvàm ocissimè abrepto, funem ramo cuidam arboris eminenti affixerunt, qvi Regem in aëra sublimem tractum suspensumqve enecavit; qvo peracto, ipsa cum comitibus ad navem properantibus remigando evasit. Ibi Rex solenni

 pompæ

pompæ celebritate crematus est, locus inde Agnafit dictus, in orientali littore Taurensi, ê regione Stoxsundæ occidentali, ubi post multos annos Stokholmia exstructa fuit. Qvidam nefas illud, teste *Loccenio*, in isto Holmiæ loco, ubi nunc est curia urbis, alii ubi arx sita est, admissum credunt.

CAP. XIII.
DE ALRECHO ET EIRICO.



AD duos deinde Agnii Regis filios amplissima Regni Svetici ditio, imperiô gubernanda, pervenit, Alrechum nimirum & Eiricum, impigros viros, opibus florentes, artibus heroicis & Principibus dignis abundè instructos, qvibus experientiam & exercitium rei militaris adjecerunt. Præcipuæ deliciæ erant in eqvis domandis, tamqve cursui per gradus, qvàm molli, alterno pedum explicatu, glomerationi assvefaciendis; ideò qvàm generosissimis comparandis cura impensa. Inde orta æmulatio, uter eorum eqvitandi peritiâ præstaret, optimosqve aleret eqvos, cumqve semel optimis eqvorum suorum insidentes cursum adeò intenderent, ut ne ullus satellitum asseqvi posset, in planos campos evecti, cum neuter rediret, inqvisiti ambo exanimes inventi sunt, contusis utrisqve capitibus. Conjectura fuit, frænis eqvis detractis se invicem mutuis verberibus occidisse, qvòd armis telisqve destituti essent, cum eqvestri certamini sese accinxissent. Ab his *Historia Gothrici & Hrolfi*, Vestro-Gothiæ Regum magnopere recedit; tradit enim Starcadum juniorem, id nominis secundum, post peractam Agdarum Hordiæqve Regis Vikaris nefariam cædem ad hos Reges profugisse, iisqve diu meruisse, Alrecho autem supervixisse Eiricum, qvi filiam suam Ingibiorgem Hrolfo Gothrici filio postea matrimonio junxerit. Verum, ut primam historiæ illius partem, qvantumvis fabulis antiqvô more interspersam, ex sincerorum documentorum albo non proscripserim, ita assutam illam posteriorem ad anilium fabularum collegium relegandam existimem, qvæ Snorrii authoritati nihil, minus etiam Thiodolfi, præjudicabat.

CAP. XIV.
DE YNGVIO ET ALFO.



DUos filios reliqvit Alrechus in successionem Svetici imperii, Yngvium nimirum & Alfum, diversis studiis deditos. Ille militaribus; unde etiam Dux insignis evasit, victoriarum perenni cursu admirabilis, artibus præterea corporis exercitio dicatis præstantissimus, mansvetus & liberalitate omnibus charus acceptusqve, vultu semper hilari, jucundô, & ad facetias, lepores, & amicorum oblectamentum compositô, qvem insuper formæ decus ornavit. Hic civili administrationi intentus domi se continuit, nec militiam periclitabatur; moribus difficilis, taciturnus, animo immiti & obstinato, Elfius aliô nomine dictus est. Mater ipsi Dagheidis, Dagi Potentis filia, ex qva Döglingorum prosapia, nobis sæpius memorata, profluxit. Uxorem habuit, Beram nomine, ingenio heroinam, formæ venustate

ſtate præclaram, jocis & facetiis valde deditam. Hæc Yngvio Regi qvodam autumno ê nautica expeditione Upſalos nuper reduci, gloriâqve rerum Geſtarum id temporis famoſiſſimo, pro more in multam noctem cum ſatellitibus potanti, in ſolio Regio aſſidere, ſermonesqve cum eo ſerere, & mutuis facetiis tempus ſæpius terere ſolebat; qvod Alfo Regi, utpote qvi cubitum maturè ire ſolebat, valde diſplicuit, admonitâqve & increpatâ uxore, ut cubitum juſto tempore ſe reciperet, edixit; cujus moras expectare moleſtum ſibi. Illa ſæpius monita, ſemper regeſſit, feliciorem multò illius fæminæ ſortem futuram, qvæ Yngvio Regi, qvàm qvæ illi nupſerit. Qvo reſponſo adhortationi ſæpius regeſto conceptam & malè celatam iram magis concitavit. Accidit veſpere qvodam, cum Regina ſolio inſidens cum leviro, brevem gladium genibus impoſitum tenente, colloqveretur, ut ingreſſus palatium Alfus, nemine ſatellitum, utpote nimiâ potione obrutorum, animadvertente, ſolio ſe applicans, exerto gladio, qvem tunicâ tectum abdiderat, fratrem transfigeret: ilicò frater Yngvius ſtricto viciſſim ferro repentè exſiliens Alfum peremit, parricidium parricidio ultus. Ambo ſolo jacentes elati, colliq; (uni ſimul, an duobus, manuſcripta non exprimunt) in campo Firenſi illati, honorificè ſepulti ſunt. Hanc Reginam *Johannes Magnus* Danicam fuiſſe de ſuo cerebro finxit, omni, qvantum ſcio, authoritate deſtitutus. Ad hunc Yngvium referenda videntur, qvæ hiſtoria Hervoriana de Hialmare & Aurvaroddo memorat; nam & tempora mirè concordant; qvippe illuſtrata á ſynchroniſmo Alrechi hujus patris & Starchadi junioris, cui Angantyr in tertio gradu lineæ inæqvalis conjunctus erat, qvi cum Hialmare de conjugio filiæ Yngvii Upſalarum Regis mutuo exitio certârunt.

CAP. XV.

DE HUGLEICHO ET HAKIO.



Ugleichus Alfi filius tam patri, qvàm patruo (filiis Yngvii, ob tenellam ætatem Regni adminiſtrationi inhabilibus, excluſis) in poſſeſſionem Regni ſucceſſit. Princeps deſes, & tantæ moli ineptus ac impar, domi teſtudinis inſtar ſe continuit, procul ab armorum ſtrepitu, qvorum uſum minus calluit, opibus tantùm colligendis, qvibus hoſtes tandem locupletaret, intentus; qvas tamen attentè reſervabat, ut ne cui, præter qvos in aula maximi æſtimabat, erogarentur. Fuit autem turba haut exigua, conſtans joculatoribus, cytharædis, auletis & liricinibus; qvibus magnus incantatorum & magorum, Seidicam artem exercentium, grex acceſſit. Fuerunt duo fratres Norvegi, pyratarum ſeu maris Reges, validâ claſſe & copiis qvàm maximis inſtructi; Hakio illi, huic Hagbardo, nomina erant: qvi interdum conjuncti, interdum diviſi, arma circumtulerunt, uterqve forti athletarum manu, validoqve numero ſuffulti. Hakius, cognitâ Hugleichi Regis ſocordiâ, cujus exercitum & copiarum duces ad exemplum Regis ſe formâſſe facilis erat conjectura, rem majoris audaciæ, qvàm periculi, præmii verò maximi, ſibi perſvadebat: illum voluptatibus fractum, militaris ſcientiæ imperitum, inermi ſimillimum, bello aggredi. Claſſe igitur in Sveciam directâ, Regem ſtatim bello adoritur, qvi, magnis copiis collectis, arma armis opponit, illatum bellum omni vi

propulſaturus. Interim duo fortiſſimi athletæ, Svipdagus & Geigadus, ſeu Beigadus, ipſum acceſſerunt; ſummi ambo viri. In exercitu Hakii duodecim fortiſſimi athletæ erant, inter qvos Starcadus, poſtea a prolixâ ætate Senex dictus. Ipſe etiam Rex ſummo tam corporis qvàm animi robore præditus fuit, athletarum nemini ſecundus. Acies in campeſtri planitie Fyrenſi concurrerunt, nec diu Hugleichi copiæ impetum ſuſtinuerunt, nam cæſi paſſim in fugam ſeſe dederunt; cum athletæ duo prælium reſtituturi egregiam edidêre pugnam, ſingulos ſex Hakiani athletæ adorti, capere qvàm interficere malentes, ægrè tandem comprehenderunt; deinde confertam clypeis aciem, qvæ Regem inſtar valli undiqve cingebat, perrumpens Hakius, Hugleichum cum duobus filiis obtruncavit; qvo viſo, Sveci fugâ ſibi certatim conſulentes, pars domos remeârunt, pars notas latebras & diverticula qværentes periculum evitârunt. Hac victoriâ potitus Hakius, Hugleichi mores, qvibus Regno ſimul & vitâ tum ſua, tum geminæ chariſſimæ ſobolis, privabatur, imitatus, deſidiâ domi per triennium torpebat. Interim athletæ, tam ignobilis otii pertæſi, alias in terras prædatum conceſſerunt.

CAP. XVI.
DE MORTE HAKII.



Ngvii Regis filii Jorundus & Eiricus, admodum pueri cum pater exceſſiſſet, atq; ideo a ſucceſſione Regni excluſi, patrueli Hugleicho partes eorum vindicanti cum ceſſerint, rei piraticæ ſtudio adultiores facti ſeſe totos addixerunt, cui promovendo maria diverſa transmiſerunt, multasqve oras maritimas rapinis & cæde fædatas vaſtârunt; inde ſtrenuorum ducum nominibus comparatis, his exercitiis indulſerunt, qvoad Hugleichus & Hakius Sveciæ gubernacula tenuerunt. Fortè qvadam æſtate, cum latrociniis oras Daniæ infeſtas redderent, inciderunt in Gudlaugum Halogiæ ſeu Halogalandiæ Regem, cum qvo prælio navali acriter congreſſi, ad ultimum victores, illum naviculæ impoſitum ad Straumseyarneſiam, proximam terram, victum in crucem egerunt; qvem, mortis genere adeo ignominioſo interemptum, milites ſui, erecto colle, honoratum ſepelierunt. Hoc facinore perpetrato, fratres ubiqve inſignem fortitudinis opinionem & gloriam conſecuti, ſpiritus etiam majores ſumpſerunt; nam cum percepiſſent, Hakium Sveciæ Regem, dimiſſis fortiſſimis athletis, latera impetentibus nudâſſe, eò claſſem, collecto ingenti exercitu, duxerunt. Sveci vero, cognito, qvod Ynglingi proprii & hæreditarii Reges ad repetendum a peregrino tyranno Regnum rediiſſent, certatim ad eos confluxerunt. Ingens exercitus conflatus eſt, qvibus lacum Logerum (jam Mellerum) intrantibus, Upſalos petituris obvius fit Rex Hakius in campis Fyrenſibus cum parvâ manu, ubi prælium acerrimum committitur, mediamqve hoſtium irrumpens aciem, obvios omnes proſtravit: ad ultimum in Eiricum Regem invectus neci eum tradidit, vexillo in terram dejecto. Territus igitur Jorundus effusâ fugâ ad naves properavit. Rex Hakius multis lethalibus vulneribus ſaucius, navem armis & cæſorum cadaveribus aridisqve lignis onerari, ſeqve ei ſeminecem inferri; inde vela erigi, gubernaculum rite adornari, navem extra ſcopulos eductam, altoqve commiſſam, admotis

tis fungis ignariis facibus ſuccendi mandavit, atqve ita, flante ê terrâ vento, ardentibus velis in Oceanum evectus, glorioſam mortem oppetiviſſe omnibus viſus eſt. Hakonem Ringum ex hoc Hakio qvidam Sveciæ ſcriptorum formant, inqve Aunii ſenis locum conſtituunt; cum tamen hic ad ſenium nunqvam pervenerit, nec placidâ morte deceſſerit, nec filium Regni hæredem reliqverit, ipſe qvidem ab Ynglingorum ſtemmate alienus, ne Sveciæ qvidem civis aut indigena.

CAP. XVII.

DE JORUNDO YNGVII FILIO.



JOrundus, Originibus Norvegiæ alio nomine Jormunfrodius, Yngvii filius, virtutem fortunâ comitante, tandem paternum Regnum regiaqve ſceptra recuperavit, nec ideò ſolenne piraticæ exercitium intermittendum cenſuit: nam qvotannis, ne otio domi torpens milites illius dulcedine bello inutiles redderet, expeditiones nauticas ſuſcepit. Fortè cum æſtivo tempore Daniam latrociniis, & præcipuè Cimbriam, infeſtaret, ſinumqve Limicum ingreſſus ad fretum Oddaſundam claſſem direxiſſet, offendit Gyleigum Halogiæ Regulum, Gudlaugi, qvem prius cruci affixerat, filium. Fit ingens prælium, incolis Gyleigo tam parvis qvàm magnis navigiis, ingenti undiqvaqve concurſu facto, ſuccurrentibus; qvibus in naves Jorundi irrumpentibus, propugnatoresqve multâ ſtrage cædentibus, nudatus defenſantibus, Jorundus navi exiliens in undas præceps ruit, mediisqve aqvis extractus, deductusqve ad victorem, talionem ſuſpenſi patris, ſuſpendio ipſe vitam finiendo, reddidit.

CAP. XVIII.

DE AUNE SIVE ANIO.



POſt fata Jorundi filius Aun, ſev Anius, Sveciæ gubernacula tenebat, vir ſapiens, Deorumqve religioſus cultor, qvorum gratiam crebris ſacrificiis provocabat, bello minime deditus, domi ſe continebat. Horum Regum, qvi paulo ante memorati ſunt, tempeſtatibus in Dania regiis conſpicui titulis regnârunt, primus Dan Pompoſus ſev Magnificus, ejus nominis primus, qvi ætate valdè provectus deceſſit: Secundus filius ejus Frodius Tranqvill⁹, iſto nomine Tertius, cui ſucceſſerunt filii Halfdanus & Fridleifus in ordine nominis tertius (Saxo, inſerto Hugleto, Halfdanum Danum, pro Hugleicho Hugletum appellat, Fridleifi-qve patrem conſtituit, cum eſſent fratres, ſi Snorrio fides) impigri bellatores, tametſi Halfdanus, cum ætate, tum reliqvis animi corporisqve dotibus antecelleret. Is Sveciam ſæpius infeſtans, Aunium Regem multis præliis, tandem etiam bellò victum, Regnoqve profugum in Veſtro-Gothiam compulit, præmiumqve victoriæ, opulentiſſimum Sveciæ Regnum, ſedemqve Regiam Upſalenſem conſecutus, per viginti annos, qvibus vixit, tutatus eſt: qvibus exactis, lethali morbo

morbo correptus, post obitum exqvisitæ magnitudinis collem, sepulturæ monumentum, Upsalis meruit. Qvo cognito Aun postliminio jam sexagenarius rediens, Diis suis, qvos tam difficiles, qvantumvis sedulus cultor, tam longo tempore expertus est, maximo apparatu sacrificium, filii insuper victimâ cruentatum, pro longâ vitâ instituit. Ei Odinus sexaginta annos ad exactam ætatem se adjecturum pollicitus; animum ad sceptra, male prius defensa, intrepidè capessenda addidit; qvibus etiam per viginti proximos annos, nemine turbante, feliciter potitus, adventu Olii, sev Alii Vegeti, Fridleifi Regis Daniæ filii, exercitu validissimo bellum inferentis, patruoqve, partum armis Regnum hæreditario jure repetentis, notam jam exilii sedem Vestro-Gothiam remeabat, ubi alios viginti annos, nullo interim conatu ad Regnum vindicandum adhibito, qvietus transegit, donec a Starcado (vulgo Starcatero) Olius interfectus est, tunc demum Regnum possessore vacuum alienâ manu, non propriâ virtute, vindicatum asseruit, vixitqve Upsalis viginti annos, hostilibus irruptionibus & bellicis tumultibus tranqvillâ pace succedente beatus. Et jam completus erat annorum numerus, qvem explendum oraculum promiserat, cum Odino magnificentissimum sacrificium, secundi qvoqve filii victimæ loco mactati sangvine cruentum, pro ulteriore ævo conseqvendo instaurabat, qvô placatus Odinus, conditionem ætatis prorogandæ obtulit, si qvovis decennio filium immolaret, partesqve regionis ex singulorum numero denominaret, tot decennia victurum, qvot filiorum hostias litâsset, pollicitus. Post septem deinde filios ad aras oblatos, decennio elapso, pedes, ne incedere posset, eum deficiebant; lecticæ ergo impositus subeuntium humeris vehebatur: octavo ergo filio Diis fecit, numeroqve exprimendo, memoriæqve perpetuæ consecrando, illam portionem terræ Octavam nuncupabat. Inde decennio transacto, lecto semper affixus jacebat, nec tamen eum senectutis ætatisqve plusqvam decrepitæ satietas cæperat, qvin nonum litandum curaret, lucratusqve, qvod sibi stipulatus est, decennium, potum, lactantium infantium more ê cornu exsugebat. Restabat decimus filius, qvem etiam sacrificio destinabat. Upsalis & subjacenti territorio Odinum donaturus, nomenqve inde Tiundalandiæ vel decumanæ terræ impositurus; qvod cum Sveci permittere nollent, mortem tandem seram oppetivit, Upsalisqve, exstructo colle, conditus est. Hinc proverbii loco in vulgus emanavit, *Aninus morbus*, qvoties qvis ad ætatem decrepitam provectus, nulla alia ægritudine qvàm senio emaceratus, in fata concedit. Qvæ super hoc Rege *Rudbeckius* commentatus est, cum conjecturis tantum nitantur, consulto prætereo. Videri tamen possunt qvæ *Lib: hujus Partis III. Cap.33.* de his disseruimus. Utq; Synchronismus inter Vikarem, partis Norvegicæ, & Alrekum & Eiricum Sveciæ Reges consistat, anni LXII. de ætate Aunis tollendi sunt, Synchronismusqve inter Daniæ Sveciæqve novem Reges, qvi Aunem præcesserunt, paulo aliter, qvàm *in Serie Regum Daniæ* digestus est, immutandus, id qvod â nobis *cit: Cap:* factum est; qvo admisso, non solum inter Daniæ Sveciæqve Reges, sed & Regum Norvegiæ inter utrosqve singularis harmonia emergit, nullo historiarum damno. Horum igitur qvædam ad fabulas releganda sunt, ob rationes loco citato obvias

CAP.

CAP. XIX.

DE EIGILE.



Eigill Anii Silicernii filius, immani patris tyrannide ope procerum liberatus, a morte patris securitatem vitæ & Regnum jure successionis obtinuit, rei militaris minimè studiosus, domi se, more a patre tradito, continuit, neqve hostibus bella inferre, neqve illata propulsare, bellicarum artium & militaris disciplinæ rudis, noverat. Inter ministros patris eminebat qvidam, nomine Tunnius, conditione servus, sed cui Anius Rex consilia & regios thesauros custodiendos crediderat. Hunc Eigill jam Rex factus suspectum forte habuit, sive qvòd in immanem a patre in filios exercitam crudelitatem consensisset, sive qvòd tam fædæ machinationis author fuisset, forte & jam incitatus obtrectatione procerum, irâqve, ut assolet, in occasionem dilata, ex invidia Regii favoris exortâ, eum calumniis, qvibus aulæ principum auresqve plenæ sunt, circumventum, ad servilia opera inter servos peragenda relegavit atqve detrusit; qvod valdè indignatus Tunnius, paterni favoris nullam esse habitam rationem, assumptâ Regiorum servorum haut exiguâ manu aufugit, thesauros deinde, qvos terrâ post mortem Anii abdidit, cum effodisset, inter illos divisit, qvi vicissim eum factionis suæ Principem creârunt; qvo comperto, inqve vulgus totâ regione dispersо, facinorosi omnes, exules aut graviores pænas promeriti, & malè sibi conscii, ad eum, tanqvam asylum, utpote criminum scelerumqve licitatorem, imò socium, confluxerunt; qvi sylvis & tesqvis ut plurimum absconditi, interdum in provinciam irrumpentes, omnes exspoliârunt, cædibus rapinas & direptiones permiscentes. Totâ regione hoc tenore peragratâ, Rex ad latrones persеqvendos cum exercitu haut modico profectus est; qvem nocte qvâdam improvisum Tunnius derepentè superveniens propemodum oppressit; multiqve cæsi sunt, prius qvam qvid rei esset senserunt; postqvam autem Rex hostium incursum cognovit, ad prælium se accingens, signum præferri curavit. Verum milites, cum ex primâ trepidatione neqvicqvam se colligerent, in fugam dilapsi, Regem, hinc ab hostibus pressum, inde â suis desertum, fuga sibi consulere compulerunt, qvem usqve ad silvam persecutus Tunnius, multos effuse fugientes occidit. Mox in agros pagosqve infusus, omnem inde Sveciam latrociniis infestam reddidit, nemine post cladem Regiam resistere auso. Omnem namqve prædam militibus inter se viritim dividendam concessit, unde obseqventissimi facti, multos in societatem militiæ undiqve confluentes allexerunt, ut justo exercitu comparato, cum hoste confligere hautqvaqvam detrectaret. Rex verò, redintegratis denuò viribus, Tunnio potestatem pugnæ fecit: acriter confligunt, verum Regii, impetum Tunnensium haut sustinentes, in fugam iterum versi sunt; octies justo prælio pugnatum est, qvibus omnibus Tunnius victor Regem superavit. Tandem Eigill Regno exactus in Daniam ad Frodium, ejus nominis (me conjectore) qvintum, Sialandiam usqve confugiens, auxilium illius, copias magnas, copiarumqve duces, pugilumqve manum strenuam, annuo tributo compensandam impetravit, qvibus comitatus in Sveciam pervenit. Tunnius igitur, regnandi dulcedine degustatâ, Regno scelere parto vindicando, cum exercitu obviam processit, non eadem fe-

licitate cum veterano milite, peritissimisqve pugilibus conflicturus, qvâ cum tyronibus & imperitis, sub imperito Rege, consveverat: versâ igitur fortunâ cum toto exercitu ad internecionem deleto funditur, cujus cæde Rex Regno restitutus, parta pace, Danos qvàm honorificentissimè domum remisit. Deinde singulis annis pretiosa munera, grati animi monumentum, latiqve auxilii confessionem, nec tributum aliud, Frodio misit, nec ideo amicitia inter illos contracta refrixit, verum qvoad vixerunt illibata remansit. Post cædem Tunnii cum triennium Rex Eigill sceptra tenuisset, contigit ut taurus vetus, sacrificio destinatus, atqve ideò plus nimio saginatus, adeo efferaretur, ut in homines etiam impetum faceret insurgeretqve, qvi disruptis vinculis elapsus, custodibus perseqventibus, in rabiem versus propinqvum saltum intravit, ubi diutius moratus cladem hominibus intulit. Accidit autem ut Rex, venationi cæteroqvin admodum deditus, compluresqve dies feris insectandis & silvis nemoribusqve extrahendis terere solitus, tunc qvoqve venatum proficisceretur; cumqve nobilem feram diutius persecutus esset, longius a suis intra nemorum opaca provectus, immanem illum taurum eminus conspicit, in qvem statim converso eqvo invectus, haut dubiè transfixurus, sed pari irâ ardoreqve sibi occurentem hastâ petivit, leviterqve vulneravit, qvo concitatior taurus adversa fronte incurrens Regem invasurus, adactis in eqvi latus cornibus, eum simul cum Rege humi prostravit. Rex subitò exsurgens, cum gladium stricturus esset, a bove impetitus, cornu per medium pectus trajectus est. Qvo facto accedentes Regii satellites, taurum occiderunt. Rex vero illo ex vulnere mortuus, Upsalis, justis Regio more solutis, tumulo magnificentissimo illatus est.

CAP. XX.
DE OTTARE VENDILKRAKA.



Ex Eigill filium, Ottarem nomine, Regni Regiiqve fastigii hæredem reliqvit. Is contracta inter patrem & Frodium Daniæ Regem amicitiæ fædera nullius pensi habuit: igitur Frodius per legatos tributa, qvibus pater restitutionem in Regnum jam amissum & victoribus eripiendum pactus erat, exigebat: qvibus Ottar, nunqvam tributa Danis Svecos pependisse, nec in posterum pensuros, respondit. Irritatus ergo Frodius, bellicis artibus, rerumqve foris gestarum famâ præclarus, qvadam æstate oris Sveciæ cum classe haut modica appulit; ubi cum incendiis, latrociniis & cædibus late grassatus esset, præda tum hominum, tum rerum aliarum, onustus in patriam navigavit. Proxima æstate, cum Frodius orientem, procul patria, classe petiisset, idqve pro explorato Rex Sveciæ haberet, occasionem ulciscendæ Sveciæ commodam satis affulsisse ratus, magnis copiis classi impositis Daniam adortus est, igne, cædibus & rapinis qvocunqve accessit, eo facilius grassatus, qvòd nemo esset, qvi armis illatam vim propulsaret. Auditô deinde qvòd in Sialandia militum & nautarum delectus haberetur, transmisso freto Eyrarsundensi, in Jutiam navigavit, Limicumqve fretum ingressus, Vandaliam Cimbricam promiscuis incendiis strageqve hominum fædatam prope ad excidium vastavit. Rex Frodius duobus Comitibus (Vauttus & Fastus nomina erant,) curam Regni

gni & custodiam se absente commiserat; qvi raptim comparatâ classe, navium numero & magnitudine conspicuâ, Ottaris arrogantiam repressuri, in Svecos imparatos & securos invecti, acerrimam pugnam ediderunt; nec Sveci minus viriliter se tutati sunt, multi ex utraqve parte cæsi: Danorum tamen conditio melior fuit, qvippe fessis integri, cæsis recentes magno concursu successerunt: navium item confluxus ex vicinia undiqve viros & classem augebat. Rex itaqve cum maxima exercitûs parte concidit, cujus cadaver ad terram delatum colli impositum, feris & alitibus devorandum objecerunt, cornicemqve ligneam ad ludibrium fabrefactam in Sveciam miserunt, cum exprobratione, *tanti, nec pluris, Regem eorum æstimandum*: utqve idem illud ludibrium perennaret, Regem ipsum Vendil-Kraku/ o: *Vandalorum Cornicem*, nomine hodieqve in fidem historiæ superstite, appellârunt. Chronicon Danicum tradit eos Svecis nunciari curasse, ab ejusmodi volucribus (nam corvis & cornicibus expositum retulit) Ottarem esse consumptum.

CAP: XXI.
DE REGE ADILSE.



SOlium Regium successor patris filius Adils jure suo occupavit, diuqve tenuit; princeps opibus potens, piratico exercitio, more seculi, deditus, necessitate forte exposcente, partim ut instructi classe principes incursiones piratarum cohiberent, partim ut milites bellis propulsandis, aut hostibus inferendis, assvescerent, tum ut externarum spoliis fiscum Regium & subditos ditarent. Hoc igitur more recepto, consvevit Rex Adils tempora æstiva piraticis latrociniis terere. Forte Saxoniæ litoribus advectus, comperit Regem, nomine Geirthiofum, (cui erat Regina, nomine Olufa, seu Aleifa, â divitiarum abundantia Opulenta dicta, nec an liberos habuerit, memoratur) extra ditionem profectum; qva occasione commodè affulgente usus, cum copiis ad Regiam domum properavit, eaqve exspoliatâ, magna auctus præda ad naves rediit, ovium magno grege cum servis & ancillis, opilionum munere fungentibus, ad littora classemqve abactis. Inter ancillarum gregem virgo erat qvædam, nomine Yrsa, sed ingenio neqvaqvam servili, forma adeo insigni, ut qvacunqve incederet, omnium oculos in se converteret: cujus amore captus Rex, cum deprehenderet virtutes egregias, affabilem pudicitiam, cæterasqve animi dotes, morumqve ornamenta, formam, qvantumvis incomparabilem, insuper commendare, Regio eam dignatus est conjugio; qvæ proceribus & plebi, omniqve adeo populo Regniqve incolis, grata acceptaqve facta est, ut inter præcipuas Reginas nemini secunda haberetur. Hoc tempore Helgius Halfdani filius Hleidræ ad Regni Danici sceptra sedebat, qvi in Sveciam tantum exercitum navibus transportavit, ut impar sibi videretur Adils ad manus cum eo conserendas, nec aliam salutis spem, qvàm in repentina fuga, reliqvam videret; qva igitur arrepta, ipse qvidem captivitatem & mortem evasit; opes vero & thesauri Regii, omniaqve, qvæ hostilis avaritia concupiscebat, diripiebantur; qvibus Regina, tanqvam pretiosum cimelium, accedebat. Hac tanta præda tam prosperè & nullo negotio partâ in Daniam redux, Reginam Yrsam marito ablatam, suamqve jure

belli factam, conjugio sibi sociavit, unde etiam eximio filio Regii fastigii ornamento, nomine Rolfo, postea Krakio dicto, felici auspicio, licet ex infelici conjugio, auctus est. Interjectu trium annorum Regina Saxoniæ Olufa in Daniam profecta, Yrsæ Reginæ insinuavit, nefarias illam cum Helgio Rege patre suo, se matre natam, contraxisse nuptias. Qvo cognito, rescissô illicitô vinculô, ad priorem maritum in Sveciam rediit, ibiqve Reginæ titulo jure & exercitio reliqvum ætatis transegit. Helgius Rex bello occubuit, relicto Regni hærede & successore Hrolfo, tantùm octenni; qvi solenni inaugurationis ritu Hleidræ Rex pronunciatus est.

Hæc tali relationis tenore Norvegica historia compendiosè perseqvitur: verùm ea, qvæ de Hrolfo Krakio conscripta est, qvamvis in qvibusdam in diversum abeat, tamen magnopere narrationem hanc illustrat. Cum autem modum genealogiæ excedat, peculiari volumne eam complexi sumus; nunc reliqvam vitæ Adilsis partem a Snorrio proditam absolvemus.

Inter Adilsem & Alium Uplandorum in Norvegia Regem intervenit simultas, tandemqve in apertum bellum exarsit, qvod acerrime in lacu Vænere glacie constrictô gestum, Alii morte finitum est. Prolixè id *historia & carmina Skioldungorum* exposuisse memorantur, ut & adventum Hrolfi Upsalas, & qvomodo campos Fyrenses auro conseverit. Eqvis generosis Adils multum delectabatur, in qvos conqvirendos & alendos magnas fecit impensas. Inter eos qvidam excellebat, nomine Slongver; æqvè pretiosus erat alter, Rafn vocatus, qvo Alium Regem mortuum spoliabat, qvi deinde alium sibi cognominem procreavit, qvem ad Regem Halogiæ Godgestum Adils dono misit. Is, dum in cursum concitaretur, adeo effrænis factus est, ut habenarum regimen & Regem simul moribundum excuteret. Contigit is casus in Aumdia Halogiæ provincia, & Regi Godgesto rerum suarum ultimus, adeoqve fatalis, extitit. Similis etiam casus Adilsem absumsit, nam cum sacrificium Disarum (ɔ: omnium Dearum) celebraret, eqvo, qvo intra palatium vectus erat, labenti excidit, capite ad lapidem illiso, ut cerebrum efflueret; conditus est in colle Upsalis, famâ potentiæ & divitiarum posteris relictâ.

CAP. XII.
DE EYSTEINO ET SOLVIO DE NIARDEYA.



ADilsi successit filius Eysteinus, qvo imperante Hrolfus Krakius, Hleidræ insidiis affinis sui Hiorvardi petitus, occubuit. Hoc Rege turbulentus admodum Regni status fuit, piratarum Danorum Norvegorumqve turbâ rapinis & spoliis omnia peragrante: Regum etiam nauticorum magna erat messis: qvi exercitus navibus portabant, ditionis & territorii expertus. Verum, ne nominis illius honos gratuitus esset, virtute & laboribus comparandus erat. Qvi non omnibus anni partibus continuò in navibus excubaret, aut cui sub fuliginoso tecto noctes qvieti datas egisse, aut ad focum cornea pocula evacuâsse, objici possit, titulum illum haut meruisse visus est (per fuliginosa tecta triclinia intelliguntur, qvæ, more prisco, foco medio pavimento stante, fumabant) Solvius itaqve Hognii de Niardeya (qvæ insula est Norvegiæ, Naumudalo adjacens) filius, opportunitatem

tem invadendæ Sveciæ mente complexus, cum in mari Baltico prædas agendo, in Cimbria ditionem qvandam sui juris fecisset, eò consilia sua direxit. Fortè Rex Eysteinus in provincia qvadam, nomine Lofaund, convivio se oblectabat, cum Solvius de improviso superveniens domum incendebat: periit itaqve Eysteinus cum toto satellitio, pænasqve inconsultæ securitatis, turbulentis temporibus noxiæ, suâ suorumqve violentâ nece luit. Inde Solvius infestis signis Sigtunam petiit, postulans ut Sveci se Regem crearent, qvi, raptim ingentibus copiis undiqve collectis, ei se opposuerunt. Tantâ pervicaciâ certatum est, ut per undecim continuò dies nunqvam a prælio cessatum sit, Svecis pro patria, parentibus, conjugibus, liberis, & deniqve libertate, certantibus; Normanno ad imperium invadendum obstinato. Verum non hic justiorem causam fortuna promovit; nam victi Sveci jugum cervicibus impositum ferre, alienigenamqve prædonem Regem agnoscere, justis hæredibus exclusis, compellebantur. Multos annos Regnum, titulo victoriæ partum, eum tenuisse *in Serie Regum Daniæ* computavimus: jam sedecim ei tribuendos, sexenniumqve Braut-Aunundo demendum existimo, ut cum calculo Hrolfi Krakii singula conveniant. Illius sororem Hildem, Gracilem dictam, Hiorleifus Mulierosus dictus, Hordiæ Rex, uxorem duxit, qvorum filius Halfus Rex, heroum de suo nomine appellatorum Dux celeberrimus, ad qvem, insidiis vitrici sui Asmundi sublatum, ulciscendum avunculus Solvius in Hordiam Norvegiæ provinciam cum exercitu classe vectus est, accitis in societatem compluribus Regulis, pugilibusqve strenuis; qvo cæso redux in Sveciam, dum fidem indigenarum tot jam annorum spatio expertus minus suspectam haberet, nec animadverteret, necessitatem parendi rebellandi occasione destitutos pro spontanea subjectione venditâsse, post annum unum per proditionem tandem occiditur imprudens, qvòd legitimi principis memoriam desideriumqve, etiam justis hæredibus superantibus, ex animo civium obliterari posse credidit.

OBSERVATIO.

HÆc cum ejusdem hujus partis Lib: III. collata, mirum historiæ illius cum his consensum, mirum etiam in synchronismorum collatione dissensum, ostendunt. Traditur enim illic, Hiorleifum Mulierosum Hordiæ Regem duxisse in uxorem Hildem, Hognii de Niardeya filiam; fratrem vero ejus Solvium eum domum secutum; postea vero Hiorleifum, cæsô Rege Sialandiæ Reidare, ditioni ejus Solvium Comitis titulo præposuisse (an vero Snorrius hic erraverit, & pro ditione Sialandia Jutiam reposuerit, an Solvius hac opportunitate provinciam qvandam Jutiæ adjecerit, cum id facile fieri potuerit, non definio) cum autem Halfus Heros, Solvii sororis filius, per proditionem â vitrico suo cum omni pene satellitio sublatus esset, Gunnlod Steinorum mater, cum de nocte inter cadaverum stragem filios suos reqvireret, recepto Utsteino, Biornum qvoqve & Bardum vivos invenisset, hos in Sveciam misisse perhibetur; qui statim â Rege Solvio humanissimè excepti sunt. Postremò Solvius unà cum Hakio Skaniæ & Eysteino provinciæ cujusdam in Daniâ Rege & athletis Halfi, Hroko Nigro & Utsteino in Norvegiam movisse traditur, Halfiqve cædem cæde vitrici ejus vindicasse. Jam verò cum nullus alius Solvius Sveciam devicisse, eamqve imperio diu tenuisse, ullibi legatur, manifestum est, hunc Solvium post fata Rolfi Krakii in Svecia regnasse. Refert enim Snorrius cædem ejus in Eysteini Regis, â Solvio oppressi, tempora. Synchronismorum vero dissen-

sum partis hujus Lib: III. de gentis Norvegicæ origine Cap: XXIV Synchronismo IV. ostendi. Ubi Solvium â Fornioto undecimo tramite descendentem, huic Eysteino â Niordo decimum octavum æqvalem demonstravi; ubi septem gradus â parte Solvii, & in his prodigiosa Aunis Grandævi ætas, ad nativitatem Eysteini desiderantur, ita ut â natali Noris exordio, qvod in annô salutis XXX. collocavimus, ad nativitatem Eysteini, cui annum CDLXXVI. in Serie Rex Daniæ assignavimus CDXLVI. anni reqvirantur; nec sufficiat, si singulis generantibus LXXIV. anni dentur. Cum igitur horum synchronismus abundè ex superioribus probatus sit, planum est, ingentem hic, ut in pluribus aliis genealogiis, lacunam irrepsisse. Verùm in digerendis Solvii annis aliqvid â nobis in Serie Regum Daniæ erratum est, ubi eum post Eysteinum, qvem anno DCCCI. occidisse statuimus, annos decem regnâsse collegimus, proditione deinde sublatum anno DXLI. Sed producenda longius ejus ætas videtur, anniqve aliqvot Braut-Aunundo (cui XXVI. assignavimus) demendi, Solvioqve adjiciendi, ut singula inter se concordent, & cum calculo Hrolfi Krakii conveniant. Sexennium itaqve, ejus ætati detractum, in Solvium referimus, ita ut cædes ejus in annum DXLVII. incidat. Satis enim spatiosum imperium Braut-Aunundo, qvantumvis laudabiliter gestum, qvatuordecim annorum periodus relinqvit. Jam vero verisimile est, potentissimo Rege Hrolfo Krakio regnante, vix in Sialandia Principem alium Regio titulo insignem extitisse, & si hoc, superiorem tamen eum Dominum Hrolfum Hleydræ seu Lethræ Regem agnovisse. Eum vero, utpote sibi subjectum, vitâ regnoqve â Rege alienigena spoliari, ditionem ejus invadi, firma deinde possessione teneri, impunè fuisse laturum Hrolfum Krakium qvis credat? Hæc itaqve Hiorleifi Mulierosi gesta ejus temporibus applicari neqveunt, nec altius elevari, cum Solvius uxoris ejus frater, ejusqve in Sellandia præfectus, Eysteino Sveciæ Regi successerit. Ad interregni tempora hæc igitur referenda sunt; id vero nostro calculo â principio anno DXXII. exordium sumit. Nos calculi rationem ita supponimus.

Anno DXXIV. Hreidarem â Hiorleifo cæsum præfectumqve illius ditioni Solvium statuimus.

DXXV. Hiorleifum ipsum piratico congressu oppressum.

DXXVI. Filium ejus Hiorolfum piraticam magno suo dedecore aggressum, tunc, ut constat, annum ingressum XVIII, natus igitur erit anno DVIII.

DXXVII. Halfus natus annos XII, latrocinium professus est, natus itaqve erit anno DXV. annos deinde XVIII. isti exercitio impendit; qvi adjecti ad annum DXXVII. desinunt in annum DXLV. annos vixit XXX; ille qvoqve anno DXV. additi, desinunt in eundem annum.

Cæsus itaqve erit Halfus anno DXLV; proximo anno Solvius cum sociis eum ultus est, anno sc: DXLVI, id enim ita traditur. Anno seqventi Solvium vivis sublatum supponimus, qvadraginta annis postqvam soror ejus Hildis Hiorleifo nupsit, si illa statim seqvente anno Hiorolfum in lucem edidit, fuisse tunc Solvium circiter vicenarum statuimus, ut sexagenarius mortuus sit, itaqve rationes in Serie ibi immutamus. Solvius de Niardeya sceptra Sveciæ invasit anno DXXXI. tenuit annos XVI; mortuus anno DXLVII. ætatis LX, natus anno CCCCLXXXVII. uno anno post natum Hrolfum Krakium. Ingvar natus D; successit Solvio DXLVII. regnavit IV. mortuus DLI. Braut-Aunundus natus DXX, successit Ingvari DLI, regnavit XIV. annis, mortuus DLXV. Deinceps tabula sine ullo damno sibi constat.

CAP:

CAP. XXIII.
DE YNGVARE EYSTEINI FILIO.



SOlvio Sveciæ Regi, per proditionem ſublato, ſucceſſit in paternum Regnum filius Eyſteini, idemqve legitimus hæres Yngvar, Originibus Norv: Har ſeu *excelſus* nominatus, civibus & optatus & utilis princeps: nam cum Svecia Danorum & orientalium populorum direptionibus per longum tempus obnoxia fuiſſet, pace cum Danis factâ in hos claſſem ingentem qvot-annis armavit. Æſtate qvadam, cum ad Eſthoniam clasſem moviſſet, populabundus in locum qvendam, qvi Stein nuncupatur, exſcendit. Verum indigenæ, collectis viribus, cæſo Rege, Sveones numero longe inferiores in fugam compulerunt, qvi Rege in littore maris, in provinciâ, cui Adalſysla nomen eſt, conditô, fugâ domum repetebant.

CAP. XXIV.
DE AUNUNDO.



AFflictas Sveciæ res, vigilantisſimiqve Regis orbitatem, ſubſeqvens tempus proſperiore fato, egregiiq; filii ſucceſſione, rependit: is erat Aunundus, magni patris major filius, pacis artibus ita clarus, ut ea qvæ ad bellum neceſſaria, nec tamen ſupervacua eſſent, neutiqvam negligeret, nec bella niſi neceſſaria gereret; itaqve ad vindicandam paternam cædem, cladisqve acceptæ ignominiam delendam, in Eſthoniam movit, eamqve latè populatus eſt, ubi cum manubiarum ingentem copiam coacervâſſet, claſſem incolumi exercitu, & abundè locupletato, domum eodem autumno reduxit. Contentus deinde prædâ, qvæ accepta damna, & ultione, qvæ illatas prius injurias, & gloriâ, qvæ contumeliam, reſarciret, ad opes eas colligendas animum advertit, qvæ citra aliorum injuriam & proprium periculum, cum civium ſuorum commodo, tum ſingulorum, tum univerſorum, proſperitate colligi poſſent, &, Diis qvaſi per manus porrigentibus, non ſine ignominiâ recuſarentur. Nam cum videret patriam terram admodum vaſtam, paſſim ingentibus & ad multorum dierum itinerum menſuram extenſis tesqvis, alibi etiam ſaltibus immenſis, paludibusqve interſectam; populum etiam numeroſiorem, qvàm pro locorum ad eum diem excultorum capacitate, creſcente in dies multitudine, agrorum anguſtiis circumſcriptum, tutius, facilius, & honeſtius, magno patriæ tum emolumento, tum etiam ornamento, alimenta comparaturum animadvertit, ſi ſylvis exciſis, paludibus exſiccatis, planities agrorum cultioni & habitationi accommodatas ad ſementes & ædes ibi faciendas converteret, qvàm ſi bellis vicinos laceſſendo foris ancipitem victoriam & certa damna, domi novos ſemper hoſtes, ultionem repetentes, utrobiqve manifeſta pericula, qværeret. Edixit itaqve, ut multas regionis provincias, ædibus & agris vacuas, ſtudioſè excolerent, novalibusqve, & pratis, & domibus, exornarent, viasqve pandendo itineri per univerſum Sveciæ territorium ſive palu-

paludes, montes, silvæ, sive solitudines silvis vacuæ, confragosaqve juga, aut vepribus virgultisqve obsita intercederent, complanari sterniqve curarent. Hinc illi Braut-Aunundi nomen ex industria & publici commodi promovendi sollicitudine inditum, qvod patria lingvâ *viarum stratorem* denotat, a Braut/ qvod *viam* designat. Inventa sunt in ipsarum silvarum meditullio spatiosa passim loca, prius ignota, sed ad habitationem valdè idonea. Qvo vero commodiùs jus redderet, lites cognosceret atqve dirimeret, complura prædia, ædesqve Regias, in singulis Regni provinciis sibi comparavit. His artibus in Svecia, pacis tranqvillæ studio, tum publicæ tum privatæ opes cumulatim congestæ brevi secutæ sunt. Rex etiam, qvi excolendis magis qvàm extendendis finibus Regni intentus erat, tum divitiarum abuundantiâ, tum etiam civium suorum amore celeberrimus evasit, annonæqve ubertas, & rerum omnium affluentia, prudens imperium comitata est. Felix Princeps, si sobole vel caruisset omninò, vel meliorem feliciorem q; nactus esset. Fuerunt ea tempestate in Svecia multi provinciarum Reguli, inter qvos memoratur Yngvar Fiadryndiæ Princeps; filii ei duo, Alfus & Agnar, filio Braut-Aunundi, cui nomen Ingialdus, ætate fere pares. Tiundiam rexit Braut-Aunundus; ibi metropolis Regiaqve urbs Upsali sita, ubi & universæ Sveciæ comitia sacrificiaqve anniversaria, stato mediæ hyemis tempore, Regùmqve eò confluentium conventus celebratur. Ibi qvadam hyeme Regulus Yngvar cum filiis suis, ad solenne sacrificiorum festum comparebat. Alfus Yngvaris filius & Ingialdus ætate sexennis pueriles ludos exercebant, sui qvisqve agminis ductor. Cum vero Ingialdus Alfo viribus inferior esset, id adeo moleste ferebat, ut præ doloris impatientia vehementer lacrymaret; qvod ut Gautvidus socius ejus agnovit, eum manu apprehensum ad nutritium Svipdagum, Cæcum dictum, secum deduxit, exposuitqve certamen ei infeliciter cessisse. Alfo namqve succubuisse, victumqve cum ignominia recessisse. Ægrè tulit senex puerilem contumeliam, itaqve postridie lupo cor exsectum, veruculo assatum ei comedendum præbuit; exinde ingenium mite in stupendam ferociam versum, efferum & omninò perversum evasit, ut omnes truculentiâ & infandâ rabie atqve crudelitate postea superaret. Postqvam adolevit, pater ipsum splendido conjugio jungi curavit, filiæ nimirum Algautii Gothiæ Regis Gauthildi. Algautii pater fuit Gautrecus Munificus, idem etiam Rex, Gautreci pater fuit Gautius, neqvaqvam is (licet illud *Snorrius Sturlæus* tradat) â qvo Gothia nomen contraxit, cum id nomen antiqvissimum â gente profluxerit, qvæ se Gothos â Dei nomine nuncupavit. Gautii vero nomen primò patronymicum, nec multo post in privatorum familiam receptum, cum antiqvissimum sit, nunc Odino, nunc filio ejus attributum est; qvod multis postea Gothiæ Sveticæ Regibus commune, huic demum, tanqvam antiqvissimo, primum propriumqve fuisse posteritas, homonymiâ decepta, temporumqve ratione, avorumqve intercedentium serie neglectâ, primò sibi, deinde aliis, persvasit. Gauthildis mater, eademqve Algauti uxor, fuit Alofa filia Olafi Skignii seu Lyncei de Nericia. Algautii igitur Regis filiam Braut-Aunundus filio suo Ingialdo nuptum dari cum peteret, annuit pater, gloriosum sibi filiæqve, tum privatim, tum etiam publicè utile illud conjugium futurum ratus, si filius moribus paternis insistens, amorem sibi civium & finitimorum observantiam benevolentiamqve conciliare niteretur. Igitur sponsam in Sveciam, qvo par erat apparatu, misit, qvam Ingialdus, nuptiis magnificè celebratis, in uxorem ascivit. Braut-Aunundus inter villas suas pro consvetudine autumnali

tumnali tempore, magno aulicorum comitatu per tesqva Himinheidensia, seu *cœlestia tesqva* (Valles sunt editis montibus undiqve septæ,) largô imbre recentem antea nivem abluente, dum transit, ingens sabulorum ac lapidum colluvies ex rupium summitate per præcipitia in planum procidens, ipsum Regem cum magna comitantium parte derepente oppressit, & improvisâ indignâqve morte extinxit.

CAP. XXV.

DE INGIALDO ASTUTO.



Raut-Aunundô improvisâ morte peremptô, Regnum Upsalense cum infinita gaza, tot jam seculis absqve intermissione coarcervatâ, ad filium Ingialdum pervenit. Multi ea tempestate Reguli Sveciam, in provincias divisam, jure successionis tenebant; qvi ab Agnio Skialfæ marito Potenteqve dicto genus ducebant; nam ab Odino ad ejus usqve tempora, individuum erat universum Sveciæ territorium. Agnius autem duobus filiis totum Regnum & possidendum & dividendum reliqvit; exinde invaluit, ut qvota pars cuiqve obtigerat, inter liberos iterum esset dividenda, interqve nepotes, & conseqventer in infinitum, subdividenda; divisio itaqve, qvæ sua natura ad minima tendit, Regulorum ditiones processu temporis, prout multiplicavit, ita qvoqve diminuit, angustisqve terminis circumscripsit; qvorundam etiam industria, solitudines excolendo, coloniisqve replendo, Regios titulos ditionésqve peperit. Omnes dignitate præstabat Rex Upsalensis, Basilicæ, sacrorum, comitiorumqve splendore prælustris; per exeqvias patris, hæredi celebrandas, perpetuò inaugurandus, nec aliter fieri consvevit; convivium igitur splendidissimum, antecessorum omnium magnificentiâ longè præstantius Ingialdus Upsalis instruxit, palatiumqve convivis excipiendis nihilo angustius deteriusqve, qvàm erat ipsa Upsalensis aula, elaboratissimè ædificari curavit, qvod Septem Regum Basilicam appellari jussit; septem enim ibi solia Regia fulgebant. Legati per totam Sveciam missi, Reges, Comites & nobiliores omnes invitabant. Convenerunt ergo socer Regis, Algautius, Yngvar Fiadryndiæ, cum duobus filiis Agnare & Alfo, Sporsniallus Nericiæ, Sigverkus Attundiæ, Reguli. Granmar Sudurmanniæ Regulus domi remansit. Sex ergo Reguli totidem solia in novo palatio occupabant, septimum Granmari, & octavum qvod inaugurando Ingialdo destinabatur, vocabant. Omnis ibi Regulorum comitatus splendidè exceptus est, satellites verò & aulici Ingialdi in veteri aulâ Upsalinâ epulabantur. Ritus autem inaugurandi hoc tenore, qvoties Regibus Comitibusve parentandum erat, celebrabatur: qvi se pro hærede gerebat, convivium instructurus insidebat subsellio, solio Regio subjecto, qvousqve scyphus memoriæ Bragii dicatus (Bragarfull veteri idiomate dictus) illi exhiberetur, qvem assurgens venerabundus cum recepisset, voto se astringebat ad præclarum aliqvod facinus perpetrandum, deinde cratere exhausto, paternum solium deductus ibi se collocabat, tum demum paternorum bonorum hæres possessorqve indubius censebatur. Poculum ergo Bragicum (ingens cornu erat) cum Ingialdus arripuisset, continuò vovit, se regni fines ex omni parte in duplum extensurum, aut intrepidè moriturum, finitoqve voto evacuavit. Eodem vespere, cum omnes ad vinum liberius

berius processissent, mandavit Folchvido & Hylvido Svipdagi filiis, cum subornatis militibus, ut armati faces ædibus subderent, elabiqve conantes interficerent; qvi intrepidè mandatum ferale executi sunt. Periit ibi inter sex Regulos etiam Regis Ingialdi Socer, nec ex comitibus illorum qvisqvam mortem evasit. Tanti sceleris raræqve ferociæ præmium singulorum ditiones invasit, sibiqve subjectas vectigalesqve reddidit, adunatisqve denuò variorum populorum provinciis, veluti unum corpus Sveciam reddidit; coalescenteqve Regno valida incrementorum fundamenta restituit. Qvibus auditis, Granmar consimile exitium sibi Ingialdum machinaturum, adqve effectum perducturum, ni tempestivè præcaveretur, facilè conclusit. Accidit forte, ut Hiorvardus Rex, cognomine Ylfingus (qvæ familia alio nomine Volsungi appellabatur) hac eâdem æstate, classe in Sveciam devectus, in sinu Myrkva/ seu *tenebricoso*, dicto, portum peteret: qvo cognito Granmar, missis legatis, eum cum universo comitatu ad convivium invitabat, qvam ille conditionem grato animo accipiebat, eo confidentius, qvòd nullas controversias intervenisse constaret, cum nullam ejus ditionis partem infestaverit unqvam. Primo vespere magnâ cum alacritate crateres ingentis capacitatis apponebantur. Mos erat, qvoties Reges, qvi ditionibus præessent, convivia instruerent, ut circa vesperas singulis convivis fæminæ assiderent, qvoad earum copia foret; qvi superessent, seorsim convivarentur; piratæ vero absqve intermisti fæminei generis consortio simul compotabant. Solium Hiorvardi Granmari oppositum erat, qvod comites ab utroqve latere in subselliis considentes cingebant. Granmar filiæ suæ Hildigunnæ mandavit, ut, mundô virgineo assumptô, piratis pocula ministraret; fuit virgo raræ venustatis, itaqve assumpto cratere argenteo, meroqve repleto, Hiorvardum Regem accessit, propinavitqve ei hac verborum formula: *Avete omnes Ylfingi; memoriæ Hrolfi Krakii* (defunctorum namqve amicorum memoriam poculis adjicere mos erat) *dicatum esto*: dimidioqve exhausto ei porrexit, qvo accepto, alterâ manu virginem apprehendit, sibiqve assidere jussit. Ipsa piratis inusitatum cum fæminis compotare respondit, qvi in ejus gratiam mores consvetudinesqve piraticas soluturum se respondit, ipsiusqve consessu mutaturum. Assedit ergò ei Hildigunna, totoqve vespere combibentes, multa invicem secretiùs colloqvebantur. Postera die Granmari significavit, sibi in animo esse filiam ipsius uxorem sibi deposcere, qvod cum pater ad uxorem suam Hildem consiliariosqve intimos detulisset, adjecit, vires haut exiguas hac affinitate accessurus. Omnium igitur animis ad Regiam sententiam inclinantibus, Hildigunna Hiorvardo desponsatur, celebratisqve nuptiis placuit, ut novus gener apud socerum remaneret, eo qvod mascula prole ad imperium defendendum destitutus esset. Hoc eodem autumno Ingialdus, collecto ex omnibus, qvas sibi subjecerat, Regulorum ditionibus exercitu, Granmarem & Hiorvardum oppugnatum ibat; qvi ut Ingialdum bello accinctum cognoverunt, militem & auxilia undiqve comparata opponebant. Inter auxiliares copias fuit exercitus Hognii & filii illius Hilderis. Hognius Granmaris socer erat, uterqve Ostro-Gothiæ Reges, qvem suppetias laturi ipsi duxerant. Acie commissa, cum pari ardore aliqvamdiu dimicatum esset, Principes Fiadryndiæ, Vestro-Gothiæ, Nericiæ, & Attundiæ, cum omnibus copiis, qvæ ex devictis provinciis confluxerant, in fugam versi naves petebant. Ingialdus, qvamvis rebus integris numero hostibus superior fuisset, tamen a suis destitutus, parum affuit, qvin hoc illi prælium rerum suarum scelerumqve ultimum esset; verum atrocioribus patrandis re-

servatus

servatus, nondum pænæ maturus, multis vulneribus affectus, magnâ suorum strage, nutricioqve Svipdago, cum filio utroqve Gautvido & Hylvido cæsis, vix ac ne vix qvidem fugâ ad naves evasit, tantâqve clade acceptâ infesto animo Upsalos rediit, perspectâqve populorum, qvos domuerat, perfidiâ, postea salutem suam ipsis committere non audebat, ne â se ipso edocti perfidiæ exemplum sæpius in se verterent. Longo deinde tempore inter Ingialdum & Granmarem bellatum est; tandem communium amicorum interventu induciæ pactæ, statutaqve dies, locusqve, qvò securi convenirent; tum demum pax inter utrumqve & Hiorvardum constituta, qvoad qvisqvam eorum superesset duratura, jurejurando confirmabatur. Proximo vere Granmar Upsalos ad sacrificium pro pacis continuatione sub æstatem peragendum profectus, ex oraculo sev divinatione cognovit, se haut longo tempore superstitem futurum; qvo cognito domum repetivit. Autumno qvi seqvebatur, cum Granmar & Hiorvardus in villa sua in insula qvadam Sili dictâ convivarentur, de improviso Ingialdus superveniens, villam cum Regibus omniqve comitatu incendit, inde universam ditionem in provinciæ formam redactam imperio suo subjecit, constitutis præfectis, cives in obseqvio metu crudelissimi supplicii retenturis. Verum Hognius Ostro-Gothiæ Rex cum filio suo Hildire, sæpius in Sveciam factâ excursione stragem magnam edidit; inde longo tempore inter illos & Ingialdum certamen satis cruentum extractum est, Hognio ditionem suam usqve ad extremum halitum adversus Ingialdi potentiam fortiter defendente. Fuerunt Ingialdo liberi duo, filia natu major, nomine Asa, filius Olafus, qvem mater Gauthildis in Vestro-Gothiam ad alumnum suum Bovium enutriendum misit, ubi unà cum filio ejus Saxio Flettere (Jofraskinnæ Flæita dicto) educabatur. Fama est, Ingialdum duodecim Reges, omnes per proditionem contra datam fidem securos, sustulisse; Perversi, sev Astuti, inde illi cognomen inditum. Maximam universæ Sveciæ partem ditione tenebat. Filiam suam Gudriodo Skaniæ Regulo elocavit, qvæ paternæ ferocitatis æmula, indeqve in cognominis communionem adscita (nam Perversa, sive Astuta, usurpatur) maritum suis incitamentis ad parricidiale crimen adegit, ut fratri suo Halfdano, Ivaris Vidfadmii pâtri, violentas manus inferret; qvo peracto, parricidium parricidio luit; nam sceleratâ uxoris fraude sublatus occubuit: qvæ supplicium verita, sceleris patrocinium apud sceleratum patrem aptissimè qværi rata, Ivare post patrui mortem in Scaniam redeunte, exercitumqve comparante, ad eum concessit. Ingialdus in Ræningia convivabatur, cum relatum ei esset, Ivarem infestis signis Sveciam petere, jamqve prope diem adventare: qvo nuncio territus, cum tanta eum velocitate ferri didicisset, ut turbinis instar imparatos subitò oppressurus videretur, constaretqve, nec exercitum, qvam ei opponeret, tam subitò colligi posse, nec in fugâ præsidium ullum animadverteret, qvæ tantum hostes undiqve accitura, & ad se opprimendum invitatura, civiumqve ludibriis expositura videretur; ad ultimam desperationem adactus, consilium, filiâ approbante, arripuit, qvod famâ late divulgatum, multorum deinde applausum meruit; se namqve & universum commilitium domesticorumqve aulicorum multitudinem genialibus poculis cum obruissent, animis a sensu mali alienatis, admotis tecto facibus in favillas redegit. Ipso horrendorum scelerum authore vindictam de se ipso, tremendo Dei judicio, exigente. Cum eo regnatrix Ynglingorum familia, qvæ â tempore Yngvi-Freyris in Svecia longo tempore floruit, ibidem interiit.

CAP. XXVI.

DE OLAFO LIGNATORE.



IN Vestro-Gothiam ad Olafum, Ingialdi Regis Sveciæ filium, delatum parentis fatum subitam ei formidinem panicumqve terrorem incussit: consilium in re subita & tanta perturbatione rerum fugâ nullum præsentius visum, qvâ furentis plebis impetus, undiqvaqve in interitum exitiumqve totius Ynglingorum familiæ, & qvotqvot ei fæderibus vel amicitia juncti essent, confluentis, sisteretur. In Nericia primò secessum qværebat; verum neqve ibi exilium a concitatæ turbæ furore tutum: igitur occidentem versus, per tesqva solitudinesqve, usqve ad fluvium Albim (Elfr vernaculè dictum,) qvi è septentrione in lacum Vænerem se exonerat, itum, ibi excisâ atqve exustâ silvarum vastitate, excultâqve camporum planitie, novæ coloniæ, ædes, agri, novalia, prædiaqve qvam plurima, novam rerum faciem induxerunt, breviqve ex desertâ olim incultorum saltuum solitudine, fertilis & frugifera provincia, regioqve populis abundans effecta, a caloris æstu Vermalandia dicta est, cum autem Sveci certiores facti essent, qvòd inculta & avia loca excoleret Olafus, falsè illum deridentes, per ludibrium Tretelgiam sev Lignatorem cognominarunt. Uxor ejus fuit Solveig Solvii filia, Halfdani Auridentis Soleyarum principis neptis, Solvii proneptis, Solvaris abneptis, Solvii atneptis, ejus, qvi primum tractum Soleyensem excoluit, ut *Chronici Norvegici exemplaria manuscripta* habent. *Origines autem Norvegiæ* tradunt, Raumum Noris filium duxisse neptem ejus Solvii Hildem in uxorem, qvi primus Soleyas excoluit. Gudbrandi nempe filiam, ejus, qvi Priscus usurpatur, cujus filii referuntur, primus Gudraudus, pater Eysteini Crudelis Uplandarum Reguli, ejus qvi Thrandis canem suum, Saur dictum, Regem constituit, secundus Haudus Hadalandiæ Regulus, â qvo gradu qvarto rectâ descendunt Hrochus & Steinn Halfi herois athletæ (qvi vixere tempore Solvii, Eysteini, & Yngvaris Sveciæ Regum) & octavo gradu distabant ab illo Solvio primo Soleyarum cultore. Fuit autem Yngvar Sveciæ Rex illis coævus, Olafi Lignatoris, hujus Solvegis mariti, proavus, Eysteinus abavus. Vix ergo consistit, Solveigem hanc qvarto tantum gradu ab illo Solvio distare. Tertius Haddingus; qvartus Hringus Gudbrandi filii erant. Avorum nomina in nepotes derivata singulorum acta confuderunt; cujus rei vel hæc genealogia exemplum præbet, idem nomen ter repetitum exhibens; de qvo Partis hujus Lib. IV. Cap. II. ut & genealogia Lib. V. ad calcem annexa sub lit: D revolvi poterit. Filii Olafi ex Solveige fuere Ingialdus & Halfdanus; hic in Provincia Soleyensi enutriebatur, apud Solvium avunculum suum; qvatuor hic Solviorum nomina & qvintum persimile Solvaris, in una eademqve linea occurrunt, qvod sæpe aliàs accidit, id qvod historias qvoqve confuderat.

Ivare Vidfadmio Sveciam occupante, magna factionis Ingialdianæ multitudo in exilium acta, famâ fertilitatis Vermiæ illecta, studio etiam partium ad Olafum concessit, tanto confluxu, ut angustis limitibus clausa provincia iis sustentandis impar esset. Inde rerum omnium penuria, præsertim alimentorum, famesqve exorta, Regi ob religionis & sacrificiorum negle-

neglectum, qvibus minus deditus erat, imputabantur, more Svecis in Ethnicismo usitato; qvo qvalecunqve annonæ temperamentum Regibus adscribi consvevit; in qvorum potestate frugiferorum steriliumqve annorum vicissitudinem sitam creditum est. Qvamobrem incolæ, habito conventu, Regem suum aggressi, ipsum domumqve igne crematum Odino sacrificii loco obtulerunt, ad annuos frugum proventus conseqvendos. Postea qvi inter Svecos prudentiores erant, caritatem annonæ falsò Regi, rectius nimiæ populi abundantiæ, cui sustentandæ angustum territorium non suffecisset, ascribendam animadverterunt. Ad amplius itaqve qværendum, universum exercitum trans occidentale Eidæ nemus (Eidaskog) educunt, Solungosqve imparatos & nihil hostile metuentes invadunt, Regeqve Solvio occiso, Halfdanum Hvitbeinum, seu Albipedem, dictum, in materni avi nutricatu educatum, comprehendunt, Regemqve sibi creant, singulisqve Soleyis sibi subjugatis, postea in vicinam Raumarichiam infusi, illam etiam provinciam armorum vi occupârunt. Hunc eundem Olafum Vermorum Regulum intelligit *Saxo Lib. VII.* Haraldiqve Hilditanni tempore floruisse tradit; Cujus filiam Esam Olo, sororis ejus filius, ab injuriis Scati & Hiali, raptui eam destinantium, vindicaverit. Qvæ ad amussim cum nostris antiqvitatibus consentiunt, neqve enim ullum Vermiæ Regem hoc Olafo priorem agnoscunt, eumqve ad Haraldi Hilditanni tempora referunt, de qvo *præcedente libro Cap. XIV.* actum est.

CAP. XXVII.
DE HALFDANO ALBIPEDE.



HActenus familiam regnatricem a Niordo Sveciæ Monarcha ad Halfdanum Hvitbeinum, seu Albipedem, primum in Norvegia ab illo stemmate descendentem Regem, pertexui; nunc ab eo ad primum Norvegiæ Monarcham Haraldum Pulchricomum eodem ordine methodoqve perducere proposui; verum Halfdani gesta posteritatem latent, potentia ditionisqve amplitudo non item; nam ductâ in uxorem Asa, Eysteini Imperiosi Heidmarchiæ Regis filiâ (diversus is est ab illo crudeli tyranno, qvi canem Thrandis obtrusit, homonymia tamen & territorium, ubi imptrârunt, persvadent, hunc ab illo oriundum, per longam avorum seriem descendisse) magnam Heidmarchiæ partem, Thotniam item & Hadalandiam nactus est. Vestfoldiæ etiam bonam partem imperio tenuit; tandem Vermiam, post excessum fratris sui Ingialdi, qvi ibi post patrem regnavit, consecutus, Comitibus gubernandam commisit, qvi tributum annuum penderent. Princeps felix, qvalis, ut plurimum, turbatis temporibus, propitiatô numine, post expiata ex parte per irrogatas pænas publica delicta, obtingere solet: senio gravis, placida morte in Thotnia decessit; in Vestfoldiam delatus, in Scæreide in Skiris-sal tumulo conditus. Duos filios ex Asa suscepit, qvorum prior Eysteinus, posterior Gudriodus dictus est. Gudriodi filius Olafus, nepos Helgius, cognomine Acutus, pronepos Ingialdus, abnepos Olafus Albus, Dublini Rex *Jacobo Waræo ad annum DCCCLIII.* Atnepos Thorsteinus Rufus, qvi initâ cum Sigurdo Eysteini filio, Orcadum Comite, militari societate, magnam partem Scotiæ subegit. Alter Helgii Acuti filius fuit Sigurdus Hiortus, seu Cervus, Ragnhildis

hildis pater, Haraldi Pulchricomi avus; videnturqve Ingialdus & Sigurdus Hiortus fuiſſe fratres germani, ex una eademqve matre, Sigurdi ſcil: Angvioculi Daniæ Regis filia, nati, qvam *Origines Islandiæ*, in genere Thorſteini Rufi recenſendo operoſæ, *Eyrbyggorumqve Historia* Thoram, eamqve, ut videtur, ſecutus *Arngrimus Crymog. Lib. II. Genelog. IX*, ubi illam Irlandiæ Reginam perperam appellat. Chronica Norvegica in Halfdano Nigro Aslaugem, idqve (ut videtur) rectiùs, appellant, qvippe de aviæ ſuæ Ragnaris Lodbrochis uxoris nomine nuncupatam; ni forte Helgius Acutus duas uxores duxit, Thoram & Aslaugem, indeqve poſtea error irrepſit, ut Thora qvoqve Angvioculi filia haberetur; fortè etiam duas ſorores ſucceſſivè duxerit, cujus licet exemplum jam non ſuccurrat, receptum tamen erat, ut frater demortui fratris uxorem duceret. Sed nec ſatis conſiſtit, qvod duo Helgii Acuti ſimul ſingulas ſinguli Sigurdi Angvioculi filias duxerint, unus Aslaugem, alter Thoram. Veroſimilius eſt, unum Helgium Acutum unam Sigurdi Angvioculi filiam uxorem duxiſſe, ex qva Ingialdus & Sigurdus Cervus nati ſunt. Verùm nec ſeries generis cum Originibus Norvegiæ convenit; nam Scriptor iſte Helgii Acuti patris patrem Olafum, non Gudriodi, ſed Hringi filium facit, genusqve Helgii non â Sveciæ Regibus, ſed Halfdano Priſco, ſeu Grandævo, Noris pronepote, texit, fortè qvòd Hringus ille Olafi vitricus fuerit, matrem ejus aut ante, aut poſt patris ejus fata duxerit, id qvod originum ſcriptori impoſuit.

CAP. XXVIII.

DE EYSTEINO BOMBO.



EYſteinus, *Ario Polyhiſtori* cognomento Fretr/ ſeu Bombus, patri in tractu Raumarikiæ & Veſtfoldiæ ſucceſſit. Uxor illi fuit Hildis, filia Eirici Agnaris filii, Regis Veſtfoldiæ, Agnarem vero Eirici patrem Sigtryggi Vindlhæ ſeu Vendilæ Regis filium *Chronica manuſcripta* tradunt. *Origines Norvegicæ* aliter, nam illis Hildis eſt Eirici filia, Alfi neptis, Agnaris proneptis, Bragii Regis Valdreſiæ in Norvegia abneptis, Halfdani Priſci atneptis, Hringi trineptis, â Nore ſeptima. Chronicon typis impreſſum inter Agnarem & Sigtryggum Eiricum perperam interſerit, Regemqve Vettulandiæ agnoſcit, cum illud tantùm prædium ſit, ut *in Sancti Olafi Hiſtoria* habetur. Ego Sigtryggum inter Bragium & Agnarem inſerendum exiſtimo, qvo Chronica cum Originibus concilientur, & temporis ratio meliùs conſtet, Valdreſiæqve Regulorum Seriem explicari credo fide Originum. Eiricus Eyſteini ſocer, vivo Halfdano Albipede, ſine filiis deceſſit, itaqve tam pater & filius ditionem ejus ſibi aſſerebant, qvàm Eyſteinus ab exceſſu patris, ſolus qvoad vixit, tenuit. Sic habent *Exemplaria MSS.* & illud qvod typis impreſſum eſt. Veroſimilius eſt, ſolum Eyſteinum jure connubiali ſibi vindicâſſe, reditusqve reportâſſe.

Eo tempore in Vornia (ſita eſt in orientali ſinûs Foldenſis regione) Skioldus imperavit, magicarum artium peritiâ celeber. Eò Eyſteinus piraticis navibus impreſſionem fecit, & obviâ qvæqve diripuit, colonorum ſuppellectile, veſtiumqve, tum etiam & armentorum, magnâ vi ad naves delata. Skioldus autem cum tumultuaria manu ad littus deſcendit, cum Eyſteinus inde ſolviſſet, ſinumqve trajeciſſet. Qvi, ut hoſtium

vela procul prospexit, tunicam complicatam veluti tibiam inflavit (Exemplaria MSS. tunicâ in sublime circumactâ halitum efflâsse tradunt.) Cum vero intra insulæ Jarlseyæ littora navigaret, clavumqve in puppi turbulento mari teneret, instrumentum, qvo vicinæ navis remiges (Beiti-As vocant) vela obliqvabant, Regi de improviso impactum, de navi eum in mare præcipitem neci simul dedit; corpus exanime sublatum ministri in Borram deportârunt, adqve littus Vaudlense magnifico tumulo condiderunt. Atq; ita Eysteinus, dum aliena per injuriam congerit, sibi injuriæ mercedem subitaneam mortem acceleravit.

CAP: XXIX.
DE HALFDANO CIBIPARCO-MUNIFICO.



SUccessit ei filius, avi nomen referens, Halfdanus dictus, cognomen sibi ipsi repugnans sortitus Cibi-parco-Munifici: nam satellitibus stipendia tanta liberalitate erogavit, ut tantum auri pondus, qvantum vicinorum Regum argenti reportarent, in rebus penuariis parcus, pecuniariis prodigus; Princeps strenuus, ut qvi nauticis prædis, iisqve diutinus plurimum rem familiarem auxerit. Hlif Dagi Vestmæriæ Regis filia ei uxor, domicilium prædium Holltar, Vestfoldiæ villa, fuit, ubi ex morbo decessit, conditus in Borra.

CAP. XXX.
DE GUDRIODO MAGNIFICO.



DEcedens Halfdanus filium reliqvit Gudriodum, Magnifici juxta & Venatoris, &, Codice Flateyensi teste, Robusti, cognominibus clarum; cujus uxor Alfhildis Alfarini Alfheimensis (provinciæ Got-Albiæ & Rom-Albiæ interjacentis) Regis filia, dimidiam Vingulmarchiam dotem ei attulit. Filius illis Olafus, Geirstada-Alfus postea dictus. Qvâ mortuâ, legatos ad Haraldum Granraudum seu Barbarossam, Agdarum Regulum, Herbrandi, ut habent Origines Norvegiæ, filium, Vigbrandi nepotem, Hilddibrandi pronepotem, Hilderis abnepotem (unde Hilldingorum familia orta est) Dagi Halfdani Grandævi filii trinepotem, misit, nuptias filiæ ejus, nomine Asæ, postea Imperiosæ dictæ, petitum. Id cum abnueret, Gudriodus, navibus copiis impositis, de improviso nocturno tempore supervenit, Haralldumqve securum, cum satellitio, qvod præstò erat, neqvicqvam domo egressum & pro virili se defendentem, numero militum potior facilè oppressit occiditqve, cum filio suo, nomine Gydo, (aliis Gyrdo, prædamqve omnem cum filia domum devexit; hanc deinde matrimonio solenniter sibi junxit, filius ex ea susceptus Halfdanus fuit; qvô annum vix egressô, cum pater pro more provinciam lustraret, inqve portu Stiflensi convivaretur, benè potus per vesperam inter primas tenebras nave egressus, in extremitatem pontis ascendisset, ab accurrente qvodam gladio transfossus exspiravit. Sicarius statim a satellitibus trucidatus, inseqvente die agnitus,

Reginæ

Reginæ â calceis esse deprehensus est; qvæ neqve dissimulavit, se instigante in ultionem patris fratrisqve maritum interemptum, neqve illius facinoris pœnam dedisse memoratur. In paternam namqve ditionem Agdas cum parvulo filio concessit, paternumqve imperium, qvoad filius adolesceret, periculi in posterum secura, regendum sumsit. Editio Danica Gudriodum Senis cognomine ad ultimum innotuisse tradit.

CAP. XXXI.
DE OLAFO GEIRSTADA-ALFO.



Ilius ex uxore Alfhilde Olafus, decedente patre viginti annorum, Geirstadis habitabat, Geirstadensisqve Alfus post mortem dictus est; is patri in partem ditionis Vestfoldiam successit. Codex Flateyensis Grænlandiam, tractui lacui Mios conterminum (situm ita describit Undalinus) suppressâ Vestfoldiâ, memorat, probatqve authoritate Thiodolfi poetæ Hvinensis, citato carmine ê genealogia Ynglingorum, qvod tamen Exemplaria Chronici Norvegici ad verbum expressum non habent, sed aliqvantulum variant. Duas præter patrimonium accessisse provincias idem liber tradit, Upsen nempe & Vestmariam; qvarum posterior occidentalis Vestfoldiæ pars eo tempore procul dubio fuit, prædium ibi Holltar in Nidnesiâ Agdarum præfecturâ provinciam monstrat. Carmen ex Codice Flat. penè ad verbum hôc modô reddidi:

Vestmaras Upsenqve simul, tractumqve peramplum
Norvegicæ Gröniæ ditione tenebat Olafus,
Donec eum terris dolor improbus, à pede primum
Orsus, ad interitum compulsum sustulit: ingens
Qvantumvis fuerit memorandi nominis heros,
Gramine vestito tumulo tamen inde qviescit,
Geirstadisqve situs linqvit præconia famæ.

Apparet hinc, Vestmæriam occidentalem Vestfoldiæ partem, Vestfoldiamqve Nidnesiam ambitu suo complexam olim fuisse, ubi & Hollt prædium pastorale & Geirstadi hodieqve nomina prisca retinent; licet Petrus Claudius Undalinus tractum hunc, prout seqvioribus temporibus censebatur, Agdis adscripserit. Upsen ubi sit, nondum poteram indagare.

Post obitum patris avus ejus Alfarinus, alio nomine (Codice Flateyensi teste) Alfgeir, Vingulmarchiam, qvam patri dimidiam uxor dotis nomine attulit, ademit, filioqve suo Alfo, aliàs Gandalfo, vindicavit, maximam præterea Raumarichiæ partem. Cujus exemplum secutus Haugnius Eysteini Potentis filius, spretâ Olafi ætate, Heidmarchiam, Thotniam & Hadalandiam filiis Gudriodi ereptas, sibi subjecit. Cod. Flateyensis Eysteinum Haugnii filium, Eysteini Astuti nepotem, Heidmarchiam & Soleyas sibi subjecisse tradit, sine ullius territorii Olafi diminutione; qvod qvàm male sibi constet, planum est â latitudine ditionis Halfdani Albipedis, qvi eam universam ad posteros per ordinem successionis transmisit; qvæ deniqve aucta dimidio Vingulmarchiæ, seu Austfoldiæ, vel, recentiore nomine,

ne, Borgarſyslæ tractu, ad Gudriodum horum patrem pervenit. Defecit hoc ipſo tempore Vermia ab Olafo fratreqve ejus ad Svecos, qvibus tributa pendere cæperunt. Sola itaqve Veſtfoldia, anguſta ſatis ditio, in poteſtate Olafi remanſiſſe videtur; cujus tamen dimidia pars, eaqve meridionalis, Halfdano fratri, licet avi materni Regno, Agdis ſcilicet, aucto, jure hæreditatis ceſſit. Cod. Flat. (neqve enim alibi reperio) poſt partas bello Heidmarchiam, Thotniam, Raumarichiam, univerſum ceſſiſſe Olafo tradit, id qvod a veritate non abludit. Filium Rognvaldum Heidumhærri, id eſt, montibus celſiorem, vel celſiſſimum, dictum, ſucceſſorem, eundemqve Regio titulo illuſtrem, reliqvit. Cujus genealogiam, per triginta avorum ſeriem, exqviſito carmine poeta Thiodolfus de Hvini (hodie eſt Qvinesdal) Haraldi Pulchricomi ſatelles pertexuit, â Niordo Veciæ Principe filioqve ejus Yngvifreyre, unde Ynglingorum nomen promanavit. Ubi qvo qvisqve mortis genere occubuerit, locumve ſepulturæ nactus fuerit, indicavit. Podagrâ laborantem Olafum tandem deceſſiſſe Thiodolfus perhibet, qvod licet Codex Flat. non reticeat, adjicit tamen, epidemico morbo ſublatum fuiſſe. Fabulam autem, ſive in laudem Sancti Olafi, qvi hujus nomen retuliſſe traditur, confictam, qvo natales illius prodixius commendarentur; ſive qvòd hæc fama ſubſecuto tempore vulgo probata obtinuerit, haut pigebit aſcribere. Indictis qvondam comitiis, cives omnes juriſdictioni ſuæ imperioqve ſubjectos freqventes adeſſe juſſit; congregatis præcepit, ut privata qvisqve negotia abſolveret, perqve definitas legibus actiones jura ſua perſeqveretur, litesqve judiciis dirimi ſinguli paterentur, ſe deinde cauſſam indicti conventûs expoſiturum. Civium rebus compoſitis, concionem hunc in modum ad populum habuiſſe perhibetur: *Næ ego delirare vobis videor, cives, qvi, cum veſtris commodis invigilare tenear, a propriis & neceſſariis negotiis avocatis, huc ut omnes ſimul conveniretis, edixi, nec cauſſam ſubeſſe, qvæ ponderis qvicqvam, ſed plurimum ſenilis delirii habeat, exiſtimabitis. Oblatum per qvietem ſomnium publicaturus, ut ſinguli adeſſetis mandavi, qvo facilius cognoſcam, qvid vobis videatur portendere. Taurus ingens præferoxqve â provinciis orientalibus in meam ditionem irrumpere viſus, obvia qvæqve proſtravit, pedibusqve protrivit, permenſusqve univerſam provinciam in homines rabiem vertit, qvos ſine diſcrimine acervatim proſtratos, plures etiam halitu enecavit, æqvavitqve necatorum ſuperantium numerum, nec qvievit priusqvam cædem, cruentamqve lanienam in aulam meam convertit, ſtragemqve ingentem dedit. Vos, qvid ſibi viſio hæc velit, exponite, nam de nihilo non eſſe perſvaſum habeo.* Reſponſum: *neminem illo melius interpretari poſſe.* Tum ille: *Longa jam conſtantiqve pace, annonæ fertilitate & largo rerum omnium proventu, immortalium Deorum munere gaviſi ſumus: populo abundantior eſt ditio, qvàm ut incolis ſuſtentandis ſufficiat; rerum mutatio inſtare videtur. Taurus ille torvus terribilisqve peſtem denotare videtur, ab orientali plaga territorium noſtrum invaſuram, plurimosqve mortalium abſorpturam: nec mihi credo parſuram, neqve enim perſvaderi poſſim, naturæ me præ aliis hominibus leges ſuperaturum. Expoſuiſſe ſomnium videor, eventus procul dubio confirmabit. Reſtat conſilium, nimirum ut qvotqvot adeſtis, magnificum tumulum exſtruatis in lingulæ hujus extremitate, qvæ proxima hinc porrigitur, ſepimentis cinctum pecori arcendo. Eò ſinguli majoris exiſtimationis viri, dimidiam ſelibram argenti pro ſepultura inferunto: eveniet priusqvam peſtis deſinat, ut ſitorum numerum funere meo augeam, tumuloqve inferar. Caveant autem ſuperſtites, ne morem, multis jam ſolennem, imitentur, ſacrificando mortuis, iis, qvi pluribus ſuccurrere vivi conſveverant. Mihi namqve* per-

perſvaſum eſt, mortuos opem nemini ferre poſſe. Contingit etiam, ut mortui ſacrificiis onerati poſtea faſcinentur: ſtatuo qvidem eosdem genios videri ſæpe numero opem ferre, tum cum maxime nocent; itaqve valde vereor, ne nobis defunctis annonæ caritas ſuperſtites afflictura ſuccedat, inqve remedium ſuperſtitioſa ſacrificia nobis decernant, qvibus incantati inqvietabimur, licet neqve annonam flagellemus, nec ſiſtamus. Eventus vaticinium Regis, nec longo intervallo, probavit, nam graſſata per provinciam peſtifera lues plurimos abſumſit, ad ultimum ſatellitia aulica. Rex ipſe agmen clauſit. Omnes eodem tumulo conditi, nam ſtatim a conventu omnes tumulum ingentis magnitudinis cæperunt ædificare, mortuis inferendis, aggere conſpicuo undiqve cinctum; qvò Rex poſtremus cum magnâ æris vi illatus eſt; exinde peſtis abceſſit, tumulusqve clauſus eſt. Nec longum tempus effluxit, cum ſterilitas agrorum & rerum neceſſariarum penuria ſecuta eſt; mox, urgente fame, convenit inter cives, in tanta mali remedium, ut Olafo ſacrificia decernerentur: exinde Geirſtadenſis Alfus dictus eſt, qvod denotat genium ſeu Numen familiare Geirſtadenſe. Poſt duo circiter ſecula (neqve enim qvo anno deceſſerit conſtat) anno nimirum CMXCV. cum Sanctum Olafum mater partu editura eſſet, graviqve dolore per complures dies torqveretur, nec eniti poſſet, Hranio Peregrinatori, Regis Haraldi Grænſkii, jam incendio in Svecia hauſti, individuo qvondam comiti fideliqve Achati, diſcretam a Domini domum inhabitanti, per qvietem ſpecies hominis, magnæ ſtaturæ, vaſtiqve corporis ſe exhibuit, Olafi Geirſtadenſis Alfi, famâ etiam illo ſeculo ſatis noti, nomen profeſſa, conditum ſe tumulo in promontorio villæ Geirſtadenſis, Regemqve qvondam iſti provinciæ imperitâſſe, refert; contineri tumulo magnam pecuniæ vim, qvâ nunc indigeat Svenus Comitis Haconis filius, metu Olafi Tryggvini Regno profugus, qvi vicinum portum claſſe teneat: monet, ut hujus rei certiorem faciat, tumulumqve militum operâ nocturno tempore aperiat, tetrum tamen odorem & fuliginem ê ſpecu aſcendentem, terrorem omnibus incuſſuram prædicit, ut non ſit, qvi tumulum ſubire non detrectet; jubet itaqve ut ipſe ſubeat, ſibiqve mercedis loco tres pretioſiſſimas res de indiviſa prædâ detrahendas prius ſtipuletur. Cuncta feliciter proceſſura, ſi interrito ſit animo, ſecus vitæ periculum, idqve præſentiſſimum, inſtare. Catenam, qvâ demittendus in tumulum ſit, nemini præterqvam Comiti concredendam. Eum ſolum ea animi conſtantiâ præditum, ut ad ſubitum tumultum non exhorreſcat, funemve deſerat. Ingreſſum omnem pecuniam in manipulum collectam convaſare ſociisqve extrahendam permittere; deinde viro, qvi medio tumulo ſellæ inſideat, armillam auream, cultrum & cingulum gladiumqve deinceps cruribus ſuis invectum auferre, eoqve caput ipſi amputare, decenterqve cervici iterum imponere præcipit, magnâ cautelâ, ne â priſtino ſitu uſpiam deflectat, id enim magni referre dictitabat. Tum vero ingentem tumultum fragoremqve intra collis penetralia concitandum prædixit, qvo non candela modò intra tumulum extingvatur; verùm omnes, qvi ſupra reditum ejus prædamqve ſollicitè expectant, metu perculſi dilabantur, præter Comitem & pauciſſimos, qvorum ad pericula obſirmatus animus pavorem excludat. Jubet deinde ut cimelia tria, ſpolia collis, intra penulam condat, avaritiæ pactiqve violandi certiſſima irritamenta, ſi oſtendantur, proculqve abeſſe, dum Svenus prædam inter ſocios dividat. Duobus eqvis valde celeribus inſtructum, nec tamen longiùs, qvàm clamantis vox ſenſusqve ritè percipi poſſit, tum demum pacti, de prælibandis ê præda cime-

cimeliis tribus, fidem urgendam, qvibus ê longinqvo monſtratis, eqvum alium inſiliendum monet: Revocanti Sveno minime parendum, ſed aſcenſo altero eqvo protinus aufugiendum, qvem cum inſeqvens Svenus jaculo transfixerit, altero inſcenſo, proximam ſylvam petendam, qvo perſecutionem evadat: inde Regiam Haraldi Grænſkii domum, Vik dictam; ubi Reginam partus doloribus prope-modum confectam deprehenſurum, cui ſomnium resqve geſtas ordine enarrandas, paciſcendum etiam cum eâ, ut in liberationis mercedem puerum, qvem eniteretur, de Olafi Geirſtada-Alfi nomine nuncupet; qvo conceſſo, cingulum tumulo extractum ei circumdandum, ſtatimqve parituram, armillam enſemqve, Beſingum dictum, puero munera ſua reddenda. His dictis adjicit, ut inde Olafum Tryggvinum adeat, novamqve, qvam is profiteatur, religionem amplectatur; qvo peracto, ad puerum Olafum redeat, ipſiusqve curam ſuſcipiat, &, qvoad vivat, comitetur; in hoc ſummam ejus felicitatis ſitam eſſe. Excitus ſomno Hranius omnia haut ſecus ac præceptum erat exſeqvitur; ſingula dictis repræſentatæ ſpeciei reſpondent; abſolvitur partus, editur in lucem Olafus, fit Chriſti ſectator Hranius, & exinde curator ſtudiorumqve adoleſcentis Olafi moderator inſpectorqve. Hæc, ut Livii verbis utar, ad oſtentationem ſcenæ gaudentis miraculis aptiora, qvàm ad fidem, neqve affirmare, neqve refellere operæ prætium eſt. Commendatur Olafus Geirſtada-Alfus à proceritate, decentiqve corporis ſtatura, formæqve elegantiâ, belli paciſqve artibus, & qvòd impiger miles, ſtrenuus militiæ ſectator, idemq; civium ſuorum felicitatis commodorumqve ſedulus promotor & clemens Dominus fuerit.

CAP. XXXII.

DE HALFDANO NIGRO.



Nnum tantùm agebat Halfdanus, cum fraude maternâ patre orbatus pupillus relictus eſt; illa, ut antea dictum, offenſam civium iramqve metuens, utpote in peregrino imperio parum tuta, in paternam ditionem unà cum illo conceſſit, regnumqve ſuo imperio regendum occupavit, tutelari forte nomine, dum filius, ultimi poſſeſſoris nepos, ad maturam ætatem adoleſceret, qvi brevi robore ſtaturâqve conſpicuus â nigra cæſarie Nigri cognomen adeptus eſt. In octodecimum ætatis annum paterni imperii, Agdenſis nimirum diſtrictûs, adminiſtratio dilata, ei tandem ceſſit; incertum an ex tutelaribus annis definitâ lege, an alia qvavis cauſſa. Mox in Veſtfoldiam profectus, regnum illud inter ſe & fratrem Olafum æqvis portionibus diviſit, eodemqve autumno in Vingulmarkiam cum exercitu infuſus, Gandalfum Regem bello oppetivit, cumqve multis præliis varia victoriâ decertâſſent, pax tandem convenit, reddita imperio ejus media Vingulmarckia, qvam pater Gudriodus antea tenuit, inde infeſtis armis Raumarichiam invadens, totam ſibi ſubjecit. Qvo cognito Rex Sigtryggus, Regis Eyſteini filius, qvi in Heidmarkia confidens, prius eam ſibi ſubjecerat, collectis copiis ad recuperandam provinciam idoneis, obviam illi procedit. Ingens prælium magno animorum ardore exortum victoriam Halfdano attulit, cæde qvoqve Sigtryggi clariorem, qvi, qvàm primum ejus milites fugere cæperant, telo ſub ſiniſtra ala trajectus

exanimis concidit. Exinde universam Raumarichiam Rege orbatam, jure belli suæ ditionis fecit. Cum vero in Vestfoldiam rediisset, Eysteinus Sigtryggi frater, alter Regis Eysteini filius, haut qvietam ei divictæ provinciæ possessionem relicturus, armatâ manu eam ingressus passim in suam potestatem redegit. Igitur Halfdanus partum armis districtum armis qvoqve recuperandum ratus, cum magnis copiis adversus eum movit, consertoqve prælio victor in Heidmarchiam refugum persecutus, secundâ qvoqve dimicatione eum profligavit; qvi geminatâ clade, non item animo, fractus, ad Dalos, provinciæqve illius principem Gudbrandum, opibus florentem, profugit, indeqve auctus copiis, bellum majore mole reparaturus per hyemem in Heidmarchiam rediit, in vastissimi stagni, Miös dicti, magnâ insulâ cum Halfdano congressus iterum succubuit, cædes insuper Guttormi dynastæ, Gudbrandi filii, toto Uplandarum territorio spei maximæ juvenis, cladem, aliàs gravem, graviorem tamen reddidit. Duxit Gudbrandus genus â Brando Noris nepote, Raumi ex Bergdise filiô Gudbrandi nomen a Diis, qvibus illum tenellum mater consecravit, sortito; non qvòd Gudbrandi nomen tunc primum ex hac caussa cæperit; nam Raumus hujus pater posteriorem uxorem Hildem, alterius Gudbrandi filiam duxerat, cujus pater erat Solvius, qvi tractum Soleyensem primus excoluit. Ab hoc Brando, auctoqve nomine Gudbrando dicto, an hic noster sextus, septimus, vel posterior fuerit, parum compertum habeo. Majorum series *hujus partis libro qvarto Cap: II.* explicata est, qvam, cum in hoc rege finiatur, repetere non pigebit. Nore satus Raumus, Raumo Gudbrandus Dalorum Rex, Gudbrando Andleifus, Andleifo Gudmundus, Gudmundo Gudbrandus, qvi angustos regnorum limites Regio nomine inferiores existimans, ultrò tanti fastigii titulô resignatô, Comitis nomen assumpsit, præfatus, malle se potestate Regibus parem, Majestatis nomine abstinere, qvo Comitibus omnibus toto septentrione major non haberetur modo, sed etiam esset: inde filius ejus Geirmundus, neposqve Rodgeir, proneposqve Gudbrandus, Comitum nomina usurpârunt. Verum hic proavi factum imitatus etiam Comitis titulum Herseris seu Baronis permutavit, amplitudine ditionis & libera in cives suos potestate sui temporis Regibus nulla parte inferior: spreto aut non observato, qvòd tum Comitum, tum Baronum tituli subjectionem implicant, cum tamen hi liberi, suiqve juris, nulli superiori obnoxii & fuerint & videri voluerint. Exinde successores Baronum titulo usi sunt; an vero hic, de qvo nobis sermo est, is Gudbrandus fuerit, vel qvoto ab eo gradu distet, silentibus chartis exprimere neqveo. Ad Eysteinum redeo.

Is iterum fugâ in Dalos abreptus, desperato ultriore rerum suarum successu, cognatum suum Hallvardum Skalkum de pace ad Halfdanum jam supplex misit, tantumqve profecit, ut miseratus sortis suæ, intercedentis sangvinis nexûs respectu, dimidium Heidmarchiæ permissu ejus & gratiâ conseqveretur. His incrementis validior Halfdanus Thotniam & tractum Land dictum, totamqve Hadalandiam, præter alteram Heidmarchiæ partem, possessione complexus, potens Rex evasit. Tot successibus clarus finitimisqve formidabilis, de idoneâ uxore sibi socianda cæpit deliberare; nulla Ragnhilde (*Floamannorum Historia*, eamqve secutus Arngrimus Crymogææ Lib: II. Genealogia VI. Thoram eam appellat) Sogniæ Regis Haraldi Auribarbi filiâ aptior visa est, qvam consensu patris adeptus, brevi qvoqve filio auctus est, qvem Haraldus avus maternus de suo nomine nuncupatum sibi educandum poposcit & obtinuit. Extremo autem ætatis

ſuæ, ipſe maſcula ſobole deſtitutus, ei regnum ſuum legavit, Regemqve ſe vivô conſtituendum curavit, pauloqve poſt exſpiravit; eademqve hyeme filia ipſius Ragnhildis, proximoqve vere filius, jam decennis, poſtremus maternæ domûs ruinæ cumulus acceſſit. Qvo comperto pater Halfdanus, cum magnis copiis comitatuqve in Sogniam profectus, delatum ſibi cum cætera hæreditate regnum occupaturus, nemine obnitente, nanciſcitur, fauſtisqve omnium acclamationibus, & feſto apparatu Rex declaratur; qvem in ordinando novi regni ſtatu occupatum Atlius Gracilis, Comes de Gaulis, Hundolfi filius, Regis Auribarbi, qvippe ſororii ſui vetus amicus, accedens, toti ab eo Sogniæ præfici meruit, controverſiis ſecundum leges decidendis, tributisqve colligendis, aliisqve Regii officii partibus obeundis adhibitus. Omnibus ex animi ſententia diſpoſitis, Halfdanus deinde in Uplandas regreſſus eſt. Proximo autumno, dum Vingulmarchiam luſtraret, mediâ inter convivandum nocte qvidam eqvitum, qvi excubias agebat, ſubitò advolans appropinqvantis hoſtilis exercitûs improviſum nuncium attulit. Qvo cognito, Rex ad arma omnes convocans è veſtigio egreſſus aciem inſtruit. Ibi Gandalfi filii Hiſingus & Helſingus & Hakius cum validis copiis Halfdanum aggreſſi acerrime pugnam cient, nec is minus fortiter impugnantium impetum vel ſuſtinet, vel repellit: verum numero longe inferior, multitudinis vim fugâ evitans in ſylvam ſe cum magno ſuorum comitatu proripit, Aulvere Sapiente nutritio ſuo inter præliandum occiſo. Deinde magnis undiqve accurrentium ſubſidiorum agminibus inſtructus, confeſtim illos perſeqvitur, usqve iſthmum juxta Eynam; ibi redintegrato prælio magnis animis viribusqve ab utraqve parte concurritur; cæde Hiſingi Helſingiqve Halfdano victoria ceſſit: Hakius in Alfheimum profugus præſens periculum ægrè evaſit: præmium victoriæ tota deinde Vingulmarchia ditioni Halfdani acceſſit. Jamqve viduitatis pertæſus ad ſecunda vota animum appulit. Circa idem tempus forte accidit, ut Hringarichiæ Rex Sigurdus Hiortus, ſeu Cervus, inſidiis opprimeretur. Is raris virtutibus, corporis robore & formæ venuſtate eminens, ſingulos ſuæ ætatis animi viriumqve excellentiâ ſuperabat; nec generis nobilitate inferior, patre natus eſt Helgio Hvasſio, ſeu Acuto, avo Olafo, proavo Hringo, abavo Olafo, atavo Dago, tritavo Olio, tritavi patre Dago Halfdani Grandævi filio, tritavi matre Thorâ, athletarum matre dictâ. Verum ſuſpecta eſt mihi hæc originum ſeries, ob cauſſas ſuperius in Halfdano Albipede allatas; ſcriptor enim originum, antiqvas fabulas ſecutus, progeniem potiſsimam ab Halfdano Priſco repetendam ſibi proſpoſuit. Ego qvidem Olafum Helgii Acuti patrem fuiſſe ſtatuo, non tamen Hringi filium, ſed Gudriodi, qvi Halfdani Albipedis filius erat. Mater Sigurdi fuit Aslaug, avus maternus Sigurdus Angvioculus Daniæ Rex, proavus Ragnar Lodbroch, nominis celeberrimi. Duodecim annorum erat, cum ex provocatione pugnans Hildibrandum berſerchum, ſev athletam, cum duodecim pugnatoribus occidit, multaqve ſtupendæ virtutis viriumqve documenta edidit, prolixæ narrationis, ſed ſcriptorum defectu perpetua oblivione ſepultam materiam. Duo illi liberi, Ragnhildis nempe, circa annum viceſimum indolis excelſæ, inqve virgine virago, filius Guttormus, longe junior. Exitum Sigurdus Cervus talem habuit: Cum ſemel pro more venatum ſolus in ſolitudines evectus eſſet, (feris enim ferocibus, & plerumqve infeſtis & periculoſis, congredi ſolitus, magnum ſtudium admodumqve freqvens impendit) longiùs a domo inſectandi ſtudio abreptus, in

in planitiem qvandam prope Hadalandiam devenit. Ibi cum triginta armatis derepente exortus Hakius Berſerkus impetum in eum facit, qvi duodecim occiſis, ipſum Hakium, tribus magnis vulneribus ſauciatum, manu altera cum mutilâſſet, ad extremum, tantis relictis fortitudinis monumentis, glorioſâ morte concidit. Exinde Hakius domum ejus repetens filiam Ragnhildem cum fatre Guttormo, multâqve gazâ, & pretioſarum rerum ſuppellectile in Hadalandiam ſecum detulit, inſtructoqve convivio nuptias cum illâ celebrare ſtatuit, qvod vulnera, qvæ ſanationem ſpe tardius admiſerunt, in longum tempus diſtulerunt, qvodqve reliqvum erat autumni, prioremqve hyemis partem ad feſtum usqve Jolenſe, medicas manus fruſtrata, voti eum irritum tantiſper detinuerunt; dum Rex Halfdanus in Heidmarchia præſens ſolennia feſti celebraret; qvi de his omnibus certior, qvodam mane exſurgens, veſtesqve indutus, Hareko Gandio arcesſito mandavit, ut in Hadalandiam profectus filiam Sigurdi Cervi Ragnhildem ad ſe afferret: qvi jusſis obtemperans, centum ſatellitibus inſtructus iter ita digesſit, ut primo diluculo, tranſito lacu, ad domum Hakii perveniret. Singulas deinde cubilis, ubi qvietem capiebant, fores armatîs obſidens, deinde conclave, ubi Hakius dormivit, effractâ januâ, cum ſatellitibus ingreſſus, Ragnhildem & Guttormum, cum omnibus pretioſis, qvæ colligi poterant, abſtulit, cubili deinde ſimul, cum hominibus, qvi intus erant, incenſo, in rhedam pretioſis auleis inſtratam, Ragnhildem, fratremqve ejus impoſuit. Progreſſi deinde ad lacum glacie conſtrictum, conſpexerunt Hakium, ægre lecto exſurgentem, aliqvantiſperqve inſeqventem cumq; ad glaciem perveniſſet, capulo gladii deorſum verſo, ſuper erectum mucronem ſe injicientem trajecto corpore, moribundum infelicem animam efflantem. Hunc finem habuit Hakius, a facinoroſâ vita, vel etiam ſtupendo robore, Hada-Berſerchus appellatus. Situs eſt in ripâ, ubi ſibi ipſi manus intulit. Rex Halfdanus, qvovis oculatior, tranſeuntes per glaciem procul conſpicatus, ubi rhedam velis pretioſis intectam animadvertit, facilè collegit, demandatum negotium ex animi ſententiâ proceſſiſſe; protinus igitur triclinia inſterni, menſas inſtrui, menſalemq; apparatũ adornari juſſit, paſſimq; per viciniam cives, variis nunciis qvaqvaverſum directis, excitos, ad nuptialem feſtivitatem invitat, qvam eodem ipſo die, qvo Ragnhildis eò devenit, celebravit: qvæ exinde potens Regina evaſit; ipſius mater fuit Thyra Klak-Haraldi, ſeu Haraldii Klakii, Regis Jutiæ, ut Chronica habent, (Codici Flat. Comes eſt) filia, ſoror Thyræ Danmarkarbotæ (Dannebotæ, ſev Daniæ Medelæ) uxoris Gormi Grandævi, qvi illo tempore Daniæ ſceptra tenuit. Nec materteræ ſolertia inferior, etiam ſomniorũ præſagia novit; qvorum unum ei per qvietem oblatum tale memoratur. Viſa eſt ſibi in horto conſtituta, ſpinam ê ſupparo ſuo excerpſiſſe, qvæ inter manus ejus derepente excreſcens, in miræ longitudinis ramum extenſa, caudice humi fixo, deſubito radices egerat; mox apice in auras educta, in proceram adeo arborem inuſitatæ craſſitudinis evaſit, ut faſtigium ejus oculis aſpectuqve complecti neqviret: pars infima â ſtipe ſangvineo colore, media inde praſino, extrema ramos usqve niveo conſpicua. Ramorum, in ordines ſuperiores inferioresqve juſto intervallo digeſtorum, magnitudo numerusqve ingens, frondium foliorumqve tanta luxuries, ut per univerſam Norvegiam pluresqve terras explicata ſingulas latitudine ſua obumbrarent. Rex autem Halfdanus, ſomniorum per totam vitam expers, cauſſæqve ignarus, virum ſapientiæ famâ clarum Thorleifum, Spakium dictum, conſuluit, remediumqve

qve popoſcit: Is autem expoſuit, inſtitutum ſibi in captandis ejusmodi præſagiis familiare, qvæ in harâ dormienti nunqvam defuerint. Id imitatus Rex, viſus eſt ſibi miræ venuſtatis cæſarie conſpicuus, qvæ univerſa in cincinnos capillosqve diſtincta, alios in terram usqve demiſit, alii ad tibias, alii genua, alii lumbos, alii ad media latera, alii humeros tantum pertingentes, alii qvaſi recèns ê vertice enati, variis coloribus diſtingvebantur, qvorum unus nitore, prolixitate & venuſtate cæteros præſtabat. Expoſitionem poſtulanti, Thorleifus conjectabat, magnam ab eo regnatricem poſterorum progeniem deſcenſuram, néc tamen ſingulos pari gloriâ imperaturos: unum tamen inter eos reliqvis majorem eminentioremqve futurum; qvo ſanctum Olafum denotari poſteritas credidit. Licet *Arngrimus* aliud ejusmodi Olafo Tryggvino applicare maluerit, *Crymogeæ Lib. II. pag. m. 115.* Fuit Halfdanus vir ſapientiâ, prudentiâ & æqvitate juxta præditus: itaqve ad ordinandum Regni ſtatum converſus, leges ſingulis ordinibus ſaluberrimas tulit, obſeqvium exemplo ſuo ſanxit, ſeduloqve cavit, ne violenta transgreſſio impunita foret, congeſtasqve in indicem diverſorum criminum ſpecies, mulctis compenſationibusqve pro lædentium læſorumqve ſtatu facultatumqve conditione irrogatis coercebat, opesq; legibus, non leges opibus, ſubmiſit. Tale ſeveritatis exemplum in aulicum ſuum ſigniferum Herolifum ſtatuit, qvem, qvòd in palatio Règio abaci Regii cornu, argento bracteatô, aulicorum unum occiderat, exilio multavit, qvi a confracto cornu Hornabriotr/ ſeu *cornifragus* poſtea nuncupatus eſt. Is deinde in aulam Sveciæ Regis receptus, diu ibi magno in honore fuit. Tandem, cum ſorori Regis Ingibiorgi illuſiſſet, eam ſecum in vaſtas ſolitudines, qvæ Jamtalandiæ ad auſtrum, Norvegiam inter & Sveciam, ſylvis ſaxisqve interruptæ adjacent, avexit, præmiſſis miniſtris magnaqve rerum utenſilium pecuniæqve copia, ſylvas exſcindere, domos ædificare, ſingulaqve ad uſum cultumqve humanæ neceſſitatis primus dirigere, coloniisqve replere cæpit, miniſtris in Thrandiam ad neceſſaria comparanda Jamptorum titulo ablegatis, idqve totius vitæ tempore, nemine advertente. Provincia exinde ab eo ſortita nomen Heriulfsdalus uſurpata, in Herdali nomen poſtea tranſiit, aucta in tantum advenarum confluxu, ut duas paræcias hodie conficiat; teſte *Petro Claudio Undalino deſcriptionis Norvegiæ pag. 139.*

Natus Halfdano à Ragnhilde filiolus ritu gentili luſtrali aqvâ tinctus, Haraldus, de fratris demortui, Sogniæ Regis, nomine fortè appellatus, brevì formæ venuſtate corporisqve incrementis inſignis, in aulâ Regiâ adolevit; qvotidianis exercitiis, virium ingeniiqve nutrimentis augeſcens, in earum artium cognitione proceſſu temporis excelluit, qvæ illo ſeculo Septentrionis uſus, Regii qvoqve generis adoleſcentibus decoras, approbavit, matri tamen qvàm patri acceptior. In Hadalandia feſto Jolenſi convivium celebranti, res mira & inuſitata obtigit; ipſo enim feſti, omnium anniverſariorum longè celeberrimi, veſpere, cum freqventes convivæ ad menſam conſiderent, magnâ inſuper circumſtantium multitudine cænacula opplente, ferculorum omnium potulentorumqve inſtructiſſimus apparatus derepente ſimul diſparuit. Rege tam triſtis ſpectaculi admiratione defixo, nec mediocriter ſollicito, domi remanente; ſinguli convivarum ad ſua qvisqve domicilia dilapſi ſunt. Ad tanti facinoris authorem cognoſcendum Finnum qvendam abſtruſarum artium peritum comprehenſum qvæſtioni ſubjecit, nec tamen qvicqvam elicuit: qvi ope filii Regis Haraldi implora-

ploratâ, eò illum perpulit, ut apud patrem pro se deprecaretur, qvod cum frustra esset, invito patre eum dimisit, veritusqve severitatem ipse comitatus est. Ad Principem qvendam, qvi splendidum celebravit convivium, delati, perhumaniter excipiebantur, ubi cum mansionem ad vernum usqve tempus extraxissent, qvodam die idem dynasta Haraldum accedens; ingens, inqvit, damnum pater tuus reputat eduliorum qvorundam jacturam, qvæ hac hyeme ipsi abstuli, id qvod ego tibi bono nuncio rependam. Exspiravit jam pater tuus, domum itaqve redibis, inqve regnum, qvod ille tenuit, succedas, omnem deinde Norvegiam patris adjecturus. Codex Flat. Principem hunc, Monarcham qvidem eum totius Norvegiæ futurum prædixisse, mortem verò parentis minime indicasse tradit, qvam ulterius producit, sed reditum ad paternos penates svasisse, ad eximendum discrimini mortis qvendam ope illius & auxilio valde indigentem, lati auxilii mercedem admodum largam qvandoqve futuram; domum regresso, gigantem prodigiosæ staturæ roborisqve, aurum ærario impunè suffurari solitum, compedibus arte factis irretitum, deinde in vincula ferrea, ægrè qvidem, sexaginta hominum simul in se irruentium operâ conjectum; qvi furtum qvidem commisisse fassus, triplo repensurum neqvicqvam pollicitus, ad supplicium publico judicio irrogandum reservabatur, indictâ capitali pænâ, si qvis carceri interea vinculisve eximeret. Hic Dofrii nomen professus, domiciliiqve sedem in propinqvo monte, qvi deinceps ab ejus nomine Dofrinus usurpatur, ope & auxilio filii Haraldi evasit, qvi severam edicti paterni pænam nihil moratus, cultro inusitati acuminis, sibi a Finno donatô, ferrea plumbeis catenis, nescio qvo artificio, connexa vincula præsecuit. Fabula est, qvinqvennem tantum id temporis Haraldum fuisse, pænamqve capitis à severo legislatore, rigidoqve exactore parente pronunciatam, titulo proscriptionis mitigatam, revera exasperatam, omni enim auxilio alimentisqve destitutum, paterna domô exactum perhibet, arbitrioqve fortunæ relictum. Eqvidem ut pulsum domo ab aspero legum novarum vindice, transgressionem, ut exemplo esset, etiam in propriam sobolem vindicante, aliqvis forte credat; ætatem tamen, ne legum qvidem, sed castigationis puerilis tantum capacem, atrociori etiam pænæ exemptam facile animadvertet. Qvinqve dies in solitudine, cibi potûsqve inopem, erràsse Haraldum comminiscuntur, priusqvam eum repertum Dofrius in antrum suum brachiis sublatum intulerit, qvod ingressurus, illiso per incuriam præ foribus ad saxum pueri capite, ubi eum animo linqvi conspexisset, illachrymans valde ringebatur; qvod cum puer ad se rediens animadverteret, oris vultusqve deformitatem, monstrosamqve speciem miratus, paucos fletu formosiores fieri dixit. Exinde apud Dofrium per qvinqvennium in antro educatus, imbutusqve artibus militaribus traditur. Tandem Dofrius ei fatum parentis, suâ qvidem operâ fractâ glacie in gratiam ejus, mercedemqve beneficii procuratum publicàsse; totius etiam Norvegiæ Monarchiam fato ei destinatam prædixisse perhibetur, inqve eum finem operam suam hautqvaqvam inutilem fore, utpote hostibus in conflictu perniciosam, non item conspicuam, futuram; atqve his dictis Haraldum jam decennem domum dimisisse. Hæc licet fabulis valdè interspersa sint, veri tamen aliqvid subesse, vel Haraldi cognomen, qvo Dofrii Alumnus passim usurpatur, persvaseret. Neqve tamen hanc assertionem binis aliis fabulis, hautqvaqvam sanioribus, de Bujo Cane dicto, aut Bardo Snæfellsas cognominato, confirmari credo;

qvorum utraqve, illa carptim, hæc prolixiùs, ab Arngrimo de republicâ Islandorum adducta legitur. Neutram ipse finxit, sed prolixè expositas ex antiqvis membranis descriptas contraxit, gnarus, forte neutrum, sive Buium, sive Bardum, qvi aut qvales ibi celebrantur, unqvam extitisse. Certe Thomæ Dempstero Buii mentio imposuit, ut eum Islandorum Apostolum creaverit. Ad Dofrium qvod attinet, certè longè ante hæc tempora montis Dofrini mentionem antiqvæ memoriæ faciunt; non igitur hic Dofrius monti nomen indidit.

Halfdani fatum tale fuisse perhibetur: cum ex Hadalandiæ villa Brandabu dicto, ubi convivabatur, discederet, rhedaqve constrata super lacu glaciali, Rondæ nomine, primo veris initio vectus aliò tenderet, glacies Solis altius jam cælum conscendentis radiis liqvefacta, stercoribus fimisqve armentorum & eqvorum, qvi ista hyeme illuc aqvatum ducti erant, corrosa; nimio pondere, ebriorumqve hominum, ad auxiliandum properantium, concursu fracta, magis magisqve desedit, ipsumqve Regem in transitu Rikinsvikæ (aliis Rækinsvikæ) ante Sverdstadas, dum calcatum bobus tramitem premit, cum magno comitatu fallaciter destituit, ubi ingenti civium suorum luctu suffocatus periit, cum tantùm qvadraginta annos vivendo explevisset, regno, qvod perenni annonæ felicitate gaudebat, per duos & viginti años administrato. Annonæ perpetua felicitas, qvæ ipso regnante obtigit, civibus in commune persvasit, ipso procurante affulsisse, ibiqve perpetuam futuram, ubi corpus ejus humaretur. Ut igitur fama mortis ejus sepulturæqve in Hringarichia destinatæ percrebruit, ex provinciis regni universi, Vingulmarchiæ, Heidmarchiæ. Vestfoldiæ & Raumarichiæ proceres ilicò confluxerunt, & de cadavere ejus sepeliendo & exeqviarum loco inter se disceptârunt, omnibus & singulis in suam regionem exanime Regis corpus transferre cupientibus: tandem post longam altercationem in hoc consenserunt, ut cadaver Regis in qvatuor partes divideretur. Caput prope Steinem in Hringarichia tumulatum, collem unum acciperet; reliqvis tribus portionibus singulis provinciarum principibus traditis, suoqve ubiqve tumulo illatis, Halfdani autem memoriæ ac nomini hic honos tributus est, ut omnes & singuli ab illo Halfdanini in posterum nuncuparentur. Compendium Chronici Norvegici Regium, intestina in Hadalandiæ prædio Theingilstadis, caput vero in Scirisdalo in Vestfoldia, corpus autem in Steine Hringarichiæ villâ, tumulis conditum refert. Dissentit etiam ab omnibus, qvas videre contigit, antiqvitatibus; nam Haraldi Pulchricomi matrem non Ragnhildem, Sigurdi Cervi filiam, qvam omninò reticet, sed Helgam, etiam Pulchricomam dictam, virginem eximiam Halfdano post Ragnhildem Haraldi Auribarbi filiam, uxorem ductam, Dagi Prudii, sive Culti, vel Generosi, Baronis in Hadalandia filiam, nobis obtrudit, cujus fratrem, eodem patre satum, Guttormum facit, Dagumqve Theingilstadis pro domicilio usum memorat, eundemqve cum genero Halfdano submersum. Verum manifesto errore, cum nomina, tum filiorum Haraldi Pulchricomi, tum liberorum avunculi ejus Guttormi, genus a Ragnare demissum arguant. Ragnar enim, cognomine Richill, alter filiorum Regis, alter etiam Sigurdus Hrisius, avus Sigurdi Syrii, Olafi vitrici dicti sunt; duo etiam filiorum Ducis Guttormi (ejus qvi Pulchricomi avunculus erat) alter Ragnar, alter Sigurdus, filiæ etiam Aslaug Ragnhildisqve dicebantur. Ragnaris nomina a Ragnare Lodbroche, Sigurdi ab illo primo Fabnericida, vel etiam Sigurdo Hringo, secundo Angvioculo, tertio Cervo

dicto, Guttormi ipsius patre; Aslögis item a Ragnaris Lodbrochis uxore, per matrem Guttormi in familiam demissâ, latius etiam serpserant. Ragnaris Richillis ex filio Agnare nepos etiam Ragnar dictus est, sociusqve fuit in expeditione piraticâ agnato suo sancto Olafo. Norverca fortè post matris mortem Haraldi fuerit Helga isthæc: matris enim precibus, si superfuisset, forte se Halfdanus exorari passus esset, ne eum domo expelleret; mater certè nunqvam fuit.

Mors Halfdani incidit in annum Christi DCCCLXIII vel proxime seqventem, qvo tempore Gormus universam Daniam aut debellavit, aut in reliqviis qvibusdam debellandis occupatus fuit, nam pauci anni a principio imperii Pulchricomi excesserant, cum ad exemplum Gormi & Eirici Eymundi filii Seciæ Regis moneretur a virgine, ut Norvegiam sibi subjiceret, ut in Haraldi vitâ tradetur. Nec repugnat, qvod Ragnhildis Potentis dictæ pater Eiricus, Pulchricomi socer, Jutiæ Rex fuisse dicatur; speciosis enim conditionibus in clientelam Gormi concessisse poterat; nec ultra tributa obligatus, vel etiam ab iis, utpote in impensas defendendæ ab hostili insultu piratarumqve latrocinio provinciæ imputatis, liber & immunis, Orcadensium Comitum exemplo.



HIST-



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMÆ LIBER DECIMUS,

CONTINENS HISTORIAM GENEALOGICAM HARALDI PULCHRICOMI, QVÆ ODINI PROGENIEM COMPLECTITUR.

SECTIO PRIMA.

DE PROGENIE ODINI PER DANIÆ DYNASTAM SKIOLDUM AD HALFDANUM IV. STRENUUM.

CAP. I.

DE SKIOLDO ET LEIFO SEU FRIDLEIFO.



Paternum Haraldi genus exposui; restat maternum, nihilo qvidem obscurius, ab ipso qvippe Odino, per Serenissimorum Daniæ, Russiæ qvoqve, Regum successionum ordinem deductum, Norvegiæ etiam Principibus commixtum, Danicam prius lineam, naturæ ductum secutus, pertexam, ordine plane eodem, verbis etiam magnam partem, ut in libro qvi Series Regum Daniæ inscribitur, a nobis explicata est.

Primum Daniæ dynastam vetustissima Islandorum documenta, qvæ videram, omnia, communi consensu Skioldum Odini filium agnoscunt. Hic â patre Daniæ præpositus, Lethrensem arcem in Sellandia prope Rho-

ſkildam condidit. Gefionem pro Dea cultam uxorem duxit; qvam Regno non leviter conſuluiſſe fabula Eddæ, etiam Chronicis Norvegicis inſerta, teſtatur. Perqvam magnificus vaſtum imperium populoſamqve regionem pacificè rexiſſe perhibetur. Vivusne, an vero poſt mortem, certè tamen Divinis honoribus cultus, vel inde colligitur, qvòd inter alia idola S. Olafus ejus qvoqve ſimulachrum fregiſſe traditur. Skioldi filius fuit

Leiſus.

QVo imperante cæptum â patre pacis ſtudium adeo excultum eſt, ut tuti undiqve cives cædibus ſe invicem abſtinerent, qvâ civili prudentia conſenſu inditum ipſi nomen, qvo Fridleiſus in poſterum internoſcitur.

CAP. II.

DE FRODIO SEU FROTHONE I. LEIFI FILIO.

Frodius.



IS Danicis Scriptoribus eſt Frotho, qvi non, ut in numero dynaſtarum, ita etiam in ordine nominis Tertius, ſed omnium Frodiorum primus, qvi Chriſti in terris verſantis ſeculo floruit, Freyr & Fiolneri Sveciæ Regibus æqvalis, utriqve etiam ſuperſtes. Qvas pacis leges ſanxerit, qvàmqve omnium incolumitati ſecuritatiq; conſuluerit, præter *Rimbeglam ſev faſtorum librum MSS.* & Saxonem, qvi hæc etiam latiùs perſeqvitur, Pacifici ipſi inditum nomen, nullo unqvam ſeculo obliterandum, abundè teſtatur. Ejus potentiam prolatosqve in immenſum imperii limites Saxo luculentiſſimè deſcripſit. Genus mortis Islandorum monumenta non minus fabulosè qvàm Saxo referunt, â pirata enim, nomine Miſingo, de improviſo ſuperveniente, interemptum tradunt. *Fabula Eddæ LXVI.* ſingula hoc tenore exponit, narratione tamen, ut videtur, ex vero deſumpta. *Frodium nempe ad convivium in Sveciam â Fiolnere invitatum emiſſe duas ancillas perhibet, qvarum nomina Fenia & Menia, magnitudine & robore ingentes. Accidiſſe autem, ut circa hoc tempus bini molares lapides in Dania invenirentur, mole & gravitate omnibus intractabiles, eâ vero natura & occulto genio præditi, ut qvicqvid præcineretur, tererent. His verſandis Frodium eas adhibuiſſe, imperâſſeqve, ut aurum & pacis commoda molendo ſibi acqvirerent. Adeo autem acerbè eas exercuiſſe, ut qvieti ſomnoqve earum nihil temporis ultra permitteret, qvàm interſtitium, dum cuculus inter cantandum ſileret, aut is diſtichon funderet. Inde irritatas, magicô modulamine hoſtes accerſiviſſe, qvi eadem nocte ſupervenientes, duce piratorum Rege Miſingo, Frodium occiderint. Eum vero magnâ auctum prædâ etiam ancillas abſtuliſſe, imperaſſeqve ut ſalis copiam commolerent, id cum aliqvandiu feciſſent, interrogaſſe, an & ulterius molendum eſſet; perſeverare juſſas, usqve dum mole graves naves inverſas undæ hauſiſſent, moluiſſe. Tunc mare ſalſitudinem contraxiſſe.* Fabula pro interpretantium ingenio varias ſignificationes recipere poteſt. Mihi noxia fuiſſe Svecis Frodii cum Fiolnere amicitia videtur, impetrâſſeqve ab eo Frodium aliqvid, qvo vires gentis poſtea fractæ ſunt,

mox

mox oppressam gentem in ditionem ejus concessisse; id enim per fæminas illas intelligi; per nimios autem labores magnas exactiones (qvo securitatem & opes sibi stabiliret) ad rebellionem eam concitâsse; tandem â duce ejus Misingo oppressum; eum deinde, victoriâ in tyrannidem versâ, cum avarè superbeqve imperitaret, vita simul & regno exutum. Ansam conjecturæ præbet Saxo, qvi Sveciam sub imperium Frodii redactam tradit, Eiricumqve ibi Regem constitutum. Ab hoc Frodio frodorum nomine sapientes denotari cæpisse Edda refert.

CAP. III.
DE FRIDLEIFO II. FRODII I. FILIO, HAVARE ET FRODIO II.

Fridleifus II.



DE qvo nihil habeo qvod referam, inscius an consignata â Saxone id nominis Primi vel Secundi historia, an pars tantum alterius ei sit applicanda. Ejus filius

Havarr

Nihil nobis præter nomen cognomenqve, qvo â brachiorum robore Handramm / i: *manufortis*, celebratur, reliqvit, nec an Danicis sceptris unqvam admotus fuerit, affirmare possum, licet id verosimile videatur, cum patre natus Rege, filium etiam Regem reliqverit. Is erat

Frodius II. Saxoni IV.

Sed nec qvicqvam gestorum ejus reliqvum, qvod ei præ cæteris assignare possim. Credibile est, partem eorum, qvæ Saxo Frothoni I tribuit, huic competere, cum filii, qvos illi adscribit, Frodio Vegeto, qvi nobis pariter ac illi qvartus est, procreati sint; id qvod *in Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. IV. pag.* 268. monstratum est.

CAP. IV.
DE VERMUNDO COGNOMENTO SAPIENTE, ET FILIO EJUS OLAFO, NEPOTIS DANI MAGNIFICI SORORE DROTTA, PATREQVE EJUS DANPO ET AVO RIGO.



FRodio II successit Vermundus, a prudenti regni rerumqve, cum privatorum, tum etiam publicarum, administratione Sapientis cognomine ad omnem posteritatem celebris: nudum tantum nomen Series generis ex *Skioldungorum historia*, qvæ periit, desumtum, qvod reliqvum est Saxo prodidit, filium reliqvit, cui secundum Islandorum asserta nomen erat

Olafus, Saxoni uffo,

Amorum ſvavitate, converſationisqve affabilitate Manſveti cognomine, ut debito virtutum præconio transmiſſo, ornatus, qvem etiam Saxo â ſingulari animi moderatione id conſecutum perhibet, compluribusqve Olafum dictum. Uffonis nomen geſtaqve ex Offæ Merciorum Regis genealogia huc translata, deſcribiqve eandem prope hiſtoriam, qvam Matth: Pariſienſis vitæ Sancti Albani præpoſuit, in Serie Regum Daniæ conjectavi, nec adhuc ab ea opinione diſceſſi; innuiſſe, cordatiqve judicis examini ſubjeciſſe contentus. Correctiſſima exemplaria Olafum eum appellant, ut & ſcriptor libri originum Norvegicarum in generationum recenſu altero, altero vero in fæminam eum transformat, Olufam Manſvetam appellando, id qvod errore qvidem factum eſt, ſed non ſine cauſa, nec tamen alia, qvàm qvod author, qvem Snorrius Sturlæus ſecutus eſt, tradidit, Drottam Dyggvii Sveciæ Regis uxorem fuiſſe filiam Danpi, neptem Rigi ejus, qvi primus in lingva Danica, vel, qvod idem eſt, in ſeptentrione Rex appellatus eſt, ejus autem fratrem fuiſſe Danum Magnificum, qvi primus Daniam de ſuo nomine appellavit. Ex qvo concludi poterat, Danum fuiſſe Danpi filium; cum autem membranæ conſenſu tradant, patrem ejus fuiſſe Olafum, orta eſt ſuſpicio, matris id nomen fuiſſe, qvæ nupſerit patri ejus Danpo, qvam etiam opinionem aliqvando ſecutus ſum, ſed authenticarum authoritate ab hac opinione deterritus, Olafum & Vermundum utroſqve binomines fuiſſe exiſtimavi, Olafumqve Danpum, Vermundum Rigum cognominatos, neqve enim Danum duos patres aut progenitores habere potuiſſe, qvod omnino ſeqveretur, ſi Olafo patre ſecundum genealogias, Danpo, authoritate Snorrii, ſatus fuiſſet, monitus ab amico antiqvitatum perito, non tamen ab his præconceptis me divelli paſſus ſum. Tandem Snorrii verba cæpi accuratius perpendere; & obſervavi, non ideo illum aſſerere Danum fuiſſe Danpi filium, qvod ſoror illius Drotta ejus filia fuerit, ſed tantum concludi ex utraqve ſententia inter ſe collata, qvod Drotta fuerit ſoror ejus uterina, matremqve poſtea nupſiſſe Danpo Rigi filio, exqve ea Drottam ſuſcepiſſe, Danpum autem provinciæ â Lethrana ditione diverſæ Regem credere par eſt, auctumqve poſtea ejus imperio Danum agrum omnem Danicum deinde ſibi ſubjeciſſe, Daniqve marcham â ſuo & agri nomine nuncupaſſe. Ejus ſororius Dyggvius primus ſui generis Regium titulum in Svecia uſurpavit, exemplo â Daniæ Rege Rigo tradito; ab hoc Danpo prædium ſev oppidum Danpſtadus ſev Daupſtadus, Damparſtadus ſev Danparſtadus, (his enim nominibus in Exemplaribus variatur) nomen ſortitum videtur, cujus *Hiſtoria Hervoriana Cap: XVII* meminit, ut & nos infra *hujus libri Cap: XXI*, in Jutia vel Holſatia, ſecus ac *Clariſs: Verelius* opinatur, qværendum. Danpi autem pater Rigus, princeps ad tantum ſapientiæ provectus videtur, qvantum mortalitatis conditio in gente minus culta capit; confuſam ſiqvidem turbam in certos ordines digeſſiſſe, ſingulis officia miniſteriaqve diſpertitus, privilegia oneraqve, pro cujuscunqve ſorte, ad utilitatem communem, publicamqve ſalutem, aut indulſiſſe, aut injunxiſſe videtur, ipſe imperii Majeſtatisqve ſpeciem vera æſtimatione complexus, qvo authoritatem faſtigio tanto neceſſariam regnandiqve poteſtatem ſibi aſſereret, Konungs titulum, qvi generis incomparabilem nobilitatem, vel etiam patriæ patrem, denotat, â voce Kyn deductum, qvæ *genus* ſev *nobilitatem* ſignificat, aſſumſit, nominisqve ſplendorem imperatoriis artibus, decentiqve

tiqve morum gravitate tutabatur. Non aliud oda illa (qvæ etiamnum extat,) penitius inſpecta ſignificat, qvæ Heimdallum Aſarum ſev Deorum præcipuum, ſub Rigi nomine latitantem, tam nobiles, qvàm ſervos ruſticosqve, omniumqve adeo ordinum homines progeneraſſe fingit, nam Daupi Daniqve nominibus elogiisqve clauditur, qvos ſuperbas aulas palatiaqve incolere perhibet: qvorum mentio hic ſuperflua eſſet, niſi alter filius ejus, alter nepos, aut qvaſi nepos, fuiſſet. Hæc autem memorata Oda, Rigsmal dicta, ita deſcribit. Primò viri cujusdam uxorem, Eddam, qvod proaviam denotare videtur, ſtupràſſe traditur, indeqve ſervorum genus produxiſſe; qvo commento adumbravit, ſervis ut inſtrumentis opus eſſe, prius qvàm ulterius progredi poſſimus. Poſtea ex alterius viri Avi nomine uxore, Avia dicta, ſobolem pariter illegitimè ſuſceptam Ruſticam, ruſticorum omnium parentem genuiſſe, arandæ excolendæqve terræ idoneam, utpote inſtrumentis, ſervis ſcil: jam inſtructam. Tandem ex cultiore fæmina, cujus maritus Pater vocatus ſit; ipſa autem Mater, prolem tertiam, unde Comitum origo fluxerit, emanâſſe. Comitum nomine univerſam nobilitatem complectens, qvòd populus rectoribus, defenſoribusqve militiæ, artiumqve humaniorum peritis viris omnino indigeat, ideoqve eos noviſſimè productos comminiſcitur; qvibus tandem nobiliorem prolem, unam qvidem multis regendis præficit, qvam Konung/ ſev Regem, appellat, artiumqve ei tribuit ſcientiam, omnibus majorem utilioremqve, & ad civilem felicitatem procurandam omnino neceſſariam. Mox Danpi Daniqve nomina, utpote ſobolis Regis Rigi, ſubjungit; unde patet, Rigum hunc, qvem primum in ſeptentrione Regem Chronica agnoſcunt, hic intelligi, ejusqve ſolertiam, in adminiſtratione regiminis, ordinibusqve omnibus dirigendis adumbrari. Ab hoc Rigo proverbium etiam in Islandia in uſu emanâſſe conjicio, qvo factum opulentiorum Rigi nomine offerunt, qvi fortè perſonæ ſuæ majeſtatem præ anteceſſoribus ſtrictius conſervaturus, faſtuoſior viſus eſt. *Vid. ſupr: partis hujus Lib: I. Cap: 6. Chronici Norvegici verſio Danica* Rigum perperam Ringum appellat.

CAP. V.

DE DANO MAGNIFICO DICTO.



HIc Daniam de ſuo nomine Danmarkam nuncupavit, cum prius Gothia uſurparetur. Favet Snorrio, qvi hæc tradidit, qvòd apud Scriptores extraneos Danorum celebritate cum toto orbe clariſſima qvaqva gente certans nomen, ante Anaſtaſii & Iuſtiniani Imperatoris tempora nusqvam occurrat; utpote qvod ſeculo qvinto, poſt Danum tertiô, iis innotuit. Tanto tempore rebus domi forisqve fortiter geſtis opus erat ad claritudinē Regno ſuo gentiqve circundandam apud gentes remotiores, qvæ aucta tam ſpatioſo agro, unius vocabuli ſymbolo, virium incrementis formidabilis inclaruit. Regni itaqve Gothici varias partes cùm Rege Dano gens Danica inſediſſet, haut immeritò eas de nomine ſuo, Rex qvoqve Glorioſus nuncupari voluit. Moriturus novum ſepulturæ ritum in Danium primus invexit, exſtructo conſpicuæ magnitudinis colle, cui ſe ipſum, Regiô diademate cultuqve exornatum, armisqve indutum, cùm eqvo, omnibus orna-

ornamentis instructo, additâ magnâ pecuniæ vi, inferri mandavit. Novam hanc tumulandi rationem ultro amplexi ejus posteri & amici primùm, mox etiam complures alii eorum exemplo probarunt. Tum demum in Dania cæpit seculum, qvod *tumulorum* vocabant, durante nihilominus in Svecia & Norvegia rogorum struendorum ad cadavera cremanda ritu; licet multi Procerum in Svecia, ex qvo Freyr Upsalis tumulatus esset, non minus tumulos qvàm saxa pro tropæis erecta, qvæ Bautasteina vocabant, in cognatorum memoriam exstruerent, sicut in primo combustionis seculo, cum cadavera cremarentur, fieri consvevit. In generatione Offæ Regis Merciorum supra memorata, Bromton â Witlac ordiius filium ejus Vermundum recenset, eiqve Offam filium tribuit, Dengeltemqve Offæ filium subjicit. Nec *Henr: Hundindoniensis Historiarum Lib: II. Pag. m. 316.* in recensu generis Pendæ Strenui, Merciorum regis, dissentit; ita n. ille: *Penda filius fuit Wibba, filii Crido, filii Cinewald, filii Knibba,* (in Marg: Knidda) *filii Icil, filii Comer, filii Angestean* (in Marg: Angeltheav) *filii Offa, filii Vermund, filii Witlac, filii Woden.* Collati cum Saxonis Vigleto, Vermundo, Uffone, & Dano, parùm discrepant.

CAP. VI.

DE FRODIO III. DANI FILIO, HALFDANO I. FRIDLEIFO III. OLIO ET FRODIO IV.

Frodius III.



Ic Saxonis Frotho secundus esse videtur. Certè Huglethum, qvem ille patrem ejus constituit, inter Sveciæ Reges Snorrius numerat, Hugleikumqve aptiùs appellat. Duos filios Frodius reliqvit, qvorum alter dictus est

Halfdanus I, alter Fridleifus III.

Hic Saxoni Danus est, in ordine nominis Tertius; verum â Stephanio notis in Saxonem in Halfdanum restitutus. Hic Danorum primus (si conjectura de Frodio I. me fallit) subactæ Sveciæ, perqve reliqvum vitæ tempus possessæ, gloriam reportat, de qvo Cap. XVIII. in Aunio dictum est. Constat qvidem Hakium piratarum Regem, occiso Hugleiko, Sveciam subegisse; sed is Norvegus erat, frater Hagbardi, ejus, qvi Signiæ, amore, utriqve exitiali, captus laqveo vitam finivit. Fridleifi nudum nomen nobis relictum est; duo illi filii memorantur.

Olius Vegetus, & Frodius IV.

Et Olius qvidem patrui Halfdani gloriæ æmulus, de subacta iterum Svecia, expulso denuò Aunio, triumphavit, nemineqve interturbante qvieta possessione tenuit, donec eum Starkadus occidit. Frodius autem Qvartus idem nobis qvi Saxoni est, pariter etiam â Svertingo occisus traditur, cujus historiam Saxo dilucidè explicat. Duos ejus filios Langfedgatal producit, tertium *Hrolfi Krakii historia* adjicit. Sunt autem

Ingialdus Starkadi alumnus, Halfdanus II, & Frodius V.

CAP:

CAP. VII.

DE INGIALDO STARKADI ALUMNO ET EJUS POSTERIS, USQVE AD ABNEPOTES, HALFDANOQVE SECUNDO.



Eriit nobis hiſtoria Ingialdi, & periiſſet omnis ejus memoria, niſi Saxoni eam deberemus. Stemmata ab eo deſcendentia, tum Daniæ Regum, tum etiam ad primos Islandiæ incolas, per diverſos ramos ſuperſunt; ſed illud poſterius incompletum & hiulcum a Hrolfo filio ejus per neptem Hlifem, pronepotem Eyvindum Auſtmannum, & abnepotem Helgium Macrum, inter eos qvi Islandiam occuparant, memoratum, circiter qvadringentorum annorum ſpatio, ad annum Chriſti DCCCLXXX. producitur. Daniæ Regum magis perſpicuum eſt.

Ingialdi filius Harechus Hnoggvanbaugius, nepos Frodius VI. pronepos Halfdanus III, abnepotes Helgius Acutus & Hræchus Slaungvanbaugus, Auduris Prædivitis, Ivaris Vidfadmi filiæ, prior maritus. Eorum filius, Ingialdi atnepos, Haraldus Hilditann; de qvibus ſuo loco qvædam dicenda ſunt.

Halfdanus II. totius Daniæ (ſupremum forte) imperium tenuiſſe dicitur, id qvod Frodius frater, qvantumvis naturâ mitis, clemens & affabilis, æſtro invidiæ ſtimulatus ægerrimè tulit. Diverſo â Dania regno (bello forte accerſito) præfuiſſe perhibetur, nec tamen cui exprimitur. Eo tandem invidia crevit, ut poſt conſilia de tollendo Halfdano agitata, ingenti exercitu ad parricidium patrandum, ignarô talium integerrimo fratre & omnino imparatô, in Daniam moveret, incendiis, cædibus & rapinis ditionem ejus prorſus fædans. Halfdanus, qvantas ſubita perturbatio permiſerat, vires collegit, magis ad interitum ſuum ſuorumqve accelerandum, qvàm patriæ ſuiqve defenſionem; majores namqve erant hoſtium copiæ, major impii conaminis progreſſus, qvam ut reprimi poſſit; itaqve nulla difficultate vertitur in fugam manus Halfdanina, ipſe in ſceleratas fratris manus captus pervenit, & absqve ullo ſangvinis reſpectu impie occiditur. Filios ejus Hroarem & Helgium, auxilio nutritii Regini manus ejus elapſos, inqve latebris abſconditos, ad necem qværit, uſus qvoqve ad eam rem magorum miniſterio, ad ultimum etiam fæminæ fatidicæ, qvæ in ipſa inqviſitione a ſorore puerorum Signya, Comitis Sævaris uxore, munere aureo corrupta, anſam eis evadendi præbuit; qvi eodem in convivio, qvod Rex tunc celebravit, ope procerum, ipſum Regem cum aula ſua incenderunt, eiqve in regno ſucceſſerunt.

CAP. VIII.

DE HROARE ET HELGIO, EORUMQVE POSTERIS.



Roar partem Regni, qvæ ei competebat, cum fratre bonis mobilibus permutavit, ipſe in Northumbria, Angliæ provinciâ, ſedem fixit, regnumqve cum uxore ſua Augne Nordrii Regis filia acqviſivit, qvod bellis victoriisqve procul dubio auxit, cum in prima Anglo-Saxonum tempora inciderit; qvorum partem auſpi-

auſpiciis Daniæ Regum ibi pugnâſſe, provinciasqve ipſis ſubjeciſſe, conſtat. A filio ſororis ſuæ Hroko ad ultimum occiſus, fratri Helgio vindictam reliqvit, qvi illum qvoq; ſtrenuè ultus eſt; ipſe qvoq; poſtremo ab Adilſe Sveciæ Rege dolo ſublatus. Snorrius in oriente, dum piraticam exerceret, ſublatum perhibet, relicto filio HrolfoKrakio. Horum Regum hiſtoriam cum prolixe conſcripſerimus, ſeorſim editam, hic eorum tantùm mentionem feciſſe ſuffecerit.

Valdar Munificus

Hroaris filius fuit, & ejus filius

Haraldus

A grandi ætate poſtea Grandævus dictus; qvi, ut nos calculum ſubducimus, poſt cædem Hrolfi Krakii, tempore interregni in Scania regnavit; uxor ei Hildis (Codici Flateyenſi col. 9. Hervor.) Heidrici Reidgotiæ ſeu Jutiæ Regis filia. Horum ſola nomina ad nos pervenerunt. Eorum filius.

Halfdanus IV. cognomento Diſertus

Qvi provinciæ (neſcio cui) in Scania Danorum Regio titulo & poteſtate præfuit.

Hic jam ſubſiſtendum, dum maternum ejus genus per longam avotum ſeriem ab ipſis gigantibus, cum Noris (ſi & ipſi gigantes non fuerint) tum etiam Odini poſteris commixtis, altius repetam.

SECTIO SECUNDA.

DE GENERE MATERNO HALFDANI DISERTI.

CAP. IX.

DE PRIMIS JOTUNHEIMORUM INCOLIS, USQVE AD ARNGRIMUM SECUNDUM.



Ntiqviſſimus Jotunheimorum, tractûs nimirum circa Mare Album, incola, *Eddæ Fab. VIII.* Narvius, Niorvius, ſeu Norius dicitur; de qvo ſuperius dictum eſt; ſed nulla ab eo generis ſeries ad poſteros texitur. Alter vetuſtiſſimus, proximi in auſtrum protenſi diſtrictûs habitator Ymir, Editioni Sveticæ perperam Ymolfus appellatur, â qvo forte Ymislandia finibus Finnmarchiæ & Halogalandiæ incluſa (hodie Norlandia) nomen contraxit. *Hiſtoria Hervoriana* corruptè Lundzlandiam appellat. Ejus filiam, nomine Arnam, Arngrimus gigas & monticola, Jotunheimorum qvoqve incola, rapuit, & conjugio ſibi ſociavit. Ejus majores nulli ſuppetunt. Filius ex hoc conjugio natus

Hergrimus, Semigigas dictus.

Qvòd hominum gigantumqve naturam participârit, cum utrisqve alternîs converſatus, his tamen robore & magicarum artium peritiâ ſimilior. Hic è Jotunheimis Augnem Alfaſpreingiam rapuit, deſponſam

sponsam prius Starkado Aludrengo, Storvirki filio, id nominis primo, gigantei generis viro, hautqvaqvam degeneri (qvem ideo octimanum finxerunt) occasionem nactus, cum ille â domicilio suo, ad Galu-seu Alu-fossas sito, Elevogas celebres fluvios transiisset. Ex hoc raptu natus filius Grimus. Verum Starkardus rediens sponsam vindicaturus Hergrimum ad singulare certamen provocavit, ad supremam juxta Eide vel Isthmum cataractam, profectò in illo Septentrionis tractu qværendam. Conflictus Hergrimi cæde finiebatur, cui Augn, sive iram Starkadi morte magis verita, sive conjugii pertæsa, superesse nolens, ferro se ipsam confodit. Starkadus bonis omnibus demortui, filioqve Grimo inter spolia relatis, domum repetivit, Grimumqve educavit, statura roboreqve, postqvam adolevit, juxta insignem. Exinde Alfhildem, Alfi Alfheimorum Regis filiam (qvem Noris ex Raumo nepotem, Finnalfum dictum, liber Originum Norvegiæ nobis suggerit) sacris in honorem omnium Dearum institutis, apud patrem autumnali tempore operantem de nocte rapuit. Igitur Alfus Thorem Deum sacrificio perpetrato exorâsse fingitur, ut & Starkadum interficeret, & Alfhildem ad se remitteret, qvam Grimus Hergrimi filius domum secutus est. Starkadus ex Alfhilde duos liberos suscepit, Storvirkum & Bauggerdem. Storvirko natus est Starkadus, id nominis secundus, qvi in Vikaris, Agdarum, Rogiæ, & Hordiæ provinciarum Regis, militia tamdiu mansit, donec, eo interfecto, ad Seciæ Reges Alrekum & Eiricum Agnii potentis Seciæ Regis filios confugit, iisqve diu militavit. Bauggerdem Grimus duxit, vir strenuus; nam duodecim annos natus erat, cum primum latrocinari cæpit, nec postea intermisit, habitavitqve in insula Halogiæ Bolmo. (seu, ut habet Exemplar Regium, Holmo) vocatur autem insula priscâ lingvâ ey, unde is qvoqve dictus est

Ey-Grimus Bolmus, seu Insularis Grimus de Bolmo.

Situm hujus insulæ in Smalandia in territorio Vestbo describit Verelius, integramqve paræciam, nomine Sogn, notis ad caput primum Hervararsagæ, in voce Bolmr. Verum valdè hallucinatur; nam iter filiorum Arngrimi in Samum Balticam ad congressum cum Hialmare & Orvar-Oddo properantium (qvod valde Verelium vexavit) plane hujus insulæ situm ostendit in Halogia. Aldeigiuburgi enim (urbs est Russiæ australis maritima) in transcursu divertebant ad Comitem Biartmarem, nempe terrestri itinere per Jamtiam Helsingiamqve profecti, navem in sinu Botnico comparabant. Eadem via Hacon Hladarum Comes, & post eum Rex Sverrir, in Norvegiam tendentes incesserunt; qvin & Arngrimi filios inter peregrinos in Svecia Hialmar reputavit, & neptis ejus ex Angantyre Hervor possessionem gladii Tirfingi regno Norvegiæ, tanqvam ibi nata, comparavit. Heidricus qvoqve ejus filius, Arngrimi pronepos, peregrinum se in Reidgotia fatetur; qvod facere non potuisset, si Reidgotia Smalandia esset, insulaqve Bolmus ibi sita, ut contendit Verelius. Eygrimo Bolmo ex Bauggerde filius natus est

Arngrimus Secundus.

CAP. X.

DE ARNGIMO SECUNDO ET EJUS FILIIS.



Ic etiam in Bolmo habitabat, præliis, direptionibus & piraticæ rei peritiâ & exercitio valde celebris. Hujus genus vidimus, tum paternum, tum maternum.

Historia Hervoriana Cap: II. illius tempore Turcas & Asianos, Odino duce, septentrionem invasisse incoluisseqve perhibet. Inter multos ejus filios Sigurlamium refert, Gardarikiæ seu Russiæ ab eo præfectum, virum formâ insignem, maritum Heidis filiæ Gylvii, procul dubio ejus, qvem Edda, ut & Chronica Snorrii, Sveciæ Regem memorant. Verum Exemplar Regium membraneum, his & qvæ præcesserunt omissis, contextum historiæ â Sigurlamio qvidem orditur, qvem Gardarikiam rexisse, nec tamen cujus filius fuerit, memorat. Nos autem hiatum in generis serie, alterumqve ejusdem nominis, â qvo hic Sigurlamius nomen genusqve traxerit, qvi eandem Heidem matrimonio sibi junxerit, & ipsi agnoscimus, & acutioribus ingeniis observanda suggerimus. Interim Editionis Sveticæ expositurі, aliorumqve deinceps dissensum. Sigurlamius cum Thiassio gigante bello congressus occubuit. Successit ei in regnum filius Svafurlamius, de qvo seqventia, fabulæ licet qvàm historiæ propiora.

Forte inter venandum cervus, qvem toto die usqve ad occasum Solis perseqvebatur, eum in silvam qvandam aviam provexit, â dextera ad Saxum nanos duos, Dvalinum & Durinum, astantes offendit, strictoqve gladio ingressu prohibuit; qvi salutem miri artificii ense cudendo pacti sunt, manubrio cum vaginâ balteoqve solido auro constante, hebetationis rubiginisqve pariter experte, ferro saxisqve penetrabili, perpetuo gestanti victorioso; præfinitoqve tempore obtulerunt. Tum vero commotior Dvalinus, ut qvoties stringeretur, homicidium perpetraret, triaqve execrabilia scelera hoc instrumento patrarentur, ipsiqve fatale foret, imprecatus est. At Svafurlamius nanum gladio petens, ictu aberrante in Saxo aciem condidit.

Hunc ensem Tirfingum appellavit, qvô deinceps in expeditionibus & monomachiis usus est, ultusqve patrem, Thiassium occidit, Fridemqve filiam ejus uxorem duxit, ex qvâ Eyvorem filiam progeneravit. Postremò cum Arngrimo, regno suo latrociniis infestô, congressus, clypei qvidem partem abscidit, sed dum ictum iterat, manu multatur, suoqve ipsius gladio, confestim ab adversario rapto, occiditur. Præmium victoriæ præda ingens, gladius qvoqve & filia Eyvor; qvam domum secum ducens solenni nuptiarum ritu sibi junxit.

Exemplar Regium, omisso Svafurlamio, Sigurlamium gladium â nanis adeptum tradit, cujus virtutes memorat; fuisse enim acutissimum; qvoties educeretur, solis instar coruscantem radios vibrasse; nudari sine homicidio neqvivisse; calido sangvine tinctum vagina condi oportuisse; nihil vivum, sive homines, sive bruta, ab ipso sauciata in seqventem diem vitam traducere potuisse, vulnere qvantumvis levi; nihil tam durum, qvod non penetrâsset, cujus ictus nisi in terram demersus sisti neqvivisse; gerenti utentiqve semper victoriam reportâsse, in omnibus antiqvis memoriis celeberrimum. De Arngrimo autem refert, fuisse piratam celeberrimum, Gardarichiamqve ingressum sub Rege Sigurlamio, senio unà cum Reginâ valde provecto, meruisse, militiæ ejus terra mariqve præfectum.

Eysu-

Eyfuram deinde parentum voluntate ei matrimonio junctam, datumqve simul gladium Tirfingum, secundumqve a Rege dignitatis gradum; inde cum uxore sua patriam repetivisse, inqve insula Holmo dictâ habitasse. Hæc laudati exemplaris fide, qvod pro Eyvore Eyfuram semper filiam Regis appellat, notatione diversa. Eyvor enim insularia navalia, Eyfura abietem insularem significat. Ex ea deinceps Arngrimus duodecim procreavit filios, qvorum natu primus

Angantyr.

Secundus Hervardus, tertius Hiorvardus, qvartus Semingus, qvintus Hranius, sextus Bramius, octavus Reifnir, nonus Tindus, decimus Bujus, duo reliqvi Cognomines dicti sunt. Aurvar-Oddi vita nomina eorum aliter, nec ordinem ætatis, sed metri rationem secuta, hoc modo enumerat: Hervardum & Hiorvardum, Angantyrem, Billdum & Bragium, Bolverchum & Tochium, Tindum & Tyrfingum, duos Haddingos, qvorum ultimi duo modum virium humanarum non excedebant. Angantyr autem duos robustissimos æqvabat, deputatasqve iis operas sibi soli deposcere solebat, staturæ proceritate tantus, ut omnibus capite altior esset. Insignes hi fratres omnes alios berserchos audacia & viribus superabant, neqve in expeditionibus nauticis præter se ipsos in prætoriam navem ullos admittebant, sæpe tamen pluribus navibus usi sunt, lateqve per multas regiones prædas egerunt, victoriæ semper compotes: hinc nominis ingens fama. Tirfingus gladius Angantyris, Mistilteinn Semingi, & Hrottius Hiorvardi appellabantur, singuli insignes, singularisqve in monomachiis usûs. Qvoties furoris incessuri notas animadverterunt, modo peregrinum militem permistum non haberent, in terras exscendere, cum saxis ingentibus colluctari, totamqve rabiei vim in arbores effundere solebant; damnis facti cautiores, prius enim furorem in socios nauticos vertentes, multos ex iis, vacuatis navibus, sustulerant.

Festo Iolensi ad craterem memoriæ Bragii dicatum, dum votis se singuli pro more obstringerent, Hiorvardus se Ingibiorgem Yngvii Upsaliorum Regis filiam, virginem sapientiæ, prudentiæ & venustatis laude celeberrimam, aut uxorem ducturum, aut aliam nullam, vovit. Proximo vere universi fratres in Sveciam profecti sunt, ingressiqve Regiam, Regi filiæqve in solio sedentibus votum exposuerunt: omnibus, qvi præsto erant, silentibus, responsum Regis subito Hiorvardus efflagitavit. Rex deliberabundus celebritatem virorum, nataliumqve splendorem mente revolvit. Fuit in illius aula vir magni nominis, pugilum sui nemini secundus, nomine Hialmar, ab animi fortitudine Magnanimus dictus, longoqve tempore ibi versatus est; qvi industria & labore, tum invicto animi corporisqve robore, crebris expeditionibus ditionem Regiam valde dilatavit, fuit enim toti exercitui præfectus. Fuit & alius pari virtute, nec viribus minor, nec rerum gestarum laude inferior, interventu fœderis ei socius, gloriæ prædæqve, sicut & periculorum omnium, particeps, nomine Oddus, â jaculis, qvæ a teneris anxiè conqvisiverat, Aurvar-Oddus dictus, aliàs â peregrinationibus Peregrinator, vir natus in insula Norvegiæ Hrafnista, Naumdalo adsita, educatus in Jadria. Rege in responso, proco tam acri & vehementi reddendo, hæsitante, Hialmar loco exsurgens soliumqve accedens, *eum ad animum revocare postulabat, qvantum decus, se duce, partum; qvot anni â primo suo in regnum adventu, ad id ei subigendum, insumpti sint; qvam promtus ad negotia Regia expediunda fuerit: mallet*

let igitur se tam eximio honore, affinitatisqve splendore, qvam unicè semper exoptaverit, ornare, qvàm Berserchos istos exteros, damnis tantum & injuriis, regno cum ipsius, tum aliorum Regum illatis, infames. Impedita res visa est: respondit igitur, procorum utrumqve tantâ animi magnitudine, generisqve celebritate esse, ut neutrum repellere sustineat, situm in filiæ arbitrio, qvem eligeret maritum. Illa respondit, qvandoqvidem patri se elocare placeat, illi sociari velle, qvem probè noverit, præclaraqve facinora & bona fama commendarent. Actutum Hialmarem Hiorvardus ad singulare certamen in insula Samo Baltica provocavit, adjectâ notâ probri, si vel non compareret, vel ante rite finitum duellum discederet. Hialmar conditionem alacriter se accepturum cum respondisset, discesserunt, adqve patrem redeuntes, qvæ gesta essent, exposuerunt. Verum ille non aliàs se iis metuisse respondit, jam verò cum iis rem esse, unde periculum certum, eventus dubius & anceps pendeat; proficiscentibusqve domo felicia apprecatus, præstantis armaturæ usum hoc prælio reqviri monuit. Inde (viâ procul dubio a nobis memoratâ) ad Samum Balticam progressi, sed in sinum Finnicum deflectentes, ad oppidum Australis Russiæ Aldeigiuburgum (de cujus situ *Rudbeckius in Atlanticæ Cap: XXVI.* consuli poterit) cursum tetenderunt. Præfuit illi Comes, nomine Biartmar, Regibus licet dignitate, potentiâ tamen, paucis exceptis, nihilo minor. Filia illi, eaqve soboles unica, nomine Svafa, magni animi, ætatisqve maturæ, qvi Angantyris cæterorumqve adventu cognito, ad convivium invitatos benignè excepit. Captus formâ virginis Angantyr, eam parentum suffragio in uxorem ascivit, celebratisqve nuptiis, cum ad Samum Balticam profecturi essent, socero somnium suum exposuit; nimirum qvod sibi visus esset cum fratribus in Samo Baltica esse, multasqve ibidem aves deprehensas occidere, inde in alia insulæ parte, duas aqvilas obvolare, qvarum alteram acriter secum conflictantem, cum excepisset, se una cum illa in terra consedisse, alteram cum undecim fratribus congressam superiorem recessisse. Comes non indigere somnium interpretatione, portentum cædis adumarari, conjecit. Ad Samum Balticam cum devenissent, furoris berserchiani subito incessuri indicia præsenserunt, in terram igitur exscensione factâ, arbores pro more confregerunt. Hialmar & Oddus ex aliâ insulæ parte, in portu Unnarvogensi naves anchoræ alligârunt, conscendentesqve collem qvendam, adventum eorum exploraturi expectabant. Verum Arngrimiani ut naves Hialmaris ex insula prospexerunt, fervente adhuc rabie, admorsis clypeorum extremitatibus, horribili rugitu ad eas citato gradu advolarunt; ambabus idem nomen Asks fuit; qvarum singulas sex adorti per diversa latera ultro citroqve progrediendo defensoribus nudarunt, classiariis magna qvidem virtute, sed frustra, resistentibus: singulis itaqve necatis, in terram reversi, furore sedato imbecilliores facti sunt; ferunt enim tali rabie obsessos, cum primum desederit impetus, debiles fieri. Oddus autem & Hialmar, animadversâ suorum clade, alter alterum carminibus affati, & prior qvidem Oddus significavit, qvam formidabiles visi sint athletæ furiosi, dùm absqve loricis numero duodecim binarum navium classiarios occidissent. Cui Hialmar etiam metricè dum responderet, male sibi ominatus: *satis qvidem cohortem illam loricâ munitam, sibi autem socioqve Oddo hoc vespere Odinum invisuris, ejus qve hospitibus futuris* (mortem intelligit) *supervicturam.* Illud primum, idemqve ultimum, qvod in metum inclinaret, verbum emisisse traditur. Verum Oddus sinistrè ominantis verba faustâ apprecatione correctu-

correcturus. *Imo verò*, inqvit, *isti duodecim mensis Odini hoc ipso vespere hospites, vivis nobis, accumbent.* Adjicit deinde: *unum ex duobus eligendum, aut latebras in sylvis qværendas, aut hostes excipiendos.* Hialmar fugæ consilia, vel in summo periculo, aspernanda censuit; & jam strictis in eos mucronibus berserki sangvine occisorum perfusi irrunt, inter qvos staturâ eminebat Angantyr, gladio coruscante Tirfingo insignis. Hialmar autem optionem Oddo dedit, soli cum Angantyre aut reliqvis undecim congrediendi: contra Angantyrem maluit Oddus, qvod interulæ suæ qvàm loricæ ejus magis se fidere dictitaret, hanc enim interulam in Irlandia elaboratam accepit (id qvod prius partis hujus Lib: 6. Cap. 5. exposui) cui Hialmar respondit; *qvandoqvidem majoris periculi ducis, certamen cum Angantyre solo, qvàm reliqvis duodecim, illud qvidem ipse subibo; ubi enim meministi me meis te periculis objecisse? mea enim res agitur.* Atqve his dictis cum Angantyre congressus est. Non aliud fortius grandioribusqve ictibus duellum unqvam gestum est. Oddus successive singulos, non simul omnes, se excepturum cum polliceretur, omnes illud suffragio suo comprobarunt. Primus Hiorvardus eum adortus, non solum adversus insecabilem camisiam nihil profecit, sed nec sibi adversus acutissimum ejus ensem, loricam pariter ac vestimenta nullo negotio penetrantem, qvicqvam consuluit. Itaq; post paucos ictus mortuus concidit: cui Hervardus, illiq; Hranius, & deniq; unus post alterum succedentes, ad unum absq; ullo Oddi vulnere occubuerunt. Inde ad Hialmarem progresus, lethali eum vulnere saucium, sed Angantyrem mortuum, deprehendit. Extant *in Historia Hervoris* carmina, qvibus sponsæ suæ salutem Oddo deferendam mandat, unà cum annulo, amoris ad ultimum usqve halitum testimonio. Deinde moritur. Angantyr omnesqve fratres in Samo Baltica cum universa armatura tumulis conditi sunt. Hialmarem autem Oddus Sigtunas duxit. Non sustinuit Ingibiorgis Yngii Regis filia ei supervivere, itaqve mortem sibi conscivit. Hæc totidem fere verbis ex *Historiâ Hervoris* descripsi. *Vita* tamen *Aurvar-Oddi* paulo aliter narrat, non enim ex provocatione aut caussa amatoria, sed fortuitò in Samum Balticam utrosqve appulisse tradit, qvamvis ex suggestione Arngrimi patris Oddum & Hialmarem diu qvæsivissent, hi prius appulerunt, portumqve Unnarvogum occupârunt: nemus insulæ excidendi gubernaculi gratia, qvod tempestas abruperit, ingressos Saxo tradit. Vita autem Aurvar-Oddi, materiam ex qvâ husasnotram formarent, comparaturos perhibet (coronidem credo, nam & idem nomen in vita Karlsefnii occurrit.) Hialmar armaturam, qvam alias solebat, Oddus vero camisiam, qvam nocte dieqve gestans nunqvam exuit, induisse feruntur. Berserki, cum prius omnes classiarios nullo negotio interfecissent, indignati, qvòd pater tales homunciones commendaverit, vindictam de eo supplicio mortis sumpturos se minabantur, aut enim homines istos, qvos formidabiles memorabat, nauci nihiliqve esse, aut plures superstites: exscendendum itaqve in insulam ad certiorem ejus rei notitiam comparandam. Vix ibi pedem fixerunt, cum præsagâ pugnæ rabie perciti universi, & ipse etiam Angantyr, qvod aliàs ipsi nunqvam contigerat, plusqvam debaccarentur. Dum progrederentur ad naves, substitit parum Oddus, tellurem pede pulsans; qvo animadverso, Hialmar qvid rei subesset qværit, illi monstrosas qvasdam voces auribus perceptas, modò in taurinum boatum, modò canum latratum, modò leonum rugitum formatas: mox exqvirit, an sciret ullos homines tam ferinæ naturæ, qvi tam immanes voces edere possent? Hialmar autem respondit ligatè, recensuitqve singulos

los, inverſo, ut antea memoravi, ætatis ordine; id etiam addidit, qvod etiam Arngrimus & Eyvor in Bör orientem verſus (qvod neſcio an in inſula Bolmo prædium ſit, an locus ab eo diverſus) nati ſint. Carmen etiam Oddi parum deflectit ab eo, qvod Hervoris vitâ continetur. Oddus armis destitutus, ſolam ſecurim, non in belli uſum, ſed ad arborem exſcindendam geſtabat, qveſtusqve arcum & tela ad naves relicta, ingreſſus ſylvam, cæſa arbore, gubernaculum fecit, qvem interea Hialmar operiebatur. Rugientes interim advenæ appropinqvantes, interfectorum ſociorum cædem referebant, Oddus, qvinam eſſent, interrogavit: Angantyr nomina genusqve confeſſus, idem ab iis qvæſivit. Oddus ſuum Hialmarisqve nomen edidit; qvo cognito ſibi gratulabantur Angantyr, longo enim tempore eos qvæſiviſſe referebat, jam vero confeſtim pugnaturos, ſingulosqve cum ſingulis per vices congreſſuros; ſe cum qvatuor fratribus Oddum deligere; illum interulam inſecabilem, ſe gladium, nanorum opus, cui nihil obſiſtat, habere, reliqvos Hialmari per vices excipiendos. Hialmar autem ſibi rectius Angantyrem committi dictitabat, qvod annulis contextam loricam, eamqve qvadruplicem, inviolabilemqve, gladio ejus objicere poſſit. Id autem Oddo vehementer diſplicuit, ferream loricam ferro penetrabilem dictitanti, interulam non item. Hialmar autem urgentibus fatis excæcatus, ſanioris conſilii impatiens in propoſito permanſit. Angantyr leges duello dixit, *ne qvis ſuperſtes mortuum armis nudaret*, Tirfingum ſecum defodi, ſi moreretur, poſcebat; pariter Oddo interulam, & Hialmari loricam contumulanda, ſuperſtitibusqve ut mortuis tumulum erigerent edixit. Exinde congreſſi, Haddingi primum Oddum neqvicqvam adorti, ſingulis ictibus ſinguli trucidantur: ordine deinde reliqvi cum eo congreſſi, poſt memorabilem pugnam omnes concidunt. Tum demum Hialmar exſurgens, qvatuor eodem ordine legeqve ſecum congreſſos exanimat: ad ultimum Angantyr poſt longum ingensqve certamen exanimis corruit. Hialmar vero ad vicinum tuber ſe inclinans conſedit, qvem Oddus accedens nimiam ſpreti conſilii pænam qverebatur. Verum ille, ſemel cuiqve moriendum reſpondit, ſedecim ſe vulneribus ſauciatum, loricam diſciſſam, caligare oculos, rigore greſſus impediri qveſtus; conſidere tamen Oddum juſſit, dum ultimum carmen ad Ingibiorgem ſponſam ſuam, una cum annulo deferendum, pangeret, ſalutemqve conſeſſoribus, qvorum nomina carmine comprehendit, dicere juſſit. Petebat præterea, ne ſe in Samo Balticâ tumularet, digniorem, qvàm ut cum peſſimorum virorum, ſe longe inferiorum, fece ſepulchris ſociaretur: deinde exſpiravit. Omnes Oddus, nec armis, nec veſte ſpoliatos, in unum tumulum non procul a mari conjecit, congeſtisqve arboribus ſeptem ceſpite texit, arenamqve ſuperinjecit. Hialmaris autem cadaver humeris impoſitum ad littus portabat, ibiqve depoſuit: navibus deinde purgatis, ſuorum cadavera diſcreto colle condidit. His peractis Hialmarem navi imponit, qvamqve triginta remiges prius egerant, ſolus ducere coactus, ad artem Hrafniſtianis familiarem converſus, vela, qvæ commodâ aura nunqvam fruſtrabantur, ſuſtulit, ſecundisqve ventis in Sveciam navigavit. Upſalos cum perveniſſet, ſublatum humeris Hialmaris funus ante fores Regias depoſuit, loricam manu gerens Regiam ingreſſus, mortem Hialmaris Regi geſtorumqve ordinem nunciavit; deinde ad Ingibiorgem, ſellæ inſidentem, induſiumqve Hialmari ſuentem, accedens; *En annulum*, inqvit, *qvem tibi Hialmar moriturus cum ſalute ſuâ miſit*. Illa acceptum absqve reſponſo intuita, mortua derepente concidit. Oddus ſublato cachinno,

qvinimo,

qvinimo, inqvit, *qvos fata vivos neqvibant, mors copulabit*: arreptumqve Ingibiorgis corpus ante fores extulit, amplexibusqve mutuis Hialmari junxit, Regemqve exciri curavit, ut qvo modo eos disposuerit, cognosceret; qvi sedato parùm luctu, Oddum in Regiam deductum in solio collocavit, illoqve suggerente, lorica Hialmaris in publicum producta, strenuæ pugnæ & fortiter oppetitæ mortis testimonium præbuit. Tumulo deinde qvàm sumptuosissimè magno freqventis turbæ labore excitato, Hialmarem Ingibiorgemqve magnâ pompâ inferri Oddus curavit.

Exemplar Regium Hialmarem in Samo tumulatum, Ingibiorgem autem ad relationem mortis ejus, ab Oddo expositam, mortem sibi conscivisse perhibet. Proximâ hyeme in aula Regis transactâ, seqventi vere recessit. Hæc sunt, in qvibus historiæ dissentiunt. Rythmos etiam, qvos Hialmar moriturus fecit, parum mutatos alioqve ordine, plures etiam, Orvar-Oddi vita exhibet.

Yngvium autem eum Upsalorum Regem, in qvem hæc tempora incidant, Alrechi filium, Alfi fratrem, Agnii nepotem fuisse, *hujus Partis Lib. III. Cap. XXIV.* monstravi. Id qvoqve temporum ordo persvadet; nam Starkadi Aludrengi ex filio Storvirko cognominis nepos, post occisum Vikarem ad hujus Yngvii patrem patruumqve juvenis profugit. Hic autem Angantyr cum fratribus ejusdem Starkadi Aludrengi ex filia Bauggerde pronepos, facillimè æræ Yngvii Alrechi filii aptabitur. Accedit qvòd Hildis, ab Angantyre qvinta, nupserit Haraldo Grandævo Daniæ Regi, qvem nos circa annum Christi qvadringentesimum nonagesimum tertium natum computamus, hautqvaqvam absurdâ temporum distantiâ. *Codex Regius Historiæ Hervorianæ* hunc Sveciæ Regem Ingialdum appellat, cum tamen Upsalorum, præter Astutum illum, nemo illo nomine innotuerit, qvi qvidem ad hæc tempora non assurgit, qvippe Ivari Vidfadmio æqvalis, qvi tamen septimus ab hoc Angantyre descendit. *Orvar-Oddi Historia* Regem hunc Hlodverem appellat, sed sine ratione. *Clariss. Verelius* Yngvium hunc Yngifreyrem esse putat, sed illo vivo Agnafit, cujus hic Hialmar meminit, id nomen sortita non est. Post Agnii itaqve tempora Hialmar & Angantyr, ut & Orvar-Oddus, vixerùnt.

CAP. X.
DE HERVORE ANGANTYRIS FILIA.



SEcundum hæc Svafa Angantyris uxor, Comitis Biartmaris filia partu levata filiam produxit, qvam multi educari dissvadebant, veriti ne feritatem paterni generis sexu suo indignam contraheret. Obstitit mater, dictitans, posse Arngrimi genus per eam propagari, familiamqve filiorum ejus hoc modo ab interitu vindicari. Nomen itaqve

Hervoris

Inditum est. Ut autem adolevit, formosissimas qvasvis virgines superabat, viros etiam viribus æqvabat, muliebrium artium negligentior, militarium valde studiosa, arcu, gladio, clypeo & hasta gaudebat: statim in tenella ætate ferox, profectu virium ad injurias aliorum usa est: increpata abditas in sylvas abcessit, hominesqve amore prædæ occidit,

qvod ut Comiti innotuit, cum manipulo ſatellitum aggreſſus domum deduxit, ibiqve aliqvantiſpĕr detinuit. Evenit forte, cum ſervis mercenariisqve ejus aliqvando moleſta eſſet, ut illi vicem reddituri, haut mirum malam eſſe, neqve degenerem cavillarentur, pudere enim avum tantæ ſordis, ideoqve vetuiſſe, ne qvis ei qvo patre ſata eſſet exponeret, ſervorum qvippe viliſſimum ſtupro eam progenerâſſe. Qva contumelia vehementer exulcerata avum acceſſit, expoſitoqve improperio, veritatem exqvirit, valde ſe falli qveſta, ſi qvem patrem nobili ſtemmate ortum, heroem heroibus natum, ſibi vendicaverit, treſſis agaſonem aut caſſa nuce viliorem ſubulcum ſortita ſit. Avus, illuſtri genere ortam, patre qvidem Angantyre, in auſtrali Samo ſito, retulit; qvo cognito, ut ingenium tantis natalibus congruum monſtraret, qvæ ad iter neceſſaria erant ipſa protinus inſtrui jubet, patrem qvippe cognatosqve mortuos ſe ſine mora inviſuram, nec ultra noctem domi moraturam, avo præcipitantiam illam neqvicqvam improbante. Paullo poſt ſola, virilem veſtem armaqve induta, abſceſſit, adq; piratas ſe contulit, Hervardi nomine aſſumpto. Brevi eorum conſortio uſa eſt, cum ducis officio ſibi delato iis præficitur. Curſu deinde ad Samum directo portum petivit, hortaturq; ſocios, ut inſulam ſpem ingentis prædæ pollicentem aſcendant: id vero ſinguli abnuebant, obtendentes, majus ibi ab infeſtiſſimis ſpectris interdiu, qvàm alibi nocturno tempore periculum eſſe. Obtinuit tandem ut jactâ unica anchorâ noctem ibi ſe acturos promitterent, itaq; Hervardus piratarum dux, expedita ſcaphâ, ſub occaſum Solis in portum Unnarvogum delatus, in paſtorem qvendam incidit, cumq; eo colloqvium usq; in crepuſculum extraxit. Fragor inde terribilis, ardentesq; circa tumulos ignes viſi opilioni metum incuſſerunt, qvem nihilominus Hervardus detinere ſatagens, multis interrogationibus fatigabat, tandem comitem ſibi ad tumulos depoſcebat; id verò cum abnuiſſet, eiqve necqvicqvam diſſvaſiſſet, nec ſegnius propoſiti temerarii, cumqve præſenti morte conjuncti, tenacem peregrinum vidiſſet, in ſylvam citato greſſu properavit. Hervor autem ad marginem inſulæ tendens, ardentem media viâ flammam interrita permeavit, nihil celſos in tumulis rogos exhorreſcens, rectà ad eos pergebat; excitatáqve inferis paternâ umbrâ, poſt crebras adjurationes gladium tandem obtinuit. Qvæ fuſe hiſtoria Hervoriana, Upſalis impreſſa, memorat; valde qvidem fabuloſa, ut hæc ipſa, qvæ deſcribo, qvæ tamen pluribus id genus exemplis ſe tuentur, forte pariter fictis; neqve enim horum vadimonium in me recipio, tametſi inter mali ſpiritus ludibria gentilismi tenebris mancipatis haut inſolennia poſſint reputari, ideòqve haut omninò intermittenda. Nacta gladium totius Norvegiæ poſſeſſioni illum præferebat; qvô indicatur Norvegam eam fuiſſe. Ad littus deinde progreſſa, primâ luce piratas diſceſſiſſe animadvertit, territi enim tumultu, flammæqve immanitate, trepidâ fuga ſibi conſulebant, itaqve in Samo, donec trajiciendi copia affulſit, morabatur. Inde diſcedens non prius deſtitit, qvàm in extremum Iotunheimum in aulam Gudmundi Regis de Glæſisvallis perveniret. Is potens & ſapiens in prædio vel pago conſedit, nomine Grund/ provinciæ Glæſisvellir/ cujus indigenæ longinqvitate vitæ mortales alios ſuperabant; vixerant enim omnes per multas hominum ætates, invaluitqve in paganismo opinio de ſitu agri Udaenſis in regno ejus, loci, ubi ægrotus qvilibet ilico ſanitati reſtitueretur, ſenex repueraſceret, neminiqve mori obtingeret. Ibi etiam ſub Hervardi nomine latuit, admodum benignè excepta. Numeroſo ſatellitio Gudmundus ſtipabatur, illo qvidem tempore, ut credebatur, centeſimo

tesimo ætatis anno completo, corpore viribus nihilominus integer & vegetus.

Filius ei erat, Haufudus nomine, id temporis ætate maturâ, princeps sapiens, præsagus & prudens, â patre omnibus vicinis regionibus judex constitutus; tantâ integritate, ut nunqvam injustam sententiam pronunciaret, nec qvisqvam ab ejus judicio provocare vel auderet, vel indigeret, gravioresqve causæ omnes ejus cognitioni sisterentur.

Accidit fortè, cum Gudmundus Rex latrunculis luderet, ut prope ad incitas redigi videretur. Itaqve qvæsivit, *an esset, qvi consilium suppeditare, suosqve latrones præsenti periculo eximere posset*? Accessit Hervardus, exiguoqve tempore nutantem aciem restituit. Interea qvidam gladium Tirfingum contrectans nudavit, impensèqve, ut nunqvam sibi alium talem visum, laudavit: qvô cognito, Hervardus eum, jam radii solaris instar corusco fulgore universum palatium illustrantem, protinus ei eripuit, unoqve ictu caput ei præcidit; atqve ita foras egressus est. Socii occisi Regem ad ultionem incitantes, comprehendi eum voluerunt; qvibus subsistere jussis, haut decoram vindictam futuram respondit, qvippe, ut sibi videretur, â fæminâ exigendam, eamqve nec incruentam, istô præsertim gladiô armatâ. Inde Hervardus denuò intermissum piraticæ studium recolit; cujus tandem pertæsus, ad Comitem Biartmarē, maternum avum, iterum rediit, muliebresq; artes excoluit. Exinde venustatis ejus raræqve formæ fama latè pervolavit, qvam filio suo Haufudo, uxorem sibi â patre deposcenti, Gudmundus, ut omnium, qvas novit, nobilissimam, ornatissimam, speciosissimamqve commendavit, missisqve eo nomine ad Comitem Biartmarem legatis, ipsâ non improbante, curæqve avi se commendante, facilè eam impetravit.

CAP. XII.
DE HEIDRICO ET ANGANTYRE HAUFUDI FILIIS.



Uo illis deinceps filii, maior Angantyr, minor Heidricus uterqve viribus, formâ, staturâqve alios superabant; dociles præterea valdèqve ingeniosi, ingeniis tamen differebant. Angantyr ad patris ingenium formatus, de omnibus bene mereri studebat, ideoq; ei valde carus, omnibusqve acceptus erat. Heidricus autem beneficia fratris maleficiis & injuriis in omnes promiscuè vel æqvare vel superare contendit; apud primarium virum sapientiæ opinione clarum, nomine Giffurem, educatus matri qvam patri longè carior. Forte Haufudus in Grunde magnificum convivium apparavit, qvò proceres omnes potioresqve cives invitabantur, solo Giffure & Heidrico præteritis. Verum nihilominus Heidricus, cum convivæ primo vespere accessissent, sedesqve qvisqve suas occupâssent, præsens adfuit. Id qvamvis pluribus molestum esset, Angantyr tamen eum ad se perbenignè invitavit, & apud se collocavit; qvod licet is acceptaret, tristioris tamen eo vespere speciem præbuit: remanebat tamen diu postqvam frater egressus esset, proximosqve consessores in mutua jurgia concitavit. Ad eos sedandos Angantyr reversus, jurgiis desistere

stere

ſtere juſſit, iterumqve egreſſus eſt. Heidricus denuò injuriam exaggerans iterum eos inter ſe commiſit, qvoad alter alteri invicem nares pulſaret: rediit igitur Angantyr, inqve ſeqventem diem inimicitiarum inducias indixit, exiitqve iterum. Refricabat tum Heidricus ſopitam litem, eumqve, qvi noviſſimè pulſabatur, ad vindictam adhortatus, eò inſidioſo ſermone perduxit, ut ſocium occideret. Peractâ cæde Angantyr reverſus violata convivii jura ægrè tulit. Poſteriore die ad patris Haufudi notitiam rei geſtæ ordo univerſus pervenit, adeoqve eum commovit, ut protinus filium domo exedere, ne plurium malorum author fieret, imperaret, nec interceſſioni precibusqve matris fratrisqve Angantyris, petentium ut in aulam receptum demulceret, eumqve illa conditione procul dubio acqvieturum dictitantium, mitiores aures adhiberet, qvàm ut extra imperii ſui fines proſcriberet, eodemqve momento domo pelleret. Ut verò inexorabilem Regem mater cognovit, orabat ut regulas qvasdam vitæ ei præſcriberet. Id precibus ejus ſe daturum pater affirmavit, licet pro certo ſciret, nihil ei profuturas. Sunt autem hæ: *Domini ſui interfectori nunqvam auxiliator; ſociiqve interfectorem in itineris ſocietatem nec admittito; uxori, licet expoſcenti, freqventem cognatos inviſendi poteſtatem ne facias; pellici res ſecretiores ne revelato; nec in multam veſperam apud eam maneto; ad rem celeritatem exigentem expediendam, optimum eqvorum ſuorum non adhibito; Potentioris principis liberos ne educato, nec conviviis ejus aſſveſcito.* Singula prævaricaturum pater prædixit. Heidricus *conſilia hæc, utpote ab iniqvo animo profecta, nec ſe ad obſeqvium obligare reſpondit; cum autem ſe ob levem cauſſam proſcripſerit, par eſſe, ut ita illum læderet, ne ullam moleſtiam gravius ferre poſſet.* His dictis, matre fratreqve comitantibus, aulâ egreſſus eſt; tum mater ei marſupium auro plenum, gladiumqve Tirfingum diſcedenti donabat (donum certè matre minus dignum, cum id, tum ei, tum pluribus aliis exitiale futurum noſceret) fauſtaqve & felicia vovens, domum regreſſa eſt. Frater autem Angantyr extra civitatetem, fraternâ caritate ductus, eum deduxit. Tum Heidricus; *haut eqvidem,* inqvit, *parentes pariter me ſibi obſtrictum habent: mater me Tirfingo, ampliſſimo regno chariore, theſauroqve auri diſcedentem ornavit; pater in exilium egit;* ſtringebatqve his dictis gladium, qvi totus, velut igneus, ſcintillante acie fulgebat: irâ deinde percitus, propè berſerkorum rabiem erat; qvòd autem ſoli tantùm præſtò eſſent, nec Tirfingus absqve ſubſecutâ cæde educi poſſet, fratrem lethali ictu percuſſum occidit, abiitqve. Hic primus materni doni fructus fuit. Cognitâ Angantyris morte, non pater ſolùm, ſed univerſa civitas, ſubito mærore perculſa, exeqvias ei celebravit. Succeſſit furori patrati ſceleris ſera pœnitentia, nefandiqve facti rigidum examen; mox triſtis ſententia, triſtiorqve executio; nam per ſolitudines oberrans hominum commercia vitabat, vitamqve miſeram tolerabat: ut autem avorum ſplendidiqve generis recordatio animum ſubiit, cupidine gloriæ (ut ipſi videbatur) eorum vel æqvandæ, vel, ſi fieri poſſet, ſuperandæ, famæqve ſuæ ad ſeros usqve poſteros præclaris facinoribus extendendæ, accenſus reputabat, *fruſtra ſe eos æmulaturum, dum ferarum ritu, hominum ſocietatis exſors, avios ſaltus ſylvasqve pererraret:* iis itaqve relictis, in publicam viam converſus, culta hominibus loca qværebat. Occurrebat fortè agmen hominum facinoroſum, qvendam catenis vinctum ſecum ducentium, cognoſcitqve dominum ſuum occidiſſe: memor ergò promiſſi de paternis præceptis violandis, libertatem ejus ſelibrâ auri licitatus redimit; qvo operam ſuam offerente, reſpondit: *non facili-*

cilius sibi ignoto fidem præstari, qvàm domino de se benemerito. Liberum itaqve abire jussit. Inde longius progressus, ut ad cultiora pervenit, piratas non longè abesse percepit, qvorum collegio inseri posset; ad eos itaqve se confert. Verùm in via fertur incidisse in alium ejusdem furfuris hominem, vinculis similiter oneratum, dum ad supplicium duceretur, qvem, ut socium occidisse percepit, pariter ut priorem selibra auri redemit; ejus tamen operam, qvantumvis enixè oblatam, aspernatus est, rectàqve ad piratas contendit, breviqve rector navigii, deinde totius classis dux constituitur, cursu victoriarum, prædarum cumulo, perpetuâqve felicitate latè postea celebris.

CAP. XIII.

DE HEIDRICI EXPEDITIONE IN REIDGOTIAM, VICTORIAQVE DE COMITIBUS, QVI REGEM HARALDUM AD VECTIGALIA SIBI TRIBUENDA COMPULERUNT.



Vadam æstate Reidgotiæ advectus, a Rege ditionis istius, nomine Haraldo, ad convivium invitatur, propositâ conditione tutæ & securæ mansionis, qvoad libuerit. Eò igitur cum universis copiis concessit, & aliqvantisper morabatur. Interea qvidem thesaurum afferentes Regi advenerunt. Heidricus an tributa hæc essent Regi qvot annis pendenda? cum qvæsivisset, cognoscit, tributa qvidem esse, verum Comitibus duobus a Rege pendenda, fæderum iniqvè expressorum injuriâ extorta, cum ditione Regis vastatâ ipsi superiores victoriam reportarent. Indignum ergò prædicabat, tantum Regem Comitibus vectigalem fieri: vim longè honestius opponi. Id autem aliqvoties se expertum Rex affirmabat, nunqvam tamen absqve damno & magna jactura. *Hac tamen occasione, respondit Heidricus, posse erogata in se beneficia recompensari, modò se ducem expeditionis adversus Comites constituere velit: majores suos rem parvi momenti existimâsse, manus cum talibus conserere, neqve se, modò copias sibi committeret, id extimescere.* Rex *periclitaturum se affirmavit, eventum tamen ipsius fortunam vel infortunium secutura.* Mox, conscripto exercitu ingenti, Heidricum ducem proclamavit; exinde in Comites procinctum movet, latrociniisqve & incendiis populabundus ditionem eorum peragrat: neqve hominibus, neqve pecori aut ulli animanti parsum. Comites audaciâ Regi insvetâ instimulati exercitum adversus eum educunt. Fit ingens prælium, Heidrico ante signa Tirfingum rotante. verùm non erat lorica aut cassis, qvæ ictum illius moraretur; itaqve proximi qviqve corruunt, viâqve per mediam hostium aciem factâ ad signa usqve penetrat, nec sisti impetus poterat, qvin occiso utroqve Comite, cum majore exercitûs parte, reliqvos in fugam verteret. Exinde, peragratâ eorum provinciâ, omnes & singulos Heidricus ad obseqvium Regis revocavit; indeq; triumphans reversus magnifico convivio cum copiis suis excipitur, invitaturqve ad societatem regni, qvod dimidium dotis nomine cum filia Regis Helga obtinuit, Regioqve titulo pari cum socero splendore ornatus, sapientiæ & prudentiæ famam & opinionem ingentem sibi comparavit.

CAP. XIV.

DE ASTU HEIDRICI SOCERUM FILIUMQVE EJUS AD DEOS PROPITIANDOS IMMOLANTIS.



Xinde dira fames annonæqve caritas univerſam Reidgotiam adeò afflixit, ut ad excidium univerſorumqve interitum ſpectare videretur. Indicta igitur univerſalia comitia, qvibus ſacrificia procurata, adhibitis inſuper ſortium conjectoribus; conſulti & magi ac harioli. Reſponſum: *nobiliſſimo toto regno puerô Diis faciendum.* Progenuerat Haraldus in ſenectute puerum, nomine Halfdanum; Heidricus etiam ex uxore ſuâ alium, Angantyris nomen referentem: ambo in tenellâ ætate magnam de ſe ſpem parentibus & civibus pollicebantur. Orta eſt inter parentes ab hoc reſponſo, tanqvam diſcordiæ malo emiſſo, magna de nobilitate contentio, non qvidem ea, qvâ alter alteri præferri vellet, ſed poſtponi; id enim filiis vitæ periculo eximendis conducebat. Haraldus Heidrici filium ſuo nobiliorem dictitabat: id autem Heidricus negabat, primatumqve generis filio Regis Haraldi deferebat; neqve erat, qvi hanc controverſiam decidere vel poſſet, vel auderet, priusqvam univerſis civibus, adeòqve omnibus regni ordinibus, publicè proponeretur. Ibi lis ad Haufudum Heidrici patrem, utpote Regem ſapientiſſimum, judicem incorruptiſſimum integerrimumqve, dijudicanda mittitur; mittuntur & legati, legationis principe ipſo Heidrico. Eò cum comitatu advectus benignè excipitur, propoſitoqve legationis ſcopo, pater filium ejus nobiliorem pronunciat, atqve idcirco immolandum. *Feralem*, reſpondit Heidricus, *ſententiam in filium meum tuliſti: qvid autem in reſtitutionem damni mihi reſervas?* Haufudus: *dimidiam*, inqvit, *populi in foro congregati, ſatellitiiqve regii, partem priusqvam filium ad ſacrificium depromis, depoſcito; voti compos, ipſe tibi provideto.* Hoc reſponſo dimiſſus in regnum rediit, populoſoqve conventu indicto, ipſe ſententiam parentis, Haraldo Rege & utroqve puero præſentibus, publicè promulgat, ſuumqve filium toto regno nobilisſimum judicatum affirmat. Fremitus hinc populi filium ejus ad ſacrificium depoſcentis exortus eſt. Tum Heidricus: *futurum prævideo, me, qvi in hac terra peregrinus ſum, ſi pro pace publicâ redimendâ filium mactandum præbuero, Haraldi filio, eoqve regni hærede, ſuperſtite, orbatum prius filio, regno deinde poſt ſoceri mortem etiam exuendum, populumqve ſe obſeqvio meo intra paucos annos ſubducturum.* Tum Haraldus magnâ cum procerum parte hoc beneficio regnum eum redempturum pollicetur. Ad hæc Heidricus popoſcit dimidiam præſentis comitatûs, populiqve in foro congregati, partem ſibi tradi, juramentoqve fidem tam Regis, qvàm magnatum, ſibi obligari. His obtentis, omnes, qvi in foro erant, bifariam dividuntur: pars altera apud Haraldum remanet, altera Heidrico traditur: ab eâ igitur juramentum ad hoc exigit, ut tam intra, qvàm extra patriam imperata faciant, nullo diſcrimine eorum, cum qvibus res eſſet. Id autem cum denegare non poſſent, ſinguli in verba ejus jurant. Hac multitudinis acceſſione, ad copias eas, qvas ſecum habuerat, cum viribus jam longe præpolleret, claſſicum cani ſignaqve erigi jubet; totoqve cum exercitu ſocerum invadit, imparatumqve & debiliorem facilè vincit, propriâqve ma-

nu

nu occidit; qvo cæſo, reliqvos omnes deditione accipit, ſolusqve regni totius Rex conſtituitur. Mox altaria ſoceri filiiqve ejus Halfdani ſangvine tingit, Odinoqve eos, cum omni manu, qvæ prælio occubuerat, donabat: filiôqve hac ſtrage redemptô numina propitiavit. Regina autem Helga Haraldi filia mæroris magnitudine ſuccumbens, in valle Diſardalo, (Regium exemplar habet Diſarſalo, qvod & videtur rectius, palatio nimirum Deabus dicato,) ſe ipſam ſuſpendio necabat.

CAP. XV.
DE UXORE HEIDRICI, CONCUBINIS, ET LATROCINIIS.



EXinde Heidricus potentia auctus, famam latius extendit, qvam expeditionum per Saxoniam freqventia in dies celebriorem reddidit, qvousqve Rex Saxoniæ, Hachius nomine, belli pertæſus eum per legatos ad convivium invitavit, pacemqve cum eo fecit; datâ ei in matrimonium filia Olufa, ſpecie decora virgine. Ipſe domum dote magna donisqve auctus repetens, deinde regnum celebribus expeditionibus victoriisqve, ſeqventium perpetuis inſtrumentis, undiqve amplificavit. Verum paterni præcepti oblitus, uxori patrem propinqvosqve inviſendi copiam ſæpius petenti indulſit. Qvadam autem æſtate privignum ſuum Angantyrem ſecum duxit; ubi dum diutius moraretur, Heidricus claſſe armatâ diverſas maritimas oras infeſtabat, Saxoniæqve advectus, nullo nuncio prævio, navem non procul a Regia in occulto qvodam ſinu abſcondit, ipſe adulto veſpere, aſſumptâ veſte peregrinâ, ne noſceretur, uno tantum comite, ædes, ubi uxor divertebat, intravit, nemine qvidem advertente; qvam thalamo dormientem, amplexuqve virum qvendam rutilâ cæſarie foventem deprehendit; incitatusqve a comite ad vindictam, qvam minore injuriâ provocatus accelerare conſveverit, continuit ſe, nihil præcipitandum ratus, villo tantum de capillis adulteri diſſecto, filium Angantyrem non procul jacentem amovit, adqve naves ſecum confeſtim deduxit. Poſtero die claſſem Regiæ admovit, magno populi concurſu, Regisqve & procerum gratulatione exceptus ad convivium deducitur. Ibi uxore multis lamentis referente, filium Angantyrem repentinâ morte ſublatum, ſepulchrum ejus ſibi monſtrari jubet, qvâ ſpecie pietatis neqvicqvam repugnante, ne viſum qvoqve funus luctum aggravaret, in publico populi confluxu aperitur tumulus, cadaverqve multo panno involutum educitur; nudatum canis apparet. Qvo viſo; *mira hic*, ait Heidricus, *transformatio, filiô meo in canem converſô*, Angantyremq; producit, uxoriqve ſimul crimen adulterii intentat, eamqve in amplexibus adulteri á ſe deprehenſam exponit, omnesqve mares, qvi in urbe erant, advocari jubet; ſingulis luſtratis, eum, qvi aureis ſuperciliis fulgeret, deſiderabat; qvi qvæſitus inqve culinâ inventus cucullatus, productusqve, jubente Rege, tegmine capitis nudatur. *Ecce virum*, ait Rex, *Reginæ delicias, qvem mihi præferre non dubitat*, villoqve cum cæteris capillis collato, criminis convincitur, patriqve pacem, ut ante convenerat, ratam fore pollicitus, repudiatam filiam reddidit, atqve ita cum filio domum redit. Hunalandiam deinde ſev Hunniam in tranſcurſu piratica ingreſſus oram maritimam improviſus

popu-

populatur, Regemqve, nomine Humlium, deserta Regia, subita fuga ad interiora regionis loca compellit: magnâ deinde prædâ, & inter alia filiâ ejus, nomine Svafa, potitus est, eamqve per æstatem in pellicem delectam, autumno proximo ad patrem remisit gravidam. Ex hoc congressu filius, nomine Hlaudus, natus est, magnæ spei puer, apud avum paternum educatus. Deinde in pacata terra, aqvilonem spectante, aliam fæminam, nomine Sifkam, inter latrocinandum adeptus, mira specie, &, ut visum est, incomparabili, pellicem qvoqve delegit, monitus ne qvicqvam secretiorum ejus fidei committeret. *Exemplar Regium MS. pergameneum* hanc Sifkam Humlii Regis filiam fuisse tradit, primò qvidem ad patrem remissam, deinde ad Heidricum reversam, Hlaudumqve hac natum; Svafam autem penitus reticet.

CAP. XVI.

DE GESTIS HEIDRICI IN RUSSIA NOVOQVE CONJUGIO.



Isto tempore Gardarichiam sev Russiam, vel partem saltem Russiæ, Rex Hrollaugus imperio tenuit, Regum sui seculi amplitudine imperii opumqve copiâ potentissimus: uxor ei Helborg, sui sexûs formosissima, vulgoqve acceptissima. Duo illis liberi, filius Herlaugus, filia Hergerdis, proles utraqve speciosa. Ad eum Heidricus legatione directâ, educationem filii ejus postulat; eo tantum fine, ut omnia consilia patris eluderet. Is autem dubitabat isti viro filii curam committere, qvi multorum scelerum compertus esset, amicosqve, authores fortunæ imperiiqꝫ, perfidè subvertisset. Verum Regina amplitudinem ejus felicitatemqve, facinora qvoqve præclara, eaqve permulta, magis consideranda regessit; *neqve eum irritandum, qvi bellum inferre posset, tunc præsertim, cum amicitiæ foedera sponte offerat.* Rex: *arbitrio ejus hæc se permissurum, bene si eventu felici, gratiam insuper promerituram, secus si pænituerit.* Atqve ita eâ annitente filius legatis Heidrico deferendus traditur, magnoqve cum honore apud eum qvàm curatissimè educatur, prolixo Regis Sifkæqve affectu cultus. In orientali expeditione occupatus Heidricus, magnâ classe exercituqve regni Hrollaugini oris allabitur, pacatèqve in amicâ terrâ procedit: qvô cognitô, â Rege honorificâ legatione ad convivium invitatur. Qvi amicis de tantâ re consultis, pluribus licet dissvadentibus, consilii præsertim paterni respectu, certus transgrediendi nihilominus accessit. Exercitu deinde trifariam diviso, unâ parte ad naves relictâ, altero triente comitatui delecto, tertio infra sylvas condito, ad speculandum per noctes, si forte auxilio indigeret, Sifkam & Herlaugum Regis filium secum duxit. Convivarum illic freqventia: convivii apparatus pariter insignis. Mane cujusdam diei in sylvas venatum profecti, sub prandium in urbem cum rediissent, nec filius Regis, Heidrico licet anxiè qvæsitus, usqvam compareret, ludis cum nobilibus pueris occupatum pater existimabat. Verum Heidricus animi anxius, tristisqve tota die, donec cubitum Sifkâ comitatus petivit, curam ei tam insolitæ sollicitudinis injecit; morbone, an alia qvacunqve re infestaretur. Is autem negabat, se ei tantam rem aperire posse, periculo vitæ suæ, si emanet. Qvo magis incitata

ei

ei blandiri cæpit, ſecreta mentis tali lenocinio expiſcatura. Victum itaq; ſe precibus ejus ſimulans, *negabat ultra eam celare poſſe. Simul omnes in ſylvam venatum proceſſiſſe; mox diſtractos ſparſosqve, tandemqve ſolum unà cum alumno relictum in aprum incidiſſe, interqve feriendum, objecto callo, ictum haſtili confracto eludentem Tirfingo educto occidiſſe; ſe vero deinde circumſpicientem, cum nullum reperiſſet, qvòd gladius niſi calido humano ſangvine placari ſiſtiqve neqviret, alumni eum cruore propitiâſſe retulit, certam ſibi mortem & inevitabilem imminere, ſi hæc ad notitiam Regis perveniant.* His auditis Sifka valde lacrymabat. Poſtero die, dum alii potarent, Sifka multo fletu genas rigabat. Reginâ cauſſam qværente, negat dici poſſe; blandis ergo verbis exorata, omnia, qvæ Heidricus ei concredidit, aperuit. Qvibus illa auditis, velamento capiti inducto, effusè lacrymans palatio exiit. Rex ſubitò ejus egreſſu mæſtitiâqve obſervatâ, ilicò ſubſeqvebatur, cognitisqve qvæ Sifka aperuit, arceſſito aulæ magiſtro ad arma omnes excire jubet, inqve horto eum opperiri. His egreſſis, Heidricus colloqvium Sifkæ cum Reginâ ſuſpectans, revelata ſecreta conjecit, ſuosqve ſubmiſſâ voce monet, ut arma loricasqve induti aulâ exeant. Qvibus egredientibus, Hrollaugus ſuperveniens Heidricum ad ſecretum colloqvium in hortum ſevocatum capit, manibusqve poſt tergum religatis, compedibus ſtringit. Duo erant viri in vinciendo eo acerrimi, qvorum utrumqve novit; erant enim ii, qvos vinculis morteqve lytrô ſolutô exemit, ut ſupra memoratum eſt. Jamqve in ſylvam ad publicum ſupplicii locum patibulò ſuffigendus ducitur, cum ſatellites ejus urbe egreſſi, ſignô tubâ datô, eos, qvi in ſylva ſuccenturiati latebant, ilico exciverunt, junctiqve erectis ſignis infeſtisqve gladiis in hoſtes, edito ingenti clamore, irrunt. Id videntes Ruſſi, in fugam verſi, Heidricum dimittunt. Gauti autem, Rege ſuo vinculis exempto, ingentem inſuper ſtragem dederunt. Hrollaugum etiam in ſylvam effusè cum ſuis fugientem compulerunt. Heidricus autem vinculis liberatus, partâ magnâ præda ad naves rediit, ducto ſecum Herlaugo alumno ſuo, qvem clanculum ad ſuos in ſylvâ abditos antea amandârat, mox oram maritimam Ruſſiæ latrociniis vaſtat. Igitur Hrollaugus conſilio habito exqvirit, *an cum eo congrediendum ſit? jam enim conſtare ſibi filium ſuum vivere, qvem is in poteſtate habeat, cui religio non ſit, vitam ei eripere, cum fratrem germanum innocentem priùs occiderit.* Regina conditiones pacis ei offerendas ſvaſit, partemqve regni, qvantam expeteret. Probato conſilio legati ad Heidricum mittuntur; locus diesqve conventui indicitur; paxq; iis conditionibus coaluit: Heidrico Vindlandia dotis nomine, cum ingenti auri theſauro, pretioſâqve ſuppellectile, Hergerdisq; Regisfilia uxor datur; cum qvâ nuptias, dum domum rediret, celebravit. Ex eâ nata eſt filia, de matris nomine Hervor dicta, cum adoleſceret formâ pulcherrima apud conſpicuæ famæ virum, nomine Ormum, enutrita; ut autem adolevit, haſtas ſagittasqve jaculari, armaqve tractare, cæpit; fuit enim ſtaturâ viribusqve par maſculis. Exemplar Regium hæc paullo aliter recenſet; neqve enim in vincula conjectum, ſed conjiciendum, Heidricum; nec vi ſuorum, ſed reducto exhibitoqve puero Herlaugo, fremente nutritio, vim immerito fieri, exemptum, nec Ruſſiam ab eo in ultionem infeſtatam, ſed inſtigante Reginâ, ignominiam honore compenſatam; primò oblatione ingentis auri copiæ, ſed ab eo, dictitante, auro non egere, repudiatâ; deniqve partis regni, poſſeſſionumqve immenſarum, pariter magno animo neglectarum; ultimò conjugii filiæ, id qvod ſibi amplum honorificumqve duxerit. Filiam etiam Hervorem Ruthena conjuge natam in Anglia in nutricatu Co-

nitis Frodmaris educatam, amazonumqve studiis deditam perhibet. Siſkam autem domum remiſſam ab Heidrico eqvorum generoſiſſimo impoſitam, eoqve veloci curſu defatigato, tandem etiam rupto fluvio abſorptam necatamqve. Qvæ ſingula Vereliana editio omiſit.

CAP. XVII.
DE HEIDRICI SAPIENTIA ET GESTI BLINDI ÆNIGMATIBUS.



Ecundum hæc Heidricus, famâ rerum geſtarum ſapientiæqve & potentiæ præclarus, ab armis ad pacis ſtudia animum convertit, moribusqve & legibus regnum ſuum ſecundum ſapientiſſimorum Regum inſtituta formavit. Freyam præ omnibus aliis Diis coluit, eiqve ſacrificabat. Mos invaluit, ut verres omnium maximus aleretur, Freyæqve pro annonæ felicitate initio menſis Februarii offeretur; tunc enim ſacrificia pro fertilitate perpetrabantur. Illum aprum Rex tàm ſacrum pronunciavit, ut illo immolato de intricatiſſimis controverſiis juſta ſententia ferri poſſit: veſpere Jolenſi ad Regem introduci conſvevit, ſuperqve ſetas ejus manibus impoſitis vota concipiebantur. Heidricus vovit, neminem ſe tam graviter offenſurum, qvin ad judicium conſiliariorum ſuorum, qvos numero duodecim circa ſe habebat, omnibus gravioribus controverſiis dijudicandis, provocare poſſet; qvod ſi etiam ænigma tam intricatum proponeret, cui diluendo Rex impar eſſet, conſimiliter veniam impetraturum. Verùm nemo tam ſapiens ad id usqve tempus eum acceſſerat, cujus obſcuriores qvæſtiones reſolvere neqviviſſet. Fuit qvidam Gothiæ civis, nomine Geſtus Blindi/ ſev *Cæcus*, ſummus Regis inimicus, de qvo pœnam ſcelerum ſuorum ſe ſumpturum ſæpius Rex minatus eſt. Eum Rex præfinito die ad ſe evocatum comparere juſſit, cæteroqvin vi ad ſe ducendum. Utraq; conditio periculoſa viſa eſt; colloqviũ namq; cum Rege diſcrimine plenũ; judicium ſapientũ ſuſpectum, prævijs præſertim tantis tam gravibus offenſis; vi autem per apparitores domo deduci rebus ſuis & miniſteriis damnoſum. Odinum igitur ſacrificiis placatum in ſubſidium vocat. Veſpere qvodam, cum fores pulſarentur, Geſtus egreſſus, ignotum hominem præ foribus vidit, nomenqve ejus qværit. Is Geſtum ſe nuncupari affirmavit, veſtesqve cum eo commutare velle, id qvod impetravit, Geſtusqve prædii dominus, hoſpitis eqvo aſcenſo, aliò in provinciam conceſſit, ibiqve ſe abſcondit. Peregrinus autem domum ingreſſus ab omnibus Geſtus Blindi agnoſcitur; altero die ad Regem proficiſcitur, decenterqve eum ſalutavit; qvo conticente, ad diſſidia componenda eò acceſſiſſe retulit. Interrogatus, *an judicio ſapientum ſe ſubmittere vellet? Pluresne viæ ſuppeterent?* qvæſivit; Rex, *ſi inſolubilia ænigmata proponeret, eam eſſe alteram conſeqvendæ impunitatis viam* indicat. Ille imperitiæ excuſatione uſus, de aſperitate conditionum qverebatur; ſed Rege judicio experiundi facultatem ſupereſſe affirmante, ænigmatibus experiri elegit; Illud vero æqvum & juſtum Rex pronunciavit. Octo igitur ſupra viginti ſpinoſas qvæſtiones Regi diluendas propoſuit: qvæ ordine Hiſtoriâ Hervorianâ expoſitæ & explicatæ continentur, qvò lectorem remitto. Exemplar Regium triginta adducit, qvarum ultima inexplicabilis erat: *Qvid nimirum Odinus Baldo demortuo*

in aurem, anteqvam rogo imponeretur, insusurraverit? Illud tu solus. respondit Rex, *informe monstrum, nôsti*; eductoqve Tirfingo icturus, Odini, subito in accipitrem conversi avolantisqve, caudæ plumas abscidit: id qvod poëtis postea fabulandi ansam præbuit, qva brevitatem caudæ ejus ex hâc causâ natam fingunt. A cauda accipitris, continuato ictu, gladius in satellitum unum illapsus vitam ei eripuit: Tum Odinus Heidricum incusans; *male fecisti Rex, qvòd me sine caussa impetivisti; abjectissimorum itaqve servorum manibus occumbes*. Hæc maximam partem interpretationem Clariss: Verelii secutus, verbis strictè pressis, sed rudi Minerva, exposui.

CAP. XIIX.

DE CÆDE HEIDRICI ET EJUS VINDICTA.



Ovem erant viri, nobili ê Scotia prosapiâ, qvi captivitatis calamitate in potestatem Heidrici statumqve servilem devenerunt. Hi conditionis abjectæ jugiqve durioris insveti impatientesqve, in omnem occasionem intenti, qvovis modo se inde expedire conabantur; affulsit tandem, cum paucis comitatus in lecto, sub montibus Handafiollis strato, dormiret; tunc enim, sumptis armis, ad tentorium Regis cum accessissent, excubitores primò, mox interiora irrumpentes, dormientem Regem cum omnibus comitibus obtruncarunt, prædâqve universâ ablatâ, etiam gladio Tirfingo, abcesserunt. Conspiratio cædesqve & fuga tam occultè processit, ut nulli constaret, qvinam essent Regiæ cædis authores. Mox

Angantyr

filius ejus, conventu universali indicto, freqventibus comitiis, omnium Ordinum suffragiis patri in regnum omnesqve subjectas provincias surrogatur. Ibi votum fecit de non ascendendo patris inulti solio. Nec longo post tempore solus ad inqvirendos sceleris tanti authores peregrè profectus, diversa loca permensus est; qvodam vespere marginem delabentis fluvii Gripi (Exemplar Regium Graf-a habet) secutus, animadvertit piscatores non procul litore, aperto tamen mari, hamo pisces extrahentes, qvorum unus capto lupo, inclamabat socium, ut cultrum ad escam piscium secandam sibi traderet; qvo negante in præsens carere posse; is, qvi in puppi sedebat, jussit ut gladium acciperet, qvi ad caput lecti impositus esset, qvo arrepto evaginatoqve, caput pisci præcidit, carmenqve hoc sensu modulatus est. *Lupus ad ostium Gripi pœnam dedit Heidrici ad montes Handenses occisi.* (Exemplar Regium ad ostium Grafa, proqve Handensibus montibus Hervados reponit.) Confestim Angantyr, Tirfingo agnito, solus in sylvam se abdidit, ibiqve in mediam noctem morabatur, donec tabernam subeuntibus, sopitisqve de improviso superveniens, ipsâ dejectâ, omnes occidit, gladiumqve Tirfingum recepit, qvi reductus vindicatæ cædis paternæ testimonium præbuit. Domum deinde redux regnare cæpit.

CAP. XIX.

DE JUSTIS HEIDRICO PERSOLUTIS, ET HLAUDI POSTULATIS.



His peractis magno apparatu Angantyr justa patri in præfectura seu provincia Arheimo dicta, prædio Dapstado, Danparstado, vel Damparstado celebraturus, universos totius regni proceres invitat, magnaqve cum freqventia eò proficiscitur. Ut autem Hlaudus obitum patris cognovit, ipse qvoq; magno comitatu ab austro illuc pervenit, fratremqve per domesticum qvendam nuncium ad se, ad fores operientem, accersivit. Qvi, cognito fratris adventu, assumpta lorica cassideqve, gladium Tirfingum manu tenens, convivis omnibus comitatus exivit, fratremqve ad celebranda secum patri justa invitavit. Is autem regni bonorumq; omnium æqvalem possessionem postulabat. Id autem Angantyre abnuente, partem tamen magnam conditionesqve haut contemnendas offerente, Giffur, cognomento Gritungalid, jam senex, Heidrici communis patris nutricius tum apud Angantyrem præsens, indignatus nimium oblatum, conviciis Hlaudum aspersit, servâ natum spuriumqve, qvantumvis Rege satum, appellando. Id, ut par erat, indignatus Hlaudus ad avum Humlium rediit, fratremqve dimidiam bonorum partem obtulisse retulit. Verum ut avus spurium eum appellatum intellexit, hyemem in exercendis militibus insumendam respondit. Hlaudum cum armis eqvoqve natum, Regium Exemplar veteres dixisse tradit, nam qvodcunqve infantibus nobilibus in lucem editis, sive pecorum nasceretur, sive armorum fabricaretur, iis ascribi solitum interpretatur. Addit etiam vetustissimum versum de illis Regibus, qvi Angantyri coævi fuerunt; cujus verba hæc sunt:

Ærâ qvâ Humlius Hunnis præfuit, Giffur Gautos, Gothos Angantyr,
Valdar Danos, Valos Kiar, Alrecus Vegetus Anglos rexit.

Qvinam ille Alrecus inter Angliæ Reges Anglo-Saxonum tempore fuerit, planè nescio; ni forte inter Angliæ Germanicæ Reges, nobis ignotos, reputandus erit; istam enim Angliam Sheringhamus Lib. de Anglorum gentis origine Cap: III. pag. 30. latissimè extendit. Kiar â Nore sextus est, Audiiqve, qvi Vallandiam seu Galliæ qvandam partem, aut etiam Vestfaliam, imperio suo subjecit, pronepos, cujus filia Aulrun tempore Nidudi, Nericiæ Regis, & Volundi seu Dædali vixisse, Eddâ Sæmundi teste, perhibetur. Nihil tamen obstat, qvominus plures id nomen sortiti sint, isqve, de qvo hic est sermo, hæc sibi tempora deposcat. Discrimen inter Gautos & Gothos hic etiam evidens apparet, appositeqve Rudbeckius Gutos Scriptoribus externis Gothiæ Sveticæ incolas dictos affirmat; Gothos autem omnes ditioni Odini subjectos primitus dictos constat; postea Danos in Reidgothos & Eygothos divisos.

CAP.

CAP. XX.

DE BELLO INTER ANGANTYREM ET HLAUDUM.



Roximo vere tantus exercitus conſcriptus eſt, ut Hunnia paſſim hominibus vacua deſolataqve appareret. Ab anno duodecimo usqve extremam ætatem armis habilem ſinguli & univerſi ad militiam evocati ſunt, etiam eqvorum ad annum viceſimum delectus habitus; debilior viſus rejectus eſt. Numerus tantus militantium fuiſſe perhibetur, ut non ſingulorum, ſed legionum, ratio difficile iniri poſſit. Legiones autem (ſecundum accuratiſſimi Verelii reſtitutionem) mille fuerant, conſtabatqve millenarius qvilibet duodecim centuriis, ſingulisqve millibus tribunus præfectus eſt, vexillumqve prælatum; qvi numerus 1200000 milites conſtituit; qvibus accedebant legiones triginta tres, qvarum qvælibet qvinqve millia conficiebat, millia autem ſingula trecentas centurias, & centuria qvælicet octo vicenarios, id eſt centum ſaxaginta, qvi numerus, calculo Verelii ad 326700 aſſurgit, univerſusqve Hunnorum exercitus ex 1526700 unitatibus conflatus eſt. Tantæ copiæ trans ſylvam Einercundam dictam, qvæ Hunniam â Gothia dirimit, ductæ in planos deindec ampos, habitationibus variis conſperſos, perveniebant. Eminebat ibi urbs ingens & ſplendida, cui Hervor Regis Angantyris ſoror, magnis cum præſidiariis copiis, unà cum nutricio ſuo Ormo ad Hunnorum impreſſionem reprimendam, limitumqꝫ cuſtodiam præfecta eſt. Hæc manè qvodam ſub ortum Solis ê caſtello ſupra portam urbis, pulverem ê ſylva coortum, Solem interdum conſpectui intercipientem, mox etiam fulgorem, lumine repercuſſo, latè ſparſum cum animadverteret, galeas clypeosqve inauratos, loricasqve Hunnorum radiis ſolaribus illuſtratos, adventum eorum ſubitum indicantes conjecerat: exſiliens itaqve, per tibicinem exercitu convocato, omnes arma capere jubet; Ormum autem ad eos mittit, qvi ad auſtralem portam ſe cum eis congreſſuram denunciet; id qvod is alacriter executus, exercitui obeqvitans, clarâ voce ad portam auſtralem urbis eos procinctum movere, belloqve ſe accingere juſſit: qvi prior paratus eſſet, poſteriorem præſtolaturum. Ad reditum ejus Hervor jam parata, copias omnes, illo comite, in occurſum Hunnorum eduxit, præliumqve magnis animis utrinqve geſtum eſt; cum tamen Hunnorum copiis, numero longè præſtantibus, reſiſti neqviret, acies Hervoris poſt acre certamen inclinare cæpit, tandemqve ipſa cum magna phalange intrepidi animi virgo, inter confertos exanimis in terram corruit; qvo viſo Ormus cum iis, qvi debiliores erant, in fugam converſus, dies noctesqve celeri curſu ad Angantyrem Regem in Arheimos, triſtis cladis ſororisqve cædis nuncius, properavit. Hunni autem populabundi cædibus & incendiis agrum vicinum vaſtabant. Ut vero Angantyr cædem ſororis cladem qve illatam audivit, contriſtatus valde ob cognationis jura in ſorore violata, exercitu luſtrato, copias qvàm convivas rariores qveſtus, ecqvis fecialem ſe Regi Hlaudo offerre auderet, exqviſivit. Illud autem munus Giffur in ſe recepturum fortiter obivit. Heidrico imperante obtinuit, ut hoſtilis exercitus prædis abſtineret, cum ditionis invaſæ Rex diem locumqve pugnæ præſcripſiſſet; eum autem deligere ejus juris erat. Itaqve Giffurem fecialem ad hoſtes amandat,

mandat, locumqve prælio in Dunheidi (*tesqvis Dunensibus*) ad Dylgiam in Jassareis montibus deligit. Is haut propius ad copias hostiles accessit, qvàm vox ejus percipi possit, maleqve illis ominatus, mortem nempe principibus, exercituiqve internecionem, locum designatum prælio publicavit. Hlaudus eum comprehendi cum mandâsset, Humlius juris gentium memor obstitit. Gissur autem corneos Hunnorum arcus minasve minus formidabiles respondit: subditisqve eqvo calcaribus ad Regem suum rediit, interrogantiqve de copiarum hostilium multitudine; ingentem qvidem numerum respondit, longe tamen minorem edidit, qvàm ante traditus est. Verum locus ex exemplari Regio restitui neqvit, cum mutilum sit, hæcqve inibi omnia desiderentur. Tum primum Angantyr omnes prælio aptos, suaqve auspicia seqvi volentes, id qvod de sociis & fæderatis intelligendum videtur, ad arma convocavit, coactoqve ingenti exercitu, Hunnorum tamen ex semisse minore, in Dunheidem progressus, fortiter cum hoste signis collatis dimicavit, multaqve strage, cæsorumqve, supra qvam computari possit, numero, ducibus utrinqve salvis, per continuos octo dies prælium extraxit. Interea ad Angantyrem ingens copiarum undiqve noctu dieqve confluentium accessio fiebat, tanto numero, ut haut minor post tantam cladem exercitus esset, qvàm ab initio fuerat: itaqve qvasi de integro bellum renovatum est. Nec Hunni hostium accessione animos dejecerunt, unicam salutis spem in victoriâ, non autem Gothorum clementia, reputantes; Gothos patria, libertas, uxores, liberi, & qvicqvid carum acceptumqve esset, ad defensionem stimulabat. Itaqve se mutuò cohortantes, tanto impetu invecti sunt, ut hostium aciem impellerent. Qvo cognitô Angantyr, ex præsidio, qvo corpus suum in fronte aciei vallavit, prodiens, ante aciem processit, Tirfingumqve vibrans, homines & eqvos pariter conscidit: præsidiariâ Regum cohorte dissipatâ, ipse cum fratre Hlaudo mutuis ictibus congressus est, fusoqve eo Humlioqve Hunni in fugam versi sunt. Instabant Gothi fugientibus, tantamqve stragem dederunt, ut author hyperbolica locutione flumina obstructa, inqve novos alveos derivata, vallesqve hominum eqvorumqve corporibus repletas, ad magnitudinem ejus exprimendam memoret. Angantyr post partam victoriam, cum corpus fratris inter cæsorum cadavera invenisset, amentiam ejus pervicaciamqve carmine accusans, *qvod sine necessitate bellum occæpisset, conditionesqve æqvas repulisset, suamqve etiam fortunam execratus, qvòd se in illius viscera armâsset, parricidioqve ad seram posteritatem infamem reddidisset, se tamen eo, qvòd ineluctabilis fati necessitati, ut cætera omnia, subjectum agnosceret, excusabat.*

CAP: XXI.
DE SITU HUNNIÆ.



Ocus exigit, ut qvô situ Hunnia, qvô locus memorabilis adeò pugnæ, tàm profundum humanorum cadaverum baratrum, qværendum sit, dispiciamus.

Hunniam Reidgothiæ confinem authoritate Scriptoris historiæ illius antiqvissimæ, in qva jam versamur, accepimus; Reidgothiam autem Jutiam antiqvitus dictam fuisse *in Serie Regum Daniæ Lib: II, Cap: I.* fusè monstravimus

mus: qvo concesso, Hunniæ hujus, de qva nobis sermo, situs facilè eruitur. Is qvidem apud scriptores diversus. In Palatinatu inferiori, inter Rhenum, Mosellam, & Naham *Irenicus* eam collocat *Lib: I. Cap: XXXV.* probatqve authoritate Hieronymi, primò inter Tanaim & Massagetas habitâsse. Postqvam vero satis in Romano imperio debacchati fuerant, primò ad Germaniam consedisse, in loco hodie *Hunnorum Recessu* dicto, Germanicè Hundruck; qvos rigore sermonis Germanos esse Irenicus affirmat. *Socrates Historiæ Ecclesiasticæ Lib. VII. Cap: XXX. Hunnorum gentem Burgundionibus imminere, eorumqve fines instare*, perhibet. Verum cum hæc territoria mediterranea sint, vix nostram Hunniam illustrant, cujus litora portuosa Sigurdi Fafnericidæ vita monstrat.


Scanziâ Hunniam comprehendi tradit Author qvidam *Libr. qvi inscribitur Gesta Normannorum in Francia, ab anno Christi DCCCXXXVIII, usqve ad annum DCCCXCVIII*, qvi sub initium Gothos, Hunnos item & Dacos (Danos intelligit) inibi habitaré memorat. Cui *Scriptor Vitæ Ketillis Hængii* suffragatur, qvi Gestriciam Hunniæ partem facit: *Verelius* autem Smalandiæ confinem *in notis ad Cap. X. Hist. Hervorianæ*. Sedes autem eorum primaria Sarmatia, ultra Mæotidem paludem, Paulo Diacono & Jornandi memoratur. Alii in Hungaria eos, alii in Russia collocant. Nec diffiteor, diversis temporibus diversas sedes obtinuisse. Noster autem scriptor Jutiæ conterminam tradit, (per Jutiam enim Reidgotiam notari videor evicisse) id qvod *author Historiæ Dieterici de Berna*, velut loci hujus interpres, perspicuis verbis testatur, dum Attilam, Regem Osantricem fugientem, pervenisse tradit ad saltum, qvi est inter Daniam & Hunalandiam; profectò hanc eandem sylvam intelligit, qvam hic noster Einerkundam appellat, provinciam etiam Daniæ Reidgothiam, ut partem integri nomine complexus. Idem Author Hunnalandiæ provinciam Svafam memorat: Svavestadia ad occidentalem Eidoræ ripam idem nomen in Holsatia etiamnum retinet. Navigatio præterea Sigurdi Fafnericidæ â provincia Jutiæ Thioda (hodie Ty) secundum vetustissimum Eddæ Exemplar, per oras Cimbriæ, Holsatiæ, & Frisiæ, austrum primò, deinde occidentem versus (non, ut corruptè *Codex Flat: in vita Olafi Tryggvini* habet, orientem versus) directa, ad perseqvendos hostes, qvi regnum ejus Hunalandiam & Franciam, occiso patre, occupârunt, verum Hunniæ situm ostendit. Frisiæ autem nomine qvinqvaginta milliarium spatium, qvod inter Hollandiam & Daniam intercedit, venire, testatur Ubbo Emmius. Exiguam ergò Frisiæ partem emensus est, cum ad Hunalandiam pervenisset; ulterius autem in Franciam, qvæ, teste *Cluverio*, Rheno flumine terminabatur, situqve suo amplissimum spatium inde ad Albim usqve occupavit, navigâsse videtur. Nam & iidem hostes, qvi Hunniam patri ejus, iidem simul Franciam unà cum vita eripuerunt; ideoqve in Franciam, ubi fortè habitârunt, perseqvendi. Volsungus enim & ejus successores ubiqve Franciæ Reges audiunt; ita eos ambabus Eddis Sæmundi Snorriiqve appellantibus, ut & *Codice Flat: pag: 179. & seqq:* qvi tamen in historia propria Hunalandiæ seu Hunniæ Reges fuisse traduntur. Sæpius etiam Sigurdus ille Fafnericida, Volsungi nepos, Hunscr Konongr /: *Hunnicus Rex*, appellatur. Qvin & ulterior Norna-Gesti relatio, cætera fabulosa, in locorum tamen descriptione non omninò improbanda, refert: Sigurdum Hringum, Ragnaris Lodbrochis patrem, Daniæ & Sveciæ Regem, tributum â Giukungis Gunare & Hognio postulâsse, qvorum ditio occidentalem Rheni ripam complexa, qvousqve in orientem extensa fuerit,

rit, ê seqventibus colligitur, qvibus abnuentibus, bellum indictum est, locusq; pugnæ in ditionum confiniô designatus. Sigurdus autem Fafnericida eorum sororius, regnorum domiciliorumqve conmmunione socius, Hunniæ tamen Rex hæreditarius fuerat: utrorumqve regna pro uno habita sunt, id qvod terminus ditionum Sigurdi Hringi & Giukungorum ostendit. Giukungi enim aqvilonem (vel ortum æstivum) versus navigantes, ad Holsatiam stationem cepisse perhibentur, in loco, cui nomen Jarnamoda; nec procul inde locum pugnæ corylis notatum septumqve fuisse tradunt. Hunnia per hæc argumenta Sigurdi propria, jam societatis jure utriqve communis, Daniæ proxima ad austrum juncta conterminaqve Franciæ conspicitur, Holsatiæq; situm sibi vindicat. Ab Hunnia præclarum Stormariæ oppidum Hamburgum, qvasi Hunburgum, nomen contraxisse si statuero, aliis tamen, qvi â Chamavis, aut aliunde nomen illius derivare malunt, persvasurum dubito; an verò extra Albim protensa, vel qvousqve ista Hunnia, de qva hic sermo, fuerit, silentibus memoriis priscis, definire nescio; angustior qvàm pro tantis copiis emittendis ager videtur. Germanorum Transalbinorum Hunnos, Jutos etiam Danorum Scandianorum auxiliis fultos statuo.

Situm hujus Hunalandiæ sive Hunniæ, de qva agitur, utcunqve ex monumentis adductis eruimus; locus belli restat. *Verelius*, qvi Smalandiam pro Reidgotalandia agnovit, Hunniam tamen ei confinem, qvantumvis authoritate Scriptoris nostri fultus, asserere non audebat; tandem Hunnos Scandiam qvondam invasisse affirmabat; id vero ad præsentem qvæstionem nihil facit, itaqve locum prælii Dunheidi in finibus Scytarum ad Tanaim agnoscit. Verùm unde locorum istorum incolarum majus in Angantyrem qvàm Hlaudum studium? unde diurnus nocturnusqve auxiliorum ad eum præ fratre concursus? an & hi imperio Smalandorum tenebantur? agnovit ille hoc alio loco, *in notis scil. ad Cap. XIX*, ubi annotavit; *hanc esse eorum rationem, qvi præstare ajunt domi hostem excipere, nempe qvod facilius coeant vires & auxilia, aliqvo etiam incommodo affectis securior pateat receptus*; unde procul dubio conclusit, prælium in Reidgotia gestum, in qvam etiam sententiam eo. Ipse *Rudbeckius Atlanticæ Cap. XIX. de Thule §. 1. num. 15. pag. 515.* tantum abest ut Dylgiam hanc ad Tanaim qværendam agnoscat, ut ejus situm intra Sveciæ limites indicare exprimereqve ausus fuerit. Urbem esse Sudurmanniæ & Regionum primæ octavæqve limitem ad lat. grad. 59. & longitud. 43½. it persvasum. De qvo nostrum judicium Vid. supra *Lib. I. Cap. V. pag. 10. & 11.* Nunc ad Angantyrem revertamur. Longo is tempore Reidgotiæ præfuisse perhibetur, non sine magnæ potentiæ, magnificentiæ & liberalitatis laude. Filium reliqvit, regni patrimoniiqve hæredem,

Heidricum, cognomento Ulfshamum,

longo deinceps tempore Reidgotiæ imperantem, liberorum duorum parentem. Filius ei Hiorvardus, cujus filiam Hervorem Hognius Halfdani Branæ alumni Daniæ Regis filius uxorem duxit. Filia Ulfshami Hildis Haraldi illius Grandævi, â qvo in *Serie Regum Daniæ* discessimus, uxor, cujus genus recensui, in subjecta tabula uno obtutu conspiciendum; qvam prius in laudata Serie pag. 216. exhibuimus.



** Origines Norveg. Hervörem habent, Vid. Cod. Flat. col. 9.*

Scaniæ Rex, Northumbriæ possessione, armis an hæreditate qvæsitæ, an alio qvovis jure, celebris, qvem impulsu uxoris suæ Asæ Astutæ, Ingialdi Sveciæ Regis, Astuti etiam dicti, filiæ, frater Gudriodus occiderat, ab uxore sua paulo post sublatus, ut in Ingialdi vita dictum est.

SECTIO TERTIA.

DE PROGENIE HALFDANI IV. DISERTI DICTI, USQVE AD RAGNAREM LODBROCHEM ET EJUS DEINDE POSTERIS AD HARALDUM PULCHRICOMUM.

CAP. XXII.

DE INITIIS IVARIS, FILIÆQVE EJUS AUDURIS NUPTIIS.



Xpoſito materno genere Halfdani qvarti, Diſerti dicti, ad poſteros ejus accedimus, qvorum primus ſe offert filius ejus

Ivar Vidfadmius, ſev Latipaſſus, vel longæ orgiæ

Sic enim â regnorum amplitudine provinciarumqve multitudine poſtea dictus eſt.) Is, Ingialdô cum filia ad mortem ſibi ſuisqve conſciſcendam adacto, univerſam Sveciam ſuo imperio ſubjecit, in qva non aliter, qvàm ad majores res gerendas inſtrumento acqvievit vaſtus gloriæ & opum inſatiabilis animus: ad totam Daniam imperio ſuo adjiciendam omnes curas cogitationesqve convertit. Filia ei

Audur Diupaudga ſev Profundè dives vel Prædives, ab immenſis, qvæ demum acceſſerant, opibus ita dicta, poſt ſubactam Sveciam â multis præclaris illuſtribusqve procis expetita. Floruerunt eodem tempore in Dania duo fratres, Lethranæ ditionis Reges, Helgius Hvaſſius, ſeu Acutus, & Hræreeus Slaungvanbaugius ſeu armillarum jaculator appellatus. Hi ab Ingialdo Lethrarum Rege recta deſcendunt, qvatuor gradibus remoti. Celebrior Helgius, utpote militiæ aſſiduus cultor, bello felix prudensqve, novis ſubinde ſpoliis manubiisqve ditatus: regni rerumqve publicarum cura & adminiſtratio, qvippe periculo vacans, haut parem Hræreco gloriam conciliabat. Fortè Helgius in Sveciam profectus Audurem Ivaris filiam uxorem ſibi dari poſtulabat. Conſenſum itaqve ſuum pater ſimulans, tantæ rei arbitrium filiæ relinqvendum pronunciabat, pollicitus, ſe interim voluntatem ejus exploraturum, & qvantum in ſe eſſet cauſam ipſius promoturum. Accedens itaqve filiam poſtulata exponit; cumqve eam, claritudine proci motam, in eum proniorem deprehenderet, diſſvadere cæpit, dictitans: *olim Regias virgines conſvevisse tres aut plures procos rejicere: eſſe plures Reges geſtis famâqve Helgio pares.* Ad ea Audur reſpondit. *Multum qvidem refert, qvid tu, pater, hac de re ſentias, ſcio enim te firmiter concluſiſſe, qvid facturus ſis, nec omnino tantam rem meo arbitrio permiſſurum; plauſibile enim eſt, te mihi conditionem haut ulla ex parte inferiorem qvæſiturum, cum hanc non deſtinaveris.* His dictis ſurgens Rex: *Recte*, inqvit: *conjeciſti; nunqvam enim Regem Helgium maritum accipies, & qvidem eo minus, qvo magis eum expetis*; rediensqve ad Helgium *expoſuiſſe filiæ poſtulata ejus refert, annixumqve pro virili, ut aſſenſum eliceret; verum qvo magis eam flectere, inqve ſuam ſententiam ducere allaboraverit, hoc præfractius ſibi contradixiſſe; neminem Regiorum juvenum eſſe, qvem ſuo complexu dignum ducet; tanto faſtu inflatam: ſe nihilo minus in ejus gratiam periculum adhuc facturum, qvod tamen in præſens ſine ullâ ſucceſſûs ſpe tentetur.* Hoc reſponſo dimiſſus domum rediit, remqve, ut geſta eſt, fratri exponit. Paulo poſt amici Hrærechi ſvadere cæperunt, ut in uſum regni ſuumqve uxorem qværeret: omnibus præſtantiorem Ivaris filiam eſſe, Regis ſeculi ſui potentiſſimi. Cui dubitanti, an votum illud ex ſententiâ cederet, qvo

qvo frater, vir undiqve clarior, dejectus esset, suggesserunt, *ni peteret, nec obtenturum: tuto tamen fortunam periclitaturum, ubi spes emolumenti, decusqve ingens, nec ullum in repulsa dedecus.* His apud animum reputatis consulit fratrem; Is *consilium, si successus adesset, præstantissimum, neqve enim certum, qvem fata respicerent; qvisqvis tamen ille foret, felicissimum videri dixit*, rogatuqve ejus negotiô, qvantumvis arduô, in se susceptô, Sveciam repetit, comiterqve, ut antea, a Rege Ivare exceptus post exiguam moram scopum legationis exponit. Rex *imprudenter eum facere* respondit, *qvòd ea postulet, qvæ facilè perspicere posset se haudqvaqvam obtenturum: qvî enim*, ait, *te posthabito, fratrem, tibi nullâ ex parte comparandum, in maritum adscisceret. Atqvi*, respondit Helgius, *is mihi neqvaqvam cedit, nec ideò minor habendus, qvòd munia regni solus domi curat, jura reddit, leges conservat, lites dirimit, seditiones aut præcavet, aut in herba sopit, aut, si eruperint, maturè coercet, publicumqve bonum ubiqve promovet. Ideo autem minus celebris habetur, qvod his occupatus expeditionibus bellicis, qvibus solis fama paratur, non vacat*: petitqve ut Rex hæc ad filiam deferre ne gravetur. Ille daturum se hoc illius gratiæ retulit, qvantumvis invitum, qvippe de repulsâ indubium; aggressusqve filiam, novam jam conditionem offerri narrat, conjugalem nimirum societatem cum Regis Helgii fratre; utqve sententiam suam exprimat jubet; cui illa respondit: *non jam magis sibi qvicqvam de hoc postulato statuere integrum futurum, qvàm fuerit antea; nec tamen dissimulandum, si suæ potestatis esset, nunqvam se in illius nuptias consensuram. Nimis arrogantem ait pater videri; se ipsam protinus emancipaturam, si spretâ patris potestate unum Regem post alium nimio supercilio contemnat. Non qvidem*, respondit illa, *non eo fine sententiam meam reqviris, qvòd aliqvantulum ponderis habitura sit, cum assensus meus & dissensus pari passu ambulent; ipse enim pro arbitrio, qvicqvid libuerit, disponere dudum decreveras; præsagit tamen animus luctuosam hanc conditionem futuram.* His cognitis Rex properè discedens Helgium adiit, cui exspectatione suspenso exponit, *magnopere se spem suam frustratam; certè filiam inter totius Septentrionis virgines omnium judicio sapientissimam prudentissimamqve haberi, nec sibi aliud in hunc usq; diem persvasum: verum ovem auream jam deprehendisse, fatuam & deliram; secus enim*, ait, *fratrem tuum tibi tam celebri magnificoq; Regi neqvaqvam prætulisset, in qvem tamen haut obscurè inclinat: per me igitur habeat, non obstabo.* Mox eam Hrærecho elocatam, Helgio ad eum deferendam, approperato itinere, tradit. Simul profecti, postqvam Sveciæ limites egressi erant, inter se collocuti, omnem rem ordine, ut gesta est, invicem cognoscunt. In Sialandiam delatos, præmisso magno eqvitatu, qvàm magnificentissimè excipit Hrærechus, nuptiasqve Regali pompâ luxuqve adornat. Hyems mutuâ lætitiâ gaudioqve transacta.

CAP. XXIII.

DE ASTU IVARIS, QVO GENERUM IN FRATRIS CÆDEM EXSTIMULAT, EUMQVE POSTEA VINDICTÆ SPECIE OCCIDIT.



Roximò vere Helgius, ad expeditiones nauticas pro more profectus, hostes bello lacessit. Interea Regina filium peperit, insigni venustate, qvam primores postea dentes rara magnitudine, sed aureo colore conspicui, condecorabant, qvem Haraldum pa-

rentes appellabant; trimus duodecennes ſtaturâ æqvâſſe perhibetur. Interjecto tempore Rex Ivar Sveciâ cum magna claſſe profectus Reidgotiam petiturus, in tranſitu portum qvendam Sialandiæ ſubit. Inde per nuncios generum ad ſe arceſſit, qvi poſtulata ſoceri ad uxorem cum detuliſſet, viciſſim interrogatur, an eum eſſet acceſſurus, etiam ad convivium in inſula invitaturus? qvo cognito petit, ut noctem ſaltem unam iter differat. Cubitum ituro, novis veſtibus, novum lectum inſtratum in medio pavimenti ſtatuit, juſſitq; ut ſolus ibi acqvieſceret, ſomniiqve ordinem omnem qvàm accuratiſſime obſervaret, ſibiqve, cum evigilaret, exponeret. Poſteriori die manè Audur eum accedens, qvid per qvietem viderit, ſciſcitatur. *Prope ſylvam qvandam mihi*, inqvit, *conſtitutus videbar, ubi viride ſubjectorum camporum æqvor cervo paſtum præbuit; cum derepente effuſus nemore Leopardus qvidam, aureis jubis inſignis, â cervo cornu ſubter armum transfixus exanimis corruit; qvem ſtatim exortus ex improviſo terribilis vultur, cervum ungvibus impetens, univerſum dilaniabat; poſtremò apparuit urſa cum hinnulo, qvem vultur ſimiliter invaſurus â matre repulſus eſt; exinde evigilavi.* Audur *magni qvidem momenti ſomnium*, inqvit: *cavendûm tibi a patre meo, ne te, ſi convenitis, decipiat, Regum enim genios vidiſti; nolim tuum per cervum adumbrari, qvod tamen haut abſurdum ſtatuo.* Eodem die magnâ cum pompâ ad ſocerum profectus, navemq; puppim usqve ingresſus, Regem ſalutavit. Verum ille tanqvam ſibi non obſervatum, ut Hermes in trivio immotus, presſâ voce, ne reſponſo qvidem dignatus eſt. At Hrærechus immitem ejus animum obſeqvio deliniturus, officii deferendi gratia illum ad convivium in continente invitandum ſe accesſiſſe profeſſus eſt. Tum primum Ivar: *Averſis certe Diis filiam ſuam ei elocatam* reſpondit, *nec mirum, ſi illi non ſatis concilietur.* Ille *nihil ſe in illâ deſiderare, ſed nec ipſam de eorum convictu qveri.* Tum ſocer valde indignabundus reſpondit; *nihil ipſi conſtare de convictu illius cum fratre ejus Helgio; in omnium enim ore eſſe, qvòd filius Haraldus illo patre ſatus ſit; id enim ſtaturam oris facieiqve lineamenta, atqve adeò totius corporis habitum abundè teſtari: nec ſe alio fine eum acceſſiſſe, qvàm ut ei has fraudes indicaret, certum; haut eam cum fratre communicaturum; malle tamen ut eam in totum ei cedat, qvàm ut præ nimio animi torpore vindictam ulterius negligat.* Ad ea gener reſpondit; *nihil omnino de his ad aures ſuas unqvam perveniſſe; ſed qvicqvid ſit, uxorem ſe nullo pacto dimittere velle, poſcitqve a ſocero conſilium in re tam arduâ atqve perplexâ.* Is *nihil aliud ſe conſultore fieri poſſe, qvàm ut aut Helgium occidat, aut illi ſoli uxorem permittat, neqve enim ſincerum amorem inter illos aliter ſperandum: medium non dari.* Hrærechus uxorem ſe illi conceſſurum negabat. Mox invicem ſe ſalutantes, hic domum, ille claſſe in auſtrum verſâ Reidgotiam petit. Eodem autumno reverſus Helgius convivio qvàm magnificentiſſimo, qvod Regina apparaverat, excipitur, Hrærecho præter morem caperatâ fronte nullum benevolentiæ aut hilaritatis ſignum exhibente, id qvod fratri ut inſolens, ita qvoqve moleſtum fuit; itaqve ægrum exulceratumqve fratris animum qvovis modo exhilarare ſui eſſe officii exiſtimans, nihil omiſit, qvod ad illam rem facere cognoſceret; tandem eum ad ludorum ſpectacula invitans ne ſic qvidem flexerat. Ad extremum; *qvin*, ait, *ſolenni nobis exercitio, eqveſtri velitatione, haſtiludio ſeu torneamento nos invicem oblectamus.* Tum vero Hrærechus celeriter ſurgens, ſilentio ad miniſtros ſuos egreſſus eqvum paſcit, armaqve capit, gladium & haſtam, caſſide loricâqve tectus, cæteris omnibus velitares haſtas, nullo ferro præfixas, gerentibus, in Helgium inermem permittens eqvum, actumqve gladio per axillam illum trans-

transverberat, ita ut exanimis confeſtim ex eqvo in terram rueret. Exſternati tam enormi horrendoqve facinore cuncti, expoſtulârunt tamen qva de cauſſa tantum ſcelus in ſe admiſiſſet. Is: *nulla id injuria factum, ſed jure meritoqve, qvòd ſtuprò cum uxore ſua jura ſangvinis temerâſſet, fraternumqve vinculum ſolviſſet*; illi impudentiſſimo calumniantium mendacio utrumqve aſperſum vociferantes, ipſius amentiam haut minus qvàm fratris caſum miſerati ſunt. Audur vero his cognitis, conſilia patris ſui hic ſe agnoſcere reſpondit, nec hoc fine ſtatura: mox, aſſumpto filio parvulo, multo cum comitatu diſceſſit. Hrærechus autem pro more inſulam conviviis pervagatus intempeſtivum furori ſedando remedium qvæſivit. Exiguo deinde temporis interjectu Ivar ex Reidgotia in Sialandiam revenit; qvod ubi Hrærechus cognovit, ſine morâ ad illum profectionem parat, qvàm ſtrenuum monitorum ejus executorem ſe geſſiſſet oſtenſurus, fors an & ejus ope & authoritate in gratiam cum uxore rediturus. Cujus adventum cum Ivar præſenſiſſet, ingenti percitus irâ, ultionem ſe de fratris ſui parricida, Regis maximi, ſibiqve longè cariſſimi, ſumpturum protinus minatus, copias omnes ad arma vocat, inqve terram exponit; qvarum magnam partem intra ſylvam, qvà Hræchum proceſſurum ſciebat, condit: ipſe erectis ſignis, explicatisqve ordinibus, obviam venienti procedit, generumqve infeſtus invadit; mox lituis tubisqve exciti, qvi intra nemus latebant, ab alio latere ſe inferunt. Improviſo periculo exterritus gener, ne tamen ovis in modum impunè mactaretur, arma opponit, & qvod a prudentiâ non potuit, a deſperatione auxilium mutuatur. Sed major erat mulitudinis armatæ vis, major veterni militis virtus, qvàm ut pauci & imparati, convivia, non bella, vina, non arma, meditati reſiſtere poſſint; ad unum cum Rege omnes cæſi camporum plana cruore ſuo repleverunt. Victor Ivar, vindexqve parricidii, qvod regni viribus expiari debuiſſet, qvaſi re egregiè geſtâ regnum tutoris nomine poſtulat, aſſenſumqve civium, qvi in vicinia habitabant, meruit, duplici, ut videri volebat, jure, belli videlicet longè juſtiſſimi, utpote in vindictam ſceliſtiſſimi facinoris ſuſcepti, tantâ integritate, ut poſthabito arctiſſimæ neceſſitudinis reſpectu, ſoli juſtitiæ litatum appareret: tum etiam tutelæ, cùm pupillo nepoti ipſa natura avum tutorem dederit, imò & hæredem, fortuna inſuper providerit, ut nemini tutius qvàm ipſi committi poſſit, ſui qvippe ſeculi Regi potentiſſimo & ſine pari.

CAP. XXIV.

DE FUGA REGINA AUDURIS, NUPTIISQVE CUM RUSSIÆ REGE, SUBJECTIONE DANIÆ SUB IMPERIUM IVARIS, EJUS BELLICO APPARATU, EXPEDITIONE ET MORTE.



DUm in his Ivar occupatur, filia ejus Audur qvantam poteſt armatorum manum colligit, patriqve obviam ducit, qvi, cum illi tantæ copiæ in præſens non ſuppeterent, ut univerſis civibus par eſſe poſſit, in Sveciam repedavit: Hyeme, qvæ ſecuta eſt, Audur ſummâ indruſtria qvantam poterat auri argentiqve & pretioſorum cimeliorum vim undiqve corraſit; univerſamqve mariti ſupellectilem, Eygotiam præmiſit, ipſa

ipſa cum filio & magno nobilitatis globo primo vere ſubſecuta, qvicqvid transportari poterat, navibus imponit. In Eygotiam primò, inde in Ruſſiam avecta, â regionis iſtius Rege Radbardo cum univerſo comitatu benignè excipitur, utqve ad eum permaneat, humaniſſimè invitatur. Interea Ivar univerſam ditionem, qvam Helgius & Hrærechus poſſidebant, in ſuam poteſtatem redegit; qvo tempore Radbardus Audurem, inſcio & inconſulto patre, conſenſu tantum ipſius filiiqve Haraldi contentus, in uxorem duxit; qvod illa ſibi hoc ſtatu peroportunum rata ad filii ſecuritatem, donec adoleſceret. Fuit enim Radbardus in potentiſſimorum Regum numero haut poſtremus. Qvod ut Ivari innotuit, mirareturne audaciam, an excandeſceret magis, haut facilè liqvet; certè montes ardentes jaciens, tantum per univerſam Daniam exercitum collegiſſe perhibetur, ut numerus navium, qvi eum transportabat, iniri non poſſit, omnes in regnum Radbardi directurus, univerſum ferro flammâqve vaſtaturum minatus eſt, & ipſe illo tempore valdè ſenex. Cum ad ſinus Kyrialos ventum eſſet (eò namqve Radbardi ditionis extrema protendebantur) exſcenſionem cum univerſo exercitu in terram facturus, noctem in navis ſuæ, draconis capitibus inſignitæ, puppi tranſegit, cum viſio talis per qvietem ei oblata eſt. Ingens draco ab orientatili oceano, aureo colore ſcintillans, tanqvam ex fornace usqve in cælum ſpargens, vicinasqve terras omnes fulgore illuſtrans volare viſus eſt; qvem univerſæ aves, qvas ſeptentrio nutrit, ſecutæ ſunt. Exinde ab aqvilone exorta derepentè nubes, magnam procellam, imbrem, tonitrua ventumqve excuſſit in formidabilem illum draconem, qvo tempore ex oceano in terram evolavit; tenebræ deinde tantæ incubuerunt, ut neqve draco, nec aves ultra apparerent; ſecutus inde fragor, qvi per auſtrum & occidentem, qvousqve ditio ejus patebat, latè intonuit; mox univerſa illius claſſis in cetos converſa per oceanum natabant: exinde evigilavit, accitoqve nutricio ſuo, nomine Hordo, viſionem expoſuit, utqve explicaret poſtulavit: ille ſenium excuſans, minus ſe his conjectandis idoneum reſpondit: ſtabat ille in rupe pone pontem, ad qvem navis alligata erat. Rex autem in puppi qvieſcens tentoria revelabat, juſſitqve ut navem ingreſſus ſomnium interpretaretur, erat enim valdè anxius. *Non accedam*, inqvit Hordus, *neqve enim interpretatione eges, cum ipſe probè intelligas; brevî enim regna tua Dania Sveciaqve dividentur, tu vero morti propinqvus videris, dum omnia regna exiſtimas te poteſtati tuæ ſubjecturum; illud vero neſcis, qvòd poſt exiguum tempus morieris, nec ullus tuorum in regna ſuccedet* (id qvidem falſo, nam nepotes ejus ſucceſſerunt, qvibus tamen iniqvior erat, qvàm ut hæredes ſibi deſtinaret) tunc Rex; *huc*, inqvit, *accedas, & ſiniſtra tua vaticinia exponas. Hic eqvidem*, reſpondit Hordus, *ſtabo, & hinc exponam. Qvalis*, ait Rex, *Halfdanus Sniallius inter Aſas? Is*, reſpondit Hordus, *Baldus eſt, cujus morti omnes Aſæ illacrymârunt, tibi certè diſſimilis. Egregiè reſpondes*, ait Rex, *huc accede, hic referas. Hic ſtabo*, regeſſit Hordus, *hinc referam. Qvinam*, ait Rex, *Harechus inter Aſas? ille Hænir eſt, qvi illos maxime timuit, tibi tamen infenſus. Qvinam*, ait Rex, *Helgius Hvaſſius ſeu Acutus? is Heimdallus eſt, qvi fuit omnium Aſarum ſtupidiſſimus, tibi etiam infeſtus.* Tum Rex, *qvinam ego inter Aſas? Tu es*, reſpondit, *ſerpens Midgardenſis.* Tum vero Rex admodum infeſtus, *ſi tu*, ait, *finem vitæ mihi ominaris, & ego viciſſim tibi, qvòd mihi non ſupervivas; video enim ubi ſtes, gigas informis, propius ergo cum ſerpente Midgardenſi congredere, & inter nos certemus.* His dictis æſtro iræ percitus ê navi ſe in mare præcipitavit; ſimiliter Hordus ê rupe proſi-

prosiluit, neuter postea visus est. Postea omnis exercitus in terram conscendit, ibiqve consultatum, qvid potissimùm ê re videretur. Placuit, omnes suam qvemqve domum dimitti, cum mortuo Rege non esset cujus auspicia aut imperium seqverentur, nec pro qvo bellarent, aut cui vincerent, nec Radbardus dignus visus, qvem perseqverentur, cum caussam bello non dedisset. Continuò itaqve dimissi, omnes suam qvisqve patriam repetiverunt.

CAP. XXV.

DE GESTIS HARALDI HILDITANNI, QVÆ IN ISLANDORUM MONUMENTIS SUPERANT, USQVE AD BELLUM BRAVICHENSE.



His cognitis Radbardus privignum suum Haraldum classi copiisqve præfecit, qveis Sialandiam petens omnium votis Rex pronunciatur; inde in Scaniam, avorum maternorum ditionem, movit; ibi qvoqve omnium ordinum studiis exceptus, auctusqve copiis in Sveciam provectus, universam deinde Jutiam, avita Ivaris Vidfadmii regna, sibi subjecit, multosqve provinciales Reges, qvos ille exegerat, restituit. Verùm regni primordia proximaqve tempora, multis laboribus periculisqve obsita, magnum ei negotium facessebant, cum enim in ætate tenera, qvippe qvindecim annorum, regni habenas capesseret, iis qvi Ivaris Ingialdiqve Astuti viribus patrimoniis exciderant, minus habilis visus est, ad defendenda qvæ illi conqvisiverant, unde illi cristis erectis, exuto obseqvio, bello eum agressi sunt. Id metuentes regnorum proceres, seidicis incantationibus nefandisqve sacrificiis perpetratis, Diis supplicârunt, ut ab omni ferro immunis cutis duritie ictus omnes eluderet, id qvod etiam impetrârunt. Nam sine galea loricaqve prælia iniit, sine ullo periculo aut damno â qvocunqve armorum genere, tantusqve bellator evasit, ut progenitorum suorum nullus tot tantaqve bella gesserit, inde etiam Hilditanni cognomen obtinuit, ab Hilde, qvæ Dea belli perhibetur, sev septentrionis Bellona, & dentibus aureis. Hic omnia regna principatusqve, qvæ Ivar Vidfadmius possederat, bello & armis vindicavit, atqve adeo, ut nullus totâ Daniâ Sveciâqve Rex extiterit, qvi non ipsius obseqvio devinctus illi tributa penderet, eiqve juramento obligatus fuerit; præterea subjecit sibi partem illam Angliæ, qvam proavus ejus Halfdanus Snjallius, & post eum Ivar Vidfadmius (Northumbriam habet *Olafi Trygguini vita*) possederant, cui Reges Comitesqve tributarios præfecit. Hermundum Regem Hiorvardi Ilfingi filium (non, ut habetur, Ostrogotiæ, sed, ut Snorrius habet) Sudrmannalandiæ præfecit; nisi fortè Ostrogotiam avi materni ditionem adjecit, qvam pater ejus & Rex Grenmar antea tenuerunt. Hæc ferè verbotenus ex MS. chartaceo, nec satis correcto, verti.

CAP. XXVI.

DE RANDVERE RADBARDI FILIO, ET BELLO BRAVIKENSI.



Audur ex Radbardo Russiæ Rege filium Randverem progenuit. Is uxorem duxit Asam Haraldi, (ut habet Exemplar historiæ Herv: Bryniolfi Svenonii) Gotrandi in septentrionali

trionali Norvegia Regis filiam (non enim consistit, eum Geirraudargardorum Regem fuisse, qvod Editio Svedica habet, cum iste pagus in Norvegia non extet.) Randver repentinâ morte concidisse traditur, in eadem historia in Anglia qvoqve bello cæsus; qvæ qvamvis contraria videantur, consistere tamen possunt, cùm bello cæsi satis repentè exspirent. Filium reliqvit Sigurdum, cognomento Hringum, qvi in campis Smalandiæ Bravallensibus prœliô longè maximô cum patruo suo Haraldo Hilditanno dimicabat; cujus belli ordinem & processum Saxo maximam partem rectè complexus est; qvo verò collatio melius inter illum & hæc nostra institui possit, nec ea exponere gravabor, qvæ si Stephanius habuisset, priscæ lingvæ genuina nomina propria felicius assecutus fuisset. Cum Haraldus Hilditannus ad extremam senectutem, annos nimirum qvinqvaginta supra centum, provectus esset, lecto detentus pedes incedere neqvibat; qvâ occasione provocati piratæ provincias regni incursibus passim lacessebant, id qvod amicos ejus malè habuit, exponi qvippe prædæ latronum validissimum regnum; satis præterea ætatis explevisse visus est. Qvidam igitur potentiorum de eo perimendo consilium inierunt. Id vero cum balneo indulgeret, aptissimè fieri posse visum est. Hanc igitur oportunitatem nacti, ligna saxaqve ingerebant, qvo fumo caloreqve maturiùs suffocaretur. Qvod ut Rex cognovit, eos his verbis affatus est: *Hinc me efferte; video qvidem senectutem meam vobis displicere, nec id immeritò, alio tamen fato fungi volo, hoc certè mortis genus aversor: Regiè utiqve moriar.* Tunc accurrentes amici illum exportârunt. Paulo post legatos suos in Sveciam ad nepotem suum Hringum misit, cum mandatis, ut exercitum ex universo regno provinciisqve, qvibus præesset, longè validissimum conscriberet, secumqve confligeret, remqve omnem ordine, ut gesta erat, exponi curavit: nimirùm Danos senectutem suam ut nimiam fastidire. His cognitis Rex Hringus totâ Sveciâ, Vestrogotia, magnasqve ex Norvegia copias colligit, ita ut classis, qvam fretô Stocksundiæ eduxit, duobus millibus & qvingentis navibus, Sveciâ Norvegiâqve excitis, constaret, cum tamen ipse Rex cum terrestribus copiis, Svedis, Vestro-Gothis, per superiora ad fretum Sundicum proficisceretur, atqve inde orientem versus ad nemus usqve Kolmyrkum sev Myrkvid, id est tenebrosum, sev carbone atrius, qvod Sveciam ab Ostrogotia disterminat. Qvod postqvam emensus esset, flexu in occidentem sinum Bravikam dictum pervenit, cumqve ibi ei universa classis occurreret, ibi qvoqve castra metatus est ad latus silvæ. Interea Haraldus exercitum per Daniam & Ostrogotiam contraxit, magnaqve copiarum vis ex Russia Kænugardisqve, magna etiam ex Saxonia confluxit, tantaqve classis in Sialandia concurrebat, loco Sogia dicto, ut superstratum navibus fretum, pontis instar, Scaniam usqve pedibus incedere licuerit, qvod universum classibus occupâsse Haraldus visus est. Præmisit itaqve fecialem, nomine Hiorleifum, cum turmis Saxonicis ad Hringum, qvi illi bellum indiceret, amicitiam fœderumqve jura renunciaret, locum congressûs indicaret. Universum septiduum transportando ê Sialandia exercitui insumptum, priusqvam Bravikam ventum esset; exinde utriqve Reges aciem qvisqve suam instruebant. In exercitu Haraldi princeps qvidam, nomine Brunius, omnium, qvi ibi congregati erant, facilè sapientissimus, isti officio ex parte Haraldi præfectus est, is aciem disponebat. Ipsius Regis vexillum mediâ in acie conspicuum satellitum agmina cingebant. Præcipui procerum in exercitu Haraldi hi numerantur: Svenus, Samus, Gnepius Annosus, Gandus, Brandus

Brandus, Blængus, Titus, Tyrfingus & Hialtius, omnes Haraldi Regis poetæ & inſignes athletæ. Inter ſatellites Regis hi recenſentur: Hiortus, Borgar, Belius, Barrius, Beigadus, Tokius. Ibi qvoqve amazonis Urſina, & altera nomine Heidis, qvarum utraqve magnas copias in auxilium Regis ſecum devexerat. Urſina vexillum ferebat, qvam ſtrenui pugiles Karius & Milvius comitabantur. Tertia amazonis Vebiorg fuit, qvæ ex Gullandia cum multis athletis Regi auxilio venit, qvorum omnium maximus celeberrimusqve fuit Ubbius Friſius, ſecutiqve Brattus Irlandus, Ormus Anglus, Biami filius, Arius monoculus & Geiralfus. Urſinæ auſpicia multæ Vandalorum turmæ ſecutæ ſunt, faciles internoſci, longos enim gladios, longasqve parmas gerebant, clypeos autem qvàm uſus obtinuit breviores. In alio cornu locata erat virgo Heidis, ſub cujus vexillo centum athletæ militabant, inter qvos hi berſerchi nominantur, Grimus, Geir, Holmſteinus, Eyſidall, Hedinus Gracilis, Dagus Livanicus & Haraldus Olafi filius, multiqve alii proceres. Alterum cornu tuebatur princeps nomine Hakius Sciſſigena, cui & ſigna prælata, & multi Reges pugilesqve adjuncti ſunt, ibi Alfus & Alfarinus Gandalfi filii, qvi tum & antea ſatellites Regis Haraldi fuerunt. Ipſe conſpicuo curru vectus eſt, qvòd armis ferendis inhabilis eſſet. Brunium igitur & Hedinum miſit ad inſpiciendam Regis Hringi aciem, & qvomodo eam ordinaverit, & an paratus eſſet ad pugnam. Cum imperata abſolviſſet Brunius, ad Regem reverſus refert: *Paratus qvidem mihi videtur Hringus, & mirâ arte aciem ordinâſſe, qvippe in cunei formam digeſtam, nec vinci facilem.* Tum Rex Haraldus reſpondit. *Ecqvis Hringo in ſuilli capitis formam aciem inſtruere monſtravit? id qvod neminem præter me & Odinum nôſſe putavi; an & Odinus victoriâ me fraudaturus erit, qvòd qvidem ante nunqvam contigit? oro ut id non eveniat, ſin autem ipſi placet me victoria ſpoliare, ut cum univerſo exercitu hac acie cadam, ſi non, uti conſvevit, Danis victoriam annuere decrevit; omnem itaqve ſtragis acervum, qvi hunc campum obtegit, ipſius Numini conſecro.* Verum erat qvod Brunius retulit, nam in pyramidem Hringus aciem coarctavit, qvæ qvidem adeo denſa erat, ut cuneus in fronte ulteriorem proſpectum eximeret, inqve tantam longitudinem exporrecta, ut alterum latus ad amnem, qvi Vera appellatur, alterum vero Bravicum usqve extenderetur. In exercitu Hringi multi qvoqve Reges & pugiles erant: inter alios Rex inſignis, nomine Atius Vegetus, qvi & ipſe juſtum exercitum attulit, multosqve athletas & Reges ſigna ſua ſecutos in aciem eduxit. In his erat unus omnibus priſcis memoriis celebratiſſimus Starkadus Annoſus, in inſula Norvegiæ Fenhringo educatus (hic certe ab illo diverſus eſt, in hiſtoriis tamen confunduntur) crebris peregrinationibus, per varias deſtinctas gentibus terras miniſteriis diverſorum principum glorioſus: complures alii ſtrenui pugiles ad Regem Hringum confluxerunt, qvorum hæc nomina memorantur, Thrandus Thrandheimenſis, Thorer Mærenſis, Helgius cognomento Albus, Biarnius, Hafur, Finnus Fiordenſis, Sigurdus, Erlingus, Snakus de Jadria, Eiricus Soknenſis, Holmſteinus Albus, Rutus, Vanius, Oddus peregrinator (diverſus ab illo priore) Einar Theingus, (fortè Theingill,) & Skagius Irenſis, omnes inſignes athletæ, Regis Hringi aulici. In una autem cohorte ſe congregârunt, Akius, Eyvindus, Eigill Skialgius, Hildir, Gautar Godius, Thollus Steinus de lacu Vænere, & Styr Robuſtus. Ex Svecia acceſſerunt Hranius Hildis filius, & Svenus Upſæius & Soknar Sotius, Hroſkell Herkia & Hrolfus Mulcroſus, Dagus, Craſſus,

Craſſus, Gyrder Latus Vendenſis, Glumus Vermenſis. Ab occidentali Albia acceſſerunt Saxius Flettir & Salius Gothus. Ex Siglenſi provincia proceſſerunt Norrius Hatius, Karl Reckia, Hrokus de Akio (malim Askio) Gunnfaſtus & Gliſmakus Bonus: inter pugiles etiam numerantur Sigmundus Kaupangrenſis athleta, Tolafaſtius & Adils Faſtuoſus de Upſalis, qvi ſigna præceſſit extra aciem, Sigvaldus, qvi Regi Hringo duodecim naves aſportavit, Tryggvius Tomull, qvi totidem Regi advexit, Læſir inſtructiſſimam pugilibus navem longam duxit, Eiricus Helſingus draconem magnum claſſiariis undiqve inſeſſum. Aderant etiam ex Thelamarchia inſignes pugiles, qvibus minimum faſtûs inerat, ideò ut verbis factisqve ſegnes & pigri æſtimati, Thorkell nimirum Pervicax & Thorleifus Gothius, Haddus Durus, Grettir Rangius, & Hroaldus Ta, ɔ: pedis digitus. Acceſſerat & Regem Hringum Rognvaldus Radbardi filius, omnium pugilum maximus, qvi cuneum aciei a fronte tuebatur. Illi proximi Tryggvius & Læſir, extra hos Alfreki filii (aliis Adilſis) & Yngvius. Tum Thelamarchenſes, qvos omnes aſpernati ſunt, parum præſidii in illis reputantes, viri arcuum ſagittarumqve periti. Omnibus in ordinem digeſtis, canentibus lituis, ſummâ utrinqve vi conſeritur bellum, tantâ alacritate, mox ſecuta hominum eqvorumqve ſtrage, ut nulla unqvam poſt hominum memoriam toto ſeptentrione pugna huic comparanda geſta fuerit, ſive alacritate pugnantium, ſive nobilitatis numero. Jamqve undiqve ſe moverat pugna, cum virium animiqve robore ingens exploratæ virtutis miles Ubbius Friſius frontem aciei aggreſſus cum Rognvaldo Radbardi filio manus conſerit: infeſto uterqve animo gravia vulnera mutuis monſtroſisqve ictibus cominus inferebant, donec longi, nec minus atrocis, certaminis eventus Rognvaldum rapuit. Inde incitatior victor facto impetu in Tryggvium procurrit, qvem lethali vulnere ſtratum Adilſis filii junctis viribus ulturi, poſt longam acremqve pugnam cadaverum qvoqve ſuorum ſtrage nobilitârunt. Acceſſit cladi interritus miles Yngvius commilitones conatu majore qvàm ſucceſſu vindicaturus. Tantis ſucceſſibus elatior Ubbius, non jam ſingulis ſed univerſis infeſtus, omnes qvi in primâ fronte aciei pugnabant, eidem ruinæ involvit, præter eos, qvi, neceſſitate vel occaſione aliò converſi, rem variis locis gerebant. Id conſpicatus Rex Hringus ſuos athletas acrius increpatos monuit, ut tantam peſtem averterent, imò & grave improperium, ſi unius hominis impetu totum exercitum vaſtari paterentur, affatusqve Starkadum, ubi jam ille animi viriumqve vigor, cui hactenus nemo ſe impunè objecerat? Multis eqvidem, reſpondit ille, domine, negotiis in præſens implicamur, nihilominus fortunam periclitabimur, qvantumvis certi, cum illo rem eſſe, unde periculum ingens anceps q; eventus expectandus. Hæc elocutus Ubbium infeſto gladio invadit, diuqve illa concertatio mutuis ictuum plagarumqve vicibus exercita tenuit, donec Starkadus ingens ei vulnus intulit, ſex viciſſim ab eo, ſingulis magnis, ſauciatus, adeò ut ſingulari certamine nunqvam periculoſiùs pugnâſſe ſibi viſus ſit. Hos tandem intercurrentia ultro citroqve agmina præliantes dirimebant. Mox Ubbius memorabili pugile Agnare oppreſſo, liberiore deinde procurſu viam ſibi per aciem, ambabus manibus & brachiis ad humeros usqve cruentatis, feriendo hoſtium cæde ſtravit: tandem gradu in Thelamarchenſes facto cædi qvoqve eos pari ardore deſtinavit. Verum illi, ut primùm ſenſerunt in ſe iri, *fruſtra*, ajunt, *in aliâ exercitus parte gloriam qværemus*; *hic jam idonea affulſit occaſio tam diu ſpretæ virtutis noſtræ evidentibus documentis exercendæ.*

Mox

Mox qvi inter eos telis arcu torqvendis peritiores validioresqve erant; Haddus nimirum Durus, & Hroaldus Ta, qvatuor supra viginti jacula pectori ejus adegerunt, antеqvam moribundus in terram corrueret, postqvam sex insigniores athletas Sveonum, Gautorum qvoqȝ milites sedecim, neci dedisset, pugilesqȝ undecim, qvi in fronte aciei primi pugnabant, vulnerâsset. Hoc eodem momento amazonis Vebiorg in ordines Sveonum Gothorumqve magno impetu invecta, nobilem pugilem Soknar-Sotium aggreditur, fortiterqve se opponentem post haut longam moram occidit. Non tulit Starkadus strati à virgine tanti pugilis necem inultam: itaqȝ totis viribus eam adortus pari ardore excipitur; nec enim maximis strenuissimisqȝ pugilibus, sive in inferendis, sive propulsandis ictibus, corporiqve protegendo, ullâ ex parte cessit. Magnis multisqve hoc congressu confossa vulneribus unum memorabile regessit, qvo ruptâ maxillâ adversarii mentum præsecuit. Is propendentem in pectus barbam dentibus appetens inter præliandum allevabat, hiatumqȝ vulneris morsu obtexit. Illam deinde latiùs inter hostium catervas cædibus grassantem pari alacritate excepit Thorkell Pervicax, donec post longam dimicationem illa tandem crebris vulneribus langvoreqve fatigata exanimis in terram defluxit. Jamqve fortuna vices variabat, nunc in has, nunc illas partes pronior, cùm Starkadus in mediam Danorum aciem ferociter se inferens promiscuam stragem fecerat; cui Hunius qvidam (aliis Hachius) intrepidè se opponens in se furentis athletæ impetum vertit, stititqȝ aliqvantisper, donec & ipse viribus exhaustis, funere qvoqve suo gloriam ejus celebriorem reddidit. Ellam deinde, & post eum Borgarem, pari successu fudit & oppressit; jamqȝ strictô gladiô cædibusqve ferox, præcipuam pervagatus aciem incidit in celebrem virum Hiortum: qvo strato excepit eum virgo amazonis Ursina, qvæ vexillum Regis Haraldi circumferens intrepidè pugnabat. Hæc animi ferociam viriumqȝ suarum fiduciam verbis qvoqve extollens; fatis jam im̄inentibus malo suo genio congressurum prolocuta, responsum elicuit; minimè id qvidem, prius enim illam vexillum dejecturam; nec mora, ilicò manu truncatam relinqvens fidem verbis fecit. Mox in Brajum Sækarlafarium conversus medium eum trajecit, inde Gnepio Grandævo probatæ virtutis pugili congressus, postqvam eum consimiliter mactâsset, tandem Hatium, virum fortissimum, adversarium nactus est: atrox ibi pugna pari animorum ardore vulnerumqȝ cruore exercita, qvâ Hatius concidit, nec tamen omninò inultus; isto namqve congressu Starkadus cervice tam patens vulnus humerotenus accepit, ut interiora conspicua essent; aliud circa pectus effusis pulmonibus memorabile; tertium mutilatâ uno digito dexterâ informe. At Haraldus, cognitâ militum suorum, pugilum, ducumqve strage, qvamvis usu pedum pariter ac eqvi cassus, in genua tamen se erigens, eqvo, qvi currum ducebat, loris acriùs impulso, binas simul corripuit hastas, singulasqve singulis manibus torqvens ab utroqve latere, veluti juvenili ardore feriens, multos neci dedit, istoqve impetu durante complura præclarè gessisse perhibetur; donec clavâ vehementiore ictu cassidi impactâ capite rupto exspiraret; author vulneris Brunius, cui maximè fidebat. Ut verò Hringus vacuum currum Regium conspiciebat, haut obscurè collegit, cæsum esse Regem: itaqȝ dato tubâ signo suos ab ulteriori dimicatione inhibuit, oblatâqve & acceptâ conditione pacis Danos qvoqve à bello revocavit. Postero die ad investigandum corpus Regium curam convertens, id munus militibus mandat; diu anxièqve qvæsitum: medio tandem die, magno mortuorum cumulo

 mulo

mulo substratum invenitur: ablato deinde cruore, cultu regio exornatum, in currum, qvo in bello usus est, imponitur, adjuncto eqvo inter Regios præcipuo, ephippio Hringi instrato, sed titulo muneris mortui Regis manibus consecrato, cum prologo, ut hoc vectore ad aulã Valicam, seu enectorum palatia, uti dignaretur; excitatoqve digno tantâ majestate conspicuæ magnitudinis tumulo, unà cum eqvo vehiculi ductore, sed prius occiso, infertur. Inferiæ deinde opiparo convivio celebratæ, præsentesqve duces copiarum, athletæqve & proceres, & qvemcunqve sive natalium splendor, sive officii ordinisve dignitas nobilitabat, postulato Regis, ut conjectis in rogum ponderosis armillis, pretiosis cimeliis, omniqve genere armaturæ, ad exeqvias tanti Principis exornandas, parentarent: qvô peracto tumulus qvàm accuratissimè occlusus est. Tempus belli Bravici ad annum salutis circiter DCCXXXV. referendum statuimus.

CAP. XXVII.
DE SIGURDO HRINGO.



Araldo Hilditanno devicto filius ex fratre uterino Randvere Radbardi Russiæ Regis nepos Sigurdus, cognomento Hringus in sceptra Daniæ successit, qvi Daniam per legatos, qvos Proreges vocant, Regiis tamen titulis à majoribus tractis, insignes, deinceps rexerat. Qvorum primus Olafus, Anglus dictus, Moaldæ Crassæ, Ivaris Vidfadmii matris, (non, ut habet versio Danica, avunculus) ex fratre Nepotis Kinrici filius numeratur, Northumbriæ primus præfectus. Ivar enim Vidfamius Northumbriam, qvam qvoqve pater ejus possederat, regnis suis adjecit, qvæ deniqve ad nepotem illius, amplissimi imperii hæredem, Haraldum Hilditannum pervenit, & progressu temporis jure victoriæ ad Sigurdum Hringum, qvæ ipsi à Regulorum uno, nomine Ingialdo, Saxoniæ Regis fratre, erepta est (interpres Danicus Saxoniæ Ducis fratrem hunc Ingialdum nominat, Germaniam enim Saxoniam intellexit, respexitqve ad posteriorum temporum usum, cùm tamen vel australium vel occidentalium Anglorũ Saxonia intelligenda sit) ad qvam domandam ipse Hringus in Angliã exercitum transportavit, rebellemqve Regem devicit, Northumbriamqꝫ recuperavit. Recollectis autem viribus, Ingialdus cum filio Ubbio iterum belli fortunam adversus eum tentavit; verùm infelici eventu, nam unà cum filio cæsus est, Northumbriæqve regio titulo hic Olafus, de qvo agitur, sub conditione tributi pendendi præpositus est; administravitqꝫ, donec Ubbii filius Eava bellum illi inferret, qvi post varia certamina victor eam recuperavit. Olafus autem profugus in Sveciã ad Hringum rediit; à qvo deinde Jutiæ, sed tributarii Regis titulo, præpositus est, successoriqꝫ Hringi Ragnari Lodbrochi eodem jure deinceps paruit, ab eo qvòd longo tempore in Anglia regnâsset, Anglus dictus. Observandus hic error Scriptorum Anglicorum, qvi primum Danorum in insulam illam adventum, in annum salutis DCCLIII. secundum chronologiam Augustinensem Cantii; alterum verò ad annum DCCCLXXI. referunt; cùm tamen *Cambdenus in Siluribus* ad annum DCCXV. notet: *vallem Irchenfeld, vel Archenfeld, à Danis ferro flammâque vastatam, capto Camelaco Episcopo Britanno*: ni fortè librarii culpâ annus ibi perperam notatus sit.

Uxor

Uxor Sigurdi Hringi fuit Alfhildis, fæmina ſpecioſiſſima, Gandalfi Alfheimorum Regis (tractûs inter Gautelſam & Raumelſam in Norvegia) filia, (fortè qvem *Saxo* Gandal Senem *Lib. VIII. pag. 144. Editionis Hafnienſis 1644. excuſæ*, memorat, dum Haraldi Hilditanni athletas exponit) Alfgeiris neptis, Alfi Senis proneptis, ſecundum librum Originum Norvegiæ. Verùm Finnalfum Raumi filium hic intelligendum non eſſe temporis ratio dictitat, qvæ tot annorum ſpatio multo plures generationes reqvirit. Cum igitur carmen vetuſtiſſimum Hundluitod/ aliàs Voluſpa hin Skamma dictum, Alfum Senem alium nobis ſuggerat, eundem hic intelligendum cenſeo. Illius autem genealogiam ad Svanum Rufum hoc ordine refert. Alfi Senis pater fuit Ulfus, Ulfi Sæfarius, Sæfarii Svanus Rufus, Svani autem Rufi patrem Finnalfum Origines dictitant. Erit itaqve Alfhildis Finnalfi trinepotis filia in linea deſcendente ab eo & uxore ejus Svanhilde Auripenna, qvæ filia fuit Dagi Dellingi ex uxore ejus Sole Mundilfarii filia, numero ſeptima, â Nore vero nona, magno in ſerie progenitorum hiatu, ut ex *bujus Partis* Lib. IV. ubi de progenie Noris, & *Lib. V. tabula genealogica, lit. C.* conſpicuum eſt.

CAP. XXVIII.

DE CERTAMINE SIGURDI HRINGI CUM GIUKUNGIS.



AD Giukungos, Gunnarem & Hognium, Sigurdus Hringus uxoris ſuæ fratres Gandalfi filios legatos miſit; ad tributum aut bellum indicendum; abnuentibus tributum dies certamini in confinio regni condictus eſt. Giukungi affinem ſuum Sigurdum Fafnericidam in ſubſidium vocatum ſecum duxerunt. Comes ei tum fuerat Nornageſtus, qvi hæc ipſe Olafo Tryggvino Norvegiæ Regi, circa annum nongenteſimum nonageſimum octavum, jam trecentorum annorum ætate completâ, narravit, certisqve ſignis fidem relationis fecit. Navigatum eſt aqvilonem verſus usqꝫ ad Holſatiam, portusqve captus ad fluvium Jarnamodam; inde non procul, haſtis ê corylo erectis campus prælio deſtinatus circumdatus eſt. Mox â borea claſſis, cui Gandalfi filii præfuerunt, advenit; nam Sigurdus Hringus prælio adverſus Kyros (qvos Finnlandos eſſe *Rudbeckius Atlant: Cap: VIII § 2. Pag: 338.* prolixè demonſtrat) & Qvenos, qvi in regnum ejus Sveciam irruperant, occupatur. Erat enim id temporis ætate provectus. Magnis ex utraqve parte animis pugnatum eſt, Gandalfi filiis, utpote inter ſuos robore præcellentibus, magnam ubiqve cladem inferentibus. Eminebat in exercitu eorum vir qvidam, ſtaturâ gigantibus qvàm hominibus ſimilior, qvi viros eqvosqve pariter immenſis ictibus diſſecabat, nec reſiſti poterat, propeqve fugam Giukungorum acies erat: illi Sigurdus obviam factus, qvinam eſſet, qvæſivit? Starkadum (Starcatherum) Storvirki filium ê Fenringo Norvegico ſe oriundum appellavit (inſula Aſchenſis prope Bergas id temporis ita vocata eſt; diverſus tamen hic Starkadus ab illo fuit) Sigurdus *ejus mentionem notam ſatis, ſed infamem, reſpondit, neqve talibus hominibus, in perniciem aliorum tantùm natis, parcendum.* Indignatus Starkadus, qvinam ſe ignominioſis verbis laceſſeret? qvæſivit. Sigurdum ſe vocari reſpondit. Fafnericidane? regeſſit; imò, re-

ſpondit Sigurdus; qvo audito Starkadus effugii oportunitatem circumſpexit. Inſtabat Sigurdus, haſtiliqve, malis percuſſis, duos molares dentes elicit, qvorum alterum excidentem Nornageſtus ſuſtulit, fuitqve poſteris admirationi, idemqve in Dania poſterioribus ſeculis catenæ pulſandis campanis adhibitæ alligatus ſpectaculum præbuit, utpote pondere ſeptem unciarum. Starkado fugiente cæteri metu perculſi in fugam verſi victoriam Giukungis reliqverunt; qvi triumphantes ingenti præda onuſti domum redierunt. Paullò poſt delatum eſt, Starkadum Regem Armodum, dum balneô corpus ablueret, per inſidias occidiſſe. Fuit is Aſmundi Berſerkicidæ, Ottaris Halogiæ Regis filii poſtea ab ingenti navigio, Gnod dicto, cujus ſupra meminimus, Gnodenſis etiam vocati, filius.

CAP. XXIX.

DE RAGNARE LODBROKE.



IN patris Sigurdi Hringi aula filius ejus Ragnar adolevit; ſtaturâ formaqve, uti hiſtoriæ Hilditanni reliqviæ tradunt, ſupra omnes mortales, qvi unqvam viſi ſunt, inſignis, qvo matrem ſuam referebat; conſtat enim ex antiqviſſimis memoriis, qvòd genus illud hominum, qvod Alforum nomen gerebat, (populus nimirum qvi provinciam Bahuſenſem Norvegiæ incolit) venuſtate formæ ſuperaverit omnes gentes ſeptentrionis. Duas habuit uxores, qvarum prima fuit Thora Borgarhiort dicta, Herraudi Oſtro-Gothiæ Comitis, vel, ſecundum Ragnaris hiſtoriam, Regis filia, Ringi neptis, Gautii proneptis, non tamen illius, qvi Odini Aſiatici filius erat. Mater ipſi Hleidis, Godmundi Regis Glæſisvallenſis filia. Hanc pater tenerrimè dilexit, & Hiort ſev *cervum* cognominavit, qvòd aliis virginibus, uti cervus animalibus, venuſtior eſſet; fuit enim forma ſingulari. Palatium illi pater magnificè exſtruendum curavit, ligneis mænibus cinctum, conſvevitqve qvotidie novo aliqvo munere honorare. Erat parvus angvis, qvem non indignum putabat filiæ muneri dari; nec illa aſpernata arculæ eum incluſit; qvi in dies creſcendo, tam anguſto loco ulterius includi neqvibat; tandem, cum etiam palatio nimius videretur, foràs remotus, alimenta qvotidie adminiſtrata capiebat: ad ultimum eò proceſſit, ut ſe in ſpiras gyrosqve volvendo univerſum palatium circumflexu ambiret, adeoqve aſper & formidabilis factus eſt, ut aditum ad virginem omnibus, præter eum, qvi cibum ſibi miniſtraret, præcluſerit: prandio vel cænâ integrum bovem devorabat. Herraudus nuptiis filiæ necem illius licitatus, interfectori, cujuscunqve conditionis eſſet, uxorem futuram publico edicto proclamavit: qvod latè ſparſum ad aures etiam Ragnaris pervenit; qvi propoſitum diſſiimulans, qvinqve braccas villoſas, lacernam etiam villoſam, ad ſtaturæ ſuæ modum formari curavit; qvas fervente pice tinctas ad ſolum ſiccabat; æſtate, cum claſſe at Gothiam appuliſſet, in receſſu ſinûs cujusdam eam occultabat, non tamen procul â Regia. Ibi nocte transactâ, ſummo mane ſurgens, monſtroſas veſtes induit, haſtaqve ingenti arreptâ ſolus a claſſe receſſit, in arena â conſpectu hominum remota, univerſum corpus, hac veſte tectum, volutabat, qvæ picem liberiùs ſixerat: clavum deniqve, qvi ſpiculum haſtili nectebat, removit, priusqve ad mænia pervenit,

nit, qvàm ullus intra palatium ſurrexiſſet. Cum ad vallum, qvem ſerpens ſepſerat, perveniſſet, punctim ſerpentem feriebat, verum haſtâ ſubitò retractâ, iterum eam valido niſu dorſo illius impegit; qvi ſubitò ſe convertens, ſpiculum vulneri inhærens detinuit, haſtili Ragnari relictô. Moriturus adeò infremuit, ut tanqvam terræ motu regia concuti videretur. Inde excitati, qvi intus erant, ſurrexerunt. Ragnar verò receſſurus, virgini egreſſæ conſpectus, monſtroſum habitum præferens, gigantis ſpeciem referebat; qvæ ipſum inclamans, qvinam eſſet rogavit; is metricè reſpondens genus nomenqve reticuit, ætatem vero qvindecim annorum profeſſus eſt, amoremqve illius, qvi ſibi arma adverſus truculentam beſtiam induerit, qvam etiam poeticè Heydalax/ *ſeu tesqvorum ſalmonem*, appellando deſcripſit: id qvod neqve hominibus, neqve alii animantium generi, qvàm ſerpentibus, qvi in teſqvis, velut eſoces in aqvis, verſantur applicari poteſt.) Nec tamen ratione caret, qvod qvidam per hunc angvem prædonem interpretantur. Nomen ei forte Ormus, ɔ: ſerpens fuerit, adhuc uſitatiſſimum, ad qvod alluſiſſe Ragnarem facilè qvis conjectabit, cum illum ut ſerpentem poeticè deſcripſerit; fortè gigas aut giganti ſimilis, cuſtodiæ palatii virginis delectus, deinceps plus nimio ferociverit, nec nuptias ejus ambire veritus. Illuſtre tale exemplum nobis hiſtoria Islandorum Eyrbyggiaſaga præbet, probatqve, opere ſupra hominum vel plurium vires, via nimirum publica in rupibus ſtrata; qvod duo tantum natione Sveci peregerunt, non ſine perpetuâ poſteritatis admiratione. Ita elocutus Ragnar relicto ſpiculo receſſit, haſtile ſecum ferens. Illa vero cubitum reverſa, ubi ætatem hominis cum ſtatura conferebat, vix eum uſitati generis humani, ſed potis gigantum qvendam, reputabat, ſollicitaqve de patris voto poſt varias curas ſomnum denuo capiebat. Rex ut occiſum ſerpentem cognovit, telum vulneri extractum conſpicatus, pauciſſimis qvidem habile, non dubitavit, qvin mercedem præmiumqve qvandoqve repeteret, veritus tamen ne temerarium votum ad inæqvalem copulam filiam obligaret; conſulebat eam qvid facto opus eſſet. *Illa publicum concilium convocandum cenſuit, ad qvod omnes, ni iram Regis incurrere vellent, convenire tenerentur, edictô ut qvisqvis ſe cædis ſerpentinæ reum profiteretur, id ſpiculi ad haſtile aptitudine probaret.* Famâ deinde concionis ad claſſem Ragnaris pervolante, cum maximâ militum parte eum ſtatim excivit, electoqve peculiari paululum a congregatione cæterâ diſtincto loco, cum ſuis conſtitit. Rex indicto ſilentio aſſurgens, aptâ oratione primò gratias egit, qvòd edicto ſuo ſe adeò obedientes benevolosqve præbuerint: exorſus inde a ſerpentis hiſtoriâ, adeò formidabilem factum memorabat, ut votum de elocanda filia in conjurationem ſui extorſerit; deinde ſpiculum demonſtravit, qvod infixum vulneri heroicam interfectoris virtutem immaneqve robur teſtaretur: tandem petivit, ut qvi ſe cædis authorem profiteretur, haſtile, qvod ſpiculum ſibi jure vendicaret, in medium afferret, potiturumqve filiâ, qvam tantæ virtutis ſpecimine meruerit, cujuscunqve demum ſortis & conditionis eſſet. Exinde ſpiculum per circuitum ſingulis exhibere juſſit. Cum ad Ragnarem perveniſſet, ipſe ſibi vendicavit, nexu haſtili qvadrante. Deinde nuptiis celebratis Thoram uxorem duxit, domumqve ſecum deduxit. Nomen inde Lodbrochis â villoſis braccis, â ſocerô, ut ferunt, perpetuum virtutis encomium ſibi impoſitum, reportabat. Ex Thora duos tantùm filios ſuſcepit, Agnarem & Eiricum, & unam filiam, nomine Thoram, nec plures Islandicis documentis progenerâſſe traditur. Juvenes ætate adultâ formâ,

mâ, ſtaturâ, viribus, artibusqve præcipuis, cæteris ſerè ſuperiores. Verùm conjugium inopinata mors Thoræ ſubitò diremit, qvæ res adeò acerbè Ragnarem habuit, ut munia regni faſtidiens in remedium luctûs tædiiqve diuturnæ orbitatis piraticam poſceret. Hîc inter alios *Meurſius* qvoqve publico edicto eum mandâſſe tradit, ut ſi qvi filios ſive ſervos minus gnavos aut induſtrios haberet, eos ſibi traderent, bellum in externos moturo, qvi ſubjecti olim regno defeciſſent. Qvod dum agitur, regnum ordinat, & ſpectatæ fidei duodecim viris reipublicæ curam tradit, & qvæ plura; nam ſtatim ſubjungit, cum in regnum rediiſſet, Svanlaugam conjugem duxiſſe. Qvæ apprimè Islandica monumenta ſupplent, & conciliant. Qvod autem *Johannes Gothus* & eum ſecuti Svetici ſcriptores tradunt, Ragnarèm per nuptias Thoræ Scaniam adeptum eſſe, præter qvam qvod Dani contrariis relationibus refellunt, dum hæreditate paterna obveniſſe, Scanosqve â partibus ejûs ſtetiſſe tradunt, antiqvitates etiam Islandiæ ignorant, qvinimo ad oculos monſtrant, non modo Scaniam, ſed etiam Gothiam Danorum imperia agnoviſſe. Nam Haraldus Hilditannus milites & auxilia imperavit Hringo Herraudi patri, ut *Hiſtoria Herraudi & Boſi* teſtatur, infallibili argumento, Sveciæ id temporis ſubjectas non fuiſſe, cum Hringus Sveciam non teneret. Nec *Rudbeckius in ſuo catalogo ad calcem Hiſtoriæ Loccenii, aut in ſua Chronologia* Herraudum inter Sveciæ Reges agnoſcit. Jam verò Sigurdus Hringus â morte Hilditanni omnia hæc regna tenuit, cujus hæres erat Ragnar Lodbroch, ut non eſſet qvòd Scaniam dotis nomine acqvireret. Magnam etiam partem Norvegiæ Raumarikam & Veſtfoldiam Sigurdum & Ragnarem tenuiſſe, qvam armis Eiricus Emundius recipere conatus eſt, *Haraldi Pulchricomi hiſtoria* memorat. Aslaugem Sigurdi Faſnericidæ filiam poſt mortem Thoræ uxorem ſibi ſociavit; de cujus parentibus & majoribus ab Odini tempore pluribus dicendum, â qvo ſex tantùm gradibus removetur, idqve intermediorum nominum defectu, cum ſtatim ab uno majorum alicujus cognomine ad priores illos recurſum ſit, cum ipſe Ragnar duobus & viginti gradibus ab illo removeatur, ut *Lib: III de Originibus Norvegiæ Cap: XXVI.* monſtratum eſt. Sed ubi iſta lacuna ingensqve hiatus incipiat, inveſtigare neqveo.

SECTIO QVARTA.
DE PROGENITORIBUS SIGURDI FAFNERICIDÆ, RAGNARIS LODBROCHIS SOCERI.

CAP. XXX.
DE YGGIO SEU SIGGIO ODINI FILIO, EJUS FILIO RERERE, INITIISQVE NEPOTIS VOLSUNGI, EJUSQVE FILIÆ SIGNIÆ NUPTIIS CUM SIGGEIRE GOTHIÆ REGE, ET QVÆ INTER EUM ET SPONSÆ FRATREM SIGMUNDUM INTERVENERUNT.

Filius



Ilius Odini Eddæ vetustisſimæ exemplari, Franciæ â patre præfectus, Yggius, aliis Siggius, appellatur; qvi ob clandestinam cædem in Bredium, servum cujusdam potentis viri, nomine Skadii, inter venandum admissam, qvòd illum sibi palmam præripepere indignaretur, in exilium consilio publico actus refertur, judicatusqve lupus in asylo; qvæ formula publicam securitatem, tanqvam lupus ovium stationem invasisset violâsſetqve, notat. Longam deinde viam patre comitante, & classem militemqve subministrante, emensus, bellis latè circumferendis clarus evasit, debellatisqve Hunnis regnum sibi comparavit, ad ultimum insidiis fratrum uxoris suæ occubuit. Filius ei

Rerir

periculum patri exitiale per absentiam evitavit, sed cognito patris fato, amicorum cognatorumqve operâ & auxiliis suffultus, exercitum comparavit, hostibus adeo formidabilem, ut ultro regnum ipsi deferrent; fraudis inde scelerisqve in patrem admissi oblivionem factamqve gratiam tantisper simulabat, donec civium studiis favoreqve potens, neminem sibi resistere posse animadvertit. Tum demum interempti patris manibus sicariorum proditorumqve sangvine ritè se parentaturum arbitratus, avunculos occidi fecit; persvasus sangvinis nexum in iis haudqvaqvam violari, qvi affinitatis arctissimæ jura priores temerâssent. Inde bella per longam annorum seriem circumferens, imperii terminos qvoqvò versus protulit, ut finitimis Regibus undiqve formidini esset. Tandem filium sacrificiis â Diis exoratum uxor conceperat, qvi post patris, piraticæ qvidem rei intenti, morbo tamen sublati, optatam mortem, qvippe palatinis Valhallæ deliciis rependendam, tum demum exsecto utero, matre exstinctâ, in lucem prodiit. Is

Volsungus

appellatus Hunniam â patre relictam magnis incrementis dilatavit; vir statura corporis viribusqve ingens, animo invictus, & adversus omnia pericula intrepidus, plurima bella, eaqve periculosisſima, gessit & confecit, uxorem habuit Hrimneris gigantis filiam, cujus nomen reticetur. Ab eo præclara Volsungorum, qvæ alias Ylfingorum familia dicitur, nomen sortita, præcipuos orbis septentrionalis & tantùm non totius Europæ Principes extulit. Decem habuit liberos, omnes ingentes viros, & in antiqvisſimis memoriis celeberrimos, inter qvos gemelli, tum naſcendi prærogativâ, tum etiam aliis corporis animiq; dotibus, eminebant: filius scil.

Sigmundus,

filia Signya; hanc Siggeir Gothiæ Rex, qvem Halfdani Prisci nepotem, patre Sigare natum, â Fornioto decimum, Origines Norvegiæ perhibent, uxorem sibi deposcebat, nec patri filiisve conditio displicuit, qvòd esset Rex magni nominis, gestorumqve magnitudine celebris. Virgo de consensu reqvisita, qvamvis id sibi valde displicere testaretur, voluntati tamen patris haudqvaqvam se repugnaturam respondit. Dimissus in præsens procus ad præfinitum nuptiis diem cum magno comitum filiorumqve numero rediit. Eò qvoq; omnes Volsungi filii & magna amicorum invitatorum freqventia confluxit; qvi obviam Regi procedentes magnâ pompâ

eum in aulam deducunt. Palatium erat conſpicuæ magnitudinis, & pro captu temporum raræ magnificentiæ; arbor medio pavimento radicata, ingentis molis, ſtetit, ramis frondoſis culmen penetrantibus, ſupraqve tectum ſe explicantibus (Barnſtock appellabant) valde ſpecioſa. Focus oblongus (Langeldr) medio pavimento, juxta cænaculi longitudinem, extendebatur, qvem univerſum convivæ circumſidebant. Fortè ſub veſperam, procedente hilaritate, vir qvidam ignotus, ſtaturâ procerus, ætate ſenex, altero captus oculo, tunica talari verſicolore amictus, qvi nudis pedibus lintea fæmoralia aſtrinxerat, pileum capite geſtans, manu gladium, ingreſſus palatium, nudatum prius enſem arbori capulo tenus impegit; cumqve nemo ipſi aſſurgeret vel compellaret; *qvicunqve gladium hunc*, inqvit, *impactum trunco extraxerit, muneri habeto, confeſſurus ultrò, nunqvam nobiliorem geſtâſſe*; atqve his dictis palatio egreſſus eſt, nec ulli unde venerit, qvove ſe receperit, deinde conſtitit. Hoc velut ſigno dato, certatim omnes ad arripiendum gladium ê ſedibus proſiliunt, atqve in primis Reges; hujus namqve muneris compos fieri qvilibet optabat; verum adeo fixus enſis erat, ut dimovere, nedum extrahere, nemo poſſet. Poſt proceres turba populi, perinde irrito conatu, receſſit; ſolus Sigmundus, ſeu virtutis ſuæ, ſeu ſtudii in Odinum, mutuiqve ejus in ſe favoris conſcius gnarusqve, qvo clarior evaderet, exſpectabat, donec ſinguli receſſerant; tum demum intrepidè truncum accedens, nullo negotio gladium retulit, qvi omnibus acuminis incomparabilis viſus eſt. Ejus comparandi cupidine Siggeir protinus accenſus, pari pondere auri ut ſibi redimere liceret, poſtulabat. Cui Sigmundus; *absqve pretio auferre potuiſſes, modò dignus fuiſſes, qvi geſtares; nunc vero nunqvam in tuam poteſtatem venturum ſcias, licet univerſo, qvod poſſides, auro permutare geſtias.* Altiùs illud reſponſum in animum Siggeiris penetravit, qvàm præ ſe ferebat; nam protinus iram, qvam concepit, in meditationem vindictæ ultionisqve ſolatia verſam diſſimulavit, ulteriusqve de hac re colloqvium, tanqvam ſuperfluum, intermiſit. Nocte proxima in geniali lecto cum uxore concubuit; mane verò, cum cœli temperiem commodam nactus eſſet, elabi ſe eam neqvaqvam permiſſurum referebat, petere itaqve, ut veniam reditûs cum uxore ſocer permitteret. Haut inviti Volſungus & filii iter approperaturum Regem convivioqve exceſſurum dimiſiſſe feruntur, cognito qvòd ulterius ſiſti nollet. Signya autem diſceſſura patrem enixè oravit, *ut contractum raptim matrimonium protinus reſcinderet, qvod abſtruſioris artis notitia familiæqve genius luctuoſum prodigioqve ſimile futurum innuerent. Pater de fide agi reſpondit, eam ſe ſemel datam nunqvam violaturum, nec ullam generum cauſam dediſſe, cur contractum irritum faceret; ſine autem prævià culpâ amicum & neceſſarium hominem lædere, præter qvàm qvòd nefas eſſet, inſuper potentem virum in ſe ſuosqve irritari; qvòd ſi conjugium malè verteret, malle id culpâ illius qvàm ſuâ ſuorumve fieri, ideoqve virum, cui jam ſolemni ritu parentumqve conſenſu nupſerit, domum ſeqvi juſſit.* Nec illa ulterius patris voluntati reluctari auſa, omni terrori præſagioqve authoritatem ejus prætulit. Siggeir itaqve abiens, ſocerum cum omnibus filiis, tantoqve comitatu, qvantum ipſi colliberet, ad ſe poſt trimeſtre ſpatium invitavit, feſtivitatem nuptiarum, cui domeſticis occupationibus diſtentus apud eos intereſſe neqviret, domi aptiore tempore celebraturum profeſſus. Socer affuturum ſe pollicitus, benignè eum cum filia dimiſit.

CAP.

CAP. XXXI.

DE PROFECTIONE VOLSUNGI AD GENERUM SIGGEIREM, EJUSQVE IMMENSA FORTITUDINE ET CÆDE, FILIORUMQVE NECE, SIGMUNDI CAPTIVITATE, SIGNYÆ IMMANI FEROCIA, ET MIRA ULTIONIS DE MARITO RABIE, SIGMUNDI PRIMIS NUPTIIS, RECUPERATOQVE PATERNO REGNO, ET EDITO IN LUCEM FILIO HELGIO, POSTEA HUNDINGSBANIO SEU HUNDINGICIDA NUNCUPATO.



PRæfinito tempore Volſungus claſſe in Gothiam cum filiis omnibus, amicorumqve haut exiguo comitatu, vectus, cum veſpertino tempore idoneam ſtationem elegiſſet, Signya de ejus adventu per ſubornatos nuntios certior, ilico ad eum qvàm occultisſimè profecta, inſidias aperuit; excitos namqve toto territorio milites, qvi ipſum cum filiis omnibus opprimerent, nec ei vires in præſens ad reſiſtendum multitudini ſuppetere; multis igitur lachrymis orabat, *ut dum modicum, qvod inſtans nox ſuppeditaret, tempus ſupereſſet, ſibi ſuisqve conſuleret, domumqve protinus remearet, ibiqve militum tantam vim colligeret, ut juſtum exercitum conſcriberet, tum demum rediret: Siggeirem facilè iis copiis & oppugnari, & virtute felicitateqve patris familiæqve ſuæ expugnari poſſe, inſidiasqve, qvas molitus fuerat, in ipſius caput redundaturas.* Ad hæc Volſungus; *propoſitum ſibi eſſe reſpondit, poſtqvam votum, qvod nativitatem præverterat* (id enim de eo nondum nato fabulantur) *de igne ferroqve ſpernendo, intervenerit, pericula belli armis ſemper ſuperare, nunqvam fugâ declinare. Plusqvam centies ſe variis copiarum viribus, mojoribus interdum, qvandoqve minoribus inſtructum, bella geſſiſſe, conſilia fugæ nunqvam agitâſſe, nec jam ſenem paſſurum filiis ſuis mortis formidinem â virginibus improperari; ſemel cuiqve moriendum, nec mortem, qvantumvis ſeram, ullum tamen evaſurum; eamqve demum optabilem, qvæ ereptam vitam perpetuâ famâ rependat, excedentemqve nobilitet, æternisqve honoribus deliciisqve in aulâ Valica beatum cumulet. Me igitur authore*, inqvit, *omnes filii amiciqve, qvotqvot adeſtis, qvandoqvidem huc delati ſumus, in craſtinum exſcenſionem in amici perfidi, magis qvàm juſti hoſtis, terram facite, hoſtiumqve cruore vobis litate, ſeduloqvè cavete, ne inulti moriamini.* Acerbè Signya ad moriendum obſtinatum pertinacemqve patris animum deflevit. Ille ad maritum regredi, nec ullo ſuarum rerum eventu ab eo ſe dirimi ut pateretur mandavit. Ad Siggeirem igitur, de futuris valdè ſolicita, eadem nocte rediit, ne fatalem calamitatem obſtinaciæ conſcientia adverſus ultimum patris præceptum aggravaret. Primâ luce Volſungus cum filiis, jam non ad convivium ſed mortem fortitèr oppetendam, hoſtiumqve manibus qvaſi accelerandam, ſe accingit, editurus prius invicti roboris fortitudinisqve, gratum oculis illorum, filiæ vero horrendum flebileqve, ſpectaculum. Nec Siggeir differendum ratus; nam ſtatim in hoſtes navibus egreſſos cum exercitu univerſo invectus, longè fortius, qvàm paucitatis conditio tulit, excipitur. Octiès eâ die Volſungus cum filiis, obvios qvosqve proſternentibus, hoſtilem aciem perrupiſſe memoratur; nonò idem perpetraturus, in mediâ inter confertos undiqve hoſtes viâ, vincendo magis defatigatus, qvàm devictus, exanimis corruit: brevì deinde

qvi eum seqvebantur conciderunt. Decem filii fortissimè pugnantes clypeorum confertim congestorum objectu capiuntur; qvos confestim ad supplicium duci Rex mandavit. Fertur soror, cum preces suas de liberatione fratrum nihil apud inflammatum rabie Regem profecturas probè nosceret, dilationem tantùm mortis petivisse; qvod cum nec ad eos eximendos, nec leniendos, sed aggravandos cruciatus tendere Rex animadverteret, facilè precibus ejus subscripsit. Singuli succesivè crudeliter perempti sunt; solus Sigmundus furori Regio astu sororis ereptus, in latebris diutiùs: & qvidem (si fabulosæ relationi fides) complures annos, ibidem delituit. Proprios interim filios unum post alterum ex Siggeire susceptos Signya ad eum in ultionis segetē educandos misisse perhibetur, patrem per occasionem, duce Sigmundo, ex insidiis oppressuros, si ad tantum facinus animi iis satis esset. Cum autem ingeniis minùs idoneis deprehenderentur, jussu matris ab eo interfecti sunt, qviritantis qvòd soboles ex Siggeire suscepta plus malitiæ â patre contraheret, qvàm â se familiâqve Volsungorum animi generosi. Ad suscipiendam igitur prolem, qvæ tantùm Volsungi ingenium referret, peregrinæ mulieris habitu ignaro fratri, eiqve gemello, per tres noctes se supposuisse fertur. Natus ex hoc congressu indomitæ ferocitatis filius, ad indolem Volsungi examussim formatus, Sinfiotlius, Sigmundum ultione injuriarum sua sponte ardentem sæpius instigavit; qvi post longum deinde tempus, annitente Signya, nocte intempestâ de improviso supervenientes, ignem tectis Siggeiris subjiciunt, Signyamqve egredi jubent; mærorem ex atrocissimis mariti injuriis conceptum novis honoribus, opibus, obseqviisqve pensaturos polliciti. Qvæ egressa Sigmundo exposuit, *qvàm memor paternæ cædis fuerit, neqve ullam rem intermiserit, qvæ occasionem ultionis aliqvando præbitura videretur; hinc proprios filios, qvòd segniores ad vindictam futuri viderentur, suâ authoritate sublatos, hinc prostitutam pudicitiam, incestum cum propriò fratre, eoqve gemello, Sigmundo, sub adulterinâ specie commissum, unde Sinfiotlius, communis ipsorum soboles, natus sit, qvi, qvòd Volsungi tam ex filiô qvàm filiâ nepos sit, naturam ipsius indolemqve ad ungvem exprimat, qvod neutrum eorum amplius ignorare vellet; tandem se voti compotem, dum ardentem Siggeiris aulam, inevitabilemq; mortem, dignam sceleribus ejus mercedem, minitari conspiciat. Cæterum tot atrocissimorum scelerum concursu constitisse sibi Siggeiris excidium, ut consortium pœnæ suppliciiqve unà cum marito flagitiis suis condignum ultrò deposcat, tanto documento ad extremum monstraturam, non proprio ingenii motu, sed lacessitam, horrendorumqve mariti flagitiorum machinis provocatam, inq; rabiem conversam, ad ea processisse, & tanqvam impetu furiarum actam proruisse, qvorum vindictam de se ipsa sumtura sit; itaqve, qvæ invita marito matrimonio juncta fuerit, jam ultrò mortis ejus sociam se præbituram.* His dictis Sigmundum Sinfiotliumq; osculata in incendiū deinde proruens, allambentibus flammis cum totâ aulâ periit. Hic fuit Siggeris im̄oderatæ implacabilisq; iræ & raræ crudelitatis, hic Signyæ, odiī inauditi tenacissimæ fæminæ, execrabilis exitus, horrendum divinæ vindictæ spectaculum. Verum non consistit, Sigmundum tanto tempore in regno Siggeiris delituisse, cum & elabendi occasiones multæ, & ad vindictam per exercitum ê regno paterno comparandū pronior via suppeteret; aliis ergò artibus, aliis vaframentis, hæc tam enormia scelera, qvæ hic describuntur (si tamen fidem merentur) peracta sunt; nos cætera Sigmundi gesta perseqvamur. Cum in Hunniam rediit, Regem qvendam, cujus nomen non proditur, qvi absente eo regnum invasit & usurpavit, bello adortus deinde debellavit, factusqve est magni nominis Rex ad exemplum majorum suorum, qvi Franciam, & hujus partem Hunniam, â primâ memoriâ

rexe-

rexerunt. Borghildem deinde, partis cujusdam Daniæ Reginam (nomina Sialandiam indicare videntur) uxorem accepit; qvâ magnopere locupletatus, magnis viribus amplâqve ditione auctus est. Duo ex illâ filii progenerati, prior Helgius, postea Hundingi interfector dictus (Helgii nomen Saxoni confusionem peperit, qvi Hrolfi Krakii patrem eum fuisse putavit) alter Hamundus: istum Borghildis mater Bralundis cum enixa esset, fatidicæ mulieres, ad præcognoscendam futuram illius sortem adhibitæ, celeberrimum eum Regem, sed nimis curtæ ætatis, futurum prædixerunt. Pater ei allium in argumentum & omen floridi incrementi dono dedit, Helgiumqve nuncupavit: munus nomini adjectum, Ringstadar, Montes solis (Solfioll) Montes nivei (Snœfioll) Campi Sigaris (Sigarsvellir) Statio Hringi (Hringstaud) & Altus campus (Harm) Cæli prata (Himinvangar) præterea gladius affabrè ornatus, adjectâ formulâ, ut benè adolesceret, Volsungorumqve familiam ornaret. Qvod si horum nominum in Sialandia memoria superest, præter Ringstadas & Sigersted, non modo solum, sed etiam provinciam natalem Hundingicidæ invenimus. Extat carmen genethliacum, Eddæ Sæmundi inter Odas insertum, miræ elegantiæ, in honorem ejus factum. Helgius apud Hagalem, virum primarium, enutritus, de nomine alterius Helgii Hiorvardi, Regis cujusdam in Norvegiâ filii, nuncupatus est. Creditum est qvòd anima ejus post mortem in Helgium hunc translata migraverit, uxorqve hujus Helgii Sigruna dicta prius fuerit Svava, Eylimii Regis filia, Helgii illius Hiorvardi filii sponsa, Sigruna qvoqve post obitum in aliam fœminam migraverit, Karaqve Halfdani filia deinceps nuncupata sit, ut & hic Helgius Hundigicida in alium Helgium Haddingia-Skadium. Adeò Pythagoræ dogma non minus septentrionem, fortè per Zamolxem dispersum, qvàm orientem obsedit; nam animas interire negabant; ab uno autem corpore in aliud perenni fluxu post mortem migrare Druides docuerant. Sic Olafi GeirstadaAlfi animam in S: Olafo Norvegiæ Rege agnoscebant. Sed & duos homines unâ vitâ animâqve vivere existimatum; qvod exemplo Haraldi imperiosi & Mariæ filiæ ejus idoneo loco patebit.

CAP. XXXII.

DIGRESSUS DE HELGIO HIORVARDI FILIO, GESTISQVE ET MORTE HELGII HUNDINGICIDÆ.



Um autem Helgii Hiorvardi filii mentio facta sit, cujus nomen Helgius Hundingicida personamqve gessisse redivivam existimatus est, par est, ut qvàm paucissimis, qvæ de eo vetustas commenta est, exponamus. Pater illi Hiorvardus, partis alicujus in Norvegia Rex, ex tribus uxoribus tres filios progenuit, Alfhilde natus Hedinus, Særeide Humlungus, Sinriode Hymlingus (simul an successivè singulas duxerit, non exprimitur,) qvartam ducturus vovit, eam futuram omnium pulcherrimam: talem Sigurlinam Svafneris cujusdam Regis filiam cum percepisset, tandem, licet ægrè, impetravit. Ex hoc conjugio natus Helgius, longo tempore mutus, & sine nomine; fortè qvòd tales istius non capaces existimarentur. Erat alius Rex, nomine Hrodmar, qvi Sigurlinam simul ambiebat, qvi ob præ-

 latum

latum sibi Hiorvardum, Svafnerem, anteqvam filiam despondisset, sustulit, cujus cædem Helgius, jam vocis sermonisqve potens, ultus, Hrodmarem qvoqve oppressit; pactus deinde nuptias filiæ Regis cujusdam Eylimii, virginis nomine Svavæ, eqvestribus exercitiis bellisqve asſvetæ; ne tum qvidem eam ab usitato vitæ genere avertit, qvæ tamen domi apud parentem cum familiaribus suis, eidemqve studio addictis virginibus, permansit. Ille peregrè profectus, præliis & victoriis ubiqve inclaruit. Dum vero extra patriam his gerendis intentus celebre sibi nomen famamqve compararet, frater ejus Hedinus domi consedit. Præcedaneæ festi Jolensis feriæ vespere, cum ê sylva domum remearet, facta est illi obviam fæmina gigas, lupo insidens, habenarum vices colubri supplebant, qvæ comitem se ei obtulit; qvô conditionem renuente, daturum eum pænas ad craterem Bragii minata discessit. Hoc eodem vespere festi solennitatem pro more Rex aulicíqve auspicaturi vota concipiebant, cumqve exhauriendus esset memoriæ Bragii consecratus scyphus, piaculari verri manus imposuerunt, votaqve nuncupabant. Tunc Hedinus temerè vovit, se fratris sui sponsam Svavam Eylimii filiam (non enim sui compos erat) in uxorem ducturum. Verùm tanta statim pænitentia subivit, ut subducens se hominum cætibus, per avia & solitudines errabundus, non prius desisteret, qvàm ad fratrem perveniret, ipsiqve omnem rerum suarum tragædiam exponeret; etenim in angustiis constitutus videbatur, cum hinc parricidium, illinc perjurium urgeret, Helgius *bono eum animo esse jussit*; *votum enim, utpote qvod ebrius conceperat, solvi fortè posse, etenim intra triduum bellum sibi indictum, de reditu dubitare, qvod si occumbat, non amplius voti reum futurum, mulierem namqve giganteam, lupo serpentinis habenis domito vectam, suum fuisse genium.* Nec frustra auguratus est, nam Alfus Hrodmaris, qvem ante occiderat, filius, eum ad certamen in campo Sigaris (vernaculè Sigars-vell) provocavit. Cruentum admodum bellum illud, & magnâ ab utrâqve parte strage gestum est. Ibi lethali vulnere Helgius saucius, nuncium, Sigarem nomine, ad Svavam miserat, ad extremum colloqvium arcessendam. Qvæ, ut præsentem mortem nullo modo evasurum vidit, valde mæsta, majori tamen cum doloris accessione audivit illum id ultimo expetentem, ut fratri nuberet: amore nihilominus sponsi, qvo vehementer flagrabat, illud ei denegare non sustinuit, si tamen frater ulturum se ejus necem prius sponderet; qvod is intrepidè pollicitus, executus etiam creditur. Talis erat Helgius Hiorvardi filius, qvi redivivus Helgius Hundingi interfector, Sigmundiqve filius existimatus est. Hic Hundingum potentiâ celebrem Regem bello profligatum occidit: perpetuum gloriæ monumentum cognomen inde contractum, qvo Hundings bani/ id est *Hundingicida* sev *Hundingi interfector*, ab illo tempore internosci cæpit. Ut minus illo seculo usitatum in eo notatum est, qvòd digressus â cæde Hundingi, cum in portu Brunavogis cum universis copiis consisteret, crudis & ipse carnibus vesceretur, & toti exercitui manducandas præberet, sive qvòd subita fames, cibiqve desiderium, moras, dum coqveretur, non admitterent, sive notabili qvadam feritate. Fuit Rex qvidam, nomine Högnius, qvi filiam suam Sigrunam inconsultam & invitam despondebat Hoddbroddo, Regis Granmaris de Svarishaugo filio; qvæ conditionis impatiens ad inqvirendum Helgium profecta, deprehendit eum apud montes Loganos in loco Arasteine, postqvam expugnâsset occidissetqve Hundingi filios, paternam ultionem repetentes; qvam cùm domum secum invitâsset, responsum accepit; *id sibi non licere, patrem namqve suum despondisse*

se se Hoddbroddo Granmaris Regis de Svarishaugo filio invitam, processurasqve nuptias, ni maturè interveniat, seqve vel ê paterna domo raptam auferat, vel proco bello superato occisoqve eripiat, se enim illum maritum sibi deposcere, istum vero tanqvam cornicis pullum aspernari. His exoratus Helgius, vel proprio vitæ periculo se eam redempturum pollicetur, sineqve mora copias conscribit, &, qvòd cum potenti Rege res esset, auxilia ex sociis & fœderatis, mercenariumqve militem undiqve colligit. Cum ad præfinitum bello locum navigaret, in præsentissimum vitæ periculum, vel ventorum violentiâ, naufragium identidem minantium, adductus, tantum aberat ut vela contraheret, ut altiùs etiam elevaret, â stolidâ audaciâ, more seculi, fortitudinis laudem & gloriam, invictiqve nominis famam, etiam adversus ipsam naturam, qvæsiturus. Tandem superato periculo, cum classem in optato portu collocâsset, mittitur Gudbrandus Hoddbroddi frater â Svarinshaugo ad inqvirendum unde digressa, qvibusve ductoribus tanta classis, & qvo fine, appulsa sit; qvod postqvam Sinfiotlius exposuit, scommatibus ultrò citroqve jactis recessit, retulitqve rediens qvod compererat. Misit ergo Hoddbroddus ad colligendum militem, qvotqvot armis per ætatem valetudinemqve gestandis idonei erant. Convenerunt & in his auxilia ab Ringi cujusdam Regis filiis, Atlio, Ingio, & Alfo Sene, missa, pater etiam Sigrunæ Hognius, cum filiis Bragio & Dago, a partibus Hoddbroddi steterunt, paternum in virginem jus vindicaturi, fidemqve sponso datam asserturi. Locus pugnæ Frekasteinus deligitur; sed & Sigruna cum amazonum agmine Helgio suppetias tulit, qvi tandem certamine victor, occiso rivale Hoddbroddo, cum universis Granmaris filiis, & Sigrunam & imperium devicti Regis uno prælio nactus est. Occiditur unà Hognius virginis pater, cum filio Bragio, Dagus vero alter frater vitam juramento fidelitatis pactꝰ, conservatus est ad perjurium & paternæ cædis vindictam. Post illam victoriam nuptias cum Sigrunâ celebravit, nec tamen conjugium, qvod â parricidio auspicatus est, diuturnum fuit, nec exitu qvàm inceptu felicius, qvippe Dagus Odino per sacrificia supplex gladium impetravit, qvo affinem suum Helgium in loco Fiotrlunde trajecit. Qvo perpetrato, â sorore cum cædem ei promulgavit diris devotus est. Non referrem qvæ seqvuntur, nisi similia exempla apud alios etiam scriptores extarent. Tanto mariti amore æstuans fertur Sigruna, ut ejus, qvantumvis exanimis, commercium, qvod ægrotantis animi delirio impetrari posse concipiebat, saltem ad exiguum tempus exoptaret, nec mille fraudum artifex hic cessabat. Nam fortè sub vesperam egressa pedissеqva vidit Helgium cruore madentem, eqvoqve insidentem, turmas eqvitum sangvinolentorum ducere, citatoqve cursu ad collem, qvo conditus erat, tendere; qvæ causam reditûs qværere ausa est; *num sub crepusculum Deorum*, Ragnarøckr *dictum*, (*finem mundi* intellegit) *mortui convenirent*; *vel dimisſionem ex aula Valicâ Helgius cum sociis impetraverit, an falsæ imagines oculos deluderent?* Cui imago Helgii respondit; *nihil horum illam ritè collineâsse.* Famula dominæ ea, qvæ viderat, exposuit. Ast illa mariti immodico desiderio flagrans ad tumulum processit, qvem apertum intrans, Helgium obvium sibi habere visa, loricam cruentam indutum, comamqve cruore conspersam, in amplexus ejus ruebat. Transtulisse corpus illius principem tenebrarum crederem, si tangere poterat, & potuisse constat, cum lectum intra collem sterni curaret, in qvo per integram noctem concumbebant. Ante diluculum larvatus Helgius sibi ad Valhallam remeandum esse monuit, non enim auroræ amicos Manes esse. Atqve his dictis recesſit. Illa domum rediens, proximo vespere

vespere famulam ad tumulum excubare jussit, relaturam si maritus rediret. Verùm cum amplius non appareret, monuit dominam, ne ad tumulos mortuorum per noctes progrederetur. Sigruna paulo post ex mærore tabe contractâ decessit. Similia ex Annalibus Cretensibus citat *Cornelius Agrippa, Occultæ Philosophiæ Lib: III. Cap: XLI. Legimus*, inqvit, *in Annalibus Cretensium, manes, qvos illi Catechanas vocant, in corpora remeare solitos, & ad relictas uxores ingredi, libidinemqve perficere. Ad qvod evitandum, & qvod amplius uxores non infestent, legibus municipalibus cautum est, surgentium cor clavo transfigere, totumqve cadaver exurere. Miranda procul dubio sunt hæc*, ait author, *& opinioni fortè inimica videri possent, nisi fidem facerent & latæ leges, & creditæ Antiqvitatum historiæ.* Post mortem autem in Karam Halfdani filiam, qvòd vitæ genere eodem amazonibus familiari, qvo tum, cum Svava & Sigruna habita esset, delectaretur, conversa credita est.

CAP. XXXIII.

DE EXITU SINFIOTLII SIGMUNDI FILII.



DE Sigmundi filio Helgio abundè dictum est; ejus frater Sinfiotlius, ex incestu genitus, talem habuit exitum. Petebat is unà cum novercæ suæ Borghildis de Bralundis fratre, unius ejusdemqve virginis conjugium. Ex æmulatione orta dissidia in cædem tandem eruperunt. Sinfiotlius, interemtô rivali, cum ad patrem rediret, novercæ, cædem fratris ulturæ, implacabili odio excipitur, qvæ regno eum exulare jussit. Verum mariti imperio ad satisfactionem accipiendam compulsa est. Itaqve dum exeqviæ fratri magnis impensis â Sigmundo ad votum Reginæ celebrantur, cornu eximiæ capacitatis, plenum venenatâ potione, Sinfiotlio ebibendum Borghildis porrexit; qvo recepto, cum mistum veneno merum intellexit, patri medicatum esse indicat; itaqve Sigmundus arreptum cornu vice filii impiger exhausit; tantæ namqve duritiei fuisse perhibetur, ut absqve noxâ venenum haurire posset, filiis vero exteriùs, vel nudâ cute contrectare integrum fuit; arte vero magicâ, an crebro exercitio, more Mithridatis, ita se muniverit, incertum est. Altera vice accedens noverca poculum exhibuit; defert ergo ad patrem, fraudem inesse poculo, illud etiam pater ebibit. Tertiò cum attulisset, acriterqve increpâsset, verbis etiam ad infamiam spectantibus ad ebibendum provocâsset, perinde ut antea patri venenum inesse crateri indicavit, qvi jam temulentior, probrosæq; provocationis impatiens, ut labiis colaret liqvorem, hortatus est. Exhaurit igitur Sinfiotlius extremam illam potionem, exanimisqve concidit; qvi si regno secundum mandatum novercæ, justa ira exstimulatæ, excessisset, rectiùs & dolori illius, & saluti suæ, consuluisset. Ob eam causam regno Reginam â marito expulsam, & paulo post mortuam, Vita Sigurdi Fafneri-cidæ tradit. Edda tamen Sæmundi, unde illa multá mutuata est, diu eum in Dania in regno uxoris Borghildis remansisse perhibet. Nec litat veritati, jus illi tantum in dotali regno fuisse, ut eam proprio patrimonio privare potuerit, id qvod nec cives passuros facilè creditur. Consentaneum est, eum in Hunniam, partem Franciæ, propriumqve regnum, id temporis ob dissidium cum uxore recessisse, iterumqve in regnum ejus jam mortuæ concessisse. Postea aliam duxit uxorem, Hiordisem nimirum, Eylimii Jutiæ

Regis filiam, cujus genus ad Norem *Lib: IV. Cap. III.* exposui, qvod & *tabula ad calcem Lib: V. Lit: E. numero 7.* exhibet. Frater Hiordisis fuit Griper, etiam in Cimbriæ Regulus, vir præsagus & prudens.

CAP. XXXIV.

DE SIGMUNDO ET LINGVIO NUPTIAS HIORDISIS EYLIMII FILIÆ EXPETENTIBUS, SIGMUNDO PRÆLATO, MOX CUM SOCERO BELLO CÆSO, SECUNDISQVE HIORDISIS NUPTIIS, ET EDITO IN LUCEM SIGURDO FAFNERICIDA, EJUSQVE EDUCATIONE.



Um Hiordisis fama latè increbresceret, profectus eò Sigmundus â patre virginis, cognitis postulatis, convivio splendido excipitur. Illud hîc ut novum notatum est, qvòd ambo Reges in eadem aula vel triclinio convivati sint; an ad arctiorem amicitiam exprimendam? Ego qvidem convivia discretis aulis aut tricliniis, præterqvam qvod in Haraldi Pulchricomi vita legitur, processisse non observavi; forte hi in eodem cubiculo dormiebant. Eodem tempore accessit competitor, Lingvius nimirum Hundingi Regis filius, illius, qvem Helgius Sigmundi filius occiderat. Pari honore utrumqve Eylimius prosecutus est. Verùm cum ab ea parte, qvæ repulsam passura esset, certum sibi bellum imminere prævideret, arbitrium eligendi mariti filiæ commisit; qvæ Sigmundum, licet admodum senem, rebus tamen gestis celeberrimum præclarumqve, florenti alterius ætati prætulit. Tanta virtutis æstimatio illo seculo etiam fæminis inerat. Lingvius hac ignominiâ affectus, repulsâ virginis & ætatis, viriumqve juvenilium contemtu, patrios penates frendens irâ repetivit, adqve vindictam, viribus undicunq; collectis, properans, infesta signa Sigmundo, veteri hosti, & plerumqve superiori, intulit. Morabatur eo tempore in Hunnia socer Eylimius, qvi filiam ad penates mariti a nuptiis in paternâ domo celebratis deduxerat. Lingvius Sigmundum improvisum adoriri probrosum ducens, fecialem ad eum misit, qvi bellum indiceret, certus, licet numero militum longè inferiorem, bellum tamen neqvaqvam detrectaturum; nec eum opinio fefellit, nam collectis, qvantum per temporis angustias licuit, copiis, obviam hosti processit. Hiordis cum unica tantùm famula rebusqve pretiosioribus curru vecta in abditâ silvâ ad eventum belli absconditur. Lingvius exercitum ê navibus in terram exponens, cum Sigmundo & Eylimio concurrit. Admirabilis roboris documenta Sigmundus affectâ ætate eo bello edidit, neqve enim clypeus vel lorica ulla tam firma fuit, ut ejus ictibus obstaret: ubiqve primus, & unde periculum maximum erat, præstò semper fuit, suosqve exemplo magis qvàm adhortatione ubiqve incitans, sæpius hostium turmas eo die penetravit; tutelares qvippe genii eum ab omnibus vulneribus immunem præstitisse credebantur: brachia ad humeros usqve hostili sangvine cruenta maduerunt, dubiumqve prælii eventum solus facturus videbatur, cum qvantum hostes numero, tantum ipse virtute præstaret, processitqve in multam diem hoc tenore bellum, donec in mediâ acie Sigmundo vir qvidam unoculus, lænam versicolorem indutus, verutum gerens elevatum, occurrit: Sigmundus ictum intentans illud collineavit, qvo gladius in duas partes disruptus confringebatur. Ex-

inde acies ejus inclinare, fortunaqve ab eo recedere visa, nec tamen animo frangi, qvin bellum inter confertissimos hostium globos cieret, nihil intentatum relinqvens. Verum cùm pauciores pluribus tandem cederent, ipse demum superatur. Concidit eo prælio Eylimius, Rex celebris milesqve impiger, qvi illo etiam rerum suarum extremo bello supra ætatis conditionem fortitèr rem gesserat. Potitus victoriâ Lingvius valdè gavisus est, qvòd omnem Volsungorum stirpem radicitus exstirpâsse videretur, cum Sigmundus soboli suæ universæ, fratribusqve & sorori, eorumqve liberis superstes, hoc conflictu sine prole occubuerit. Itaqve ad Regiam properans, prosperis rebus suis id tantùm adversum accidisse doluit, qvòd nec Reginam, destinatam sibi uxorem, nec gazam Regiam in potestatem redegerit; nihilo tamen segniùs ditionem universam, cui præerat Sigmundus, circumiens sui juris fecit. Nocte post commissum prælium Hiordis ad locum, ubi gestum erat, inter cadavera pervadens, maritum vivum offendit, qvæsivitqve an sanari posset? Is respondit, *multos qvidem ex desperatæ curationis vulneribus sanatos fuisse, sibi vero sanitatem post illud tempus minime conducere, cum Odinus victorias amplius largiri dedignaretur, postqvam gladius, qvem donaverat, confractus esset; se multa ac periculosa bella gessisse, donec illi visum fuerit, jam verò invito eo nunqvam amplius gesturum.* Regina *nihili se damnum, jacturam regni opumqve facere, dum modo is superstes esset, patrisqve sui necem ulcisceretur.* Cui Sigmundus: *alii qvidem illud destinatum; nam fœtus, qvem utero gestas, filius erit, & nostræ qvidem familiæ apex, tantusqve futurus, ut nulla unqvam secula nominis ejus gestorumqve immodicorum famam obliterari passura sint. Is meam patrisqve tui necem vindicabit. Tu modò fragmenta gladii, qvem mihi Odinus impertivit, reserva, ex qvibus ensis longè præstantissimus conficietur, qvem is gerendorum instrumentum sedulo custodiet; hoc tu orbitatis geminæ solatium certissimum impræsentiarum cape, & longè multumqve vale, namqve me vulnera fatigant, libetqve parentes & consangvineos mortuos invisere.* Illa apud eum donec exspiraret permansit; qvo tempore sol oriens prospectum latè præbuit. Vidit itaqve multas piratarum naves ad litora tendentes, itaqve pedisseqvæ imperat, ut, mutatis vestibus, illa se Reginam profiteatur, se verò famulæ vices subituram. Piratæ litora prænavigantes, magnam stragem cadaverum duasqve fæminas ad sylvam vicinam properantes ut animadverterunt, ê navibus qvàm citissimè se proripiunt. Classem duxit Halfus Hialprechi, tractûs Thiodensis (hodie Thy dicitur) in Jutia Reguli, filius, qvi ad fæminas comprehendendas milites misit. Qvæ ut ad eum pervenerunt, ordine rem gestam exposuerunt, famulâ sibi primas vendicante; qvæ qvæsita, ubinam Reges thesauros suos condidissent, gazam universam monstravit. Tantæ opes illuc resqve pretiosæ congestæ erant, ut admirationi esset, tantum in unum locum coivisse, qvas omnes una cum pedisseqva & Regina domum Halfus deportavit; sæpe etiam cum iis collocutus in magno eas honore habuit. Fuit Halfus princeps eximiâ corporis forma staturâqve, & multis præterea naturæ dotibus insignis. Discrimen natalium in utraqve fæminâ prima Regina Halfi mater notavit; itaqve â filio qvæsivit, cur earum nobilior minus cultè vestiretur, constare sibi personas mutatas. Ille idem se qvoqve suspicatum confessus, mox experimento veritatem compertus, postqvam Regina partu levata est nuptias cum ea celebravit. Editus in lucem venustate insignis Sigmundi filius ad Regem Hialprechum delatus, scintillantium oculorum vigore eum in admirationem confestim rapuit, eliciutqve futuræ magnitudinis suæ præsagium, qvo eum familiæ suæ decus nec

nec animi viriumve robore parem habiturum vaticinabatur, mox solenni more aqvâ aspergendum curavit. Hic

Sigurdus

dictus est, magnâ curâ apud Regem educatus, artibusqve tanto fastigio dignis imbuendus Regino, viro peritissimo, sed staturâ corporis nano, committitur. Runarum illic elementis viribusqve perspectis, ludorum in primis latronum) varia genera, lingvasqve peregrinas, exercitia item militaria, pedestria, eqvestriaqve didicit. Forte eum præceptor aliqvando rogavit, *an de relicta â patre gaza illi qvicqvam constaret*? qvi respondit, *in custodia Regum esse, nec melius posse collocari, qvippe se longe prudentiorum.* Alio tempore Reginus: *Mirum te Regum eqvisonem agere, iisqve â pedibus esse sustinere*; Cui Sigurdus *id non ita esse regessit, cum liberum omnium usum secum ipsi permittant*; jussit itaqve ut exiguo experimento voluntatem eorum affectumqve exploraret, expetendo eqvum, qvo veheretur; qvem cum expeteret, jussus est ex omnibus eligere qvem vellet. Postridie ingressus silvam obvium habuit prolixæ barbæ senem, sed ignotum; qvi ipsum qvo tenderet, qvæsivit. Sigurdus optionem eqvi factam sibi retulit, petivitqve ut consuleret, qvem potissimum eligeret. *Qvin igitur*, ait ignotus ille, *agmen eqvorum ad lacum Busiltiorn agimus.* Compulsi in amnem hærebant omnes, præter unum colore cineraceo, qvem ad ripam tranantem ut eligeret, svasit senex, anxièqve nutriendum monuit, nam esse generis optimi, â Sleipnere Odini eqvo prognatum, futurumqve incomparabili sessore condignum. Fuit ætate tenella, magnitudine insignis, nec ad id tempus qvisqvam ei insederat. Hic personatus senex Odini spectrum fuisse perhibetur, qvod deinde disparuit. Postea Reginus eum ad occidendum fratrem suum, nomine Fafnerem, ob interceptum commune patrimonium, incitavit. Habitabat Fafner in tesqvis Gnitensibus, qvæ an in Cimbria sint non liqvet, non procul â Dania fuisse certum est. Hunc in serpentem versum auro incubuisse, superstitiosa fabulata est antiqvitas, qvod magnâ auri vi per prædas congestâ potitus, ab ea, more serpentum, qvos massæ pretiosæ incubare creditum est, nusqvam se divelli passus fuerit, qvodqve feritate & fraudibus serpenti haut dissimilis visus fuerit. Simile de Cychreo Salaminis Rege, serpente dicto, Stephanius & Eustathius observant. Sigurdus ultionem patris aviqve materni prius peragendam replicuit, deinde cum Fafnere congrediendum, modò ensem invicti acuminis fabricaret; erat enim fabrorum omnium peritissimus. Duos enses fabricavit, qvos Sigurdus cum tentaret, perfregit, perfidiæqꝫ fabri illud imputavit, cum rectius materiæ vitio deberet. Itaqve â matre frusta confracti ensis patris Sigmundi ab Odino donati, sibi reddita, ad fabrum detulit; qvi inde alium confecit, qvo incudem Sigurdus dissecuit: fertur etiam lanam compactiorem secundo flumine in aciem gladii detrusam secuisse; qvod cum fabulam sapiat, confictum credere licet. Mira tamen *Diodorus Siculus* de Celtiberorum gladiis memorat *Lib. V.* & *Cassiodorus Lib. V. Cap. II.* variarum Spatharum, arma desecantium, meminit.

CAP. XXXV.

DE EXPEDITIONE SIGURDI IN HUNNIAM, CÆDE LINGVII, RECUPERATO PATERNO REGNO, ET OCCISO INGENTIS MOLIS FAFNERE.

Paulo


PAulo ante qvàm gladium fabricandum curâsset, ad avunculum suum, Cimbriæ credo Regulum, nomine Griperem, profectus, ab eo fatorum suorum ordinem didicit; erat enim princeps futurorum præscius; postea auxiliis Regulorum, vitrici, matrisqve suæ soceri, suffultus, in Hunniam per Cimbriæ, Holsatiæ & Frisiæ oras classem direxit, non tamen universam Frisiam transmisisse legitur, qvippe qvæ interjectum Batavis Danisqve litus implebat, sed fortè partem exiguam, vel si fortè transmiserat, hostes eò persecutus est, qvi aliud ibi regnum habuerunt. Inter navigandum secundis qvidem ventis, sed plus nimium flantibus, arteqve, ut creditum est, magicâ ab Hundingi filiis excitatis, usus, non procul aberat, qvin navis subverteretur; nihilominus fortitudinis, vel potius temeritatis, laudem â periculo mutuatus, antennas erigi velaqve sublevari jussit. Conspectus interea vir, celsâ de rupe sublatâ voce qværens, qvis classis esset rector? qvi ut Sigurdum percepit, vicissim rogatus se Hnikarem tempore Volsungi dictum, interdum Feingum vel Fiolnerem, respondit; petivitqve ut in navem se reciperet. Qvo facto, vento derepente sedato, optatam auram nacti in hosticum solum pervenerunt. Et hîc Diabolus sub umbra veteratoris Odini Sigurdum iterum delusit; præcepta ei militaria, sed involucris tecta, inculcans. Cum duobus Hundingi filiis residuis ex eâ familia, Lingvio & Hiorvardo res erat; & Lingvius qvidem inter Reges celeberrimos memoratur, de qvo refert Olafi Tryggvini historia qvòd multos Reges subjugaverit, athletas fortissimos fuderit, urbes munitissimas incendio deleverit, & in Hispania Galliaqve immensam stragem ediderit; qvas populationibus & rapinis magnam partem vastaverit; eo qvod id temporis Imperatorum Majestas Alpes non transcenderit, ante scil: Caroli Magni tempora. Qvod hic probè observandum, ad illustrandam Ragnaris Lodbrochis Daniæ Regis ætatem, qvi Sigurdi hujus (si non alius Ragnar superioris alterius Sigurdi) filiam secundam uxorem duxit, & eodem tempore qvo socer floruit. Ut primum in hosticum ventum est, omnia ferro flammâqve fœdantur, villis pagisqve in cineres redactis, pecoribus & manubiis ad naves abactis, nulla habita ratione paternæ avitæq;, & jure hæreditatis sibi competentis, ditionis, qvam hostibus ereptam non vacuam opum vastatamqve sibi relinqvere debuit. Lingvius, cognito Sigurdi adventu, & qvòd adhuc Volsungorum familia non, ut existimabat, penitus interciderit, copias qvantas potuit maximas qvàm ocissimè collegit, hostibusqve concurrens acerrimè pugnavit: in medio pugnæ ardore inter confertissimos dimicans Sigurdum obvium habuit, tantaqve dexteritate ictus utrinqve evitati, ut neuter vulneraretur; totusqve exercitus exspectatione suspensus, interea â prælio cessans, certamen horum longo tempore spectabat. Fratres autem Lingvii (Hiorvardum solum superstitem historia memorat) procellam excitabant, cæsis passim Sigurdianis, qvibus Hamundus Sigurdi frater consangvineus (qvem tamen historia ante patrem mortuum refert) occurrens, impetum repressit, atqve in eo tumultu, dum qvisqvis suis nutantibus succurrere contendit, Sigurdus & Lingvius ab invicem separantur; postea recrudescente bello Sigurdus superior exercitum Lingvii delevit, ipsum bello captum, consilio Regini, dorso figurâ aqvilinâ notato, qvâ costæ â spina gladio dissecarentur, interemit. Scriptor vitæ Sigurdi prodigioso ictu, qvo caput galeatum, corpus cum lorica discissum penetratumqve fuerit

rit, mavult, ſed Hiorvardum iterato ictu diſcectum affirmat, bellumqve in multam noctem extractum,& copias Lingvii ad internecionem deletas. Proximâ die mane ſurgentibus nusqvam Hnikar apparuit, fortè ſatis pro tempore ſangvinis, crurore delectatus, malus ſpiritus effuſum ratus, qvamvis laniena hominum ſangvineqve nunqvam ſatietur. Hoc bello Hunnia, univerſumqve imperium, qvod majoribus ejus paruit, receptum eſt. Sigurdus victoria ovans, opimisqve ſpoliis onuſtus,in Daniam revertitur (Nornageſtus militi ſpolia omnia data tradit) benignèqve â Regibus & effuſisſimo populi ſtudio, conviviis paſſim celebratis,excipitur, nam ſtupendo animi corporisqve robore, affabilitate & adeundi facilitate, omnium oculos animosqve in ſe convertit; illud præ plurimis ei proprium, qvod ab omni metu liber, nullis unqvam periculis terreri potuiſſe memoratur. Haut longa mora effluxit, cum Reginus fraternæ cædis peragendæ memoriam refricaret,promiſſaqve Sigurdi urgeret, qvi ſe abſoluturum jam de novo pollicitus eſt, ſi modò viam, qvæ ad domum illius duceret, monſtraret Hic omnia allegoricè traduntur; nam cum Fafnerem hominem in ſerpentem converſum finxiſſent ſcriptores, omnes ſerpentis proprietates & immenſam præterea magnitudinem ipſi tribuerunt, bellumqve non tantum cum homine geſtum, ſed tanqvam cum ſerpente, deſcribitur: argumento, non apertâ vi,ſed artibus,ſuperatum eſſe Fafnerem, & qvidem dum privatis negotiis intentus; ſecurus omnis periculi eſſet, per inſidias ſublatum. Tertio tum Odini umbra ſub ſenis formâ præſentem ſe Sigurdo exhibuit, rationem doli ſtruendi exponens ad expugnandum Fafnerem, deinde diſparuit. Qvod vero aſſatum cor illius ediſſe, & inde volucrum lingvas percepiſſe traditur, aliud qvid in receſſu adumbrat; exta fortè inſpexit, & ſigna inde petita obſervavit, futurosqve eventus conjecit. Fafnere devicto ingentem auri copiam ad intuentium ſtuporem comparavit, eqvoqve Granio impoſuit, unde poëtæ occaſionem arripuerunt, aurum Fafneris lectum & Granii onus in hunc usqve diem vocitandi. Deinde Reginum,vindictâ fratris, cujus cædis ipſe concitor fuerat, meditantem, vel potiùs hæreditatem eô per inſidias ſublatô ad ſe trahentem, cauſam primam litis, occidit, monitus,ut fertur, avium cantu, vel potius augurio capto. Aurum Fafneris, ut illud Tholoſanum, exitiale cuivis poſſeſſori fuiſſe traditur, id qvod is moriturus Sigurdo vel prædixit, vel minatus eſt, forſan qvo ab ejus poſſeſſione abſterreretur. Retulit autem qvòd Andvarius qvidam captus, cum omne aurum, qvod poſſedit, in redemptionem libertatis, annulum etiam pretioſum, qvem ſibi fruſtra reſervavit, impendiſſet, nimis avarè exactum dolens, ſingulos poſſeſſores diris devoverit, ita ut fieret, qvo ad ſupereſſet, ſingulis fatale; nam & Fafner patrem ſuum illius cupidine ſuſtulit.

CAP. XXXVI.

DE PROFECTIONE SIGURDI AD BRYNHILDEM, PROGENERATAQVE ASLAUGE, RAGNARIS LODBROCHIS UXORE.



INde in Franciam auſtrum verſus longum iter emenſus, ad montem Hindianum pervenit: ingens ibi flamma in vertice ad ſidera usqve pertingere viſa eſt, ſimulachrum caſtelli, clypeis tantùm velut aggere ſeptum, qvod perennis ignis omni ex parte vallabat,

bat, erectaqve ex edito loco vexilla ibi conspiciebantur, nec patebat aditus nisi per ardentes strues, flammamq; irrumpentem qvemlibet depasturam; qvam intrepidè citato cursu transvectus cum penetrasset, intra munimentum hominem qvendam deprehendit, galeam loricamq; indutum, sed alto somno supra Endymionem sopitum, qvem ut excitavit, fæminam deprehendit; causam igitur tam profundi longiq; somni perqvirens, accepit, diras Odini infensi ob latum â se auxilium Agnari cuidam contra Regem senem Hialmgunnarem dictum, partamqve de eo ope suâ victoriam, irritaqve facta Odini promissa, cui illam pollicitus est: diuturno igitur somno se ab Odino tantisper damnatam, donec eum discuteret heros omnis metûs expers, victoriam itaqve & in bellis gerendis felicitatem sibi in perpetuum ereptam, injunctumqve qvandoqve matrimonium; se vero vovisse, nemini unqvam, nisi qvem natura metuendi affectu plane destitutum finxisset, nupturam. Hæc fuit Brynhildis, qvæ se Sigurdrifam, ɔ: victoriosam, in præsens nominavit, Budlii, potentis Saxonum Regis, filia, Leinfnii neptis, Virveris proneptis, Atilis abneptis, Budlii atneptis, ejus qvi Budlungorum familiam procreavit, deqve nomine suo nuncupatam soboli propagandam reliqvit, Saxoniamqve ê Norvegia profectus Marte domitam, colonis Norvegis implevit, ut alibi Lib: III. relatum est. Filius is fuit Halfdani Prisci Hringarikiæ Reguli, cujus trineptis Brynhildis fuit, duodecim annorum id temporis fuisse memoratur, verum perperam, cum amazonum una ante id tempus bellis gerendis assveverit, scientiâqve abstrusissimarum rerum supra seculi sui, talium licet studiosissimi & feracissimi, captum, polleret. Inde Sigurdus jam primum visus, anteqvam nomen proderet, ei cognitus; prior namqve genus nomenqve ejus ipsi retulit. Ibi septem Runarum species, earumq; efficaciam, professa Sigurdum docuit, cum prius illi craterem mero plenum exhibuisset, propinâssetqve hoc prologo. *Ave dies*; *avete diei filii*, *ave neptis* (nipt habetur, â *nepte* deducta vox, vel neptis ab hac; usurpatur autem ad denotandam filiam, interdum & sororem. Hic forte crepusculum diluculumqve indigitatur, qvod tam ex die qvàm nocte participat) *propitiis oculis nos respicite*, *& sedentibus victoriam largimini. Avete Asæ.* (Dii) *Avetæ Asiniæ* (Deæ,) *Ave multæ utilitatis terra*: *eloqventiam & sapientiam nobis duobus date*, *& medicas manus*, *qvoad vixerimus.* Cum vero craterem porrigeret; *potionem*, inqvit, *offero tibi*, *ô pomifera loricati fori arbor* (sic heroem describit) *magnâ vi & prævalido Tyre* (Martia efficacia) *medicatam*, *metris*, *propitiis characteribus*, *bonâ magiâ*, *& jucundis Runis repletam.* Has autem species ab effectibus recensuit, singularumqve formam, vires ritusqve præscriptos, & ceremonias exposuit. Primum locum Sigrunæ occupant, â victoria, qvi illarum scopus erat, denominatæ. Seqvuntur Aulrunæ, seu cervisiariæ, ad venenatam potionem præcavendam, qvam qvandoqve fæminæ crateres hospitibus exhibere solitæ, qvemadmodum Borghildis Sinfiotlio, miscebant, raró uxores propriis maritis; hinc illas familiares sibi reddere jubetur, ne aliûs viri uxor, cui fidem habeat, eum decipiat. Excipiunt has Auxiliatrices Runæ, ad fæminam partu levandam idoneæ. Brimrunæ, â fervente maris æstu (corruptè Brunrunæ â fontibus dictæ, nam navibus mari periclitantibus subveniendis inventi sunt.) Limrunæ, seu arboreæ, qvòd cortici & foliis inciderentur, sanitati restituendæ adhibendæ. Malrunæ, ordine penultimæ, ad causas in foro orandas, Logorunæ dictæ. Agmen claudunt Hugrunæ seu cordiales, sive qvòd heroicos animos conciliarent, sive qvòd omnium animos & affectus benevolos concilient. Hæc omnia ænigmatibus involuta, Edda, qvam Sæmundus

dus collegiſſe putatur, luculenter exhibet, ubi tamen in omnibus exemplaribus lacuna apparet; nam characterum formæ, & fortè præceptorum qvædam deſiderantur. Extant autem gravia qvædam monita ſive regulæ vitæ tales. Primò, *cognatos colendos, injuriasqve eorum disſimulandas monet.* Secundò *perjuria vitanda; vindictam ſemper comitem futuram.* Tertiò *in publico cum ſtultis non contendendum, contumeliam verborum certam, &, ni ſtatim vindicetur, ignominiam vel præſumtæ culpæ, vel metûs & ignaviæ, in poſterum diem ultionem differendam, neceqve ejus exeqvendam.* Qvartò *hoſpitium veneficæ fœminæ, etiam ingruente nocte* (per illam qvævis pericula intelligit) *vitandum.* Qvintò *fœminarum blanditias ſuſpectas habendas, illecebrasqve formæ cavendas.* Sextò *rixas cum ebriis, & ideo amentibus, declinandas*, Septimò *obſeſſo domi, qvantumvis debili, irruptionem in hoſtes incendio præferendam.* Octavò *mari, vel naufragio, vel morbo, mortuos religiosè efferendos.* Nonò *occiſi fratrem vel filium unà occidendum, qvòd tenello filio ſæpe lupus ineſſet.* (Contrarium ſvaſit Niall, prudens & ſapiens Islandus, Gunnari de Hlidarenda qvondam, id temporis ethnicus.) Poſtremò monuit, *ut amicorum inſidias caveret, fata tamen ejus ſe omnia non prævidere, vereri tamen ne in affinium odium incurreret.* Sigurdus ſapientiam ejus admiratus eam ſibi uxorem popoſcit; mutuâqve fide in id data acceptaqve conveniunt, congreſſusqve cum ea progeneravit Aslaugem, Ragnaris Lodbrochis Daniæ Regis poſtea uxorem; nec tamen conjugium præter hæc ſponſalia clandeſtina unqvam coaluit, ut mox dicetur. Annulum Andvario qvondum ereptum ei pronubum dedit.

CAP. XXXVII.

DE PROFECTIONE SIGURDI AD REGEM HEIMEREM BRYNHILDIS SORORIUM, ET MORA INTER AULICOS PARIETES.



INde Sigurdus profectus eſt ad ſororium Brynhildis in provinciam Hlyndalos, qvi Regio titulo conſpicuus ibi regnabat, nomine Heimer. Duxerat is ſororem Brynhildis Hildem, ab artificiis operibusqve mulieribus ſedentariis Beckhildem dictam (Beckr enim ſcamnum denotat) ad differentiam ſororis, Hildis proprio nomine etiam dictæ, qvæ militaribus exercitiis gavisa, galeam loricamqve gerens, Brynhildis dicebatur, qvaſi Hildis loricata. Alsvidus fuit Heimeris & Beckhildis filius (Alsvinnum ſeqvius ſeculum ſcripſit & pronunciavit, & videtur D ante vocalem, illo etiam tempore, idem qvod N valuiſſe, de qvo nos *operis hujus Lib: I. cap: VI. uberius diximus*) princeps perqvam urbanus. Hic inter ludos, qvi id temporis celebrabantur, ut advenam inuſitatæ magnitudinis, auro valde conſpicuum, vidit, miratus primò raram hominis, nec ſimilis qvidem viſi, ſtaturam; itaqve obviàm ei venerabundus magno comitatu ſtipatus proceſſit, domumqve deduxit. Mira fuit temporum illorum ſimplicitas, ſanctum hoſpitii jus, nam ſupra onera eqvo impoſita ſedebat Sigurdus, nemine comitatus, nec aliâ pompâ aulam Regis acceſſit, qvô omnes in admirationem ſui convertit. Ibi theſauros Fafneri ereptos, avaritiæ irritamenta, eripi itidem in peregrinâ aula facillima, ſecurus oſtentabat. Qvatuor miniſtri theſauris deponendis adhibiti, qvintus cuſtodiæ eqvi Granii. Oblectabat

bat aſpectus ingentium loricarum, galearum nitor, armillarum & annulorum artificio certantia pondera, vaſti cyathus aurei, armorum omne genus, ingentia Faſneris interempti ſpolia. Nec tamen ullus erat, qvi in aulâ illâ morte ea poſſeſſoris mercari auderet. Volitabat per diverſas regiones, maria etiam transfretavit, devicti, qvi invictus olim habebatur, Faſneris fama. Humanis viribus opus longè majus edidiſſe viſus eſt Sigurdus, hinc qvaſi tacitò hominum omnium, adeoqve etiam Principum ſingulorum, conſenſu incomparabilis habebatur, ut iſti, qvi aliàs parem haut æqvo animo ferunt, eum ſibimet ipſis haut inviti præferrent. Tempus ludis & eqveſtribus exercitiis mutuâ lætitiâ procedebat. Interea Brynhildis, in aula ſororis qvondam educata, redibat, diſcretum palatium, virginibus famularumqve ſatellitio ſtrepens, incolens, muliebrium artium palmam omnibus (licet profeſſione amazonis) præripuiſſe fertur. Opera Sigurdi vere Herculea telæ intexuit; congreſſum nimirum cum Faſnere, theſauriqve ſpecies, & Regini necem, pugnæqve cum Lingvio geſtæ ordinem proſecuta eſt. Is venatum qvodam die magno cum comitatu profectus, in reditu obſervavit accipitrem ſuum edito turri ad feneſtram inſidentem, qvo ſpectaculo ad explorandum, proprione an numinum forte inſtinctu iſtuc deferretur, invitatus eò ſe contulit. Vidit ibi Brynhildem, amicam in monte nuper relictam. Operum textilium ornatum & formæ eximiæ venuſtatem ad conceptum ſemel amorem incitandùm conjurâſſe dixeris; moræ igitur qvantulæcunqve impatiens, ingreſſus Regiam, motus animi diſſimulare neqvivit. Alsvidus mutati animi cauſam percontatus, ubi improviſo admirandæ formæ fœminæ nuper intra palatium intexta telæ facinora ſua complexæ aſpectu turbatum cognovit, Brynhildam eam eſſe Budlinam, ſexûs ſui miraculum cum retuliſſet, qvando illuc acceſſerit, viciſſim interrogatur. Ut paucis diebus adventum ſuum prævertiſſe intellexit, *eam eſſe replicuit, qvæ nuperrimè ſibi præ omnibus, qvas terra ſuſtineret, placuerit.* Fruſtra illius deſiderio moleſtiam ſibi creaturum, qvæ nullum unqvam ſibi aſſidere paſſa, poculove dignata fuerit, Alsvidus præmonuit. Sigurdus, utut neſciret, qvomodo ſe eſſet exceptura, experimentum tamen facturum aſſeveravit, aulamqve ejus poſtridie ingreſſus, Alsvido interea præ foribus haſtilibus fabricandis tempus fallente. *Ave domina; ut vales?* inqvit. *Utut nos noſtraqve familia in præſens floremus*, ait Brynhildis, *dubia tamen & inconſtans ſemper fortuna fuit, qvam eodem tenore, qvo procedit, nemo ſibi ſpondebit.* His dictis Sigurdus aſſedit haudqvaqvam invitæ, modeſtè tamen aſſeveranti, locum, qvem occupâſſet, nemini præter patrem permiſſum unqvam. Ille copiâ ejus factâ, & ſibi magnam partem ſatisfactum, & promiſſa qvodammodo impleta, affirmabat. Tum primum exſurgens benignè invitare cæpit, propiusqve accedens, qvatuor pedisſeqvis comitata, poculum auro grave propinans evacuandum porrexit. Ille ſcyphum manumqve porrigentis ſimul apprehendens, ipſam â latere ſuo collocavit, baſiaqve libavit. Omne triclinium pretioſis aulæis inſtratum, pavimenta etiam intecta conſpiciebantur; qvatuor virgines menſis ſternendis adhibitæ; vaſti deinde crateres aurei, generoſisſimo vino repleti, illati. Sigurdo formæ illius venuſtatem cæterasqve fœminei decoris dotes impenſiùs commendante, reſpondit: imprudenter fœminis fidem haberi, ſexui promisſis irritis pactisqve ruptis plerumqve gaudenti. Moram deinde, qvâ nuptiæ differentur, armatâ cuſpide corpori impactâ moleſtiorem qveritanti, aliud vitæ genus ſe ſecutam, ſibi gladium haſtamqve & loricam familiarem armaturam, ſeqve Regibus auxiliari ſvetam, nec ſtudii iſtius adhuc pertæſam com-

commemorans: *illi Gudrunam Giukinam uxorem fata providisse prædixit, rectiùs igitur facturum, si suo studio delectatam se permitteret, nec fatis reniteretur.* Ille *unicam Regis filiam Gudrunam â proposito se unqvam retracturam, adqve fœdus frangendum fidemve rumpendam illecturam, negabat, Diisqve testibus invocatis juravit, aut Brynhildem uxorem ducturum, aut omnino nullam*; datam igitur antea fidem ipsa pari juramento & renovavit & confirmavit. Inde benignè dimissus in Regiam sereno vultu votiqve compos rediit, mansitqve ad tempus magnâ cum gloriâ, omnium studiis votisqve in se propensis, in aula Heimeris: majoris deinde gloriæ studio accensus, pluribus Regibus innotescere, qvàm intra unius aulæ parietes obsolescere, præoptans, ad aulam magni Regis Giukii procedit.

CAP. XXX*VIII.*

DE NUPTIIS SIGURDI CUM GUDRUNA GIUKII FILIA.



S fuit Rex potens, ad occidentale Rheni latus imperans, Rachnis filius, Eynefi nepos, Heimeris pronepos, Næfillis abnepos, ejus, qvi Niflingorum familiam â se denominatam condidit, Halfdani Prisci, Norvegiæ partis, qvæ Hringarikiæ est, Reguli atnepos. Uxor Giukii Grimhildis Multiscia; liberi Gunnar, Hognius, Guttormus; filiæ Gudruna & Gullrona, omnes ab animi corporisqve donis, studiis item pro cujuscunqve conditione exercitiisqve, commendatissimi, qvi Giukii patris imperium assiduis bellis & victoriis floridum & finitimis formidabile reddiderunt. Uxor vero Grimhildis, præter qvàm qvod magicis artibus operaretur, ingenii fuit truculenti, & ad inflammandas filiorum iras, irruptiones cædesqve procurandas, propensi. Qvi primus adventum Sigurdi animadvertit, index ad Regem accurrens, appropinqvare virum denunciat, Diis qvàm hominibus similiorem, auro fulgidum, eqvo staturæ prodigiosæ vectum. Ipse igitur Rex advenæ obvius, cum aulico satellitio, amicis eum verbis salutat, qværitqve qvinam esset, qvi urbem ingredi absqve filiorum suorum consensu, qvod nemo unqvam pertentaverit, ausus sit? Ille se Sigurdum Sigmundi filium professus, magno cum honore ab ipso Rege in aulam deducitur. Omnes staturâ longè excessit, id qvod primo intuitu magnam opinionem roboris, virtutis illo tempore præcipuæ, animis intuentium instillabat, & ad honorem ei deferendum promptiores singulos reddebat, utpote respectu proceritatis ejus humiles. Eqvestribus cum Giukii filiis Gunnare & Hognio exercitiis ludisqve potior semper validiorqve habebatur, qvantumvis æqvales omnes longo post se intervallo isti reliqverint. Id qvod Grimhildis, prudens fæmina, non, ut usu venire solet, invidiâ stimulata ægrè tulit, sed qvomodo virtutem illius admirandasqve dotes sibi suisqve utiles redderet, anxiè qværebat. Sensit autem captum Brynhildis amore duci, qvem aversum ab eâ in filiam suam aptiùs derivandam duxit; philtris igitur potionem mistam ipsi inter potandum qvodam vespere exhibuit, qvam cum bibisset, phaleratis verbis aggressa, hospitem eum sibi domuiqve suæ acceptissimum accessisse prædicat. *Giukius*, inqvit, *tibi pater erit, mater ego, fili mei tui fratres; qvibus etiam te honore præferam, qvod cùm juramento firmaveritis, nullus erit qvi vobis resistere, ne-*

dum lacessere, possit. Placuit Sigurdo conditio, inqve eam mutuis juramentis consensum est; nam post exhaustum poculum oblivio Brynhildis eum cepit. Deinde Grimhildis â marito petivit, *ut filiam Gudrunam cum ingenti dote parteqve regni Sigurdo elocaret, id ad incolumitatem & incrementum regni, familiæqve splendorem augendum, plurimum momenti afferre.* Rex ad hæc respondit; *rarum qvidem & vix exemplo notum esse, offerri filiam, honoratius tamen illi qvàm alii petenti.* Semestre spatium excurrebat, cum inter convivium Gudruna authoritate parentum se spectandam exhibuit; valde igitur Sigurdum, fœderis amicæqve prioris oblitum, forma moresqve & ingenium virginis affecit. Parentes igitur fratresqve, sibi neqvaqvam defuturi, laudes ejus modestè prædicabant, magnum regni statusqve sui columen præsidiumqve accessionem ejus allaturam, qvod ut minimè fuco dictum existimaret, Gunnar ejus se societatem magnâ regni parte, sororisqve conjugio mercari velle, qvam qvivis alius frustra expetiturus videretur, affirmavit. Sigurdus exhibitum honorem, affinitatisqve conditionem avidè complexus, in illud fidem accepit deditqve. Sponsalia igitur, renovato mutuæ fraternitatis juramento, peracta; nuptiæ etiam justo tempore magnâ solennitate celebratæ sunt. Postea communi consilio viribusqve vicini Reges lacessiti expugnatiqve, nec facile erat invicti animi heroibus in societatem coactis resistere. Jamqve imperium Giukungorum brevi florentissimum redditum, in dies incrementa sumebat; ad cujus stabilimentum societates per affinitates latiùs propagandæ plures reqviri videbantur. Grimhilde igitur svadente, convenit ut Gunnar Brynhildem Budlii filiam uxorem posceret, qvo præpotentia Giukungorum Budlungorumqve regna novo fædere qvasi in unum coalescerent; nulla tamen legatio ad illud expediendum præmissa est, Gunnar & Hognius affinisqve Sigurdus ipsi magnâ pompa per montes & valles ad Budlium profecti, Gunnari filiam in uxorem poscunt; qvi sua qvidem voluntate & consensu illud fieri respondit, verum illam esse eo ingenio, ut illum sibi maritum deligat, qvem velit. Igitur in Hlyndalos ad Heimerem Brynhildis sororium, eundemqve nutricium, conversi, ejus etiam consensum reqvirunt. Ille *in arbitrio ejus situm cui jungi velit, palatium ejus non procul distare, perenni flammâ septum, eum solum electurum qvi intrepidè perrumperet.* Eò igitur se conferunt; palatium autem aureo colore tinctum splendebat, qvod ardentes lignorum strues rogi instar exstructi vallabant, & qvidem, ut videtur, longo intervallô ab aula distantes, ne fumi fuligoqve perpetua fœdarent. Qvo cum ventum esset, Gunnar eqvo, Gotio dicto, cui insidebat, calcaria subdens, nusqvam tamen perpulit. Holknius vocabatur Hogni caballus. Ut vero Sigurdus Gunnarem gradum retro ferentem conspexit, curni progrederetur? rogavit. Eqvum adigi non posse regessit, igitur ut Granium sibi commodaret, postulabat. Qvod cum annuisset Sigurdus, neqvè is Gunnari in rogum anhelanti parere voluit; qvare Sigurdus Gunnarqve colores formasqve externas, non usqve adeo insolito eo seculo artificio, mutârunt; conscensoqve Granio, sessoris calcariumqve istorum patiente, terribilem rogum invectus, incendium feliciter superavit, ingressusqve palatium, in triclinium ornatu valde conspicuum pervenit, ubi Brynhildis sedebat cataphracta, qvæsivitqve qvinam esset? non enim eo vultu priùs ipsi innotuit. Ille manubrio gladii innixus, Gunnarem Giukungum se affirmavit, parentis alumniqve consensu illam sibi uxorem destinatam, modo flammantem ignem, munimentum illius, transierit. Illa lentè, nec sine intervallo, respondit; *ne tum qvidem, Gunnar, illud ambieris, nisi viris omnibus præ-*

præcellueris , obstringasqve te ad omnes meos procos interficiendos. Ego Gardaris (Russorum) *Regis militiam secuta , arma virorum sangvine tincta gestavi, idem mihi studium adhuc curæ est.* Ille *rebus præclare gestis famam ejus latè inclaruisse confessus , perpendere tamen votum suum jussit , qvo illi demum se nupturam obstrinxit, qvi flagrantia hæc mœnia superâsset.* Nihil habuit verbis votisqve convicta qvod regereret, superato periculô , amoris sui fœderisqve conjugalis præmiô , itaqve assurgens ad hospitium invitat ; ibi communi lecto tres noctes transactæ; complexum tamen nudatus gladius Gramus seqvestrabat: illâ causam novi moris inqvirente, mortem sibi fato imminere respondit , si alitèr nuptias cum conjuge celebraret. Adeo efficax fuit potio, qvam Grimhildis miscuit , ut ne tunc qvidem Brynhildem in animum revocare posset, &, qvod magis mirandum,cum jam annulum pronubum , Andvarium dictum , qvem ei qvondam dederat , alio non minus pretioso ê Fafneris spoliis redimeret. Exinde personatus Gunnar , desponsatâ sibi Brynhilde, per eandem, qvam prius accesserat , flammam , recessit, Gunnariqve sponsalia contracta nunciavit. Vultus ergò faciesq; proprias utroqve repetente , veri cuiqve genuini habitus lineamentaqve redierant. Hlyndalos igitur reversi , consensum se impetrâsse Gunnar Heimeri confirmavit. Paucis diebus interjectis , Brynhildis ad nutricium profecta secretò ei exposuit, Regem Gunnarem ad se per medium ignem penetrâsse, id qvod nemini, præter solum Sigurdum, cui in monte Hindensi fidem juratam dedisset , possibile crediderit. Heimer pacta conventaqve novissima rescindi nullo modo posse. Suam ergo Brynhildis ex Sigurdo conceptam filiam ei nutriendam dedit, atqve inde ad patrem concessit, unde in domum sponsi deducenda erat. Gunnar cum fratre & Sigurdo patrios lares repetebat , omnibusqve, qvæ ad Regias nuptias conviviumqve instruendum reqvirebantur, anxiè conqvisitis , præstolantur ad statutum diem , qvo tunc Budlius & filius ejus Atlius cum Heimere & reliqvis cognatis sponsam numerosâ pompâ deduxerant. Nuptiæ sumptuoso apparatu per complures dies celebratæ sunt. Tempus deinde amica cohabitatione, fœderumqve religiosa fide , aliqvot annorum spatio felix excurrebat. Verum post peractas demum nuptias, rediit memoria Brynhildis , pactorumqve & juris jurandi , qvod intercessit , qvæ qvanqvam eum variè affecerint, dissimulavit tamen, nec qvæ intra pectus latebant , expectorare sustinuit. Neqve Brynhildis , qvantumvis præsagâ mente , aliud scivit , qvàm qvod Gunnar ardentem ignem prætervectus ad se pervenerit.

CAP. XXXIX.

DE RIXIS INTER BRYNHILDEM ET GUDRUNAM, LAMENTISQVE BRYNHILDIS, ET SIGURDI CÆDE.



ACcidit qvodam die, cum Brynhildis & Gudruna ad comas lavandas fluvium Rhenum ingrederentur , ut Brynhildis præcedendo primas sibi honoris partes vendicaret. Id ægrè ferens Gudruna , qvorsum tenderet , qvæsivit, se namqve turbatam aqvam capiti suo infundere nolle ; respondit Brynhildis ; *jure se istâ prærogativâ uti , qvòd & potentiore patre sata, & clariori marito juncta esset , nam sui viri fortia facta plura numerari , eum-*

qve ardentem ignem pervectum; illius autem maritum Regis Hialprechi servum fuisse. Ad hæc Gudruna irâ excandescens respondit: *an hæc sapientia est, vituperare virum, omnium judicicio tantum, ut toto orbe inveniatur nemo, qvi jure ei comparari possit? neqve illud te decet, cum primus tecum congressus, tuusqve maritus factus sit; is Fafnerem occidit, septamqve perpetuo rogo impenetrabilem flammam, imperterritus pervasit, qvem tu Gunnarem, sed falsò, existimabas; testis annulus Andvarinus, qvem tibi id temporis detractum hic jam conspicito.* Ostensum statim Brynhildis agnovit, subitoqve velut exanimis expalluit, domumqve se, nullâ amplius voce illo vespere editâ, recepit. Per noctem Gudruna Sigurdum rogavit, qvasi nescia, *cur Brynhildis obstinato silentio tristis præter morem videretur? Ignoramus*, inqvit, *brevi tamen cognituri. Contentam*, adjecit Gudruna, *oportet prospero famæ successu, præconiis laudum, vel cælo se inferentium, optatoqve celeberrimo marito. Ecqvis unqvam dixerit*, inqvit Sigurdus, *eam optato marito potitam?* Gudruna respondit, *se ab illa sciscitaturam, si qvem maritum suo prætulerit. Istud qvidem vehementer dissvadeo*, ait, *qvod fecisse omninò pœnitebit.* Postera die cum convenissent (unum enim idemqve palatium incolebant) Gudruna illam ad hilaritatem invitabat, rogans *ut si qvam offensam ex colloqvio contraxerit, missam faceret, verum qvid demum ipsam irritaverit?* qvæ hac qvæstione magis exacerbata, *malo illam animo hanc controversiam & ad insultationem renovare respondit, monuitqve ut illa tantum expiscari liberet, qvæ ejus scire interesset, nec ultra progrederetur, id enim fœminis principibus indignum; acqviesceret modo, cum res omnes ad votum fluerent.* Gudruna *præmaturè nimis præsentem fortunam laudari, aliqvid tamen his verbis vaticinari videri, se vero eam non offendisse.* Tum Brynhildis apertè ei pœnam minitabatur, qvòd Sigurdo marito potita esset; *illum namqve pariter atq; ingentem illam auri massam opesq; immodicas se ei invidere, at clandestinorum pactorum se ignaram fuisse, sed & patrem se sine suo consensu facilè elocaturum. Imo nosti*, inqvit, *nec erant occulta, meqve deceptum ibatis, cujus tu pœnam propediem pendebis.* Gudruna *illam clariorem maritum adeptam respondit, qvàm meruerit.* Brynhildis *acqvieturam se, nisi illius suo esset illustrior.* Gudruna jam iram lenitura, *dubium esse qvis clarior sit*, respondit; Brynhildis, *majorem de occiso Fafnere gloriam partam, qvam ut totum Gunnaris regnum ei possit comparari*, citabatqve carmen victoriam illam complexum, *cujus laus & fama nunqvam esset interitura, qvod etiam testaretur ipsum flammam transgressum, cum Gunnar trepidans retro tulerit gradum. Minimè*, inqvit Gudruna, *Gunnar trepidâsse jure dicetur: culpa omnis eqvi fuit.* Compluribus aliis jam fervens ira provocabatur, donec Brynhildis inutiles confabulationes omittendas monuit, sibiq; prior silentium imperavit; inde doloris impatientiâ decumbebat.

Hæc omnia postqvam Gunnar cognovit, protinus accedens, causam morbi inqvisivit. Illa obstinato silentio intractabilis, ne responso qvidem eum dignata est, sed tanqvam exanimis jacuit. Ut vero acriter institit, tandem his eum affatur: *Ubi est aurum, qvod tibi tradidi, id qvod pater mihi novissimo vestro discessu donavit, cum Giukius vobis comitatus eum accessit, me sub minis belli inferendi alicui vestrum in uxorem postulabat; patre mihi, remotis arbitris, imperante, vestrum aliqvem maritum eligerem, conditionem obtuli, vobis bellum inferentibus resistere, tertiamqve exercitus partem ducere; qvod cum ille abnueret, reliqvum erat, ut ejus voluntati me submitterem, vel opibus agrisqve & insuper ejus gratiâ exiderem, iramqve arcesserem; tandem illi soli nupturam vovi, qvi perennem ignem circumdatum castello meo pervaserit, occideritqve,*

deritqve qvoscunqve imperaverim. Jam nemo illud præter Sigurdum præstitit, tu vero cadaveris in modum expalluisti, indignus qvi Rex sis, cum athleta dici neqveas. Prius etiam domi voveram, me in illius tantum thorum concessuram, qvi natus esset absqve metu; iste est Sigurdus; perjura sum, dum illo careo, necem igitur ei machinabor, qvin & Grimhildis de nobis pessimè merita est, qva muliere nemo unqvam timidior vel peior nata est. Gunnar matris famam defendens, *longe illâ excellentiorem, probam piamqve, viri liberorumqve ejus, utpote nurum, amantissimam, qvæ nullos viros occiderit, maritumve contempserit. Aperto se Marte Brynhildis congressam, cædibus clandestinis, ut heroina indignis indecorisqve, abstinuisse, cum excusâsset,* adeo in iram efferbuit, ut Gunnarem occidere moliretur; compedibus igitur Hognius eam constrinxit; Gunnar vinctam se sustinere posse negavit, at illa solvi recusavit, neqve enim id ê re illius futurum, nam nunqvam post illam diem se hilarem in aula visurum; verum maritus nihilominus vinculis eam exemit. Inde in vestes limbosqve aureos & idgenus alia furorem convertens, singula dilaceravit, januamqve cubilis aperiri jussit, qvo lamenta sua longius penetrarent; exinde cubitum petens, lecto velut sopita se continuit. Gudruna famulas, cur adeo tristes essent? rogavit, jussitqve ut dominam excitatam ad prandium vocarent. Præcipua inter eas, nomine Svafrlaudis, luctu universam aulam personare nunciavit, *neqve se eam jam per aliqvot dies somno detentam excitaturam, Deorum iram sibi illam accivisse.* Gunnar igitur, hortatu Gudrunæ, eam, sed frustra, accedens, absqve responso recessit; idem Högnio nimis invito, visitanti tamen, contigit. Tandem Sigurdus, nec priusqvam postridie, cum â venatione ad Gudrunam uxorem prius rediisset, ipsiqve exposuisset, præsagire se animo mærorem Brynhildis vitæ stamina rupturum. Illa sesqvitertium diem jam eam dormiisse, ita ut nemo excitare auderet, exposuit. Ille minimè dormire, sed certum sibi detrimentum machinari respondit; hortatu ergo lachrymantis uxoris eam accessit, apertisqve foribus ad lectum procedens, aulæo summoto; *vigila*, inqvit, *Brynhildis, sol enim universum triclinium jam dudum illustrat; mitte tristitiam, & læta esto.* Illa respondit; *qvæ te audacia ad me invisendam perpulit? nemo mihi majores dolos, qvàm tu, struxerat. Falleris*, inqvit Sigurdus, *si animum meum abs te alienatum arbitraris, aut irâ ulla in te accensum; is tuus maritus est, qvem elegisti. Minimè*, ait Brynhildis, *non enim Gunnar aditum sibi ad me per incensas strues ardentemqve viam fecit, nec dotem mihi cæsorum cadaverum strages dedit: mirabar qvidem virum palatium meum ingressum, eumqve ex oculis cognoscere videbar, verum tegmen, quo obvolutus erat, fataque sinistra obscurarunt, quo minus internoscere possem.* Sigurdus *se Gunnarem neutiquam præstare, esse enim insignem Regem, qui Daniæ Regem, principemque alium insignem Budlii Regis fratrem, occiderit.* Illa, *ne soporatos dolores excitaret*, monuit (patruus enim illius is fuit) *nunquam sibi Gunnarem arrisisse, quamvis illud dissimulaverit. Inter laudes*, ait Sigurdus, *haut reputandum, tantum Regem fastidivisse; quid enim maximè te torquet? amor enim ejus auro præferendus est. Illud me maximè angit*, ait Brynhildis, *quod efficere nequeo, ut gladius acutus tuo sangvine tingatur. Siste modò*, inqvit, *horula restat, quo ad voti compos fias, corque meum ensis perfodiat, neque mihi pejus quam tibi imprecaberis, nam mortuo me superesse non sustinebis, neque dies vitæ nostræ ab hoc tempore prolixi futuri sunt; verum tanta me tui oblivio ceperat, ut neque pactorum, neque intercedentium rerum meminerim, priusquam post celebratas cum Gunnare nuptias, tunc demum, sed re minimè integrâ, anteacta omnia in memoriam redibant, angor*

deinde animi, rerumque mearum tædium subiit, quod præsentibus Regibus semper pressi, miseriam præsentiâ tua & aspectu utcunque solatus, te enim arctiore amore quàm propriam vitam me complecti, coram te ulterius non dissimulabo; dolus Grimhildis, medicatâ potione structus, nos separavit, quod si â mortis proposito te retrahi permiseris, universo auri mei pondere te redimam: ulterius, si postulas, uxore mei amantissima, quam præter propria decora pignus amoris filiolus, patris mei nomen gerens, conciliat, repudiatâ, te ascifcam.

Hæc postqvam dixisset, latera ejus adeo intumuerunt, ut annuli fibulæqve ferreæ, qvæ loricam connectebant, rumperentur; tanti motus animi erant. Brynhildis negabat, *duos Reges in eadem aula se maritos agnituram, datam semel Gunnari fidem integram se servaturam, juramentum tamen voto prius adjectum, etiam intellectis dolis, quibus circumventa sit, adhuc sibi religiosè servandum, quô ei se nupturam obstrinxisset, qui allambentem flammam perruperit, illum autem esse eum, non vero Gunnarem; itaque cum illius potiri nequiverit, neque alii viro cohabitaturam, errorem potius, licet culpa vacantem, se morte expiaturam.* Sigurdus ut obstinatam in mortem animadvertit, verum nimis futurum pronunciavit ordinem fatorum, qvem vates prædixerant; atqve ita egressus ad Gunnarem rediit, loqviqve eam posse retulit. Iterum ergo maritus eam invisit; verum illa se neqvaqvam victuram retulit; *Sigurdus enim me, imo etiam te*, inqvit, *decepit, cum ipsi lectum meum communicares, duos autem maritos intra unius aulæ parietes aversor; aut igitur mihi vel tibi, aut Sigurdo moriendum erit; is secreta nostra uxori suæ pandit, illa vero mihi insultat.* His dictis surrexit, egressaqve foras, in publico lamentata est. Insanienti proximam iterum consolaturus maritus aggreditur. Illa minabatur *se ad patrem redituram, impulsuram deinde, ut maritum, jam uxore orbatum, mox etiam gloriâ, regno, vitâque deinde spoliet, ni Sigurdo manus inferat, filiumque illius simul occidat, pullum enim lupinum minimè nutriendum.* Hic Gunnar variè afficiebatur, ab unâ parte conjugis, qvam unicè dilexerat, immensus amor ad revocandam eam ab obstinato mortis proposito, qvod hoc solo, aut nullo alio remedio, fieri posse credidit, divortii insuper ignominia extimulabat: obstabat ab aliâ fides Sigurdo data, fraternaqve jura societatisqve arctissimæ vinculum jurejurando religiosum, nec ulla re ab eo violatum; itaqve ad Högnium fratrem duras ab uxore propositas conditiones defert, seqve electurum ê duobus proditionem adversus Sigurdum, præsertim cum id prior, ruptâ fide violatâqve Brynhildis pudicitiâ, promeruerit; qvod tamen illa commenta fuit, nam primo coitu nihil de Gunnare constabat, cum vero ejus partes ageret, per tres noctes eam non attigit, qvo religiosè fidem coleret. Exhorruit Högnius, generosi animi princeps, flagitium, dissvasitqve ut execrandum, utpote qvo Dii prius qvàm ipse affinis violarentur, imo noxium, cum præsidio ejus ad id tempus invicti, postea destituerentur, insuper spe familiæ per sororis filios augendæ; neqve se latere adjecit, qvod Brynhildis crimen illud ei affinxerit, qvo facilius virum in eum armaret, qvem sibi superstitem vivere nolit. Gunnar *Sigurdum vel occidendum, vel sibi moriendum* respondit, *ut verò juramento consuleretur, fratrem minimum Guttormum adolescentem, impetu quàm ratione validiorem, qui extra juramenti societatem esset, præmiis ingentibus ad cædem peragendam alliciendum, perpetratâ cæde universum aurum Fafneri ereptum in suam potestatem redigi.* Högnius *quocunque tandem prætextu tantum virum per insidias sustulerint, ultionem nunquam effugituros respondit*; veritus tamen Gunnaris periculum, mortem sibi imminentem præsagientis, ægrè tandem in illud consensit. Gunnar igitur

Brynhildem exsurgere jubet, bonoqve animo esse, brevi namqve petita obtenturam; qvod ut audivit, lætitiam præferens surrexit, societatem lecti prius tamen impetraturum denegabat, qvàm peractâ cæde. Guttormus deinde advocatur, aculeatâqve oratione, delictum Sigurdi exaggerante, qvòd primitias floris Brynhildis delibaverit, in vindictam accenditur, & ne gratuita cædes foret, auri copia magna, regniqve pars haut contemnenda, præmium proponitur. Qvo vero ad audendum promptior redderetur, serpentis lupiqve carnes simul elixatæ ei apponuntur manducandæ, qvibus etiam ferocior factus, ad Sigurdum in amplexu uxoris dormientem ingressus est, eumqve gladio transfodit; qvi subitò expergefactus, arrepto gladio Gramo egredientem in duas dissecuit partes.

CAP. XL.
DE LAMENTIS GUDRUNÆ, EXITU BRYNHILDIS, EJUS ET SIGURDI SEPULTURA.



EVigilantem uxorem in sangvine suo volutatam â lamentabili comploratione in extremo vitæ suæ revocaturus monuit: *fratrum superstitum auxilio haut destitutam, illud miserius, quod filius eâ ætate esset, ut inimicos cavere nesciret, se tamen innocentem, iisqve utilissimum virum, fidumqve socium, interimi qvestus est, nec sibi satis prudenter fratres ejus hac ratione consuluisse; Brynhildem in causa esse, qvòd se solum præ omnibus tam impotenti amore complectatur, ut sui usum nemini permittat, malitqve sublatum qvàm alii communicatum; vaticinia, de qvorum veritate hucusqve dubitaverit, jam ex parte impleta, mox etiam implenda, tristium fatorum seriem hoc exordio cæptam, ulterius eodem tenore processuram*; atqve his dictis exspiravit. Tum vero Gudruna ingenti plangore omnia miscere, voces & suspiria gemitusqve edere, adeo ut totam aulam lugentis sonus impleret. Qvod audiens Brynhildis, peractum triste ministerium reputans, in largiores risus effusa est. Adstans autem Gunnar, ut ridentem expallescentemqve simul animadvertit: *Non hic*, inqvit, *risus ex interno animi gaudio provenit, qvî enim cadaveris more palles? an morti vicina es? merita sane ut frater tuus Atlius ante oculus tuos trucidetur, tuqve præsens pariter illum mortuum efferendum cures, qvemadmodum nos affinem nostrum fratremqve lugere cogimur.* Brynhildis, *non se qveri, qvod mandata sua negligenter executi sint, Atlium qvod attineat, eum certè minas eorum ut fulgur ex pelvi æstimaturum, victurum illis longiùs, potentioremqve futurum, res vero eorum post sacrilegum scelus peractum ad restim redituras, familiamqve omnem perjurii graves pænas daturam, qvòd virum de se optimè meritum, nullius mali sibi conscium, illisqve longè eminentiorem, columen imperii, terrorem hostium, amicorum præsidium, tantæqve erga Gunnarem fidei, ut cum lecti sui, personam illius ferens, socius factus esset, gladio tamen concumbentes distinxerit, per insidias sustulerint; illi fidem â se qvondam datam, intemeratam servandam esse, qvàm cum sibi, utpote insidiis technisqve illorum præventæ, persolvere non licuerit, per sociam mortem præstituram.* Frustra illam maritus complexus â proposito mortis abstrahere conatus est, id qvod Hognius impediendum dissvasit, exitiosam omnibus futuram prædicans, qvoad viveret.

Deinde

Deinde Brynhildis magnam auri ſummam popoſcit, invitabatqve ad accipiendum qvotqvot vellent, hanc enim ultimam largitionem futuram, arreptoqve gladio latus ſibi perfodit, inclinansqve pulvino, aurum dono ſuo ut pro libitu qvisqvis caperet, edixit. Omnes ſubitaneus pavor defixit. Deinde Gunnari futuras calamitates prædixit, qvibus noviſſimam petitionem ſubjunxit, nimirum ut exeqvias ſibi ſecundum præſcriptum ſuum præſtaret, hoc modo. *Rogus*, inqvit, *magnificus in planitie exſtruatur, mihi Sigurdoqve communis, tapetibus humano etiam ſangvine, eoqve recenti, tinctis obducendus; ad latus meum Hunnicus Rex collocabitur, à latere vero ejus omnes, qvi unà cum eo occiſi ſunt, filius nempe trimus Sigmundus, & frater veſter Guttormus, ad caput ejus duo ex meis famulis, totidem ad pedes, duo præterea accipitres; hæc namqve eſt juſta diviſio, nudus nobis interponatur gladius, ut priùs, cum torum ſocialem conſcendimus, atque ita conjuges erimus, neque enim Janua calces ejus feriet* (hac namqve loqvendi formulâ uſa eſt, indigitans non ſolitarium fore, qvales ii ſunt, qvos nulli ſeqvuntur, nam janua ſæpe pedes eorum recaſura pulſat) *ſi me comitem nanciſcitur, neque comitatus vilis, nuptiarumque pompa exilis erit, ſi octo ſervæ, totidemque ſervi, quos mihi nubenti pater dederat, unà cremantur, & plures, qui cum illo occiſi ſunt. Plura dicerem, niſi vulnus obſtaret, quod magis aperitur, animamque egerit.* Rogus ſtatim ad præſcriptum ejus inſtruitur, cui illata cum eſſent omnia, univerſusqve conflagraret, Brynhildis adhuc viva pedes eò procedens, famulas ad ultimum hortata, ut aurum muneri datum acciperent, in ardentem flam̃am ſe conjecit. Hic fuit exitus diverſi ſexûs principum, qvorum qvilibet in ſuo genere, ethniciſmo vigente, parem neminem habuiſſe viſus eſt, nec poſterioribus ſeculis habiturus credebatur, qvorum memoriam in ſeptentrione, & qvousqve lingva Germanica ſe extenderet, nunqvam interituram antiqvitas vaticinata eſt. Fuit Sigurdus ſtaturâ adeo procerâ, ut cum cinctus gladio Gramo, ſeptem ſpithamas vel dodrantes longo, agrum ſiligineum pervaderet, cuſpis ſummas ariſtas tantùm attingeret (ſpithamarum verò Germanicarum illius ævi menſuram non planè novimus): craſſitiei cum proceritate juſta proportio, humeris latis, magno interſcalpio ad duorum hominum menſuram, cæſarie nigra, capillis intortis, barba denſa, nec promiſſa; coloris ejusdem, naſutus, facie rotunda, oculis acerrimis, ut inſpicientes terrerent, ſapientiâ tantâ, ut volucrum lingvas callere exiſtimaretur, unde raró improviſa obvenerant; eloqventiâ magnâ, ut qvicqvid voluerit, perſvaſerit, ſermone diducto, pronunciatione purâ ſemper uſus eſt, animo metûs omninò experti; ſuis opem ferrè, hoſtes pecuniis multare in deliciis habuit; exercitiorum militarium aſſiduus ei uſus, ludorumqve eqveſtrium magnus amor, candore etiam animi apprimè inclaruit; armaturâ univerſâ præſtantiſſimo obrizo tinctâ, clamys inſuper & ephippia pictam draconis imaginem, facinoris incomparabilis monumentum, pariter oſtentabant, clypeus etiam coloribus diſtingvebatur, ſuperius fulvo, inferius flammeo ſuperbivit, ſingula auro conſpicua fulgebant. Brynhildis formæ venuſtate incomparabili, ingenio vaſto, gloriæ immodicæ cupidine æſtuans, atqve ideo paris in ſexu ſuo, multo magis ſuperioris, impatiens, heroum etiam æmula, naturâ ſagax & provida, & abſtruſarum artium longè peritiſſima, fidei propoſitiqve & injuriarum ad vindictam usqve tenaciſſima. Verùm de interitu Sigurdi fama variat; nam Germani inter venatum interemtum tradidêre; omnes affinium fraude peremtum in tractu, qvi Rhenum ab occidente ſpectat, conſtanti relatione aſſerunt; qvem uxor Gudruna vehe-

mentius

mentiùs dum lugeret, nec lacrymas præ nimio dolore fundere potis esset, adeoqve intumesceret, ut periculum esset, ne disrumperetur. Ad eam Herborg Hunniæ Regina (plures enim Reges simul regnâsse constat) solatura accessit, & ipsa qvidem pares nec leviores antea fortunæ insultus experta, suasqve miserias afflictamqve sortem, septem filiorum, bello cæsorum, parentis utriusqve, qvatuorqve fratrum, fluctibus simul abreptorum, orbitatem commemorando, qvibus suam captivitatem, duramqve servitutem accessisse qvesta est; sed frustra lachrymas elicere tentabat, donec Gullrond Gudrunæ soror cadaver amplexu fovendum, osculaqve ut vivo libanda monuit, id demum dolorem lachrymis manantibus sedavit. Novi consimile in patriâ exemplum, cum demortui manus pectori lugentis applicata invitas prius lachrymas eliciebat.

CAP: XLI.

DE SECESSU GUDRUNÆ IN DANIAM ET NUPTIIS CUM ATLIO BRYNHILDIS FRATRE.



NOn sustinuit Gudruna apud fratres moras ulteriores nectere: itaqve voluntario exilio sibi indicto, tesqva, solitudines, & inculta sylvarum pedes per qvinqve dies emensa in Daniam pervenit (unde patet, Germaniam illo tempore minùs cultam fuisse) ibiqve apud Thoram Haconis filiam tres annos & semestrem mansit; terebant ibi tempus acu varias formas pingendo, fortiumqve Regum gesta textorio artificio, ut Athenienses, peplo complexæ, velut expeditionem Sigmundi Sigurdi Fafnericidæ patris, vel prælia, qvæ in Five (an in Germania sit, nescio) Sigar contra Siggeirem gessit, qvorum memoria jam nulla restat. Interim opes aurumq; Sigurdi Gunnar & Högnius sibi, tanqvam prædam belli jure partam, vendicabant. Postqvam eos absentiæ exiliiq; sororis tædere cæpit, animum ad eam mitigandam applicuerunt; partim etiam necessitate compulsi, eam ê Dania reducendam censuerunt, namqve Atlius Rex Saxoniæ, Brynhildis frater, sororis necem illis imputans, nullâ aliâ ratione placari poterat, qvàm conjugio sororis eorum Gudrunæ, motus tum ingenti nominis illius fama, tum etiam jure in thesauros Sigurdianos, qvos conjugio accessuros spe conceperat. In Daniam ergo magnifico comitatu, Regibus interspersis superbo, concesserunt. Grimhildis mater, qvæ Gothica fæmina dicitur, Regesqve Daniæ Valdar, Eimodus, Jarisleifus & Jariscarus, multaqve Langbardi præclara progenies, auratis cassidibus, eqvisqve cataphractis pompam ornabant (Hinc Longobardorum etymologiam neqve ex armis, nec ex barbis nostras antiqvitates petere liqvet, sed â parente primo Langbardo dicto, sive Bardo longo, qvi nostrâ lingvâ Langi Bardr dicitur) Gudrunam igitur blanditiis promissisqve aggressi neqvicqvam monuerunt, ut in Atlii conjugium consentiret, donec Grimhildis mater, ad consvetas artes conversa, poculum oblivionis ei propinaret, qvo priorum calamitatum memoriam sopiret, tum demum provinciarum Vinbiorgi, Valbiorgiqve oblatarum possessione allecta, precibusqve cognatorum fratrumqve emollita, qvantumvis malè sibi ominata, ægrè qvidem, sed admodum inauspicatò, annuit. Cui postqvam elocata esset, post celebratas solenni festi-

vitate nuptias, ſtatim ominoſa ſomnia mariti qvietem turbârunt, qvæ uxori cum expoſuiſſet, pro voto magis qvàm eventu primò explicata ſunt; gladio enim ſe ab illa perfoſſum per qvietem vidit. Illa interpretabatur ferrum in ſomniis ignem denotare, qvem ei affuſura videatur ad morbum, magicis artibus inductum, ſanandum; cujus uſum *veteres codices legum Gulathingenſium Titulo de caſibus, Cap. XIII.* utet *Legum Islandicarum eodem capite* inſinuant. Duas præterea arundines in aula ſua plantatas, qvas in deliciis habuiſſet, excreviſſe, ſubitò radicitus evulſas. Accipitres etiam binos ê lecto ſuo avolâſſe jejunos, deinde neci datos, ſibi inter fercula cruenta appoſitos, qvorum corda melle condita comediſſe ſibi viſus fuerit. Catullos etiam perqvam bellos occiſos in eſcam inviſum vertiſſe. Uxor gravia ſomnia, mala ingentia minitantia, inter reliqva maſculæ prolis infamem interitum portentura conjiciebat. Tempus per complures annos majori conjugum odio qvàm amore procedebat; malis enim artibus conciliata ſocietas haut facilè coaluit, qvam etiam adulterii ſuſpicio & Zelotypia turbabat; namqve Herkia Atlii pellex dominam detulit de adulterio cum Thiodreco qvodam Rege commiſſo, qvi ſæpius Reginæ fortunæ ſuæ ludibria qveſtus eam ſimilibus admodum vexatam, ad communem qverimoniam ſæpius excitavit; inde ſuſpecta Regi nimiæ familiaritatis, ſe juramento purgabat; cujus ritus talis erat. Lebes ferventi aqva plenus certis ritibus conſecratus, magnæ capacitatis ſiſtebatur, in publicum lapides grandes, imo fundo immerſi, nudis brachiis manibusqve levandi erant. Crimen adulterii hoc purgationis genere publicè, magna principum populiqve freqventiâ, dilutum eſt, qvæ vero detulit Herkia juramentum calumniæ eodem probationis genere præſtare juſſa, cum defeciſſet, latâ ſententiâ paludi viva immerſa eſt, Regina vero abſoluta pudicitiæ laudem publico applauſu meruit.

CAP. XLII.

DE LEGATIONE ATLII AD GIUKUNGOS, INVITATIONEQVE AD CONVIVIUM UXORUM SOMNIIS, EORUMQVE CÆDE.



Rynhilde de ſtatione vitæ miſerè egreſſâ, Gunnar ſorore ejus Oddruna pellice uſus eſt, cum nuptias ejus, obſiſtente fratre Atlio, impetrare neqviret. Commotior itaqve frater, miſit qvi eam domum deducerent; id cum fruſtra eſſet, ludibrii impatiens, auriqve cupidine, debitæ uxori ſuæ dote, illectus, diſſimulabat conceptam iram, majori pernicie per occaſionem effuſurus. Socru igitur (clanculum credo) ſublatâ, legatum Vingium, alio nomine Knefrodum dictum, ad Gunnarem & Hǫgnium miſit, ætatem ſenilem excuſans, tutores eos filiis tenellis, qvorum eſſent avunculi, lecturum, reditumqve regni qvoad adoleſcerent, tutelæ mercedem pollicitus, inſuper munera prorſus Regia. Petivit igitur ne ad ſe venire gravarentur, nec convivium in eorum gratiam inſtructum aſpernarentur. Ut vero dolum præſenſit Gudruna, tabulas literis Runicis inſcriptas, qvibus fraus omnis delegebatur, annulum præterea aureum, cui pilum lupinum alligavit, ferum mariti animum denotantem, legato perferenda dedit, qvi Regi fidelior, Runas qvidem non delevit, ſed invertit, & ad ſcopum legationis

tionis mutatas exhibuit. Benignè â Giukungis exceptus in triclinium deducebatur, ingenti foco exſtructo, per veſperam poculis hauriendis certatur; ibi legatione expoſitâ reſponſum exſpectat. Gunnar naturâ magis credulus, conſulit fratrem Högnium, qvorſum hanc novam ſororii humanitatem tendere arbitraretur? Is ſuſpectam qvidem ſibi dictitans, nec de nihilo ſororem annulo lupi pilos annexiſſe, animum in ſe mariti fortè lupinum adumbraturam, qvo ſigno profectionem diſſvaſiſſe videri poſſit. Convivium in multam noctem, etiam poſt convivantium diſceſſum, extractum eſt, ſolis Regibus cum legato remanentibus, ſecretòqve inter ſe conferentibus, donec ebrietas uſum rationis turbâſſet; tum vero legatus tempus rebus ſuis oportunum nactus, tabulas â ſorore miſſas depromit, benivolumqve in eos domini ſui affectum exaggerans, præter reditus regni, ampliſſimaqve munera, principatus etiam fiduciario jure obtenturos aſſeruit. Cupido regni, opumqve ſitis, & fati inevitabilis neceſſitas Gunnarem ſimul abripuerunt, ut extempore polliceretur ſe profecturum; Högnius promiſſis ejus ſe haudqvaqvam refragaturum, ultrò tamen hoc tempore minime profecturum teſtatus, verum cum frater acceſſum pollicitus eſſet, ſe ei qvidem comitem, non deſertorem, futurum. Finita commiſſatione cubitum itur. Koſtbera fuit uxor Högnii, formâ ac ſapientiâ juxta commendatiſſima. Glamvor Gunnaris nuncupabatur, & ipſa ingenio heroina, qvæ inter epulas Regibus pocula promebant, pincernarumqve vices obibant. Koſtbera, tabulis impenſiùs perſpectis, runas inverſas animadvertit, inqve matutinum tempus differens, marito ſenſum literarum genuinum exponit; aut enim literæ unius ſignificativæ defectum incidiſſe, qvod mirum peritiſſimæ fæminæ accidiſſe, aut turbatas literas eſſe qveritur, inde præſentiſſimum vitæ periculum proficiſcentibus indicari, id qvod ſororem iis inſinuâſſe, & rectius & tutius concludi poſſe; falli enim eos, ſi hac vice ſe â ſorore invitatos crederent, ſed & ſomnia, eos â propoſito retractura, ſi monitis parere, placidasqve aures præbere vellent, affert; nam lodicem grabatumqve ejus, ſumma etiam palatii tecta, igne flagrantia viſa. Högnius lineas veſtes, qvibus abundaret, igne conſumendas reſpondit. Urſum deinde in aulam irrumpentem, pedibus obvia qvæqve confringentem terrorem concuſiſſe, præterea viſum refert. Ventos exorturos conjecit. Aqvilam inſuper in aulam pernici volatu delatam, ſangvine cunctos conſperſiſſe. Genium Atlii ei viſum retulit; boviumqꝫ magnum numerum ſe mactaturum dixit, ſæpe aqvilam in ſomniis bovem denotare. Conſimilitèr Glamvor Gunnari terribilia ſomnia expoſuit. Patibulum illi erectum, in qvo ſublimis pendere ſibi viſus ſit, deinde â ſerpentibus dilaniatus, exemptumqve induſio ejus cruentum gladium, qvi medium ipſum perfoderit, in cujus mucrone & manubio lupi ejulasſent. *Canes nos morſu petent*, inqvit Gunnar. Fluvium etiam rapidiſſimum in aulam cum impetu infuſum, ſedilia omnia perfregiſſe, mulierum etiam mortuarum umbras hac ipsâ nocte aulam ingreſſas, maritum eum ſibi popoſciſſe, nuptias protinus celebraturas, qvas Parcas, ſtamina vitæ propediem rupturas, ſibi videri dixit. Gunnar *nodum eſſe difficilem reſpondit*; *nemini conceſſum vitæ terminum ſuperare*; *brevem certè vitam ſomnia hæc ſibi protendere.* Verùm tanta erat promiſſorum exeqvendorum religio, aut revocandorum dedecus, ut ne indubia mortis indicia retrahere poſſent. Koſtbera Glamvorqꝫ legatum aggreſſæ juramentum ei expreſſerunt, formulâ, qvâ relegationem ad gigantes, aut ad crucem, tanqvam paria mala, ſibi imprecabatur, ſi ſimulatâ mente legationem expoſuiſſet. Navibus itaqve conſcenſis, domo profecti, remisqve innixi, in ditionem Atlii pervenerunt; ibi in litore con-

ſcenſis eqvis, qvos domo navibus evexerant, ad aulam perrexerunt. Intra clauſas portas armatus exercitus delituit, qvas cum Niflungi effregisſent, denunciavit Vingius deceptos eſſe, inqve crucem qvàm ociſſimè tollendos. Orknungus fuit Koſtberæ frater, qvi eos comitatus eſt. Illi ſe minis Vingii neqvaqvam terreri præfati, nec tamen impunè decepturum, ſecurium manubriis, utpote ferro perire indignum, ad necem verberârunt. Atlius intra mænia armatas phalanges in affines concitat, qvibus undiqve confluentibus, velut indagine cincti ab omni parte impetuntur. Verùm juſta in perfidum Regem ira, mortisq; imminens periculum, in ultionem ſui eos accendit. Pugnâ igitur memorabili editâ, diu invadentem multitudinem non modò ſuſtinuerunt, verum malè multatam, pluribus acervatim proſtratis, repreſſerunt. Regina, intellecto fratrum periculo, ad arma & ipſa advolat, increpatisqve modeſtè fratribus, qvod literas ſignumqve annulo appenſum non intellexerint, in prælium ruit, duos propriâ manu neci dedit, levirum præterea pede multatum deinde occidit, pluresq; alios trucidavit. Inter confertiſſimos hoſtes Niflungi pugnabant, nec aliud prælium crudelius geſtum priſca monumenta memorant. Ultra meridiem â matutino tempore durabat; tandem poſt editam ingentem ſtragem vincendo fatigati Niflungi capiuntur. Regina filios hortata eſt, ut pro avunculis apud Regem mortem deprecarentur; cæterum ferus iis, qvantumvis puſillis, animus erat, cædeqve & ſangvine propinqvorum jam tum oblectabantur; matris itaqve petitioni refragati, ſibi exitium accelerabant. Gunnar in carcerem viperis & ſerpentibus repletum conjectus eſt; Hognius cuſtodiæ mandatur. Ne vero perfidia gratuita eſſet, cæpit Atlius ab iis ſub tormentorum minis exqvirere de theſauro Sigurdi Faſnericidæ; cum autem nullo modo extorqvere confeſſionem poſſet, Gunnare dictitante, prius ſe viſurum fratris ſui cor, juſſit ut ſervo abjecto Hialtio, Meticuloſi cognomine noto, vivo cor exſectum, Gunnari deferendum, pro Hognii corde obtruderetur; qvod ut nimium palpitare vidit Gunnar, non eſſe illud cor fratris ſui reſpondit, qvod trepidaret. Itaqve Hognio, inter ſupplicium ridenti, exſectum eſt; qvod ut Gunnar vidit, *agnoſco*, inqvit, *fortiſſimi fratris cor, jam qvidem parum tremens, minùs dum intra pectus fuit: benè ſe res habet, dum Hognius viveret, dubitaram an proderem, jam certus neqve eum proditurum, neqve alium, cum ſolus ubi recondatur norim, jam ſibi Rhenus habeat.* Hinc ſub aqvis defodiſſe creditum eſt. Viperarum igitur morſu, religatis poſt tergum manibus, Gunnar incredibili fortitudine animoqve invicto periit, Cæleſti Numine graves perfidiæ, parricidii, & perjurii pænas expetente, ſupplicii qve gravitate tarditatem penſante, Orknungus duoqve Hognii filii, patrem domo comitati, Solar & Gnæfar appellati, in prælio unà ceciderunt.

CAP. XLIII.

DE CRUDELITATE GUDRUNÆ ULTIONEM DE MARITO SUMENTIS, EJUSQ; CÆDE.



Um vero Rex ſuis militibus bello cæſis juſta faceret, iniqvum Gudrunæ viſum eſt, ſi fratres ſui exeqviarum honore carerent, itaqve eas magno apparatu celebrare feſtinat, Rex namqve primò velut inſultans, cædem fratrum commemoravit, culpâqve ex parte in eam rejectâ, mox multam ſibi ipſi irrogans,

gans, munera ingentia Reginæ satisfactionis loco obtulit, qvibus ipsam sibi conciliaret. Qvæ qvidem primò omnia abnuens, nunqvam sibi satisfieri fratrumqve cædem expiari posse respondit; mox orbitatem commemorans, cum nulla amplius â fratribus auxilia exspectanda essent, qvibus ad illud usqve tempus confisa, viro rebellis facta sit, necessitatem parendi sibi impositam testabatur, proinde in viri potestate, qvi jam omnium potiatur, futuram; credidit Atlius simulatis uxoris verbis, mutatamq; cum orbitate mentem ratus, & ipse ad celebrandas affinium exeqvias se accingit. Magnâ alacritate potatum est; verum anteqvam ferale convivium instrueretur, duos filios suos, ex Atlio susceptos, qvi avunculorum supplicium deprecari renuebant, apprehensos, morteqve imminente cognitâ, confessos in matris se potestate arbitrioqꝫ esse, cui jus vitæ necisqꝫ in propriam prolem competeret, propriâ manu jugulabat, exqve eorum calvariis crateres fieri curabat, qvos plenos vino, filiorum sangvine misto, marito evacuandos exhibuit, cordaq; tosta edenda apposuit, egressumqꝫ e convivio maritum, somnoqve sopitum, solo Hognii filio superstite, nomen familiæ sibi proprium gerente (Niflungus enim vocabatur) adjuta, gladiô lecto jacentem confodit; qvi ut lethale vulnus inflictum sensit, de authore facti qværit: Gudruna Niflungusqve nomina professi (neq; enim passa est eum solo hoc vulnere mori) filios proprios ab eo exesos, sangvinemqve eorum potum exprobravit, insultabatqve ei de vindictâ haut muliebriter sumptâ. Geminabat supplicium morituri inaudita in filios rabies, exemplumqve omni seculo ipsis etiam feris execrandum; qvi licet gravi offensâ pænam se meruisse confessus sit, tanto tamen piaculo âbstinendum fuisse monuit, neqve illos spurios aut vulgo qvæsitos fuisse, qvorum mater in conjugium suum dote dicta, consentientibus propinqvis, donationeqve nuptiali accepta, concesserit, triginta eqvites & viginti famulas illi â se datas, nec tamen contentam magnificis muneribus, nisi universum patrimonium suum pro lubitu versari permiserit. Illa neqve piaculum, neqve scelus ullum in illum, scelerum omnium architectum, committi posse regessit. Tandem Rex supplici propior petivit, ut justis rite celebratis, funere qvàm amplissimo se efferendum curaret; id qvod se libenter facturam recepit. Ritus sepulturæ talis erat; navis colli oblongo imposita est, loculus de solido lapide excisus, vestes funebres cerâ obductæ. Hoc ritu Atlium condi uxor curavit. Inde liqvet, promiscuum rogorum cadaverumqꝫ componendorum usum fuisse, naves etiam pro cujusqꝫ arbitrio sepulturæ adhibitas, â tempore Hakii Sveciæ Regis, qvi his tempore prior fuerat; qvantô verò spatio ab elato funere parentatum sit, non est definitu proclive, tempus non exiguum hic intercessisse patet; nam filius Hognii domi relictus adfuit. (Hic tamen aliqvid extra ordinem factum licet suspicari, interdum namqve honor exeqviarum parentaliumqve aliàs denegandus intercessione impetrabatur, etiam post moribus receptum tempus, qvod in Agnio Sveciæ Rege & aliis passim similiter observare licet.) Cum deniqve marito parentaretur, omnes aulæ ministros invitabat, qvi cum largiùs se ingurgitâssent, nihil periculi metuentes, imperio Gudrunæ succensis palatiis cum erumpere neqvirent, ad evitandum crudelius mortis genus, arma in se mutua vertentes promiscua cæde occubuerunt. Justa marito soluta, hac infanda domesticorum cæde aulæqve incendio nobilitata sunt.

CAP. XLIV.

DE NUPTIIS GUDRUNÆ CUM REGE JONACO, FILIIS EX EO SUSCEPTIS, JORMUNRECO REGE, SVANHILDIS GUDRUNÆ EX SIGURDO FILIÆ NUPTIAS DEPOSCENTE, SVANHILDIS CÆDE, ET FRATRUM EJUS ULTIONEM MATURANTIUM EXITU.



Udruna poſt tanta flagitia haut diutiùs ſupereſſe paſſa, in mare ſe projecit; verum aqva, tantis ſceleribus conaminatam deteſtari viſa, fluctibus ad transmarinam ripam ejecit. Præfuit illi ditioni Rex nomine Jonacus, qvi tantum abfuit, ut portentum illud naturæ, cujus contubernium ipſum elementum exhorruit, execraretur, ut præclara virtutum monumenta edidiſſe judicaret, eamqve ſibi conjugem aſciverit, qvæ trium liberorum parentem, maſculi ſexûs & roboris, eum reddidit, qvorum nomina Saurlius Hamder & Erpus; filia ejus Svanhildis, Sigurdi Faſnericidæ filia, ibi qvoqve educabatur. Regnabat eo tempore Jormunrecus Dives, Saxoni Jarmericus. Is ætate valde provectus Svanhildem ſibi in uxorem poſtulavit, legationis principe filio Randvere (Brodero Saxoni) uſus, cui adjunctus fuit conſiliarius Bickius. Hi â Rege Jonaco benè excepti, votiqve compotes redditi ſunt, curæqve eorum Regia virgo trans mare ad ſponſum deferenda committitur. Fuit formâ longe venuſtiſsima; itaqve Bickius in reditu perſvadet Randveri, ut illam ſibi conjugio jungat, qvod rectius fiat qvàm ſi ſeni juvencula copuletur. Placuit juveni, illecebris formæ generisqve ſplendore capto, funeſtum conſilium, nec virgo juvenem ſeni præferre, data optione, diſtulit. Domum cum ventum eſſet, Bickius filii fraudem ad patrem defert, cujus ipſe author fuerat. Igitur præcipiti ira excandeſcens pater, filium laqveo adjudicat; qvi ad ſupplicia raptus, exutum plumis accipitrem patri ſiſti curavit. Qvi exinde ſumptis orbitatis auſpiciis, per plumis nudatam volucrem regnum præſidio vacuum adumbrari conjectans, filium liberari juſſit. Verum Bickius id jam primum metuens, necem acceleravit. Rex poſtqvam filium ſupplicio affectum cognovit, ſerâ tandem pœnitentia ductus reſipuit; mærorem deinde ex orbitate contractum in furorem vertit, nam, inſtigante Bickio, tanqvam orbitatis cauſam Svanhildem eqvinis ungulis ad internecionem conterendam objecit; qvæ tanto oculorum fulgore patris exemplo polluiſſe dicitur, ut metu perculſa animalia propiùs accedere formidarent (Saxo venuſtatem formæ beſtiis etiam admirationi fuiſſe tradit) nec prius eam adorta ſunt, qvam obnuptâ peplo facie oculorum acies intercepta eſt. Qvod ut mater cognovit, filios ad ultionem exeqvendam anxiè ſolicitatos in Jormunrecum armavit. Saurlius & Hamder reſponderunt, ituros ſe qvidem, nunqvam autem redituros, ſimulqve matrem ſibi Svanhildiqve filiæ parentaturam. Illa armaturam iis ferro impenetrabilem providit, præceptumqve dedit, ut â lapidibus ſibi caverent, qvo obſervato, obfirmati adverſus ferrum forent. Inſidiis agendum erat cum Rege potentiâ formidabili: igitur Erpum fratrem mininum medio itinere rogant, *qvâ fide & promtitudine ipſis eſſet ſuccurſurus*? qvi cum reſpondiſſet, *tantam opem ſubſidiumqve laturum, qvantum manus pedi ſoleat*, ab illis tanqvam inutilis occiſus eſt, pedes enim univer-

ſam

ſam corporis molem ſuſtinere, nec â manu ſublevari regesſerunt. Cum vero paululum procesſiſſent, contigit ut offenſo pede alter eorum in lapsũ inclinans, manu in terram dimmiſsâ caſum inhiberet; qvod alter jam obſervans, manum pedi ſubveniſſe, præſtare ut Erpus viveret, dixiſſe fertur. Tandem occulto itinere ad aulam Jormunreci veniunt, cubiliqve per inſidias potiti, manus pedesqve ei amputant; qvo peracto, prius qvàm occidere poſſent, ab aulicis circumventi ſunt; cum vero undiqve circumfuſam turbam conſpexiſſent, ferâ ſublati fratris pænitentiâ ducti confitebantur, *jam qvidem caput Jormunreco præſciſum, ſi vixiſſet Erpus.* Deinde â confluxu turbæ armis uudiqve petiti egregiè ſe defenderunt, nam & incantationibus matris â ferreis ictibus liberi erant, qvi cum gladios omnes refutarent, qvidam grandævus unoculus acceſſit, increpatis aulicis, qvod illos occidere neſcirent, qvi â Rege conſultus lapidibus obruendos dictitabat; mox ex omnibus angulis lapides' velut ſponte volantes eos impetebant, qvibus cooperti vitam cum morte commutârunt. Saxonis traditio ab Islandicis relationibus mutuata parùm diſſentit. Qvod vero Jormunrecum Daniæ Regem facit, neq; noſtræ antiqvitates adſtruunt; illud certè monſtrant, toti Daniæ neqvaqvam præfuiſſe, nam hoc tempus in ultimos Sigurdi Hringi vel Ragnaris Lodbrokis primos annos incidit; Gothorum qvidem eum Regem venditare videntur, verùm nomen illud eâ tempeſtate late patuit. Qvod vero Hellispontum attinet, unde fratres Svanhildis profectos tradit, nullo facilius ſitus ejus colligitur. *Crantzius Sveciæ Lib. V. cap. 5.* prope Ruſſiam ſtatuit. Saxo in Hadingo prope Dunam amnem, qvem Meurſius in Thracia agnoſcit, cum tamen Duna in Livonia ſit. Saxo Ragnarem Lodbrokem ex Hibernia mediterraneum fretum pernavigantem ad Hellispontum penetrâſſe, interjectaqve regnorum ſpatio clariſſimis emenſum victoriis tradit. Qvod de mari mediterraneo qvominus intelligam, obſtat, iisdem & ſeqvioribus temporibus, ad Magni usqve Nudipedis Norvegiæ Regis tempora, unicum, idq; terreſtre, per Ruſſiam & pontum Evxinum Conſtantinopolim verſus â ſeptentrione proficiſcentibus notum & uſitatum iter; neqve enim huc refero Haſtingi profectionem navalem in Italiam, aut alias tales, cum ê Gallia, armis illius jam diu laceſſitâ, ſuſcepta ſit. Monumenta Islandica Atlium Saxoniæ Regem fuiſſe tradunt, cujus ditio freto tantùm â Jonacri regno dirimeretur, ubi Hellispontum Saxo conſtituit. Jornandes in rebus Gethicis, ſi non hanc eandem, certè non abſimilem hiſtoriam refert.

CAP. XLV.
DE CÆDE REGIS HEIMERIS.



Oſt Sigurdi Faſnericidæ Brynhildisqve mortes, Heimer de Hlymdalis, qvi filiam eorum Aslaugem educabat, ei valde metuens, qvam cum univerſa familia ad internecionem qværi ſciebat, mæroreqve ob fatum alumnæ ſuæ Brynhildis prope confectus, Regno Regiâqve ſorte abdicatâ exceſſit, utqve mæſti ſolent, ſolitudinis amans, ne unicum qvidem famulum comitem aſcivit, ſive qvod ſuſpecta omnium fides eſſet, ſive ut luctui liberiùs indulgeret. Qvo vero commodius parvulam reconderet, cytharam magnæ capacitatis ſubtili artificio fabricari curavit, cujus alveo eam cum magno auri pondere pretioſisqve gazis veſteqve incluſit, poteratqve, cum vellet, recludere ad miniſterium ei pro lubitu præbendum

bendum, qvod interdiu, nemine præſente, obire conſvevit, vagientem namqve tenellam ad fidium cantum demulſit, asſvefecitqve ut ne voce aut lacrymis temerè & intempeſtivè emisſis proderetur, varias etiam terras peragravit, qvorum nomina non recenſentur, neqve qvid interea geſtum ſit. Tandem in Norvegiam ad villam qvandam provinciæ Lyſtriæ in paræcia Spangareidenſi pervenit, unde promontorium Lidandisneſia (Lindisnes) in mare porrigitur. Ruſticus villæ dominus Akius, uxor Grima, vocabantur, nec præter eos in familia vel liberorum vel ſervorum ullus erat. Fortè eodem die venatum profectus, ſolam uxorem domi reliqverat, qvæ ut advenam, mendicum profeſſum, hoſpitiumqve petentem, conſpexit, raros ſibi hoſpites reſpondit, illum proin haut repulſuram; focum igitur accendit, citharamqve in loco, qvem ipſe occupavit, collocabat, cujus magnitudinem admirata, ſæpius oculos in eam conjecit; tandem inde fimbriam veſtis pretioſæ exertam, mox armillam auream, dum foco aſſedit, intra viles veſtes brachium ambientem notabat, evidens perſonati, non veri, circumforanei mendicabuli indicium, cubitumqve abiturum in horreum deduxit, qvod commodius ibi, qvàm in communi ſibi maritoqve cubili, qvieti, qvæ colloqviis nocturnis facilè interpellaretur, indulgeret; qvi, aſſumtâ ſecum citharâ, ut præceptum erat, ſecurus acqvievit, qvòd ut opum & ambitionis tuguria, ita etiam avaritiæ fraudumqve expertia judicaret. Paterfamilias domum reverſus, ut conſvetas uxoris operas intermiſſas cognovit, illam valdè increpavit, qvòd labores ſibi, illi vero otium, iniqvâ ſorte cederent. Illa *affulgere occaſionem, qvæ laborum finem perpetuum, otium deliciasqve, modò ſibi deeſſe nolit, ſponderet; ibi namqve virum, ſqvalida qvidem veſte, ſed opibus immodicis, in ſenium vergentem, ſolum, ne comite qvidem ſtipatum, divertere, qvem [illegible] qvidem inſignem, magnatumqve unum florentibus annis fuiſſe haut ambigat, jam verò itineris moleſtiâ feſſum, graviqve ſomno preſſum, inſidiisqve pronum, nullo negotio tolli: ſe modò virum præſtet, exiguo momento perennem comparaturum felicitatem.* Exhorruit maritus ſcelus ad qvod inſtigabat uxor, dicens, *pauciſſimos qvidem hoſpitium pauperis qværere; iis verò, qvi exciperentur, jura fidemqve ſervandam.* Illa *ideò egenum, & mendicorum ſorti ſemper proximum futurum, qvod animi nihil, metûs terroriſqve plurimum ineſſet, neqve enim ſe in tam vilis hominis conjugio ultra necesſitatem permanſuram, licere eo occiſo advenam in ejus locum aſciſcere, neqve eum perinde formidaturum vilisſimâ vitæ ejus impensâ, ſe villamqve in poteſtatem ſuam redigere, qvam hunc opes ejus qværere; inſuſurrâſſe namqve ſibi ejusmodi qvædam hoc ipſo veſpere, unde haut obſcura animi ejus indicia ceperit.* His aliisqve dubitantis animum extimulatum ad flagitium pepulit; itaqve horreum, famulante uxore, ingreſſus, ut ſecurum ſomno indulgere animadvertit, uxore citharam auferente, lethale dormienti vulnus inflixit, ociusqve receſſit. Inter moriendum Heimer, columnis labefactatis, horreum in ſe præcipitavit. Uxor ob facinus virô dignum gratiis actis, iterum lumine focoqve accenſo, eum ad theſauros inqvirendos vocabat: cum citharam aperire neſcirent, effregerunt; puella ibi admodum tenella, magna etiam gaza delituit, cujus æſtimationem abjectæ ſortis homines ignorantes, impenſas in educationem pluris faciebant, tanqvam incluſæ opes eam rependere minus ſufficerent; puellam igitur nomen patriamqve & genus rogantes, nihil reſponſi acceperunt; viſa eſt itaqve nondum eò ætatis processiſſe, ut loqvi poſſet; poſt longam conſultationem convenit, ut pro communi filiâ venditaretur, indito nomine de matris villicæ, qvæ Kraka vocabatur. Ad præcavendum autem, ne eximia forma fictum genus argueret, comâ abraſâ, ca-

lâ, caput pice illitum, veſtis pulla vilisqve data; qvod ſi ne hoc qvidem modô deformi matri ſimilis videretur, in juvenili ætate formoſam fuiſſe matrem, fides facienda. Ibi Aslaug in magna paupertate enutrita, caprarum oviumqve gregi paſcendo adhibita adolevit; grandiuſculæ coma qvidem tegmini involvenda permiſſa eſt.

CAP. XLVI.

DE ASLAUGIS, SIGURDI E BRYNHILDE FILIÆ, RELIQVA EDUCATIONE, QVOAD RAGNARI LODBROKI NUPSIT.



Cripſimus ſupra, nupſiſſe illam Ragnari Lodbroki Daniæ Regi, cum in expeditione Danica verſaretur; qvâ verò occaſione id contigerit, jam exponã. Is cum primùm e Dania ſolveret, curſu in Norvegiam directo, propinqvos inviſendi gratia, in portum ad Spàngareidem delatus, noctem ibi tranſegit. Die craſtinâ ad panes coqvendos piſtores in terram aſcendentes, ad proximam villam ſe contulerunt, villicamqve rogârunt, ut operam ſuam conferret. Illa verò excuſabat ingraveſcentis ætatis incommoda, *filiam tamen, paſcendis gregibus occupatam, mox adventuram, ſibi qvidem rebellem factam, vices nihilominus ſuas ſubituram.* Eodem die Kraka, dum greges ageret, animadvertit multas inſignesqve naves ad anchoram in vicino portu ſtantes: cæpit itaqve, qvantumvis vetita, ſe lavando pectendoqve pro re natâ ornare; naturalis qvippe habitus, modò decorus, anxiè conqviſito ornatu ut ſimplicior, ita & acceptior eſt, cum nullum fucum venditet. Comæ illi copioſæ, colore aureo, infra talos demiſſæ univerſum corpus velabant, terramqve verrebant, qvam hoc cultu domum reverſam ut conſpexerunt famuli, villicam rogârunt, *an tam ſcita virgo ipsâ matre nata eſſet?* affirmanti, cum nulla id lineamentorum ſimilitudine probari poſſe regererent, *diverſam ſe jam ſenem â ſe ipsâ anteà juvenculâ reſpondit.* Miniſterium deinde virginis depſendis panibus cum impetrâſſent, in obtutu ejus defixi dum hærerent, operæ ſuæ obliti, panes magis combusſerunt qvàm pinſuerunt; qvos ad naves delatos cum omnes improbarent, pænamqve piſtores promeritos pronunciarent, Regi cauſam negligentiæ inqvirenti reſpondent, *qvòd duabus rebus diſtractis obrepſerit negligentia, viſas enim ſibi ex unâ parte matrem, ex altera filiam, ſupra fæmineam ſortem deformem illam, hanc venuſtam; captos deniqve forma virginis operæ ſuæ oblitos eſſe, neqve aliam toto orbe ipſi venuſtate parem videri.* Ut vero Ragnar eam tantopere commendatam audivit; *certè*, inqvit, *dilectam mihi Thoram nou æqvabit.* Ipſi cedere negârunt. Tum Ragnar: *eqvidem virum ablegabo, qvi formas æſtimare norit, qui ſi ſecundum vos pronunciabit, noxæ exempti eritis, ſin minus, vapulabitis.* Adverſi erant venti, ut vela facere neqvirent, itaqve miſit ad eam, qvi veram ejus ſpeciem conciperent, qvibus mandabat, *ut ſi talem, qvales prædicaretur, probarent, denunciarent ut ad ſe veniret, veſtita, nec tamen veſtita; cibata, nec cibata; ſola, nec tamen absqve comitatu.* His præceptis inſtructi nuncii, virgine intenſiſſimè inſpectâ, miraculum eam naturæ taciti judicârunt, itaqve mandata Regis ei expoſuerunt. Mater qvæſivit, *qvorſum nugæ illæ tenderent, Regem iſtum procul dubio ſapientem non eſſe.* Kraka *ideo hæc imperâſſe, qvòd, modò rectè intelle-*

cta, expediri possint respondit; ad legatos autem conversa; *eò hæc mandata respiciunt*, ait, *ut vos comitari non liceat, cras itaqve mane me exspectabitis.* Hæc reduces Regi renunciabant. Postero die ad præfinitum tempus hoc habitu ad litus processit: nuda erat, sed reti piscatorio amicta, qvod coma ad talos demissa tegebat; allium gustabat, qvod inter cibos non reputabat, nec tamen jejuna videbatur; cane tantum comitata, animali ab homine diverso; qvæ cum Ragnari ê ponte visa esset, qvæsivit qvænam esset, aut qvem qværeret? illa metricè respondit. *Edictis tuis, ô Rex, obsequi par erat, illicitumqve accessum, qvem imperâsti, negligere: neqve omninò nuda, neqve prorsus jejuna, nec in totum sola adsum.* Scapham ergo expediri jussit ad eam in navem deducendam. Illa abnuit, ni securitati cautum esset, tam suæ qvàm comitis, canem intellexit; qvo impetrato, ad Regem deducitur, qvem exertâ manu dum eam apprehendere conatur, canis morsu impetens, â satellitibus nervo collo adacto interficitur, sine promissæ securitatis sanctiore respectu. Eam igitur in triclinium deductam amicis verbis affatus Rex, ejus colloqvio delectatus, secum deducturum affirmavit; qva detrectante, postulato saltem ut noctem apud se transigeret, ne in hoc qvidem consensit, absolutâ demum expeditione redeuntem id impetraturum confirmavit, si interea menti eadem sententia staret. Tum Rex ministrum qvi, â synthesi erat, jussit proferre vestem, Phrygio opere conspicuam, qvam Thora gestaverat, eamqve illi induendam obtulit. Illa medricè respondit; *capris agendis, sabulis percursandis adsvetam, indignam esse, qvæ vestem Serenissimæ Reginæ assumeret, neqve habitum mutaturam, qvoad in tuguriolo manendum esset; verendum etiam, cum jam formâ suâ capiatur, ne adjecto ornatu abutatur, se ejus reditum in villa exspectaturam, si mentem interea non mutaret, mitteret tum, qvi se ad eum ducerent, non ultra refragaturam, qvin ipsi honorificè jungatur.* Ille *nullam in hoc decreto lituram fore* asseverans, domum eam inviolatam dimisit; in reditu deinde eundem portum ingressus, per nuncios ei significavit, ut relictâ patriâ domo se seqveretur; qvæ hanc ultimam noctem domi mansuram, mane vero venturam promisit. Summo itaqve mane surgens, ad lectum nutriciorum accessit, qværens an vigilarent? Illis qvid rei esset reqvirentibus, sese discessuram, ultimumqve vale dicturam ait, additqve talem formulam: *Non me latet qvòd alumnum meum Heimerem occideritis, nec graviorem ultionem de me vobis qvisqvam meruit, qvam tamen educationis merito condono; hæc tamen imprecor, ut vobis inseqvens dies præcedenti qvolibet asperior, novissimus autem pessimè vertat.* Has malè imprecantis diras ad verbum exponere placuit, qvibus cùm nutricios devovisset, ad Regem se contulit, subitò ventô ad votum spirante usa. Cum primò cubitum itum esset, Rege societatem lecti postulante, abnuit, dictitans *commune decus qværendum, honoriqve futuræ prolis solenni nuptiarum ritu, Regibusqve condignâ pompâ, prospiciendum, cum primum in regnum deventum esset.* Annuit tam æqvis precibus sponsus, distulitqve coitum, donec in patriam reversus effusissimo omnium ordinum studio convivium epibatericum, sive pro reditu instututum, in nuptiale convertit, subitâqve mutatione Kraka penè ê servitute Regina evasit. Ne vero qvis hæc meram fabulam existimet, extat adhuc in Spangareide apud rusticos, historiæ planè ignaros, â majoribus ad posteros per manus tradita memoria, nam cum anno hujus seculi sexagesimo qvarto primùm illuc venirem, essemqve Serenissimo Daniæ & Norvegiæ Regi Friderico Tertio a reditibus diæceseos Stafangriensis, qvæ nunc Christiansandensis appellatur, diverti ad virum, nomine Reiderem, villam Nierfium in isthmo

Span-

Spangareidensi sitam, incolentem, cujus uxor Aadlow vocabatur. Illa mihi recensuit, nomen hoc suum â Regina qvadam Daniæ, qvæ illic greges paverit, dimanâsse, qvam citharæ aureæ in insulâ, eâ de causa Gull-øen (ɔ: *insula aurea*,) in hunc usqve diem vocatâ, inclusam, ibiq; inventam, referebatqve extare rivulum, qvi hodierno etiam die Krakebecken (ɔ: *Krakæ rivulus*) vocetur, per qvem cursitans greges egisse perhibeatur; rationem autem nominis illius ab illa deducti nescivit; qvæ tamen plana satis est, eo qvod illo tempore Krakæ nomine insignita fuerit. Ad hæc firmioribus testimoniis confirmanda scripsi anno superiore MDCXCVIII. ad Regium provinciæ illius Qvæstorem, Nobilissimum virum Andream Toldrophium, totam mulieris hujus relationem, qvi statim eò se contulit, propriisqve oculis inspexit, vicinorumqve relationes collegit & examinavit, mihiqve seqventia rescripsit X. Septembris ejusdem anni: de insula nihil consistere, sed in fine sinus infra villam Østre Svenevaagen inventam citharam auream, cui parvula virgo inclusa fuerit, inde nomen extremitati sinûs etiam in hodiernum diem mansisse Gullvigen / seu *aureus sinus*; nomen puellæ Aadlow, qvæ capris & ovibus per pascua custodiendis adhibita, deinde Regina facta sit, per continuas successiones translatum, hodieqve in usu, etiam in mulierem, qvæ mihi hæc retulit, compluresqve alias, etiamnam viventes, transivisse. Tumulum sive collem haut procul distare, in qvo pascendo gregi intenta considere consveverit, nomen adhuc conservare ab illa contractum Aadlowhougen. Hæc priscis relationibus, deinde qvasi per manus ad posteros traditis, celebrari. Qvantum ad rivum Krakebecken attineat, extare illum qvidem, sed milliaris Norvegici qvadrante à Gullvigen occidentem versus, in eodem Spangareidensi districtu; verum incertum, an illa ibi qvoqve greges paverit, vel nomen hoc ab ipsa dimanaverit. Ad narrationem redeo.

CAP. XLVII.

DE NUPTIIS ASLAUGIS CUM RAGNARE EORUMQVE LIBERIS.



Qvàm primum genialem torum conscendissent, Ragnarem secum congressurum inhibuit, præmonitum, defectum ex præmaturo coitu in prolem redundaturum. Ille *parentes ejus in Spangareide haut præsagos sibi videri*, *qvousqve tamen continentiæ leges præscriberet*? qvæsivit. Illa metricè respondit. *Tres noctes cohabitabimus, deinde sacra numina precibus placabimus, secus vitium erit in prole, nimium enim properas ad progenerandum exossem.* Verùm neqve futuri defectûs metu, neqve sanioris consilii authoritate, ab explenda libidine eum avertit. Cum vero partu levaretur, filius natus est, qvi aqvâ aspersus Ivar dicebatur. Ossa ei nulla, sed qvorum vices cartilago supplevit; incrementum ingens, ut æqvales omnes staturâ excederet, formâ valde speciosâ, tantâ sapientiâ, ut dubium sit, an qvis excesserit. Filius illis alter, nomine Biörnus; tertius Hvitserkus; qvartus Rognvaldus; omnes singulari virtute & robore præcellentes, edocti artes pro seculi captu præclarissimas. Ivar lecticâ semper portabatur, non enim incedere poterat; reliqvorum tamen ut ætate, ita imperio consilioqve princeps erat. Eiricus & Agnar fratres eorum consangvinei, ingentes viri

habebantur, bellis & direptionibus qvalibet æstate sine intermissione intenti, unde celebritas opumqve affluentia ingens; qvorum exemplo Ivar incitatus, classem â patre, cum primò per ætatem liceret, poscit & impetrat, assumptisq; fratribus Biorno & Hvitserko, magnas res aggressus est, famæ qvàm prædæ longè studiosior; nam debiles ne attentavit qvidem, munitas verò urbes, & præcipuè qvas pater expugnare neqvibat, obsidione cingere, occupare, & diripere gloriosum duxit, inter qvas qvædam, Hvitabær sinui Gnipensi adsita, cujus nudum tantùm nomen, ut pleraqve alia, absqve Regis aut regionis mentione extat, recensetur, ubi jacturam fratris minimi Rognvaldi, ob ætatis defectum ad naves relicti, fecerunt, nam ardore pugnandi contra imperium navibus egressus opprimebatur; oppidum in ultionem direptum, incensum, soloqve æqvatum est.

CAP. XLVIII.
DE ORTUS GENERISQVE ASLAUGIS REVELATIONE.



EA tempestate Eysteinus qvidam Sveciæ Rex memoratur, qvi Upsalis residebat, potens stipatorumqve freqventia illustris, sapiens item, indole licet ferâ, sacrificiis apprimè deditus, numinumqve religiosus cultor. Toto namqve Septentrione Upsali sacrificiis & Idolorum cultu inclaruerant. Haraldi Hilditanni filium Hervoriana historia, Beliumqve cognominatum, Index Skaldorum, sive poëtarum, vetustissimus memorat, temporisqve ordo confirmat, nepotum Serie ad Haraldum Pulchricomum Norvegiæ, Eiricum Emundium Sveciæ, Reges, & Thorerem Baronem Fiordensem, â Bragio Seniore poeta, qvi & Ragnaris tempore, & hujus Eysteini vixit, deductâ; qvem lectorum ignorantia inter sanctos retulit, Helgi pro Beli substituendo. Bragii filia fuit Lopthæna, Erpi Lutandii uxor, ex qva Astridem Slækiudrengium suscepit, Hroaldi Baronis Fiordensis uxorem, Thoreris matrem. Inter Eysteinum & Ragnarem multa amicitia intercessit, qvam mutuis conviviis singulis æstatibus per vices renovabant. Fortè cum Ragnar in Svecia convivio exciperetur, primo vespere filia Eysteini Ingibiorg pocula Regibus pro more exhibebat, cum comites ebrii inter se mussitarent, honorificentius suo Regi fore, si Regiam præ rusticâ virgine sibi matrimonio jungeret, eòqve audaciæ processerunt, ut palam Regi mentem suam exponerent, qvi consilium magis ex dignitate Regiâ, qvàm affectu maritali pensans, in illud qvoqve consentiens, virginem sibi, die nuptiis præfinito, despondit. Finito deinde convivio, cum non procul â domo abesset, universo comitatu ad sylvam qvandam consistere jusso, sub pœna capitis sanxit, ne qvisqvam consilium nuptiarum promulgaret. Inde domum rediens, convivio gratulatorio excipitur. Tum vero uxor, licet aliàs semper, præter tamen morem affabilis, gremio ejus se insinuans, brachiis cervici injectis, blandimentis eum demulcet, qværitqve si qvid novi aut relatu dignum in convivio acciderit? Nihil omninô qvod novi esset, respondit. Procedente vespere, postqvam satis potatum esset, cubitum itur. Kraka, eâdem qvæstione iteratâ, se ad colloqvium comparat. Illo qvietis desiderio lassitudineqve se excusante, *qvandoqvidem*, respondit, *tu mihi, qvæ nova videntur, exponere recusas, ego tibi ea exponam. Illud-*

Illudne consilium novum est, qvòd uxorem tibi poposceris, cum tamen aliam habeas? Qvinam illi hæc suggessisset, qværente Ragnare; *nullus qvidem*, respondit, *eo nomine vel capite plectetur, vel membris mutilabitur, cum vel propositum vel edictum tuum nemo vulgaverit. Nonne meas aves vidisti, in turre prope vos sedentes? istæ mihi propositi seriem omnem retulerunt; da igitur precibus meis tantum, ut propositum illud rescindas; modo illam generis mei ignobilitatisqve opinionem, qvæ te ad illud perpulit, non modo verbis, sed infallibilibus etiam argumentis, demsero, monstrando illud, qvod in Svetica uxore qværis, in hac, qvam habes, etiam exsuperare. Parentes enim mei Reges erant, & qvidem incomparabiles habiti; Sigurdus nempe Fafnericida mihi pater est, mater Brynhildis Budlina. Illud verò mirum*, ait Ragnar, *filiam eorum Krakam vocari, & in tanta paupertate, qvalis in Spangareide, educari.* Illa rem longè aliter se habere ait, orsaq; historiam â congressu parentum in monte Hindiano, ubi sata erat, ad tempus usqve illud, qvo Ragnari innotuit, Aslaugem se proprio nomine, non verò Krakam, vocari suggessit. Admiratus Ragnar metricè respondit, inesse pondus stupendis Aslaugis relationibus. *Ne verò verbis*, ait illa, *tantùm fidem habeas, exspecta modò, donec partum, qvem utero fero, enitar, filius enim futurus est, immortalemqve patris mei memoriam peculiari notâ publicabit; nam serpentis formam oculo impressam geret; qvod si ita erit, fidem generi factam existima, nomenqve patris mei haut immeritò referet, qvi virtutis notam palam circumferet, secus fabulas narrâsse convincar, integrumqve tibi erit uxorem, qvam libuerit, ducere.* Cum partum deinde edidisset, sibi ostendi jussit; qvo conspecto, ad patrem deferri: qvi allatum sinu togæ excepit, rogatus qvid nomen illi indi vellet? metricè respondit. *Sigurdus vocabitur, armipotens heros, matris indolem referens, patrisqve facta, Odiniani generis apex, serpentem lumine referens, alterius virtutes decantat* (avum indigitat, qvem serpentem occidisse fama erat, cum tamen vir fuisse videatur.) Facilè autem fortissima prægnantis imaginatio hanc notam fætui impressisse poterat, cum persvasum esset, hominem sub serpentis forma avum occidisse. Ragnar annulum digito detractum filio in honorem inditi nominis donatum porrexit, qvi aversi infantis dorsum contigit; qvod Ragnar interpretatus est omen contemptûs auri, jussitqve filium in peculiarem domum deferri. Exinde pacta nuptialia cum Eysteini filia rescidit, genusqve Aslaugis latè per septentrionem vulgabatur. Eqvidem Saxo cognominis rationem aliam, sed æqvè fabulosam, refert; nos neutrum propugnamus.

CAP. XLIX.

DE CÆDE EIRICI ET AGNARIS FILIORUM RAGNARIS.



Escisfis pactis, nec legatis â Ragnare missis, qvi factum excusarent, ludibrio tum Eysteinus, tum etiam filia, haberi sibi videbantur. Amicitiarum inde finis, & inimicitiarum principium, qvod filii Ragnaris Eiricus & Agnar novis injuriis, sibi tamen ipsis exitiosis, auxerunt; nam in Sveciam cum exercitu infusi, eam latè vastârunt. Omen infelicis expeditionis sumptum est ab Agnaris nave, qvæ cum e litore propulsaretur, improvisò in objectum fortè virum qvendam illapsa, vivis eum exemit, qvẽ

caſum propriâ lingvâ Hlunnrad appellârunt. Ut verò Eyſteinus incendi, diripi, vaſtariqve regni ſui provincias cognovit, militum delectum per omnem Sveciam, emiſsô protinus telô, belli indiciô, qvàm accuratisſimum habuit, tantusqve ſubito confluxit pugnatorum numerus, ut triplô Ragnarianorum copias ſuperarent; nec tamen aperto Marte belli aleam experiri auſus, ſpeciem modici exercitûs oſtendens, maximam partem in inſidiis in ſaltu qvodam locavit; qvoqve major ſuis fiducia creſceret, vaccam inter numina cultam, nomine Sybiliam, qvæ mugitu hoſtes ad inſaniam excantatos, ad arma ſibi invicem inferenda compellere poſſe credebatur, exoratis per ſacrificia Diis, ad hanc vim illi inſpirandam, ante aciem conſtituit. Filii Ragnaris, inſidiarum ignari, copiam pugnæ fecerunt, inveċtiqve in hoſtem ſtragem ediderunt memorabilem. Verum cum miles e latebris undiqve conflueret, circumventi, ſuis ab omni parte cæſis, id tantùm cogitârunt, ne inulti morerentur. In medias igitur hoſtium turmas ſe inferentes, licet illorum magnâ cladeâ multitudine tamen ſuperantur, & Agnar inter confertiſſimos pugnando cæſus, Eiricus captus eſt. Inde miles ab ulteriore ſævitiâ retractus: Eirico non ſolum copia ſalutis, ſed etiam affinitatis conjugiiqve filiæ facta, qvam carmine eodem impetu fuſo recuſavit, cujus ſenſus erat; *ſe de cæde fratris, ne virgineis qvidem amplexibus penſandâ, paciſci nolle, probroſam auribus ſuis vocem futuram, qvæ Eyſteinum ſe ſuperſtite Agnaricidam nuncuparet; nec matrem eum ſolum ritè lucturam, nec ſuprema ei ſoluturam; ſocium mortis ſe omnino reqviri: ceterum reliqvias cladis ſalvas velle, liberasqve dimitti, mortis autem genus tale ſe deligere, ut pluribus in plano haſtis confertim infixis, mucronibus ſurſum verſis, imponatur.* Eyſteinus, licet rem tam ſibi qvàm illi exitioſam eligat, impetraturum tamen affirmavit, viſisqve haſtarum aculeis, ad præſcriptum diſpoſitis, Eiricus carmine cecinit; *neminem principum pretioſiori culcitæ incubuiſſe, citò corvum exultantem, ſua fratrisq; dape, nec tacitè qvidem, famem ſedaturum*: deinde annulum, digito detractum, iis, qvibus ſalutem impunitatemqve impetravit, novercæ deferendum tradidit, carmenqve cecinit, qvo hanc plagam illam moleſtisſimè laturam, filiisqve ſuis procul dubio nunciaturam prædixit. Jamqve mucronibus injectus, corvi volantis acceſſu conſpecto, carmine ſignificavit, *oculos ſuos eum reqvirere, nec benè compenſaturum multas, qvibus ipſum aluerit, prædas.* Atqve hoc mortis genere interiit, fortitudinis eo ſeculo famâ inclytô, & poſteris ad imitandum, carminibusqve patrio more celebrandum, relicto.

CAP. L.

DE EXPEDITIONE ASLAUGIS FILIORUMQVE EJUS IN SVECIAM, CÆDE EYSTEINI ET DEVICTA SVECIA.



RAgnare ad collegium Regum profecto, filiisqve peregrinis bellis occupatis, nuncii cædis in Daniam ad Aslaugem pervenerunt, poſt triduum, dum comam ornaret, admiſſi, ſolio inſidentem ſalutant. Interrogati qvinam eſſent (non enim priùs viderat) milites ſe privignorum ejus profesſi ſunt; deinde qvid novi afferrent qværit, *an & Sveci irruptionem feciſſent? auditum ſibi, malo omine privignos è Dania ſolviſſe, nec poſtea qvid geſtum*

gestum sit, percepisse. Ille qvi legationi præerat, *funestum se nuncium privignorum cædem, exercitûs cladem, mortisqve fortiter oppetitæ perennem laudem afferre, quam Eirico moriente corvus supra funus volitans, gloriosam Numinibusque acceptam decantaverit.* Illâ penitius & ordine omnia inqvirente, cum noviſſimum carmen, qvod una cum annulo novercæ deferendum Eiricus mandavit, exhibuiſſet, adeo Reginam permovit, ut lacryma colore ſangvineo, induratæ grandinis ſpecie, in genam deciderit, (ſed neqve ante illud tempus, nec poſtea unqvam, lacrymas emiſiſſe viſa eſt) Qveſta deinde vindicandorum privignorum facultatem, abſentibus marito filiisqve, nullam ſibi ſuppetere, non tamen remiſſiùs illorum cauſam acturam, qvàm ſi ipſa progenerâſſet. Deinde cum â filiis, qvi prius qvàm pater redierant, de cæde fratris Rognvaldi certior facta eſſet, parùm mota, carmine repente fuſô ſignificabat; *illum occæpiſſe ferrum humano ſangvine tingere, primumque filiorum ſuorum fuiſſe, qui glorioſa morte ad Odinum conceſſerit; neque enim vitam diuturnam tali morte celebriorem fieri potuiſſe: verum*, inqvit, *majora ſunt, quæ vobis nunciabo, cædem nimirum fratrum veſtrorum, Eirici & Agnaris, virorum quos ſummos in orbe novi, quorum vindicta cum ad vos pertineat, qvo majorem ſumpſeritis, eò cumulatiorem gloriam conſequimini.* Ad hæc Ivar reſpondit, *Sveciam ſe nunquam oppugnaturum aut ingreſſurum, manusve cum Eyſteino conſerturum, Rege Deorum tutelâ, quam ſacrificiis promeruerit, invictô.* Rhythmicè igitur iis id perſvadere conata, *ne hyemem quidem*, ait, *ultionem veſtram Eiricus & Agnar, filii quidem mei, me licet non nati, diſtuliſſent, ſi vos fortè prius bello occubuiſſetis, cauſaque, quæ vos jam, illos pariter tangeret.* Ivar vice omnium reſpondit: *verſibus pangendis tempus quidem, ſed absqve progreſſu, hac in re trituram, Sveciam namque hoc ſtatu Regeqve inexpugnabilem, incantationibus ſacrificiisqve cultuqve Deorum tutam.* Ad hæc illa. *An tu*, inqvit, *culmen gloriæ absque periculis conſcenſurum te putas?* Et jam ſe perſvaſuram deſperans, diſceſſura videbatur, cum minimus fratrum Sigurdus Angvioculus carmine matrem affatus, *poſt trinoctium claſſem copiasque ſuas paratas fore pollicitus eſt, neque enim Eyſteinum Upſalis regnaturum, ſi cæptis ſuis propitii Dii annuerint.* Illa licet id absqve fratrum auxilio fruſtra conaturum facilè perpenderet, pronum tamen ejus in ſe affectum agnoſcere confeſſa eſt, reliqvi vero fratres, ne affectu â minimo vinci viderentur, tandem in illud conſenſerunt, ſuo qvisqve carmine animi alacritatem & vindictæ ardorem conteſtantes. Illo anni tempore cum hyberna glacies naves conſtringeret, iis expediendis dolabris molienda plurimum negotii faceſſit. Celeritas reqvirebatur, qvo magis improviſi Svecos adorirentur. Igitur intra triduum Sigurdus qvinqve naves expedivit, Biornus & Hvitſerkus qvinqve diebus qvatuordecem, Ivar ſpatio ſeptem dierum decem. Hac tantilla claſſe Sveciam aggreſſi ſunt: verum alter exercitus, ſub ductu Reginæ, terreſtri via proceſſit, qvæ nomine mutato Randalinam (qvod amazonis non incommodè vertitur) ſe dixit; qvocunqve proceſſerant, villæ direptæ, vici incenſi, hominum, ſine generis, conditionis, ætatisve reſpectu, promiſcuæ cædes, ſed ne pecoribus qvidem parcitum, nec alia ſua veſtigia reliqverunt, qvàm qvæ omnis humani cultus veſtigia delerent. Eyſteinus igitur, collectis undiqve copiis, collatisqve ſignis cum iis dimicaturus, præſidium aciei vaccam ante ſigna collocabat. Verum Ivar, magicis artibus nulli ſecundus, juſſit, *ut in occurrentem ſigno dato ſe projicerent, id enim vel ſuæ vel illius vitæ impendio ſtaturum.* Interim rude lignum valdè craſſum, flexile tamen, in formam arcus incurvatum, nervo conſtringit, aptatqve tela pondere ingentia.

tia. Verum ut primùm horrendus vaccæ non boatus, ſed rugitus, auribus exceptus eſt, furens exercitus arma in ſe vertere cæpit. Ivar autem cladem ſuorum præventurus, qvàm citiſſimè currum, qvo vectus eſt, in illam dirigi jubet, arcumqve tanto niſu ſinuabat, ut dubitarent an telum intra curvaturam receptum emitti qviret; verum raro robore excuſſum unum, deinde alterum, ſingula ſingulos oculos collineârunt, & transverberârunt; mox inter terribiles moribundæ ſtrepitus & ululatus, ſigno dato ſe ſuper eam projici juſſit, id qvod facili jactu præſtitum; nam dum levaretur, inſtar flocci levis, procidens autem qvavis plumbeâ mole gravior factus, omnia illius oſſa minutim confregit: inde momento ſublatus, adeo acuta voce ſermocinabatur, ut qvi in exercitu remotiſſimi, perinde ac qvi proximi eam diſtinctè perciperent, ſiſtebaturq; ocyus invicem confligentium tumultus, qvi parum damni, remedio tempeſtivè adhibito, intulerat. Jamqve in hoſtes impetum vertit, certus victoriæ adverſus conſternatos tanto caſu, orbatosqve numinis auxilio. Neqve tamen Sveones adeo trepidârunt, qvin irruentes in ſe Danos, jam ſucceſſu præludii animoſiores, fortitèr exciperent, tantoqve ardore pugnatum eſt, ut Sveci acriorem pugnam aliàs cieviſſe non memorentur: Biorni tamen & Hvitſerki impetum ad ultimum ſuſtinere cum neqvirent, ceſſerunt, nec tamen fugam prius capeſſiverunt, qvàm majori exercitûs parte fusâ, ſpem reſiſtendi nedum vincendi præciſam viderent. Sed nec hoc ſtatu Eyſteinus ad fugæ conſilia animum adjecit, ſed mediâ acie pugnans inter fortiſſimos occubuit. Nec Ivar ulteriùs ſæviebat, ſed contentus victoria militem cædibus abſtinuit Atqve hoc modo Svecia auſpiciis Ragnaris Lodbrokis, ductu uxoris filiorumqve, victa, Biorno filio, Jarnſida ſeu *ferreum latus* dicto, regenda commiſſa eſt. Qvô vero jure Eyſteinus ſceptra Svetica tenuerit, vivo Ragnare Lodbroke, qvi ea hereditario jure a patre accepit, plane ignoro, cum nihilominus inter eos amicitiæ nexus interceſſerit; ſuſpicor beneficio Ragnaris regnaſſe, etſi magnam partem libero jure, more Regulorum majeſtatem ſuperiorem agnoſcentium, qvorum variæ conditiones eſſe poterant. Hunc Eyſteinum Aſtutum *hiſtoria Hervoriana* appellat, & *Clariſſimus Verelius* eum, qvi Thrandis canem ſuum Regem impoſuit; Verum longè eum tempus hujus Eyſteini, ſibi licet cognominis, anteverſiſſe, *Libro III de Originibus Norvegiæ* monſtratum eſt. Illud autem planè miror, qvî magnus ille vir in notis ad hiſtoriam Hervoris adſtruere potuerit, Biornum Jarnſidam, compulſo ad fata Ingialdo Illrada, Sveoniæ ſceptris potitum eſſe, cum ſatis notum ſit, Ivarem Vidfadmium tempore longe ſuperiorem, hujusqve Biorni atavum, Ingialdo Aſtuto ſucceſſiſſe. Nec minus hallucinatur, dum Thoram Herraudi filiam illos Ragnaris filios peperiſſe tradit, qvi Svecia poſtea potiti ſunt, fruſtraqve *Boſii hiſtoriæ* authoritatem allegat, qvaſi adſtruxerit Sveciæ ſceptra illis materno jure competiviſſe, nunqvam enim Herraudum Sveciæ Regem, ſed tantùm Gothiæ, fuiſſe memorat.

CAP. LI.

DE EXPEDITIONE RAGNARIS LODBROKIS IN ANGLIAM, EJUSQVE CALAMITOSA MORTE.

Plura



Lura filiorum Ragnaris gesta per Germaniam (qvam per *Australe regnum sive* Suerrik intellectam constat, sicut Russiam per *Orientale regnum* seu Austr-Riki) hic confusè tradita, absqve locorum vel urbium (si solum Visilsburgum exceperis, Helvetiæ urbem ad Murtanum lacum sitam, qvam veteres Aventicum dixêre, sed nec hic a situ vel provinciæ qvidem nomine illustratum) certis nominibus describere non attinet: illud notandum, hos cum illis, qvi seqviore tempore maximas res per Galliam Germaniamqve gesserunt, hic etiam confundi, errore nominum in eadem familia sæpiùs occurrentium; nam & illi ad urbem Italiæ Lunam pervenisse traduntur, inde Romam usqve, arma latiùs circumlaturi, qvod his minimè tribui potest, tempore prioribus. Cumqve singula qvæ mihi de hac materia observata sunt, in *Seriem Dynastarum Regumque Daniæ* congesta sint, eò lectorem remitto. Illud tantùm, qvod de mortis ejus genere traditur, qvanqvam nec ibi omissum, hic qvoqve paucis expediam. Filiorum suorum præclara gesta, ut luminibus suis obstructura, insigni aliqvo facinore Ragnar superare gestiebat, non qvòd filiis gloriam invideret, sed qvòd eam suâ etiam augere voluerit. Angliam igitur duobus tantùm navigiis adoriri proponit, Northumbriam credo, qvæ patris tempore defecit, recuperaturus, & ex successibus universum Anglicanum agrum complexurus, qvo fama ad posteros immortalis permanaret. tantillâ manu amplissimum regnum devicisse, qvam soli Northumbriæ suffecturam credidit. confisus fortè amicorum, partiumqve suarum studiosorum magnatum, auxilio, qvos polliticis amplissimis donisqve ingentibus allexisse ab ejus prudentiâ alienum non est. Tantæ magnitudinis myoparones isti fuisse dicuntur, ut in Septentrione pares nunqvam visi sint; qvantumvis Asmundi navis Gnod, & Ragnaris altera Slodius, Goris etiam Ellidius, celebrentur: modum illarum inde conjicere licet, qvòd justum exercitum passim regno excitum, justâq; armaturâ instructum, iis imposuerit. tantusqve terror vicina regna ab apparatu ejus pervaserit, ut omnes sibi metuentes, dispositis circa maritima validis custodiis præsidiisqve hostilem impetum præcaverent; cum tamen certum ab eo periculum cui immineret, incertum esset. His ergò paratis Regina, qvò tenderet? qvæsivit: Angliam se oppugnaturum respondit. Qvâ consilium improbante, pluresqve naves & habiliores præferente, gloriosum qvidem esse fatetur, numerosâ classe regiones regnaqve subigere, cujus rei multa dentur exempla; duobus autem myoparonibus tanti regni subjecti memoriam nullam extare, nec probrosum videri tam modicâ manu vinci. Illa *non minores sumptus in has tantæ molis, qvàm cæteroqvin justam classem, reqviri; præterea Angliam brevium syrtiumqve objectu accessu esse difficilem, periculumqve a naufragio valdè metuendum, qvod si contigerit, uvidum lassumqve & injuria maris vexatum militem pugnæ inhabilem fore; reliqvias cladis, qvæ evaserint non justum exercitum videri, sua ipsa fortuna ante pugnam expugnatas, qvibus omnis salutis & elabendi spes, destitutis navibus, præcisa esset.* Verùm frustra fuit dissvadere jam pridem opinionis errore persvaso, *qvantò numerus navium augeretur, tantò gloriam minui*: navibus igitur â rebus necessariis abundè instructis militem imponit. Regina proficiscentem ad naves deducens, sub discessum pensaturam se jam ait vestem sibi ab eo qvondam donatam, exhibetqve interulam affabrè textam, ictus omnes refutaturam, iis nempe Diis

consecratam, ut meritò sacra diceretur. Is accepturum se usurumqve respondit. Ægrè qvidem illius discessum tunc temporis tulisse Reginam constat. Cursum qvidem venti, sed nimiùm flantes, accelerabant; tandem illisa syrtibus navis utraqve frangebatur, Ragnar cum armis militibusqve tantùm, nullo alio apparatu, in insulam pervenit; commeatûs igitur & omnium rerum inopiâ pressus, qvod prius stimulante libidine moturus erat bellum, jam accedente necessitate insulanis, nec infeliciter primò, intulit, nam oppida castellaqve multa expugnavit: in qvo qvidem nostri Scriptores ab Anglicis admodum dissentiunt, tradentes Ellam qvendam Angliæ sceptra per id tempus moderatum, qvi licet haut distinctè Angliæ statum in septem regna divisum exponant, Saxonem tamen, qvi per idem tempus eundem Angliæ Regem agnoscit, sibi habent consentientem, licet in Anglia cum Ragnare congressum neget. Celeberrimus qvidem *Wormius* Ellam Northumbriæ Regem, qvi cum Osbricto regnavit, & anno DCCCLXVII prælio cæsus est, eundem agnoscit, probante *Verelio in notis ad cap: XV. historiæ Gothrici & Rolfi*: verùm ad eam ætatem noster hic Ragnar minimè pervenit, nec ejus filii qvidem. Ella ex universo regno, qvantâ potuit celeritate, exercitum conscripsit, excitis ad defensionem regni qvotqvot armis gerendis idonei essent. Fit ingens indigenarum concursus, qvo adversus Ragnarem profectus, conflixit, edicto prius, metu vindictæ a filiis exspectandæ, ne qvis Ragnari necem inferret. Ragnar casside tantùm ad capitis protectionem usus, loricæ vice interulam indutus, hastam, qva serpentem prius interemerat, manu tenens in prælium processit. Modicæ erant Ragnaris copiæ, qvæ multitudinis impetum haut diu sustinentes passim cædebantur; is verò, qvoqvo se vertebat, obvios prosternendo, aciem sæpius perrumpens, stragem edebat ingentem, nam ictibus ejus prævalidis nihil resistebat, ipse contra adversus ferrum obfirmatus singulos eludebat; tandem orbe clypeorum (Skialldborg est in membranaceis exemplaribus) undiq; circumfusus capitur, qværentes qvinam esset, nec nominis professione, nec responso dignatus est, id qvod â vero abludere videtur, post complura oppida expugnata, nam deditorum intererat scire, cui se submitterent, cujusqve imperio tenerentur; mereretur id fortasse fidem, si naufragus statim in potestatem hostium venisset: ejus tamen rei penitius explorandæ causa in carcerem viperis confertum conjectus memoratur, abdito in latebris exploratore, qvi statim ut cognosceret Ragnarem esse, id ad Regem deferret, ut confestim inde eximeretur. Is serpentibus eum incessere veritis nunciabat, ingentem & raræ virtutis virum esse, cui pridem arma, nunc verò serpentes, nocere neqvirent. Rex jussit ut tunicâ exueretur; qvo facto, undiqve â viperis impetitus est. Tùm verò Ragnar; *grunnituras suculas, si verris pœnam noscerent*, dixisse fertur, (sucularum nomine filios suos, verris se ipsum intellexit) nec tamen isto indicio ab alio Rege cognitus est. Rhytmos præterea duos cecinisse traditur, qvibus unum supra qvinqvaginta bella, collatis cum hoste signis, gessisse professus est, *improvisò sibi hanc calamitatem accidisse, qvòd multa præter opinionem contingere soleant*; alio ryhytmo etiam porcellorum grunnitum repetens, in funus se confestim convertendum conclusit. Ad ultimum, post enumerata præclara sua facinora, solatus se vitæ futuræ deliciis, terræ valedixit. Spirat istud carmen planè singularem & heroicum genium; illud idcircò dignum existimavimus, qvod unà cum secuturis in proximis Libris Eirici Blodöxii & Haconis Adalsteini Alumni epicediis, metrô Latino ad verbum ferè exprimere curaremus. Est autem tale:

Cætera

Cætera qvid referam! nunc me Plutonis ab aulâ
Emisſæ Eumenides in ſua jura trahunt.
Ergò ubi vis animæ moribundos liqverit artus,
Iverit & felix umbra per Elyſium;
Sedibus optatis epulis & nectare Divum,
Inter Aſas ſanctos, ambroſiâqve fruar.
Ite voluptates! melioris raptor amore
Sortis; ad hanc ridens tranſeo. Terra vale.

Mox & vitam finiiſſe traditur, veritati propiori relatione, qvàm qvòd omnium geſtorum ſeriem prolixa illâ odâ, qvæ ei tribuitur, complexus fuerit, qvam ab uxore poſt mortem in honorem ejus factam ſuſpicor, eo qvod Krakæ nomine ab illo tempore, hodieqve apud Islandos, Krakumal/ ſeu *Krakæ ſermo*, uſurpetur. Fallor niſi Danis Kragemaal/ pro obſcuro & ænigmatibus involuto ſermone, inde deſcenderit, qvòd hæc oda admodum intricata ſit.

Ella Ragnarem fuiſſe conjiciens, legatos ad filios ejus cum unica nave in Daniam miſit. Periculi plena legatio viſa eſt, ad ſuapte natura perqvam feroces Principes, paternæ mortis nuncio magis exacerbandos. Præterea in mandatis habuerunt, notas in ſingulorum vultu geſtuqve ad horrendæ cædis relationem obſervare. A bellis latè per Germaniam geſtis nuper redierant, cum legati adveniſſent, nec conſtabat qvicqvam de patris ſucceſſu, cujus cognoſcendi avidi erant, optabantqve ſuo haut imparem; nam Germaniæ civitates adeo evertiſſe dicuntur, ut qvoqvò venerint, cives, ablatis opibus, pecoribusqve & armentis abactis, fugerint, qvo ad ſuſtentationem exercitûs nihil relinqveretur.

CAP. LII.
DE LEGATIONE REGIS ELLÆ IN DANIAM, FILIORUMQVE RAGNARIS EXPEDITIONIBUS IN ANGLIAM.



Egati aulam ingreſſi Ivarem in Solio recumbentem offenderunt, Sigurdus Angvioculus & Hvitſerkus, Acer dictus, teſſeris luſerunt (Hnefatafl dicitur, & vix ſcio an per teſſeras accuratè exprimatur) Biornus haſtile cultro perpoliebat, ſtans in pavimento. Salutato igitur Ivare, ubi qvinam, unde, & qvid afferrent, qvæſiviſſet, Anglos, ab Ella Rege miſſos ad eos, cædem patris eorum Ragnaris referentes, profeſſi ſunt; qvod ut audiverunt, Hvitſerkus & Sigurdus, omiſſo protinus ludo intentè auſcultabant; Biornus haſtili innixus immotus hærebat; Ivare omnia accuratè exqvirente, ordinemqve â primo Ragnaris adventu ad finem usqve vitæ recognoſcente; ubi vero excruciati vox de porcellis grunnitum edituris excepta eſt, colliſo haſtili, inqve minutas partes confracto, ſubſtitit. Hvitſerkus calculum pro natura ludi in captivitatem redactum, compreſſa manu tenens adeò preſſit, ut ruptis ſingulis ungvibus largus ſangvis deflueret. Sigurdus ungvem tantiſper præcidit, dum mente â ſenſu abalienata imo oſſi impingeret. Ivar colores in rubrum cæruleumqve, & ad ultimum pallidum, mutans, intumeſcente corpore, diſſimulato nihilominus dolore, omnia ſedulò percontatus eſt. Hvitſerkus ultionem præcipitaturus, â legatis auſpicandam cenſuit, ſed Ivare jura gentium violanda negante,

te, legati non ſolum dimiſſi, ſed etiam, ſi qvibus indigerent, prodere juſſi ſunt, absqve mora impetraturi. Qvi ut Regi ſuo legationis ordinem expoſuerunt, aut ſibi ab Ivare metuendum judicavit, aut eorum nemine, externa licet indicia vehementes animi motus indicâſſent. Diſpoſitis igitur per maritimas oras cuſtodiis, adventum filiorum Ragnaris obſervabat. Verùm illi ſtatim ab legatorum diſceſſu concilium de vindicanda paterna cæde habuerunt: delectum militum ex omni ditione qvàm accuratiſſimè habendum tres minores fratres concluſerunt, Ivare repugnante, *cum pater imprudenter absqve juſtâ cauſa, animi tantùm inſolentiâ faſtuq; inflatus, impio bello Ellam laceſſiverit, fortunam cujusdam ſecutam, ut alias plerumqve mala conſilia in authoris caput vertiſſe, faſtumqve calamitate repreſſiſſe.* Qvo audito reliqvi fratres irâ æſtuantes, *tantum flagitium in ſe admiſſuros negabant, ut qvi gentes innocentes multas, plurimo ſangvine effuſo, infeſtâſſent, paternæ necis, ejusqve tam truculentæ, authorem inultum permitterent.* Itaqve ex omni regni provinciarumqve ſubjectarum angulo habilem militiæ pubem protinus excituros minabantur. Ivar *liberum ſibi eſſe, militem è partibus ſibi ſubjectis conſcribere, ſuæ vero ditioni ſubjectos domi remanſuros, tantùm unica navi comitem ſe iis futurum.* Habito deinde delectu, ut cognitum eſt, Ivarem partibus fratrum minus ſtudere, minor qvam aliàs militum concurſus numerusqve factus eſt. Non erat imparatus Ella, ſed magnâ cura qvicqvid ad reſiſtendum hoſti facere videretur, expediri curaverat, effuſosqve in terram Ragnarianos adortus, numero [illegible]usqve longè ſuperior profligavit, inqve fugam converſos ad naves egit, qvibus præſidium â navibus mutuantibus, Ivar, qvi præſens prælio non interfuerat, neqve ſe volentem hoſtilem terram acceſſiſſe, nec deinde poſt acceptam cladem diſceſſurum ait, remanſurum itaq; in hoſtili terra, expetiturumq; ſatisfactionem. Indignati fratres, ſe qvidem in id conſenſuros negabant, illi verò integrum eſſe, ubi liberet, remanere. Itaq; iis patriam repetentibus patrimonium ſuum commendavit, ingentem tamen auri opumq; copiam ſibi mitti imperavit. Inito deinde cum Ellâ Rege pacto, portionem terræ, qvantam corium bubulum comprehendere poſſet, pacis è ſua parte præmium, paternæq; cædis ſatisfactionẽ, impetravit, cum jure munitionis exſtruendæ; pollicitus viciſſim, interveniente juramento, bellum ſe Regi nunqvam facturum, aut inferentibus auxiliaturum. Inde humectatum expanſumq; corium, inq; minutiſſimas corrigias diſſectum, per planitiem expandit, qvo magnæ terræ ſpatium interceptum, amplam ſatis ædificandæ urbi aream præbuit, qvàm vallo foſsâqve deinde munivit. Hinc Londinum exortum falsò perhibetur. Exin optimates muneribus corrupit, ingentemqve auri vim è patria miſſam, magna prodigalitate in eos erogavit, pactus cum iis, ut ſi fortè Ellæ Regi bellum inferretur, auxilia ſubtraherent. Majores igitur in dies opes patriâ advectas iterum atqve iterum donabat, dapſiliqve ſumptu florem omnem regni ad ſe allexit, tantamqve ſapientiæ ſuæ opinionem omnibus inſtillavit, ut non ſolum â privatis domibus ad conſilia â ſe capienda confluxus fieret, verum etiam Regis animum tanqvam incantaret, ut ipſum etiam ſecretioribus conſiliis adhiberet, & tandem regni negotia, eaqve ardua, ei concrederet: prudentiâ ejus onere regiminis ſe plurimùm levari arbitratus. Qvâ opportunitate acceptâ, nuncium fratribus miſit, mandans, *ni paternæ cædis memoria animo exciderit, exercitum ſubitò undiqvaqve collectum in Angliam transportarent, Ellamqve, jam longâ pace ſecurum, de improviſo opprimerent.* Admirati fratris ingenium, mentemq; etiam erga ſe occultam, iterum ad præſcriptum ejus expeditionem adornârunt, & qvantâ poterant celeritate, ut ne

ne fama qvidem præverteret, Angliam petunt, in obvia cuncta ſine ullo diſcrimine cædibus & incendiis graſſantes. Armatam repentino malo vim oppoſiturus Ella, ſpe longè minorem exercitum contraxit. Ivar autem ſe in fratrum partes conceſſurum negavit, antiqviorem ſibi jurisjurandi religionem ſangvinis nexu teſtatus; qvod ſi Regi placeat, pacis componendæ gratia ad eos iturum; id qvod is, urgentibus jam fatis obcæcatus, etiam probavit. Ivar itaqve, qvi prius fratres domo excivit ad bellum, rejectis pacis conditionibus, acrius concitavit, rediensqve renunciavit Regi; *majori rabie percitos fratres eſſe, qvàm ut ad pacem inclinarent. Illis itaqve belli copiam qvàm primò faciendam, ad occaſionem direptionibus latius ſpargendis, vaſtationibus, deditionibus, & ſociorum alienationibus præcidendam; ſe vero neutrius partes ſecuturum, optimò religionis conſangvinitatisqve temperamento.* Jamqve Ragnaris filii, exercitu caſtris educto, copiam pugnæ fecerunt; ſed nec Ella certamen detrectavit, diuqve ſimul & acriter pugnatum eſt, donec, Ragnarianis infeſtis armis omnia proſternentibus, orta in exercitu ejus trepidatio confuſum militem in fugam egit. Et jam non pugna, ſed cædes erat, diſſipatis ordinibus, omnibusqve effusè fugientibus. Ipſe Rex vivus in hoſtium manus pervenit, adqve ſuperbos victores deductus, Ivaris, cujus interceſſione ſententiam mitiorem exſpectabat, acerbiorem expertus eſt; hortatus eſt enim fratres, *ut memores paterni ſupplicii, non absqve cruciatu vitam hoſti eriperent.* Non igitur ſimplici morte contenti, formam aqvilæ dorſo, cultrô diſruptis coſtis, imprimi curârunt. Hoc modo Ella imprudentiæ pœnam, non jacturâ modò regni, ſed acerbâ etiam morte, luit, dum potenti hoſti, intra imperii limites recepto, ſecreta etiam conſilia committit, & tanqvam in ſocietatem regni recepto adminiſtrationis partem permittit. Ellâ rebus humanis exemptô, regnum in poteſtatem fratrum redactum ſolus Ivar ſibi vendicabat, patrimonii permutatione; nam regna inter eos hoc modo diviſa hiſtoria Olafi Tryggvini refert. Biorno Ferrei lateris Svecia, Oſtrogothia & Veſtrogothia; Sigurdo Angvioculo Eygothia Scania & Hallandia; Hvitſerko Reidgothia & Vandalia ceſſit. Hiſtoriæ tamen Hervorianæ caput noviſſimum Biorno qvidem Jarnſidæ Sveciam, Sigurdo Angvioculo Daniam, Hvitſerko Auſtrrikiam ſeu Ruſſiam, Ivari Exoſſi Angliam ſorte contigiſſe memorat. Saxo biennium ibi manſiſſe tradit, Agnare poſtea Angliæ præfecto. Sed laudata hiſtoria eum per totum reſiduæ vitæ tempus in Anglia regnâſſe, omnibusqve fratribus ſuperſtitem ad ſenilem ætatem perveniſſe, tumuloqꝫ conditum eſſe tradit; cui hiſtoria Lodbrokis ſuffragatur. Qvod verò ſucceſſorem habuerit Adalmundum Edgaris filium, Sancti Edmundi fratris filium, qvi Angliam paſſim ad Chriſtianam religionem converterit, Northumbriamqꝫ tributariam habuerit, id temporis idolorum cultui deditam, cui ſucceſſerit Rex Adalbertus, bonus Rex, qvi longo tempore vixerit, cujus ultimis annis Gormi Grandævi Regis Daniæ filii Knutus & Haraldus Angliam ante annum circiter CMXXXV. claſſe petiverint, nec adſtruere, nec refellere libet. Certum eſt, Danos, qvi primi & deinceps Angliam inqvietârunt, templa, cænobia, ſacraqve Chriſtiana evertiſſe, atqve eorum loco ethnica delubra, ritusqve profanos reſtituiſſe, qvæ genuini deinde Angliæ Reges Chriſtiani aboleverunt.

A morte Ragnaris in regnum Daniæ ſucceſſit

Sigurdus Angvioculus;

qvid verò geſſerit, nihil extat, nec totius Daniæ Regem fuiſſe, ſed inſularum & Scaniæ modò, relatum eſt. Ejus filius

Knutus

apud Gormum Jutiæ Regem, Potentem dictum, in provincia Hördensi educatus, indeqve Hörda-Knutus dictus est, transiitqve nomen illud in Potentissimi Knuti Magni filium, Hörda-Knutum qvoqve dictum, qvod scriptores perperam per Canutum Durum explicaverunt. Illius, sive pueri, sive minorennis, sive etiam absentis, ditionem eripuisse videtur Heligon sive Helgius, *Adamo Bremensi Lib. II. cap. XL. collato cum ejusdem Libr. XLVI.* memoratus, & eidem iterum Olaus Sveo; nam Sigericus seu Siggeir, sive is Olai nepos fuerit, sive non, certè ultimum possessorem Hardegon, qvi hic Horda-Knutus est, ê Normannia veniens regno privavit.

Sigurdi Angvioculi filia, Horda-Knuti soror, fuit

Aslaug,

qvæ nomen aviæ suo celebravit, uxor Sigurdi Hiorti, de qvo in paterno Haraldi Pulchricomi genere, qvantum superest, exposuimus. Ex his progenita

Ragnhildis

Halfdani Nigri uxor; qvorum filius erat

Haraldus Pulchricomus.

APPENDIX.

DE DANORUM NORVEGORUMQVE IRRUPTIONIBUS IN IRLANDIAM.

Jacobus Waræus, libro, qvem Disqvisitiones de Hibernia & ejus Antiqvitatibus inscripsit, Cap. XXIV. nihil de Danorum aut Norvegorum gestis in Hibernia ante annum DCCXCV. literis prodidit, aut, ut mihi intelligitur, sinceris scriptoribus proditum agnoscit: qvæ enim de Fridleifo, (qvem Fridelithum appellat) Frothone Tertio & Hacone (Ragnarem Lodbrochem omittit) Saxo tradidit, pro commentis habet; Ab eodem ergò anno seqventes irruptiones numerat, qvas nos ex illo ad annum usqve DCCCLXIV. id est, initium regni Haraldi Pulchricomi, transscribemus.

Contigerunt autem, dum in Dania Sigurdus Angvioculus, ab anno DCCX[illegible], ad annum DCCCXX. Gudriodus Magnanimus in parte Norvegiæ, ab anno DCCLXXXIV, ad annum DCCCXXIV. Donnchadus Donnaldi regis filius in Hibernia, ab anno DCCLXX, ad annum DCCXCVII, regnarent.

Danos & Normannos, vel Ostmannos, anno Christi DCCXCV, Hibernica & Albanica littora primum infestâsse, & speciatim Recran insulam spoliâsse, produnt Annales Hibernici.

Iisdem regibus in Dania & Norvegia regnantibus, sub Aido Ornidii Nielli Nimbosi regis filio, ab anno DCCXCVII, ad annum DCCCXIX, Hiberniæ rege, Dani & Norvegi, vel Ostmanni, anno DCCXCVIII iterum Ultoniam & Hebrides piratica infestârunt.

Anno DCCCVII, Hiberniam primùm incursionibus intrârunt; deinde Anno DCCCXII. Demum anno DCCCXV Turgesius Norvegus in Hiberniam appulit, & exinde ibidem fixas sedes habere cœperunt.

Hördaknuto in Dania ab Anno DCCCXX, ad Annum DCCCXL, Halfdano Nigro

Nigro in parte Norvegiæ, ab Anno DCCCXX, ad Annum DCCCLXIII; Niello Calneo, Aidi Ornidii regis filio, ab Anno DCCCXXXIII, ad Annum DCCCXLVI in Hibernia regnante; Norvegi Anno DCCCXXXV, majoribus instructi copiis, magnâ classe appulerunt, sub ductu Turgesii, & Conatiam ferme universam, unà cum qvibusdam Jaginiæ & Midiæ partibus, devastârunt. Intra triennium deinde postea, non parvâ Ultoniæ parte subjugatâ, ubiqve ferme templa demoliti sunt, & in Christianæ religionis Professores (cujus tunc erant hostes) magnâ crudelitate grassati, qva de re vide Jocel: Turnessens: in vita S. Patricii cap: 175. speciatim Turgesium Armacham occupâsse, & inde Tarananum Archiepiscopum loci expulisse, unà cum omnibus religiosis & studiosis, tradunt Annales Hibernici. Asserit porro Colganus ex Annalibus quatuor magistrorum, Anno DCCCXXXVIII classe sexaginta navium Nortmannos ingressos esse ostia Boandi fluminis, & aliâ Sexaginta navium ostia Liffii fluminis in Jagenia. A Turgesio (qvod obiter noto) multa fossatorum illorum rotundorum, sive militarium vallorum, vulgò Danes Rathes dictorum, facta dicuntur, qvæ in plurimis Hiberniæ regionibus etiamnum supersunt. Atque talia fortassè fuerunt castella Brigantum veterum, de qvibus Juvenal: Sat: 14.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum.

Sunt porro qvi credant, Danos & Norvegos exstruxisse multos e collibus illis rotundis, qvos sine fossis passim in Hibernia cernimus, qvasi sepulchra magnatibus & ducibus suis; eundem olim morem in Dania viguisse ex Olai Wormii libro de Danicis Monumentis liqvet.

Gormo Grandævo in Dania, ab Anno DCCCXL, ad annum CMXXXV, regibusqve supra dictis in Norvegia & Hibernia regnantibus. Anno DCCCXLV Norvegi diripuerunt & incenderunt Clonmacnoisam, Clonfertam, Joghram & Tirdaglassam. Porro circa eundem annum Turgesius Melachlini, seu Melsechlini, regis Midiæ filiam deperiisse fertur: Atqvi rex ille (Giraldum Cambrensem audis) virus sub pectore versans, filiam suam illi concedens, ad insulam qvandam Mediæ, scil: de Loch vair, illam cum qvindecim puellis egregiis éi missurum se respondit. Qvibus & Turgesius gavisus, cum totidem nobilioribus gentis suæ, statuto die & loco obviam venit, & invenit in insula qvindecim adolescentes imberbes, animosos, & ad hoc electos, sub habitu puellari dolum pallıantes, cultellis, qvos occultè secum attulerunt, statim inter amplexus Turgesius cum suis occubuit. Sic ille, Topograph. Hiberniæ distinct. 3, cap. 4. Cæterum author Annalium Ultoniensium, de dolo eo tacens, Turgesium a Melachlino rege captum fuisse & in dicto lacu submersum tradit. Famâ tum pernicibus alis (sic iterum Cambrensis cap. 41.) totam statim insulam pervolante, & rei eventum, ut assolet, divulgante, Norvegienses ubiqve truncantur, & in brevi omnes omnino, seu vi, seu dolo, morti traduntur, vel iterum Norvegiam & insulas, unde venerant, navigio adire compelluntur. Deinde cap 42. Annos igitur circiter triginta Norvegiensium pompa & Turgesii tyrannis in Hibernia perduravit, & deinde gens Hibernica, servitute depulsa, & pristinam libertatem recuperavit, & ad regni gubernacula denuo successit. Hactenus Giraldus.

Hibernos qvidem hoc tempore Norvegorum vires multùm fregisse certum est: attamen auxiliares copiæ, novis e Dania & Norvegia classibus indies confluentes, Hiberniam per plurimos postea annos gravissime afflixerunt, ut infra patebit.

Gormo Grandævo in Dania, Halfdano Nigro in Norvegia, Malachia Longvovari regis e Malronio fratre nepote, ab anno DCCCXLVI. ad annum DCCCLXIII, in Hibernia regnante, Prælium inter Melachlinum (de qvo supra) tum regem Hiberniæ, & Danos Fouræ commissum est, in qvo Septingentis Danis occisis, victoria Melachlino cessit. In prælio itidem ad Scia-naght, ab Olcobaro rege Casseliæ (qvem Abbatem etiam Imelacensem appellat liber meus cœnobii Inisfallensis) & Jorchano filio Kellachi, rege (ni fallor) Jageniæ, cæsi sunt e Danis mille ducenti, ac in duabus aliis pugnis ante finem anni ceciderunt circiter mille septingenti. Ita hic annus Danis in Hibernia fuit luctuosissimus, unde Melachlinus rex ob partas victorias, ad Carolum Calvum Francorum regem pacis & amicitiæ gratia legatos cum muneribus misit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Sic Chronic. Normann.

Anno DCCCXLIX. auxiliares copiæ e Dania & Norvegia, centum qvadraginta navibus in Hiberniam appellentes, bellum, magno Hibernorum damno, redintegrârunt.

Anno

Anno DCCCLI. Melachlinus rex, jam bello civili implicatus, pace ad tempus Danis stabilitâ, eorum auxilio hostes magna strage profligavit.

Ante annum DCCCLI, Danos, Dublinio, & regiunculâ vicinâ, quam Fingalliam vocamus, potitos esse, ex historicis Hibernicis liqvet. Inter hos & alios ejusdem gentis, hoc anno, atrox commissum est prælium, in quo Dani Dublinienses profligati sunt, & Dublinium a victoribus direptum. Atqvi fuga non pauci elapsi, in patriam confugerunt, unde anno inseqvente, auxiliariis copiis reversi, hostibus victis, Dublinum recuperârunt & restaurârunt. Danos sive Ostmannos Dublinienses intelligit procul dubio vita S. Coëmgeni sive Keivini scriptor, cum de Dublinio & ejus civibus ita loqvitur. "Civitas Ath cliath est in aqvilonari Jaqinensium plaga, super fretum maris posita; & id "Scoticè dicitur Dub-lein, qvod sonat latine nigra therma: & ipsa civitas potens & belli- "gera est, in qva semper habitant viri asperrimi in præliis, & peritissimi in classibus.

Anno DCCCLII. Armacha, ipso Paschatis die, a Danis devastata est, ac paulo post Dermitius, loci Episcopus, qvem Annales Hibernici sapientissimum omnium Europæ Doctorum appellant, sive mærore, sive morbo, exstinctus est.

Anno DCCCLIII. Amlavus, aliis Amelaus, magnâ Danorum & Norvegorum classe huc appulit, eiqve omnes Dani in Hibernia tum degentes se submiserunt. Hic Amelaus (opinor) ille fuit, & hæc Norvegorum ea classis, de qvibus hæc habet Giraldus Cambrensis, Topograph Hiberniæ Lib. III. cap. 43 "Non multo vero post tempore (post mortem scil. Turgesii) iterum de Norvegiæ & insularum borealium partibus, qvasi de reliqviis gentis prioris, & qvia vel occulata fide vel parentum relatione terram optimam noverant, non in bellica classe, sed sub pacis obtentu, & qvasi mercaturæ exercendæ prætextu, in Insulam qvidam advenerunt, qvi & maritimos Hiberniæ portus statim occupantes, tandem de assensu Principum terræ, civitates in ipsis varias construxerunt. Qvoniam enim innatæ ociositatis vitio, gens Hibernica, ut diximus, nec maria lustrare, nec mercaturæ indulgere aliqvatenus voluerat, de communi totius regni consilio perutile videbatur, ut gens aliqva, cujus operâ aliarum regionum commercia, qvibus hæc terra caruerat, huc advehi possent, in aliqvibus regni partibus huc admitterentur. Fuerunt autem Duces eorum tres fratres, Amelaus scil: Sytarachus & Yvorius. Constructis itaqve primo civitatibus tribus; Dublinia, Gvaterfordia, Limerico; Dubliniæ principatus cessit Amelao, Gvaterfordiæ Sytarachο, Limerici Yvorio & ex iis paulatim ad alias Hiberniæ civitates construendas processu temporis sunt derivati. Gens igitur qvæ nunc Ostmannica gens vocatur, in primis istius regibus satis tractabiles fuerunt & pacifici: Sed ex qvo in immensum generis numerositate jam excreverant, & civitates fossatis & muris optime cinxerant, antiqvas inimicitias alta mente repositas, nonnunqvam renovare & acriter rebellare solebant. Dicti sunt autem Ostmanni, lingva ipsorum, corrupte qvodam Saxonico, qvasi Orientales homines: respectu namqve terræ istius, ab Orientalibus huc partibus undecunqve advecti sunt. Ita Giraldus; e qvo eadem hausisse videtur Ranulphus Monachus Cestriensis in Polychronico.

Cæterum, ut de hac narratione, qvod sentio, dicam, constabit (opinor) Ostmannos sedes eas maritimas, non mercaturæ prætextu, nec Hibernorum assensu, sed vi & armis obtinuisse, si consideremus qvantâ immanitate, a primo eorum ingressu, imò hoc ipso tempore, de qvo nunc loqvimur, & diu postea, per Hiberniam grassabantur. Certe ex optimis Historicis liqvet, Amlavum hunc, post prælium unum aut alterum, prospero contra Hibernos eventu, tanto fuisse iis terrori, ut annuo qvodam tributo pacem ad tempus redimere coacti fuerint

Anno DCCCLVI. Inter Melachlinum regem & Danos atrox ortum est bellum, qvô multi utrinqve ceciderunt.

Anno DCCCLVII, Cathaldus Albus, dum res novas moliretur, ab Amlavo & Ivaro prælio profligatus est in Momonia.

Anno DCCCLIX Amlavus & Ivarus cum magno exercitu in Mediam profecti sunt. De successu tacent Annales Hibernici; eo vero tempore (ut videtur) induciæ inter Melachlinum & Danos sunt pactæ.

Anno DCCCLXII. Defuncto Melachlino rege Hiberniæ, Loreanus filius Cathaldi, & Cornelius filius Dermitii, regnum Midiæ inter se partiti sunt. Iis vero ab Edano, cognomento Finliat, Danorum auxilio postea captis, Edanus rex Hiberniæ salutatus est. Lortanum ab Edano tunc oculis orbatum, & Cornelium ab Amlavo Clonardæ submersum ferunt.

HISTORIAE RERUM NORVEGICARUM PARTIS PRIMAE
FINIS.

INDEX

INDEX
Nominum & Rerum memorabilium
IN TOMO I.

A.

C.

D.

INDEX

Hal-

I.

Hre- Johan

P.

Q.

R.

T.

Star- Tho-

V.

SYLLOGE
VOCUM ANTIQVARUM,
Qvæ in hoc Tomo I. vel datâ opera illustrantur, vel ex occasione Nöminum propriorum breviter explicantur.

A.

Aar / *remus*, 131.
Aas / *monticulus, collis.* 125.
Adur / *antè, prius.* 14.
Ædri / *dignior, superior*, 14.
Ædstur / *dignissimus, supremus* 14
Afi / *superior*, item *avus.* 321
Akur / *ager.* 50. 336
Alfur / *genius, numen familiare* 402
Alsvidur / *sapiens*, item *benè moratus.* 22.
An / *sine*, præpositio. 329. 335.
Ana / vel Auna / *progredi, serpere.* 6.
Angur / *mare* 64.
Angur / *ager.* 76.
Angur / *cura, sollicitudo* 232.

An-

Anmarki / *pecus, jumenta.* 6.
Aula / *progredi.* 6.
Aul / *incessus, ambulatio.* 6.
Aul / pro Ol / *cerevisia.* 6.
Aulfœr / *pedes incedere valens* 6.
Audur / *gaza, divitiæ.* 374
Audgur / *dives*, 442.

B.

Backi / *ripa*, item *collis.* 19.
Bær / *domus, oppidum.* 18.
Baza / *arcere, prohibere.* 18.
Bagall / *pedum Episcopale.* 20
Bagi / *damnum, adversitas* 18
Bagur / *asper, durus.* 18.

Bag-

TOMI I.

Tomi I.

FINIS.